UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annalium Paderbornensium Pars ...

Complectens Inprimis Fusiorem Episcoporvm Paderbornensium, Deinde Succinctiorem Historiam Reliquorum Per Westfaliam Antistitum, Tum Res Gestas Aliorum In Eadem Hac Regione Clarorum Virorum, Postremo Pontificum, Imperatorum, Principum &c. Gesta, maxime ea, quae Westfaliam contingunt

Ab anno Christi 1500. usq[ue] ad annum 1618. inclusivè

Schaten, Nicolas

Nevhvsii, 1741

urn:nbn:de:hbz:466:1-7785

Visual Library

ANNALIUM PADERBORNENSIUM

PARS III.

COMPLECTENS

IMPRIMIS FUSIOREM

EPISCOPORUM PADERBORNENSIUM

DEINDE

SUCCINCTIOREM HISTORIAM

RELIQUORUM PER WESTPHALIAM & SAXONIAM

ANTISTITUM

TUM

Res gestas aliorum in eadem hac Regione

CLARORUM VIRORUM

POSTREMO

Pontificum, Imperatorum, Principum

acta & bella, maximè ea, quæ Westphaliam contingunt.

Ab anno Christi 1500. usq; ad annum 1618. inclusivè

OPUS POSTHUMUM

AUTHORE

R. P. MICHAELE STRUNCK

SOCIETATIS JESU

Sacrosanctæ Theologiæ Doctore.

PADERBORNÆ:

Imprimebat FERDINANDUS JOSEPHUS SCHIRMER, Typographus Aulicus

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

Anno MDCCXLI.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GESAMTHOCHSCHULBIBLIOTHEK
PADERBORN
78/1056

Standort: P 06
Signatur: LTB 1109-3
Akz.-Nr.:
Id.-Nr.: W658181

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DEDICATIO

Reverendisſimis, Excellentisſimis, Illuſtrisſimis, Perilluſtribus, Præ-nobilibus, Conſultisſimis, Doctisſimísq; &c.

D.D. STATIBUS PATRIÆ.

REVERENDISSIMI, EXCELLENTISSIMI &c.

ANnum jam ſecundum numeramus, & quadrageſimum, ex quo ANNALIUM PADERBORNENSIUM pars ſecunda ſuperiore ſeculo, Schatenio Authore, in lucem edita, non parum luminis antiquiſſimorum temporum hiſtoriæ attulit. Operi poſthumo parta exiſtimatio ingens & authoritas, poſtquam intellectum fuit, Schatenium in eo conſcribendo magnopere adjutum fuiſſe ab ipso laudatiſſimo Principe, & Epiſcopo FERDINANDO FüRSTENBERGICO. Is enim, cùm Romæ per novennium verſaretur; ceterorum, qui ante ipſum hanc Paderbornæ, Carolinam ſacrorum Antiſtitum ſedem, tenuerant, res præclarè geſtas è vetuſtis Vaticanæ Bibliothecæ monumentis ſingulari ſtudio collegerat: reverſus in patriam, quæ tumultuariè ab ipſo Romæ excerpta erant, in annos, & ordinem digeſſit, póſtque adeptam Paderbornenſis Dioœceſis infulam ſcriptori ANNALIUM tradidit. Idem ille FERDINANDUS, immortalis memoriæ Epiſcopus, ultimis tabulis hæredes ſuos ad opus illud Schate-

nii, typo vulgandum obligavit, certâ pecuniæ summâ eam in rem assignatâ. A decessu autem hujus FERDINANDI Episcopi, cùm tempora calamitosa essent; patriæ ærarium, urbes, & oppida plurium annorum bellis, ac infortuniis exhausta; nemo fuit, qui de prosequendo opere susciperet curam; aut sumptuosum, ejus continuationi annexum onus, Diœcesi impositum vellet. Tantò nunc major laus Vestra, Reverendissimi, & Illustrissimi, ceteríque Primates Patriæ; tantò inquam illustrior gloria, quòd æquè miseris, certè difficillimis temporibus, cùm pecunia, milites, arma, in bellum ad Rhenum, ad Mosellam, ad Danubium subministranda erant; cùm annonæ caritas, penuria rerum, Diœcesin premerent; nihil desiderari unquam passi sitis, ut cœpta à Schatenio Historiæ tela pertexeretur. Quo laudabili consilio, cùm se obstrictam Vobis literaria omnis Respublica fatebitur; tum maximè seri nepotes Vestri, Vobis Majoribus suis, se æternùm devinctos agnoscent, ubi aliquando rerum per Diœcesin tot retro seculis gestarum, & præteriti temporis memoriam, curis & impensis Vestris conservatam intuebuntur.

Utcunque splendida sint & egregia, quæ alibi in regionibus geruntur; quæ tamen domi in natali solo peracta legimus; tametsi non adeò magna sint & illustria, plurimùm tamen, & nescio quid occultæ dulcedinis habent; majoréque popularium animos non solùm voluptate capiunt; sed & eorum in legendo assiduitatem acuant, necesse est. Quàm turpe enim, & præposterum foret? scire ortus, & occasus Regionum, Provinciarum, Regnorum, quæ trans Indum, & Gangen, trans maria altero in orbe sita sunt: scire jura eorum; quæ gesserint bella; quid cladis, aut quas victorias abstulerint: Interim velut ignotum hospitem oberrare in patria; rudem esse ac

pere-

peregrinum in rebus domesticis: quæ illis inflicta olim ab inimicis vulnera, quomodo persanata sint; quo jure urbes, oppida, arces, gaudeant; prorsus nescire. Sanè quanta in Diœcesin damna, earum rerum ignoratio ducentis & quindecim ab hinc annis invexerit, hæc ætas etiamnum sentit in jactura Comitatûs Pyrmontani. Eum ERICUS Episcopus anno MDXXII. à Simone Comite Lippiaco Ecclesiæ Paderbornensi recuperaverat, perpetuis temporibus possidendum. At perbrevis possessio, turbata statim triennio pòst, & eversa à Friderico Comite de Spiegelberg.

Pyrmontanum, inquiebat ille, Comitatum Patri suo obvenisse, tanquam dotem ab uxore, quæ filia Pyrmontani Comitis fuisset, allatam. Inepta postulatio, nullóq; fundamento nixa! nemo unus tamen erat, qui sciret, aut veteres ex archivo afferret tabulas, quarum testimonio probari liquidò poterat, Comitatum clientelare beneficium esse; sive feudum ad solos restrictum hæredes masculos, nulli extra hos alienationi obnoxium. Relictis igitur in archivi caligine tam luculentis probationibus, ultro confugitur ad transactionem, ad arbitros Gerhardum & Albertum Comites Mansfeldianos; & eos quidem jurium Patriæ omnino ignaros. Quæ tum sententia lata, & quàm damnosa Diœcesi fuerit, prolixiùs narratum est ad annum MDXXV. Hæc autem, atque id genus plura publicis jam mandata literis cùm posteri legent, an non seculi illius socordiæ indignati, exardescent magìs, ad jura Diœceseos, si quando officii ratio exiget, sollicitiùs tuenda. Quocirca pergite Reverendissimi, & Illustrissimi &c. &c. ceteríque Proceres Patriæ, pergite cùm meliora redibunt tempora, tam utiles sumptus facere, paucorúmque, qui restant, Episcoporum famam, & gloriam nominis, ex situ & tenebris producere in lucem:

cem: simul varios fortunæ casus, vicissitudines rerum, Patriæ commoda & detrimenta, Administrorum, Regentium, virtutes & errata posteritati ob oculos ponere: sat ingens operæ pretium erit, simul posteros, quam devitent, aut sequantur viam, docuisse. Nolim ego contra malevolos obtrectatorum calamos, & linguas huic literario operi præsidium aliud quærere, nisi ipsámmet Vestram Omnium Patriæ Ordinum tutelam; utpote quorum liberali sumptu, & auspiciis prodiit, eorundem quoque insignitum Nominibus abunde virium & authoritatis habebit, ut tutò in virorum doctissimorum conspectum offerre se valeat. Vivite Integri, Valentésque in sera secula; vivite Deo, Religioni, Patriæ; & mementote semper, Vos publicæ incolumitati, Diœceseos emolumentis, natos esse. Ità ex animo & profunda cum veneratione precatur, qui operi huic posthumo quindecim annos ultimos adjecit, illúdque sic completum typo paravit

Reverendissimarum,
Excellentissimarum &c. &c.
Dignitatum Dignitatum &c. &c.

Servus Devotissimus
CASPARUS MüLLERS
Societatis Jesu Sacerdos.

ANNALIUM PADERBORNENSIUM

PARS III.

ANNALIUM PADERBORNENSIUM

PARS III.

Præfatio ad Lectorem.

Adest tandem, benevole Lector, diu desiderata Annalium Paderbornensium Continuatio, sive Pars Tertia; *Authore R. P. Michaële Stranck Societatis JEsu. Opus limatum satìs; nec tamen ultimis perpolitum curis, quòd operi immortuus Author, extremam applicare manum, haud potuerit. Et ne fortassis tarditatem Scriptoris in absolvendo opere incuses, aut annis justo pluribus sub incude opus sudâsse putes; cogita, quid hac in re Horatius moneat: potiùs reprehendendum censet ille omne opus literarium*, Quod non multa dies, non multa litura coërcuit: nonúmque, *inquit*, prematur in annum, *quod publico, aut luci committere velis.*

Horatius de arte Poëtica versu 294. & 388.

Non diffiteor tamen, proditurum multò citiùs fuisse hoc volumen, mole simul, et elegantiâ majore, nisì Scriptor complures annos in revidendis, quos Schatenus scripsit, libris consumpsisset; tum ut emendaret, si quæ errata in Schatenio occurrerent; tum ut adderet, quæ ex inopia documentorum ab Authore prætermissa, animadverteret. In utroque genere plurium annorum laborem invenit, nec inutilem; fructum enim sic impensi laboris habemus satìs amplum, et dignum, qui aliquando cum erudito orbe per typum communicetur. Varia etiam negotia, (exempli causâ, Sancti Liborii vita germanico et latino idiomate conscripta) quæ à Statibus Patriæ Scriptori imposita sunt, multùm retardârunt calami velocitatem. Denique postremis annis sæpe intervenientes morbi, et curanda valetudo infirmior multum Scriptori ademit temporis; atque ex his consecuta mors totum laborem abrupit. Igitur huic operi cum eo, cujus continuatio est, commune fatum fuit, quòd posthumum sit, ultimâ Authoris limâ carens: felix tamen illud dixerim, si verum est, quod Poëta canit:

Scripta placent à morte ferè; quia lædere vivos Livor, & injusto carpere dente solet. Ovid. de Pont. lib. 3. Eleg 4.

Quanquam haud facilè malevolentia, quod mordeat, inveniet. Procul à genio scriptoris plùs æquo floridum et calamistratum scribendi genus: satis habuit vir omni excultus literaturâ, nudam hîc, se ipsa ornatam satìs veritatem proposuisse. Ut enim in vita verè Religiosus, comis semper, et candidus absque artificio mundanæ calliditatis extitit; sic in scriptis modestia ejus, et nativus quidam candor elucet: atque ità, ubi historia fert, scelera perstringit, et tangit vulnera, ut non infigere aculeum, sed sanare velle videatur. Episcopi Paderbornenses, quorum vita hac in parte percurritur, sequentes sunt:

Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, Administrator Paderbornensis. Ericus Dux Brunſvicenſis de Grubenhagen. Hermannus II. de Wieda, Archiepiscopus Colonienſis, Administrator Paderbornenſis. Rembertus à Kerſenbroîch. Joannes II. Comes de Hoya. Salentinus Comes de Iſenburg. Henricus Saxo Lawenburgicus, Archiepiscopus Bremenſis, Administrator Paderbornenſis.

nensis. Theodorus de Fürstenberg. Horum autem res gestæ, dum recensentur, fit subinde digressio extra fines Patriæ ad finitimarum Diœcesium turbas; ad tumultus Lutheri, et Anabaptistarum; ad seditiosos Belgarum motus; ad Gebhardi Truchsesii, Colonienſis Archiepiscopi defectionem, ad Archiepiscopos Moguntinos, Metropolitas nostros; ad urbes Imperiales, ad cetera, quæ Pontifici, quæ Cæsari per seditionem, aut per bella evenerunt. Ità enim fieri jubet titulus, cuivis anno de Pontifice, de Imperatore præfixus. Quorsum enim ille, si quandoque mentio de utrisque non fieret? et certè timendum esset, ne jejuna nimiùm, et exilis historia, minimè expleret Lectoris famem, nisi scriptor, Schatenii exemplo, subinde limites Diœcesis hujus egressus, ex connexis Germaniæ partibus novam scribendi materiem accerseret; novásque apponeret dapes. Fruere his Lector, vale, et fave.

APPROBATIO LIBRI
&
PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Cùm ex mandato sacræ Cæsareæ Majestatis omnibus, & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quibuscunque librariam negotiationem exercentibus seriò, firmitérque inhibeatur, ne quisquam libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos aut imposterum edendos intrà Sacri Romani Imperii, Regnorum, & Dominiorum Suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili, aliòve Charactere aut formâ, sive in toto, sive in parte excudere, vel aliò excudendos, recudendos mittere, vendere, distrahere clàm, seu palàm citra supra dictorum Patrum consensum ac testimonium audeat, vel præsumat.

Ego FERDINANDUS LIMPENS Societatis Jesu per Provinciam Rheni inferioris Præpositus Provincialis, potestate mihi ab Admodum Reverendo Patre Nostro FRANCISCO RETZ Præposito Generali ad idfactâ concedo Ferdinando Josepho Schirmer, Reverendissimi & Sereniſſimi Archi-Episcopi & Principis Electoris Colonienſis, & Episcopi, ac Principis Paderbornensis &c. Typographo Aulico facultatem excudendi librum, cui titulus: Annalium Paderbornensium Pars III. à P. Michaële Strunck Societatis ejusdem Sacerdote publico usui donatum, atque à deputatis ad id Patribus ejusdem Societatis lectum, & approbatum, eidémque jus Cæsarei Privilegii usurpandi eatenus indulgeo, ut librum hunc nemo alius recudere sive in toto, sive in parte, vel aliò recudendum mittere, vendere, distrahere possit. Hâc tamen lege, ut Typographus mittat quinque exemplaria Viennam ad Excelsum Consilium Imperiale Aulicum. In quorum omnium fidem has litteras manu propriâ subscriptas, & Officii Sigillo munitas dedi Treviris 22da Septembris 1740.

FERDINANDUS LIMPENS. (L.S.)

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XIX.

HERMANNUS
Hasiæ Landgravius,
ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS,
ECCLESIÆ PADERBORNENSIS ADMINISTRATOR,
ET
EPISCOPUS XXXVIII.

ERICUS
Dux Brunsvicensis,
PADERBORNENSIS ECCLESIÆ
EPISCOPUS XXXIX.

An-

HERMANNUS
Hasiæ Landgravius,
ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS,
ECCLESIÆ PADERBORNENSIS ADMINISTRATOR,
ET
EPISCOPUS XXXVIII.

Annus Christi 1500.

ALEXANDRI VI. Pontif. 8. & 9.
MAXIMILIANI I. Imper. 7. & 8.
HERMANNI Admin. Pad. 2. & 3.

REctus ordo postulâsset forsitan, ut hic Annalium nostrorum Liber decimus nonus initium desumpsisset, ab anno prioris sæculi nonagesimo octavo, quo Hermannus antea Coadjutor, extincto Nonis Martii Simone Episcopo, pleno jure Paderbornensis Ecclesiæ clavum adire cœpit. Sed quia Majores nostri à quibus opera Schateniana post laudatissimi Scriptoris mortem, prælo commissa sunt, eorundem editionem jam perduxerunt usque ad hunc annum, Hermanni Administratoris in Ecclesia Paderbornensi tertium, necesse fuit ipsorum vestigiis insistendo scriptionis ab sæculari, quem prænotavimus, anno exordium capere.

Carolus V. hoc Aō nascitur Gandavi, die 25 Februar.

Hunc autem penè in ipso introitu suo memorabilem reddidit fortunata nativitas CAROLI V. Imperatoris; quem intercalaris dies vicesima quinta Februarii tunc Beato Apostolo Matthiæ sacra, Gandavi in Flandriâ magno Orbis Germanici gaudio in lucem dedit,

dit, Patre Philippo Maximiliani Imperatoris Filio, & Matre Joannâ Ferdinandi Regis Hiſpaniarum Filiâ. Magnum revera Cœſarem, (ùt alibi videbimus) & inter innumeras, quæ conſecutæ ſunt, ſectariorum Principum diſſenſiones, non modò labentis Imperii, ſed etiam Catholicæ Religionis columen! verbo, Principem talem, de quo poſtmodum Jacobus *Thuanus ſupremæ curiæ in Francia Præſes hoc inſigne judicium tulit: *In eo Principe cum virtute certavit fortuna, ut illius meritis ſupremum felicitatis faſtigium imponeret. Neque verò ullum perfecti magis, et ad omnem virtutem expreſſi Principis exemplar noſtrâ et retrò ſæculorum memoriâ reperiri poſſe arbitror, quod iis, qui ad imperium virtutis viâ graſſantur, ad imitandum proponi queat.*

*Spondan. Neucler. Surius in Commeut. rerum geſtar. & alii paſſim. *Thuan. ap. Auth. Phoſph. part. 2. fol. 301.*

Quàm autem felix huic novo Principi, tam infelix ac propè lethifer hic annus fuit Alexandro VI. ſummo Pontifici; etenim die viceſimâ nonâ Junii, ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo ſacrâ (dum horâ nobis poſt meridiem quartâ in cœnaculo ſuo cùm paucis ageret) caminus ab inſolenti ventorum turbine revulſus decidit: perforatoque ſuperiore tabulato cædem inibi tam inexſpectatam edidit, ut ante pedes ejus duo viri penitus obtriti, tertius verò immani vulnere proſtratus fuerit. Ipſe Pontifex inter circumfuſa tignorum fragmina, morituro magìs quàm ſpiranti ſimilis inventus eſt; neque mortis improviſæ minas evaſiſſet, nisì cadentium lignorum, ac tabularum impetus à ſuperſtantis umbellæ tegmine refractus eſſet. Variam augurandi, & ratiocinandi materiam inopinus hic eventus præbuit. Sed quis omnes fortuitorum hujusmodi caſuum ſignificationes divinare ſinè periculo erroris poterit?

Alexander Pontifex ex camini incidentis lapſu ægrè admodum evadit viv*. *Spondan. ad hunc annũ. n. 5. & alii ab eo citati.*

Sanè triſtiorem, ùt opinor, futurarum calamitatum, ac malorum Iliadem præſignârunt eventus alii: nimirum illæ maculoſæ cruces coloris plerumque rubei vel ſubrubei, quæ hoc anno cæleſti quâdam, & inviſibili pluviâ veſtimentis hominum, ac præcipuè mulierum, altariumque linteis etiam ſereno cælo inſperſæ ſunt; nullâque arte vel abſtergi poterant, vel aquis incoctis elui, donec iterum ſpontaneo abſceſſu poſt nonum decimúmve diem evaneſcerent. Apparuerunt hæ primùm in tractu Rheni ſuperioris, utì refert coævus Author Joannes *Trithemius: deinde verò ſequentibus duobus annis paulatim, & ſucceſſivè per totam ferè Germaniam, Galliam, Italiam, Poloniam, & alias Europæ noſtræ Provincias cum incredibili mortalium ſtupore conſpectæ ſint. Decidebant autem occultiſſimè tam inobſervabili ſubitoque modo, ut aliquando ſub ipſis precibus in templo publico decantatis quadraginta, & ampliùs homines unâ vice cruciferis hiſce maculis notarentur; maximè verò in ornatu lineo, quem fœminæ in capitibus, Canonici in choro, & Sacerdotes in Sacrificio divino gerunt. Neque ſolùm id

Prodigioſæ cruces inviſibili modo incidunt in hominum veſtimenta. *Thritem. l. 2. Chron. Hirſaug. Langius in Chron. Citiz. ad annum 1501. Surius in Comment. rerum geſt. ad an 1501. & alii.* *Trithem. to. 2. Chro. Hirſaug. ad hunc annũ.

fiebat in Eccleſiis, locisque patulis; verùm etiam in veſtiariis, arculisque domi clauſis: in quibus pariter inventa ſunt linteamina plura ejusmodi prodigioſis crucibus inſignita, utì fuſiùs oſtendetur ad annum proximè ſecuturum. Quis non putâſſet rem adeò novam ac ſalutiferi terroris plenam valuiſſe plurimùm ad excitandas animi pœnitentis lacrymas? Et tamen hujusmodi effectum portentoſis hiſce crucibus reſpondiſſe, paſſim omnes illorum temporum ſcriptores negant. *Terrebant multos* (ait *Mutius l. 30. Chronicorum Germaniæ) *paucorum verò, atque adeò nullorum vitam mutabant: utì ſolent prodigia omnia, quæ, cùm deberent nobis eſſe doctrina, et admonitio, ut reſipiſceremus; ferè ſemper magis judicio nobis, quàm documento ſunt.*

*apud Piſtor. to. 2. pag 310. ad ann. 1501.

Reformatio Monaſt. Gaukirchēſis intra Paderbornā. *Literæ antiquæ.*

Interea Hermannus Eccleſiæ noſtræ Adminiſtrator nihil curarum, & bonæ ſollicitudinis omittebat in agendis, ordinandisque rebus iis, quæ ad Paſtorale officium pertinent. Et quia ad extirpanda aliorum ſubditorum ſcelera nullum gravius obſtaculum eſt, quàm, ſi Religioſæ domus permittantur ſinè lege, & regularis diſciplinæ cuſtodiâ vivere; etiam hoc anno intrà urbis Paderanæ mœnia reformari juſſit Monaſterium Virginum, quæ ad Eccleſiam Gaukirchenſem, ſive ad S. Udalricum habitant, ſolæque hactenus reformationem in aliis Monaſteriis factam ſubterfugerant. Vivebant illæ veluti exleges fœminæ: propterque malum Abbatiſſæ prioris regimen in eam agendi, & converſandi licentiam venerant, ut, abjectâ Regularum cuſtodiâ, non ſolùm pro ſuo libitu extra ſepta Monaſterii currerent; verùm etiam ſuæ vocationis oblitæ neſcirent ampliùs, cuinam Ordini, vel Statui Religioſo quondam adſcriptæ fuerint. Quâ ex re, cùm innumera animarum pericula & offenſiones populi naſcerentur, Hermannus Epiſcopus ineunte Julio miſit illuc Viſitatores Eccleſiaſticos probatiſſimi exempli: eisdemque ſeriò in mandatis dedit, ut non modò ſtatum iſtius Monaſterii penitiùs introſpicerent; ſed etiam ea, quæ à recto deviâſſent, ad arctiorem vitæ Regularis normam ſedulò coërcerent. Paruerunt ii protinus tam devoto Principis imperio; ſummâque animi integritate correxerunt inibi, quidquid antea ſolutum, & inadſtrictum fuerat. Una ſolùm difficultas remanebat, ad quodnam, vel quale inſtituti Religioſi genus exleges iſtæ Monachæ reducendæ ſint? Nam ex antiquis Monaſterii tabulis elucebat, eas à primordio ſuæ Fundationis fuiſſe Ordinis Ciſtercienſis: contrà verò Abbatiſſa & ſeniores Monachæ exiſtimabant, ſe eſſe Ordinis S. Benedicti, cujus regulam in ſuorum votorum emiſſione profeſſæ fuerint. Ac tametſi, cùm iſta dicerent, ſat apertè indicarent, ignorari à ſe diſcrepantiam utriusque ordinis antedicti (uterque enim profitetur eandem regulam, utiturque eâdem Profeſſionis formulâ)

Moniales hujus loci, quæ olim Ordinis Ciſtercienſis fuerant, adſtringuntur ad Ordinē S. Benedicti. *Ex literis antiquis & Bullâ*

mulâ) nihilominus, ne contra voluntatem suam adstringerentur ad aliud vitæ genus, quàm cui se adstrictas esse putaverant; communi tandem Visitatorum consilio statutum est, ut retento Virginum Benedictinarum instituto, Bursfeldianæ Reformationis, & Congregationis legibus in posterum se subjicerent. Id autem, ut facilius, & majori cum efficacia fieret; exauctoratâ Abbatissâ, ac Priorissâ veteri, duæ aliæ religiosissimi exempli fœminæ ex Willebadessensi *Monasterio ejusdem Ordinis, Paderbornam evocatæ sunt, nimirum Anna de *Westphalen*, & Mechtildis *Vetten*: quarum illa Abbatissam agere; hæc verò Priorissæ officium subire, veteresque Monachas ad accuratiorem vivendi normam deducere debuit. Ità Monasterium hoc, regulari disciplinâ jam ab annis pluribus destitutum, Hermanni Administratoris operâ ad frugem rediit: ideoque & LEO X. Papa Maximus reformationem, & ordinationem hanc, ab eodem Hermanno, & Visitatoribus prædictis factam, post aliquot annorum intervalla non solùm stabilivit; verùm etiam Virginibus Deo sacris omnia privilegia, & exemptiones, quibus olim sub instituto Monacharum Cistercienſium gavisæ fuerant, liberalissimè concessit, & confirmavit hoc insigni diplomate:

Leonis X. Pontificis.

**ex literis Monasterii Gaukirchensis, & Willbadessensis.*

Reformatio illa confirmatur à Leone X. Pontifice, anno 1513. *Ex Tabulario Monasterii Gaukirchensis.*

LEO *Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ex assuetæ pietatis officio, et commissi Nobis Pastoralis Officii debito ad ea Nostræ sollicitudinis curas libenter apponimus, per quæ singulæ Nobis et Apostolicæ Sedi fideles personæ, præsertim fœminei sexûs, sub suavi religionis jugo, altissimo famulantes in earum sancto proposito perseverare valeant: et ea, quæ pro earum salutari directione providè facta fuisse, dicuntur; ut firma perpetuò et inconcussa permaneant, libenter, cùm à Nobis petitur, Apostolico munimine roboramus, et illa etiam de novo concedimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilectarum in Christo filiarum, modernæ Abbatissæ ac Priorissæ, et Conventûs Monasterii Monialium Sancti Udalrici in Gokercken Paderburnensis, Ordinis S. Benedicti, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd, cùm superioribus annis aliquæ Moniales dicti Monasterii, cujus Abbatissa, et Moniales, quæ pro tempore fuerant, antea inibi regularem et monasticam vitam ad aliquod tempus duxerant, ob malum regimen tunc earum Abbatissæ, et nimiam libertatem per eandem Abbatissam eis concessam, disciplinâ regulari spretâ, extra dictum Monasterium discurrissent, ac infra claustrum ejusdem Monasterii suspectæ personæ, usque etiam (quod dolendum erat) ad virginalis castitatis corruptionem inventæ fuissent: bonæ memoriæ Hermannus Archi-Episcopus Colonienſis, Ecclesiæ Paderburnensis perpetuus Administrator in Spiritualibus, et temporalibus, per Sedem Apostolicam deputatus, in capite et in membris ordinariâ auctoritate reformavit, et*

et ad debitam reformationem reduxit. Ipsique Commissarii (licèt ex nonnullis antiquis scripturis, in eodem Monasterio repertis, ab aliquibus prætenderetur dictum Monasterium Cistercienſis Ordinis fore) quia tamen Abbatissa, et Moniales Monasterii hujusmodi, quæ longo tempore fuerant, reperiebantur Ordinem Sancti Benedicti professæ fuisse, et sub ejusdem Ordinis Sancti Benedicti regularibus institutis vixisse, et tunc vivere; Monasterium hujusmodi ejusdem Ordinis Sancti Benedicti esse, ac ipsius Monasterii pro tempore Abbatissam et Moniales sub regulâ et regularibus institutis dicti Ordinis Sancti Benedicti continuare, et ex tunc in antea vivere debere decreverunt, pro ùt in literis seu documentis publicis desuper confectis dicitur plenius contineri. Quare pro parte Abbatissæ et Priorissæ modernarum, ac Conventûs prædictarum asserentium, se sub reformatione et regulâ Sancti Benedicti hujusmodi, jam per duodecim annos et ultrà quiete permansisse; Nobis fuit humiliter supplicatum, ut reformationi, decreto, et declarationi prædictis, pro illorum subsistentiâ firmiori robur Apostolicæ confirmationis adjicere, et aliàs in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui sacræ religionis honestatem ubique vigere et conservari, sinceris desideriis affectamus, Abbatissam et Priorissam modernas, ac Conventum prædictum, et Conventûs hujusmodi singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, à jure vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, reformationem, decretum, et declarationem, prædicta, ac pro ùt illa concernunt, omnia et singula in dictis literis et documentis contenta, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium approbamus et confirmamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, illaque perpetuò observari debere decernimus, supplentes omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et nihilominus pro potiori cautelâ, quòd præfatæ Abbatissa et Moniales sub regula Sancti Benedicti in eodem Monasterio ejus, et non præfati Cistercienſis seu alterius Ordinis statutis se conformare, ac omnibus et singulis unionibus, annexionibus, incorporationibus, literis, contractibus, munimentis, instrumentis, publicis juribus, et consuetudinibus, etiam quo ad Parochialem Ecclesiam Rurensem dictæ Diœcesis, illiuspue Rectoris (Præpositi nuncupati) pro tempore existentis nominationem, et præsentationem, aliisque privileguis, libertatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis et indultis etiam Apostolicis (etiam quibus olim sub dicto Cistercienſis Ordine degentes et aliæ dicti Ordinis Sancti Benedicti Moniales hactenus usæ sunt, seu utebantur, potiebantur, et gaudebant, ac utuntur, potiuntur, et gaudent, atque potiri et gaudere poterant, quomodolibet in futurum) de cætero sub regula Sancti Benedicti viventes, et illius

Ordi-

Ordinis existentes, uti, frui, et gaudere, ac illorum omnium vim et effectum consequi liberè ac licitè possint ac debeant, præfatâ auctoritate Apostolicâ etiam decernimus et declaramus, eisque pariter indulgemus. Non obstantibus promissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non Monasterii et Ordinum prædictorum juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis aliâ firmitate roboratis, Privilegiis quoque, Indultis et Literis Apostolicis, dicto Cistercienſi Ordini, illiusque Patri Abbati, et diffinitoribns, et aliis superioribus, quâvis auctoritate nunc et pro tempore fungentibus, sub quibusvis verborum formis et cum quibuscunque derogatoriarum derogatoriis, ac fortioribus, efficacibus et insolitis clausulis, ac irritantibus, aliisque decretis, etiam talibus, quòd illis nullatenus aut non nisi sub certis modo et formâ inibi expressis derogari nequeat per Sedem Apostolicam, etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine quomodolibet concessis, ac reiteratis vicibus approbatis et innovatis (quibus, illorum tenorem et formas, ac si præsentibus de verbo ad verbum inserta forent, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter et expresè derogamus) cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ absolutionis, approbationis, confirmationis, communitionis, decreti, suppletionis, declarationis, indulti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, tertio decimo, quarto decimo Kalendas Maji, Pontificatûs Nostri anno primo.

Restituto in hunc modum Gaukirchenſi Monasterio, Hermannus Episcopus exeunte Septembri Paderbornam venit, celebraturus ibi diem clientelarem seu beneficiariam, *quam in proximas Kalendas Octobris constituerat. Magna tunc virorum illustrium turba confluxit in urbe nostrâ. Nam è Statu Equestri ad renovationem feudorum aderant, Wernerus de Spiegel ex Pickelsheim Diœcesis nostræ Marescallus hæreditarius, Jacobus de Asseburg, Conradus de Exterde, Gerardus à Ledebuêr, Wolffgangus & Rabanus à Saleberge, Wilhelmus à Cloister, Theodorus à Wrede, Henricus & Rabanus de Heyen, Joannes & Itelius de Torn, Wolffgangus de Haxthausen, pro se suisque fratribus, Conradus de Haxthausen pro se suisque fratribus & cognatis, Henricus de Friesenhausen, Herboldus, Fridericus, Joannes & Georgius de Papenheim fratres, & cognati, Joannes ab Oyenhusen, Ludolphus de Yenhusen, Wernerus de Falckenberg, Conradus Oyenhusen, Theodorus de Borg, Erasmus de Lippe, Mauritius de

Hermann Ecclesiæ nostræ Administrator Paderbornæ celebrat diem feudalem. *Ex tabulario Cathedral. Eccl. Paderb.* *Lehntag

de Amelunxen, Conradus de Spiegel pro se suoque fratre Gerhardo, Hermannus de Calenberg, Bruno & Godeschalcus de Donop cognati, Hermannus de Mengersheim Senior pro se & cognato suo, Burchardus & Fridericus de Oyenhusen fratres, Hermannus de Schilder, Theodorus de Niehusen, Albertus de Busch, Liborius de Sieghart, Joannes ab Hiddesen, aliique non pauci, quorum confessoriæ vel *Reversales*, ùt vocant, literæ in Ecclesiæ Majoris archivo adhuc supersunt. E Comitibus verò comparebant Bernardus Comes de Lippia, & Antonius Comes de Holstein & Schawenburg: quorum ille clientarii beneficio recepit Comitatum Lippiensem, ac Pyrmontanum, Simonis Episcopi concessione ante sex annos aditum; hic verò bona plurima ad Sternebergensem Comitatum pertinentia, nimirum Arcem Berentorpiensem, Pagum *Uffelensem, Advocatiam Müddenhorstensem*, omnesque decimas ac prædia in Dominio Lippiensi, Ravensbergensi, & super Begham sita, cum aliis bonis quàm plurimis, utì sonant *Reversales* aut confessoriæ ejusdem Comitis Antonii literæ, hoc anno Cassellis datæ in die *S. Severi.

Inter alios sua feuda recipiunt ac renovant Comes de Schaumburg, & Comes de Lippia.

Jam est Oppidum Saltzufflen

*Die Vögedie to Middenhorst.

**colitur die 22. & 23. Octobr.*

Cæterùm Westphalia tota versabatur his temporibus in pace optatissima. Ac tametsi per initium hujus anni prædatrix aliqua hominum armatorum turma (qui de *Guardia* sibi nomen assumpsêre) in vicinas quasdam Provincias non parvo numero se infuderit: ea tamen in terras Westphalas pedem injicere non est ausa, posteaquam hoc anno præcipua Westphaliæ capita, Hermannus Archi-Episcopus Colonienſis, Ecclesiæ nostræ Administrator, & Conradus Episcopus Monasterienſis, Ecclesiæ Osnabrugensis Administrator, contra ejusmodi grassatores communi fœdere se conjunxerunt. Autographæ istius fœderis & conjunctionis tabulæ adhuc supersunt Osnabrugi in Ecclesiæ Majoris tabulario, datæque sunt *in Pervigilio *S. Petri ad Cathedram.* Nec operæ pretium est, eas ex germanica lingua in latinam vertere, cùm ferè nil aliud in se contineant, quàm quòd alter alteri toto virium suarum pondere cum equitibus & peditibus in auxilium advolare debeat, simul atque eidem nuntiatum fuerit, pedestres copias de *Guardia* nuncupatas, conjunctim vel divisim, in alterius dominia, vel ditiones involâsse. Quare prædones illi Westphaliam intrare veriti trans Visurgim abierunt; tandemque mortem, quam diu promeruerant, trans Albim reperêre, trucidati* à Dithmarsis, utì refert Petersenius.

Hermann⁹ Administrator, & Conradus Episc. Monasterienſis fœdus ineunt contra Prædones milites de Guardia nominatos.

Kleinsorg. in Hist. ms. de prædon. istis vide Grantz. l. 12 Metrop. c. 25 in fin.

*uff sünte Peters Abend *ad Cathedrã.*

*zu Roß uñ Fueß.

**Petersen in Chron. Holsat.*

Decembrem hujus anni urbs Moguntina sibi maxime infaustum sensit per fraudem & malitiam unius lapicidæ. Is cùm ad Ecclesiam Collegiatam S. Stephani, diu laborâsset in cædendis lapidibus

pro

pro fabrica novæ turris, pectoralem statuam ex argento factam (in qua servabatur pars capitis S. Annæ, Christi aviæ) circa festum Conceptionis B. MARIÆ Virginis occultè ex templo sustulit; eamque Marcodorum* deferens, donavit Ecclesiæ Parochiali istius oppidi. Furtum illud receperunt incolæ cum ingenti gaudio; Et quia sacerrimum Caput illud summâ pietate complexi sunt, succedentibus miraculis compluribus, cœpit illico magnus inibi populorum accursus fieri, non solùm è locis vicinioribus, verùm etiam è remotis, & longè dissitis. Id verò, cùm ad Ecclesiæ suprà dictæ Canonicos nuntiante famâ perlatum est, continuò litem intenderunt Marcoduranis: eaque lis primùm in aula Cæsaris, ac deinde coram Raymundo Cardinale, qui sequenti anno cum Apostolici Legati munere in Germaniam venit, magnis utrimque studiis agitata est. Sed frustra & sinè fructu. Quidquid enim Cardinalis cum civibus Marcoduranis ageret, sive eos benignis, mitibusque verbis admoneret, sive pœnis & censuris Ecclesiasticis quantumvis gravibus iterumque & iterum intentatis, ad restitutionem adstringere pertentaret; illi tamen his omnibus non attentis retinebant mordicus rem acceptam scelere: malebantque pœnas omnes, ac terrores à quovis homine incussos perpeti; quàm spiritualem hunc thesaurum, velut munus è cœlo datum, rursus à se dimittere. Quare tandem Julius II. Pontifex anno 1507 venerabile caput illud Marcoduranis permittere debuit, eoque modo rem decidere, ut Canonici Moguntinenses in pœnam irreverentiæ suæ, & negligentioris custodiæ, sacri hujus thesauri jacturam ferrent; Marcodurani verò propter singularem pietatem ac devotionem suam, quam hucusque ardenter exhibuerant, eundem perpetuis temporibus retinerent. Id quod etiam peculiari diplomate ab eodem Summo Pontifice roboratum ac stabilitum asserunt. Seriem totius rei explicatiùs describit Jacobus Polius Minorita *in Exegetico historico* S. Annæ *c. 24.* & sequentibus. Mihi satis est, eam breviùs delibare è Serario l. 1. rerum Moguntiacarum c. 17. in fine, ubi sic habet: *In S. Stephani templo* (Moguntiæ) *fuit olim S. Annæ Caput. Sed anno Domini MD, circa B. Virginis Conceptionis Festum à Lapicidâ Marcoduram furto sublatum est, ubi et hodie magnâ religione, circumfrementibus hæreticis, colitur. Nam ibidem illud asservari decrevit, post longas lites, Julius II. anno MDVII.*

caput S. Annæ è templo Moguntino furtivè transfertur Marcodurum. *Trithem. l. 2 Chron. Hirsaug. ad hunc annum. Teschenmach. Annal. part 2. pag. mihi 357.*

* *Marcodurum, vulgò* Dûren / *Oppidum Ducat. Juliac.*

Marcodurani Caput istud post litem 7tennem retinent ex decreto Julii II. Papæ. *Teschenm. loc. cit. Serar. l 1. rer. Mog. pag 72.*

Videantur de hac re Hagiographi tomo 6. Julii in vita S. Annæ folio 256.

Annus Christi 1501.

ALEXANDRI VI. Pontif. 9. & 10.
MAXIMILIANI I. Imper. 8. & 9.
HERMANNI Administrat. 3. & 4.

Raymund⁹ Cardinalis, ad perferendas indulgentias Jubilæi mittitur in Germaniâ. Difficultas in eo recipiendo. *Spondan. ad hunc annum. Trithem. to. 2. Chro. Hirsaug. & alii passim.*

Feminitis Romæ indulgentiis anni sancti, ad easdem in Germaniam perferendas, cum auctoritate Legati Pontificii missus est Raymundus titulo S. Mariæ Novæ Cardinalis Presbyter, & Episcopus Gurcensis. Præcurrentem hujus legationis famam invitissimis primùm animis acceperunt non pauci Germaniæ Principes ; Verebantur enim (quæ jam vetus eorundem querela fuerat) ne Legatus ille obtentu pietatis ingentem pecuniæ vim à suis subditis emulgêret pro se, vel pro aulâ Pontificiâ. At, ubi postmodum humanissimis literis ad Cæsarem exaratis docuit, longè alium sibi finem esse, nec venire se nummorum gratiâ; sed ut labentem Cleri, & quorundam Religiosorum disciplinam restauraret, paulò post ab urbe Tridentinâ ad Cæsarem evocatus, & ab eodem Oeniponti per menses aliquot familiarissimè detentus est. Neque Cæsarem ab hujusmodi viro deceptum, aut inani verborum fuco delusum esse, eventus docuit. Erat enim homo sanctus, pietate, mansuetudine, sinceritate plenus; & quod omnium caput est, vir ejusmodi, qui divitias contemneret, atque (ùt Spondanus de eo loquitur) *Elargiendo omnia, nihil admodum reservaret sibi ipsi.* Quâ de causâ etiam in Provinciis, ad quas devenit, præter omnem præcedentium Legatorum consuetudinem acceptissimus fuit.

continuantur in variis Germaniæ locis prodigiosæ cruces, in hominum vestimenta lapsæ. *Naucler. in Chron. ad hunc ann.*

Dum autem hic insignis Vir legationem suam ordiretur ; adhuc in variis Germaniæ tractibus perseverabant insolitæ cruces illæ, quas anno superiore, velut invisibili quâdam pluviâ, in altarium hominumque pepla decidisse diximus. Harum aliquæ majores erant, madentesque sanguine : qui, cùm defluerent, successivo motu suo minores iterum ac minores cruculas efformabat. Cum aliis apparuêre simul quàm plura signa patientis Domini, nimirum corona spinea, flagra, clavi, lancea, & alia id genus plura. In aliis denique tam occulta ac mirifica fuit penetrandi vis, ut etiam in occultissimas arcas vel cistulas viam invenirent, & reperta in iis vestimenta linea non minùs inficerent & signarent, quàm si in aëre locove patulo fuissent exposita. Ferme supra fidem sunt (etiamsi reapse vera ac indubitata) quæ die 18 Maji præsentis anni ad Maximilianum Imperatorem hac de re scripsit Joannes Episcopus *Leodiensis: additque mirificos eventus istos, quos in suis literis ibidem recitat, à se tam solerter gnaviterque examinatos esse, ut nulla fraudis malíve doli suspicio subesse queat. Nec minora vel minùs authentica censeri debent, quæ Joannes Franciscus Picus de Mirandula de eodem prodigio retulit, partim in carmine *Stauro-

*Surius in Comment. rer. gestar. Langius in Chron. Citizensi. *apud Naucler. in Chron.*

*Stauro-sticon illud cum præfatione

sticho, partim in illius præfatione ad Cæsarem. *Monstrâsti Imperator* (ait in præfatione) *cùm essem apud te in Germania, cruces, clavos, lan-*

lanceas, et alia pleraque, cœlesti quâdam nec visibili pluviâ in corporibus delineatâ: et, quæ hac de re tibi etiam literis significata fuerant, quâ es facilitate, dignatus es è germanica in latinam linguam interpretari. Vidi et ipse, postquam à Tua Majestate discessi in Italiam rediturus, multa quæ non modò fidem rei jam vulgatæ adstruerent; sed majorem multò admirationem incuterent, et universam penè Germaniam ad cœlestia prodigia religionis ergò commoverent. Quo factum, ut rem tam celebrem, tam dignam posteritatis memoriâ, literarum monumentis heroicisque potissimùm versibus mandare destinaverim. Similiter etiam in adjuncto carmine (quod appellat Stauroſtichon, à voce græca σταυρὸς, latinè crux) portentosas hujusmodi cruces, aliaque addita passionis Dominicæ monumenta, pulcherrimè describit hisce versibus: *vide apud Freher. to. 2. rer. Germanic. à pag. 242.*

Hîc demissa recens populi mysteria, mirum!
Attoniti inspectant homines, et inania passim*
Inscribunt puro delapsa insignia cælo
Sanguinolenta crucis. Clari memoranda triumphi
Effigies latè spectatur. Spongia, flagra,
Visuntur. Tunica inconsutilis intima, clavi
Cernuntur multo madefacti sanguine. Telum,
Quod sacram sævo discreverat impete costam,
Pingitur. Excubitor cristâ spectabilis ales,
Tergeminique micant tali, quos inclyta Christi
Fecerat innocui sortitus tegmina miles.
Non ignota cano. Cæsar monstravit, et ipsi
Vidimus. Innumeros prompsit Germania testes.

* *inania, id est aërem.*

Quid autem portenderint hæc signa, terroris plena; quis divinet? scio, & olim ante complura secula prodigiosas hujusmodi cruces de cœlo decidisse, nimirum anno* Christi nongentesimo quinquagesimo octavo, quando post ejectos è Germaniæ visceribus infideles Hunnos vel Hungaros, Catholica Religio latissimè propagari cœpit ab Ottone Magno & ejusdem successoribus, qui & plurimos Episcopatus in infidelium finibus erexêre. Atque ideo vereor, ne, ùt eo tempore cruces illæ præsignârunt salutiferæ crucis honorem & exaltationem, quæ secuta est; ità nunc è diverso præsignaverint ejusdem salutiferæ crucis depressionem & ignominiam, quæ secuta est non multò post, quando Lutherus & Calvinus hæresum suarum tubas inflaverunt, etiam salutiferæ cruci & aliis redemptionis nostræ monumentis cultum omnem ac venerationem abrogantes.

* witichin. *l. 3. Annal. Dithmar. in Chron. Brewer. in Annal. Trevir. ad an. 958.*

Cruces illæ videntur præsignâsse despectum & ignominiam, sanctissimæ cruci & ejus mysteriis postea irrogatâ à Luthero & ejus asseclis.

Sed *judiciorum Dei abyssus multa*, quis ea perscrutari poterit. Ego, quod mei instituti est, ad alia hujus anni gesta me recipio; ac præcipuè ad enarrationem illustrissimæ victoriæ, quam hoc

Walterus de Plettenberg, supremus Ordinis Teutonici Mágister in Livonia, magnâ victoriam contra Moscos obtinet.

anno contra barbaras Moscorum copias æternâ cum laude retulit Walterus de Plettenberg, ex Nobili Westphalo supremus Ordinis Teutonici Magister in Livonia. Initium huic bello fecerat Joannes Moscorum Dux: quippe qui anno superiore cum prædatricibus copiis in Livoniam se injecerat; ac Diœcesin Dorpatensem, Rigensem, aliásque terras, citra omnem offensionis causam ferro & armis evastaverat. Provocatus hac injuriâ Plettenbergius, cum Alexandro Lithuaniæ Duce (qui & ipse à Mosco Socero suo non leviter offensus erat) contra communem amborum hostem sociali fœdere se coinjunxit: adscitóque peditum Germanicorum quater mille, nec minore equitum consimilium exercitu, in campum hoc anno prodiit; nihil dubitans, quin & promissæ Ducis Lithuani copiæ propediem adfuturæ essent. Sed eam spem inopinò fregit & incidit amor Coronæ Regiæ. Lithuanus enim, cùm ejusdem frater Joannes Albertus Poloniæ Rex mense Junio extinctus esset; de Corona regali magìs, quàm de fœdere sociali cogitans, convertit iter in Poloniam, nullóque adducto milite frustra exspectantem, suspirantémque belli socium iniquissimo tempore dereliquit. Neque tamen idcirco despondit animum Plettenbergius, in Deo magìs, quàm in militum suorum numero confisus. Primùm igitur ardentissimis precibus Deo, omnium bonorum largitori, expeditionem suam commendavit; atque, ut omnia feliciùs evenirent, ab Episcopo Dorpatensi benedictionem sacram sibi suísque copiis impertiri, demissè petiit. Hac autem acceptâ, *Die Jovis post S. Bartholomæi*, quæ tunc erat vicesima sexta Augusti, magnis animis Moscorum fines ingressus est: & quem ibi consistentem reperit, quadraginta millium Russorum exercitum, non modò fortiter aggressus fuit; sed etiam admirabili victoriâ stravit, obtrivit, profligavit, amissis è suorum numero viris admodum paucis, nec magni nominis. Trium deinde milliarium itinere fugitivis institit, impedimenta ipsorum omnia in prædam abstulit, urbes & arces limitaneas diripuit vel incendit; ac denique spoliis laureísque circumfusus, triumphantem exercitum, quòd hic à ventris profluvio jam invadi cæperat, hiemandi & quiescendi causâ in Livoniam reduxit. Cetera longéque illustriora, quæ ab hoc Achille Westphalo contra eosdem Russos admirabili fortitudine gesta sunt, ad annum proximè sequentem uberiùs exhibebo.

Russov. in Chron. Livoniæ.

Chytræus l. 5. Saxon. ad hunc annum.

Inchoatur Monasteriũ PP. Franciscanorum in monte S. Jodoci propè Bilefeldiam.

Interim & hoc anno Patres Franciscani de strictiore Observantia novum in Diœcesi nostra Monasterium accepêre beneficio Wilhelmi, Juliæ & Montium Ducis Comitísque Ravensbergici; qui sanctissimo huic Ordini propter singularem ejus integritatem ac vitæ Religiosæ studia maximopere addictus erat. Monaste-

rium

rium hoc, quod modò Bilefeldiæ intrà muros conſpicitur, primò cœptum & inchoatum eſt in monte S. Jodoci extra urbem; ejusdémque inchoandi licentia hoc anno data eſt ab Alexandro Pontifice: cujus Bullam, quòd à Schatenio* jam pridem alibi producta ſit, hîc omittere neceſſum fuit. Bullam hanc Wilhelmus Dux, & Monaſterii Jodociani Fundator, ſub initium anni ſequentis tradidit Joanni de Nagel Paderbornenſis Eccleſiæ Theſaurario, velut executori primario in literis Apoſtolicis nominato. Atque, ut nihil eorum prætermitteret, quæ in hujuſmodi executionibus rite peragendis requiri ſolent; primùm Hermanno Epiſcopo noſtro velut ordinario Bilefeldienſi, deinde etiam feriâ quintâ poſt feſtum Paſchatis Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis humaniſſimè ſcripſit: velle ſe, Patribus Franciſcanis in monte S. Jodoci Monaſterium condere, licentiam id agendi ab Alexandro Pontifice jam obtentam eſſe, ac proinde etiam ſperari à ſe, nec prudenter dubitari poſſe, quin & ipſi, quanti ipſorum intereſſet, ad hujuſmodi pium opus conſenſum ſuum facillimis animis præbituri ſint. Quod, cùm ab utrisque perlubenter conceſſum & approbatum eſſet; antè dicti Patres per æſtatem iſtius anni in montem hunc ſolenni ritu introducti ſunt, præeuntibus Collegiatæ Bilefeldienſis Eccleſiæ Decano, Capitulo, Vicariis, Presbyteris, & Præfectis Miniſtrísque Ducalibus, utì Wilhelmus Dux & Fundator juſſerat. Quî autem & quâ de causâ poſtmodum ſtationem in hoc monte captam rurſus deſerere & in urbem Bilefeldienſem ſe retrahere coacti ſint, inferiùs oſtendetur ad Annum Chriſti 1507.

Ex literis antiquis.

**Schaten ad annum 1483 pag. 748. & ſeq.*

Reperio & hoc anno inſigne miraculum in Diœceſi noſtra perpetratum eſſe, beneficio & interceſſione S. Modoaldi Trevirenſis Archi-Epiſcopi, cujus oſſa jam à quatuor ſeculis requieverant apud nos in Monaſterio Helmershuſano. Henricus Hagemans, Paſtor in Herſtelle (quod olim Heriſtallum Saxonicum appellavêre) graviſſimâ corporis infirmitate diu preſſus fuerat, atque ità membrorum ac virium uſu deſtitutus, ut in lectulo ſuo ſemetipſum verſare, vel de loco in locum demovere non poſſet, nisì beneficio alicujus funiculi, de ſuperiore tabula dependentis. Interea appetebat duodecima dies Maji, ſancto Modoaldo ſacra; In cujus pervigilio cùm audiret, campanarum Helmershuſenſium æra ſolenniſſimè pulſari ad primas veſperas (favebat enim ventus, & locus alter ab altero non multùm diſtat) conceptâ ingenti fiduciâ, quàm poterat ardentiſſimè, hunc Sanctum invocabat, inquiens: *O Sancte Modoalde! amice Dei altiſſimi! oro te per ſanctorum operum tuorum glorioſa merita? intercede pro me apud Do-*

Henricus Paſtor in Herſtelle miraculosè curatur per invocationem S. Modoaldi, Patroni in Helmershuſen. *Hagiographi Antw. to. 7. St. Maji, in appendice ad miracula S. Modoaldi pag. 717. n. 21.*

Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, ut eripiat me ab hac, in qua nunc verſor, infirmitate maxima! Quòd ſi per tuam interceſſionem à Deo gratiam ſanitatis impetravero; voveo tibi, me ſemper, quàm diu vixero, in pervigilio tui feſti jejunaturum, diem ipſam, tuo nomini conſecratam, perpetuò mihi ſacram fore, atque eâdem die unius talenti cereum à me in templo tuo oblatum et accenſum iri. Finitâ hac oratione votóque edito, eodem veſpere in lenem ſoporem incidit; alteróque mane de ſomno experrectus, nullum ampliùs dolorem aut morbum ſenſit. Itaque plenus gaudio ſurgit è lecto, gratias agit ſancto, ad Eccleſiam parochialem advolat, hoſtiam ſalutarem Deo litat, beneficium, S. Modoaldi meritis impetratum, coram populo univerſo prædicat, & eodem die cum omnibus Parochianis ſuis pedeſtri itinere Helmershuſium properans, ibidem lignea brachiorum ſuorum ſuſtentacula, quibus remittente morbo nonnunquam uſus fuerat, Soſpitatori Deo ſanctóq; Patrono ſuo cum ſumma gratiarum actione dedicat. Plura *id genus alia etiam ſequentibus annis prodigiosè ac divinitus ibidem accidêre: certúmque eſt, eo tempore Monaſterii labentis accolas multò probiores fuiſſe, quàm ipſos Monachos in eodem exiſtentes. Hi enim, ſive ſeculi iſtius vitio, ſive Abbatum ſuorum luxu & incuriâ, jam diu cœperant vitam exlegem agere. Et quia Burſfeldianæ Congregationi ſe adjungere, atque ab ejusdem Præſidibus ad S. Benedicti præceptiones reformari detrectârunt: in eam denique morum licentiam ac diſſolutionem devenêre, ut poſt annos viginti quatuor, abjecto ſui Ordinis & Catholicæ Religionis jugo, monaſterium ſuum deſeruerint, faventiora Lutheri dogmata ambabus manibus amplectentes; utì latiùs deducetur ad annum hujus ſeculi viceſimum quintum.

*iidem Hagiographi loc. cit. n. 22. & ſeq.

Monachorum Helmershuſenſium licentioſa ac diſſoluta vita.

Eandem propè fortunam incurriſſet Monaſterium Corbejenſe, niſì hoc anno Hermannus Bômelburgius Abbas propinquantem ipſius caſum avertiſſet, introductâ in illud reformatione Burſfeldienſi. Dominabatur iſtic, jam ab annis triginta & ampliùs, extrema rerum omnium egeſtas ac penuria: cujus non alia cauſa vel origo fuerat, quàm quòd antiqua pietas exularet, ſolutíque Monachi pro ſuo libitu per agros & oppida ſinè lege & regula vagarentur; utì fuſiùs declarat Wittehennius in Chronico *Huxarienſi ad annum 1470. Neque hunc malorum tantorum fontem ignorabat Bômelburgius. At, quomodo eundem obturare & claudere, ſinè turbis ac ſeditione ſuorum poſſet, non ſatìs ipſi in promptu erat. Ajebant enim ſe eſſe nobiles: & hac *Nobilitatis ſuæ* nomenclaturâ decepti, ùt inquit Bucelinus, *contendebant*, non ſolùm *delicatiùs meliùsque*; ſed etiam *licentioſiùs haberi*, quàm

Reformatio Monaſterii Corbejenſis ſub Hermanno de Bômelburg Abbate.

Bucelin. in Benedicto Redivivo ad annum 1500.

mſ. vetuſt. Corbej. ad hunc ann.

Chron. Huxar. ap. Paullin.

alii

alii aliorum locorum Monachi, quibus natura parens humiliores natales dederat. jàmque à multis annis dissimulaverat hæc bonus Bômelburgius, meliora semper sperans & exoptans : imò *lachrymas inter et suspiria *sedebat, lentè contabescens præ mœrore animi sibi à suis filiis inusto.* Postremùm verò, cùm videret, nullam emendationis cupitæ spem superesse, & omnia quotidie in pejus ruere; postpositis omnibus obloquentium ac renitentium vocibus, monasterium hoc Bursfeldianæ congregationi submittere, & per ejusdem Commissarios ad severiorem observationum regularium formam adstringere, generosis animis aggressus est. Scio quidem, à Bucelino reformationem hanc referri ad annum præcedentem : at in vetusto Corbejensi manuscripto ponitur ad annum hunc, additúrque, eam esse factam *per Abbates Hildesheimenses, Joannem Abbatem S. Michaelis, et Henningium Abbatem S. Godehardi.* Neque sanctissimis horum conatibus favor cælestis defuit. Nam ipsorum laudatissimo studio feliciter exstirpatum est infelix lolium; reductáque vitæ religiosioris methodo, brevi rursum Corbeja didicit, verum esse, quod eodem loco Bucelinus asserit, veram optimámque *generositatem in spiritu potiùs, quàm in carne et sanguine consistere.* Bômelburgius autem, tam prospero successu lætus, canebat cum Simeone sancto : *Nunc dimittis servum tuum Domine!* ac trinennio pòst, laudabili fine regimen diuturnum clausit anno 1504, posteaquam Corbejensi Monasterio præfuisset annis triginta quatuor. Successit in ejus locum Franciscus de Ketteler, nobilis Westphalus, ex Perillustri Ketteleriorum familia genitus, & è cœnobio Liesbornensi ad Abbatialem infulam postulatus; de quo hæreticus temporum istorum *scriptor ità loquitur : *Hic Franciscus summa cum gloria Prælaturæ dignitatem auspicatus est : et, nisi temporum iniquitas laudabili ejus proposito aliquando posuisset obicem; cuncta, quæ moliebatur, ad optatum finem perduxisset. Interim, quæ potuit, fecit, candore et industria in Ecclesiasticis æquè ac secularibus maximè commendandâ. Bona siquidem distracta, vendita, oppignorata, aliquot millibus redempta, monasterio suo reddidit, disciplinæ monasticæ cultor.*

*Bucelin. loc. cit. pag. 11.

*Erbenius in additionibus ad Chron. Huxar. apud Paul. lin. ad ann. 1499.

Bômelburgius moritur triennio pòst : cui succedit Hermannus de Ketteler, ex Liesbornensi monasterio postulatus.

*Erben. in addit. ad Chron. Huxar. ad ann. 1504.

Annus Christi 1502.

ALEXANDRI VI. Pontif. 10. & 11.
MAXIMILIANI I. Imper. 9. & 10.
HERMANNI Admin. Pad. 4. & 5.

JOannes Moscorum Princeps, ulturus cladem, quam acceperat nuper à Magno Livonum Magistro Plettenbergio, per quadrageśi-

Joannes Moscorum Dux, ægrè-

ante Plettenbergio, celerrimâ incursione Livoniam vastat.

Russov. in Chron. Livon part. 2. fol. 33. & seq.

gesimam hujus anni rursus irruit in Livoniam; eamque celeritate maximâ, ac multò priùs, quàm Provinciæ istius Proceres ad arma concurrere possent, fœdissimè populatus est. In eo transcursu barbaro, mulieres, virgines, adolescentes & pueri, ab iisdem pejùs habiti, quàm ab ipsis Turcis haberi possent: auctorque est Russovius, tunc ab iis aut ferro cæsa, aut in captivitatem abrepta esse, ad quadraginta hominum diversi sexûs & ætatis millia. Decubuerat eo tempore magnus Magister Plettenbergius; nec ægritudo corporis, quâ oppressus erat, permiserat ipsi, in hostem ire. At ubi postmodum suis viribus restitutus est, jussit ocyùs per omnes Livoniæ & Curlandiæ Provincias exercitum colligi: quem aliqui septem millia Germanicorum equitum* & quinque millia Livonum; alii verò non nisi bis mille equites* & sesqui mille pedites cum aliquot armatorum rusticorum turmis complexum volunt. Parvus revera numerus! & solùm quasi manipulus militum, si cum innumera multitudine hostium collatus fuerit! & tamen cum istis, utcunque brevibus minutísque copiis, novus hic Achilles Deo magìs, quàm viribus humanis fretus, audacter movit in fines hostium; pervenítque tandem ad Plescoviam, Russorum urbem limitaneam. Ibi, dum in loco plano, duobus circiter milliaribus explicato, sua signa figeret; processit ingens Russorum exercitus, quem feruntur anteivisse triginta Tartarorum millia, futuro prælio viam apertura. Stupebat omnis Plettenbergii miles ad aspectum formidandæ hujus multitudinis. At ille nihil territus, posteaquam cordatissimâ nervosâque oratione militum suorum animos nonnihil accendisset, jussit illico dari signum pugnæ, & Germanâ Westphalâque fortitudine generosè in hostem iri. Primus incurrentium impetus extemplò factus est in antecedentes Tartaros; qui tamen facilè, & sinè magno sudore martio, disjecti sunt. Nam, ùt primùm contra eos continuis tormentorum fragoribus ardentiùs fulminari cœptum; gens illa tantùm arcubus levibúsque telis pugnare docta, continuò dorsum vertit, cæsisque suorum plurimis, præcipiti fugâ salutem in pedibus & cursu equorum posuit.

*Bozius l. de robore bel. pag. 17. *Russov. & Chytræus loc. cit.*

Plettenbergius, restitutâ sanitate, cum suorum paucis profligat hostilem exercitum, centum ac triginta millibus constante.

Bredenbach in libro peculiari. Rossov. Chytræus, Bozius, & alii.

Sed hæc initia tantùm erant, & victoriæ difficilioris præludia. Fugatis enim Tartaris è vestigio succêdebat longè fortior Moscorum acies virorum* propè centum, vel, ùt alii volunt, nonaginta* millium; quibus intimè constitutum erat, ut exercitui Livonum sese in modum coronæ quaqua versum circumfunderent. Namque Magnus Moscorum Dux (utì è duobus captivis, ante Plescoviam acceptis, compertum erat) multitudine suorum fretus, voce admodum* superbâ dixerat: *Non fore opus, inire pugnam*

*Bozius loc. cit. *Russov. in Chron Livon. fol. 55. *Rus. part. 2. fol. 54.*

cum

cum adversario: parvam hanc equitum peditúmque manum, quam adduxisset Plettenbergius, leviorem esse, quàm ut prælio decertari queat cum ipsâ: oportere, pauculos istos, velut ovium gregem ex omni latere circumcingi; ferrôque postmodum et catenis graves ante se in triumphum agi. Plettenbergius igitur, ut ostenderet, se Leonem esse, nec ab ejusmodi canibus incinctum pertimescere; militem in primis omnem sollicitè componebat in pulchros ordines: &, quia probè nôrat, Moscorum gentem adhuc ferendis tormentorum ictibus inassuetam esse, continuâ eorundem explosione adventantia ipsorum castra validissimè verberari jussit. Quo peracto, cùm eos jam* in fugam declinare, & perculsis confusísque ordinibus retrocedere comperiret; fortissimas cataphractorum suorum phalanges audacter in hostem egit: perfractáque bis térve Moscorum acie obvios quosque more pecudum contrucidari, mactari, & in terram prosterni fecit. Prælium hoc, aut veriùs laniena devictorum hostium, (quæ Russovio auctore contigit in pervigilio *Exaltationis sanctæ Crucis*) duravit usque ad istius diei vesperum: feruntúrque in loco pugnæ cecidisse Russorum ac Tartarorum centena millia, desideratis ex parte Plettenbergii* tantùm uno alterôve equite, & quadringentis peditibus, unius transfugæ ac proditoris nequitiâ* interceptis. Post hanc victoriam Plettenbergius, tametsi nimiâ suorum fatigatione cognitâ, non auderet ampliùs hostem fugitivum insequi; adhuc triduo perstitit in loco prælii: novam utique pugnandi copiam facturus adversario, si quis animus redeundi foret. At ille amisso Moscoviæ totius robore, consilia pacis respicere máluit; brevíque pòst, quinquaginta annorum inducias cum Livonibus & eorundem invictissimo Ductore pactus est.

*Bredenb. in lib. peculiari. Schaten in suis collectaneis.

*Bozius loc. cit.

*Bredenbach. loc. cit. Surius in comment. rer. gest. Russov. in Chron. Livon.

Admiratus autem insuperabilem Germanorum fortitudinem, victori suo Legatum cum obsidibus misit, rogavítque, ut unum ex illis ferreis hominibus (hoc enim nomine appellabat equites cataphractos) in quorum ferrata pectora Moscorum sagittæ incassum ruerent; curiositatis & spectaculi causâ ad se dirigeret: eum à se multis cum honoribus excipiendum, nec sinè magnis donariis muneribúsque remittendum esse. Consensit ad hæc facilè Plettenbergius: retentísque interim obsidibus & Legato, misit ipsi ex equitibus loricatis virum aliquem, robore corporis & arte militari valentissimum, à vertice usque ad talos ferro inclusum, prætérque ensem & bombardam, quæ ab equi lateribus dependebant, etiam lanceâ bene longâ obarmatum. Is, ùt primùm deductus est ad aulam Russicam, continuò ad se attraxit omnium Procerum & Magnatum oculos: utpote qui nunquam viderant id hominum

Joannes Moscoviæ Dux à Plettenbergio victore petit, sibi mitti unum è suis equitibus cataphractis. *Bredenb. in lib pec. Schaten in suis collect.*

genus, velut ex chalybe & ære fusum. Demirantibus autem illis, quomodo sub hoc æris pondere, armorum tractandorum vis & agilitas esse queat; exhibendi militaris exercitii causâ, in apertam aream palatio Ducali proximam intromitti petiit: ibíque primò equum alacerrimum, in quo sedebat, admirabili dexteritate huc illuc in omnem partem circumegit. Mox & galeam sive petasum capiti suo detractum, projicere cœpit in mediam aream: subitóque iterum cum equo suo longiùs retrocedens, ac deinde pleno cursu & exporrectâ lanceâ in petasum humi jacentem vectus, eundem rursus extremâ cuspide de terra levat, capitíque suo agilitate stupendâ injicit. Paulò pòst exsertâ antrorsum lanceâ perniciſſimo cursu devolat in adversum parietem, non secus, ac si eundem infixo mucrone perforaturus esset: at ubi gressum illuc propiorem attulit, momento temporis revolvit equum, convertit lanceam, & veluti in hostes à tergo insequentes pugnaturus, nunc illi, nunc isti, simulatâ comminatione eam obversat intentátque. Demum verò, post multa alia ostensæ fortitudinis argumenta, concitato rursus equo in murum saxeum validissimo incursu ruens, hastam ferream circumvolantibus undique fragmentis in frusta comminuit: simúlque, ut omnibus palàm faceret, se hàc amissâ nondum penitùs exarmatum esse; modò ensem ex latere, modò sclopum corripit, novis hostibus novo rursus armorum genere occursurus.

Ejusdem equitis exercitia, coram Duce & ejus Proceribus exhibita. *Auctores iidem.*

Eo spectaculo mirificè delectatus Moscorum Dux, equitem hunc, bene largitérque donatum, remisit Plettenbergio. Et hic deinde, ab omni Russorum invasione liber, ætatem reliquam in pace egit; interímque successores suos egregiis quibusdam ornamentis ac privilegiis auxit. Primum est quòd Livoniæ Magistros ab omni subjectione* Supremi Borussiæ Magistri, datis aliquot aureorum millibus, exemerit anno 1513. Alterum, quòd se suósque successores à CAROLO V. Imperatore, circa annum hujus seculi vicesimum primum, sacri Romani imperii Principibus adscribi commeruerit. Obiit anno 1535 in Dominica *Oculi*, quæ tunc erat vicesima octava Februarii: & ex nobilitate Westphalicâ, tam in Magisterio, quàm in adepta Principis dignitate, successores habuit Hermannum de *Bruggeney** condictum *Hasenkamp*, Joannem de *Reck*, Henricum de *Galen*, Wilhelmum de *Fürstenberg*, ac denique Gothardum de *Ketteler*, glorioſi istius in Livonia Ordinis extinctorem; quippe qui Lutheranam hæresin amplexus uxorem duxit, & ex pacto turpissimo sibi suísque posteris Curlandiæ Principatum reservavit.

Reliquæ laudes Plettenbergii, ejusdémq; mors anno 1535.

**Russov. in Chron. Livon.*

Magistri Livoniæ à Carolo V. creantur Imperii Principes. *Russov. ibid.*

**Russov. loc. cit.*

De rebus nostris nihil aliud hoc anno reperi, quàm quòd Hermannus Archi-Episcopus & Ecclesiæ nostræ Administrator, con-

Hermann. Administrator hoc

sen-

sentiente Decano & Capitulo Collegiatæ Ecclesiæ Huxariensis ad S. Petrum, curaverit ibidem erigi novum Beneficium Ecclesiasticum in Capella S. Hieronymi, fundatum à Domino Remberto Remberti, ejusdem Ecclesiæ Canonico & Scholastico. Quâ de re adhuc supersunt literæ, à Joanne Loss, Hermanni Episcopi nostri in Spiritualibus Vicario generali datæ & consignatæ, quarum finis est: *Datum anno Domini millesimo quingentesimo secundo, ipso die S. Hieronymi Confessoris.* Ità Huxarienses, & qui in Corbejensi territorio degunt, eo tempore adhuc agnoscebant Antistitem nostrum, uti suum ordinarium & diœcesanum: neque ab ejus jurisdictione sacra subtrahebant se, ùt modò faciunt.

anno erigit novum Beneficium Ecclesiasticum in urbe Huxariensi. *Ex tabula. rino Vicarii Generalis Paderborna.*

Annus Christi 1503.

ALEXANDRI VI. Pontif. ultimus.
MAXIMILIANI I. Imper. 10 & 11.
HERMANNI Administrat. 5. & 6.

RAymundus Alexandri VI. Pontificis Legatus & Cardinalis Presbyter, postquam indulgentias jubilæi præcedente anno per superiorem Germaniam promulgâsset; etiam hoc anno Brunsvicum, Bremam, Hamburgum, Lubecam, & alias regiones aquilonares adiit, non sinè magna suarum virtutum & facinorum præclarissimorum commendatione. Certè in urbe Lubecensi non modò feliciter extinxit funestam illam bellorum facem, quæ inter urbem hanc & Joannem Danorum Regem exardere cœperat; sed etiam singulari dexteritate suâ effecit, ut Christina Regis ejusdem uxor, quæ apud Svecos in Vastanensi Monasterio biennalem custodiam sustinuerat, libertati reddita ac maritali thalamo restituta fuerit. Advenerat autem Lubecæ sub festum *Paschatis (quod hoc anno incidit in diem decimam sextam Aprilis) ibique mansit usque ad Kalendas Maji; uti constat ex ejusdem literis *à Cypræo editis, quarum finis est: *Datum Lubeck, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio, Kalendis Maji, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Alexandri divinâ providentiâ Papæ, anno undecimo.*

Raymund^s Cardinalis & Legatus Pontificius visitat Provincias Aquilonares. *Crantz. l. 12. Metrop. c. 30. Chytræus l. 5. Saxon.*

**Crantz. loc. cit.*

**Cypræus in Annal Ep. Sclesv. pag. 402. & seq.*

Indè non multò pòst appulsus est in Westphaliam; auctórque est *Kleinsorgius, quòd hoc anno in Marienfeldensi Monasterio fuerit, & ibidem solenne sacrum in altari maximo decantaverit. Similiter & apud nos monumenta vetera Dalheimensis Monasterii docent, Cardinalem hunc octavâ die Junii, nimirum feriâ quintâ

indéq; venit in Westphaliam. **Kleinsf. in hist. ms. ex annotatis Marienf.*

Pentecostes, ibidem pernoctâsse: monstratúrque adhuc viri tanti cubiculum, & supra januam depicta illius insignia cum hisce versibus:

Annis millenis quingentis cum tribus, atque
*Quintâ Pneuma*die dum sua dona dedit,*
Hìc fuit Eximius Raymmundus Cardine clarus:*
Hac jacuit cellâ, cujus et arma vides.*
Alexander eum Legatum destinat orbi,
Húncque locum dotat munere magnifico.

* *feria stâ Pentec.*
* *Cardinalis.*
* *arma, seu insignia.*

Confirmat bona Monasterii Dalheimen. in Diœcesi Paderana. *Literæ Archivi Dalheim.*

Illud autem egregium ac singulare munus, quo Dalheimense Monasterium se ab ipso donatum prædicat, non modò confistebat in indulgentiis & peccatorum remissionibus: verùm etiam in eo maximè, quòd omnia Monasterii istius bona ac possessiones auctoritate Apostolicâ roborari; &, si quis necessariarum solemnitatum defectus in iisdem acquirendis interveniisset, eâdem auctoritate suppleri jusserit. Quâ de re adhuc supersunt hæ illius mandatoriæ literæ, ad Hermannum Antistitem nostrum Dalhemii datæ:

RAymundus, miseratione divinâ Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ et sanctæ Mariæ Novæ Presbyter Cardinalis Gurcensis, ad universam Germaniam, Daciam, Sveciam, Norwegiam, Frisiam, Prussiam, omnésque et singulas illarum provincias, civitates, terras, et loca, etiam Sacro Romano Imperio in ipsa Germania subjecta ac eis adjacentia, Apostolicæ Sedis de latere Legatus, Reverendo in Christo Patri Episcopo Paderbornensi, seu ejus in spiritualibus Vicario salutem in Domino. Ad ea, quæ pro piorum locorum commoditate acta sunt, ut firma perpetuò possint perstere, cùm à Nobis petitur, favorem præbemus opportunum. Sanè dilectorum Nobis in Christo Prioris et Conventûs Ordinis Canonicorum Regularium in Dalhem, vestræ Diœcesis, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quòd olim (postquam ipsi in locum prædictum, quem antea Moniales S. Benedicti tenuerant, ut juxta Ordinis Canonicorum Regularium instituta religiosè et sub stricta observantia viverent, et Altissimo deservirent, translati fuerint) quàm plurima mobilia et immobilia bona, etiam possessiones et decimæ, interdum per piam donationem, interdum verò per emptiones et alios licitos contractus, ad idem Monasterium adducta, ac Prioris et Conventûs prædicti industriâ acquisita extiterint, prout defacto illa tenent ac possident: Et sicut eadem petitio continebat, dicti Prior et Conventus, subtilitatum et apicis juris ignari, in acquisitione hujusmodi se timeant solemnitatem omisisse, unde etiam in conscientiis suis aliquando gravantur: et, si omnia præmissa Apostolicâ auctoritate confirmarentur cum opportuna defectuum suppletione; profectò utilitas ejusdem Monasterii plurimùm promoveretur, et tranquillitati conscientiarum suarum etiam consuleretur. Nos

Nos igitur hujusmodi supplicationibus inclinati, cùm de præmissis certam notitiam non habeamus, circumspectioni vestræ auctoritate Apostolicâ et legationis munere, quo fungimur in hac parte, per hæc scripta mandamus, quatenus de præmissis omnibus et singulis in forma juris vos dilucidè informetis; et (si vera sunt, prout narrantur omnia et singula) res, decimas, et bona, ùt præinsertum, quæsitas et quæsita approbetis, ratificetis, et confirmetis, supplendo omnes et singulos defectus, tam juris, quàm facti, si qui forsan intervenerint in eisdem. Volumus etiam, quòd vos in decimarum et bonorum prædictorum manutenentiam et conservationem, ac alienatorum recuperationem præfatis Priori et Conventui efficacis defensionis auxilio assistendo, non permittatis eos contra Nostram confirmationem quomodolibet molestari, contradictores eâdem auctoritate per censuram Ecclesiasticam compescendo, non obstante quavis constitutione et ordinatione, in synodalibus et comprovincialibus communiter conciliis, generali vel speciali, cæterisque contrariis quibuscunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super his à quoquam Nobis inferiori, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attemptari. In quorum fidem præsentes literas fieri, Nostríque Sigilli jussimus appensione communiri. Datum in Monasterio prædicto, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio, sexto Idus Junii, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri, Domini Alexandri divinâ providentiâ Papæ sexti, anno undecimo.

Dalhemio Cardinalis ad Rhenum proficiscitur; ac tandem exeunte Octobre, Principib' Francofurti congregatis valedicit. *Trithem. to. 2. Chr. Hirsaug.*

Postridie, quàm has dedisset Cardinalis, Dalhemio rursus ad Rhenum abiit: ac demum exeunte Octobre, Principibus Electoribus Francofurti congregatis, nimirum Bertholdo Moguntino, Jacobo Trevirensi, Hermanno Colonienſi, Philippo Comiti Palatino, & Joachimo Brandeburgico, humanissimâ oratione valedixit, eosdem iterum iterúmque obsecrans, ut inter semet ipsos mutuam concordiam alerent, & laboranti Reipublicæ Christianæ contra infestas Turcarum invasiones auxilium ferrent.

Moritur Alexander VI Papa, die 18 Augusti.

Interea, qui eum miserat Alexander Pontifex, die decimâ octavâ Augusti in viam æternitatis iêrat, recepturus illic à Deo Judice, pro ùt gesserat hìc in mortali corpore. Multum boni prædicari de eo non potest: utinam nec multùm mali! sanè, eum ante adeptos honores Pontificios cum Vanotia puella nobili intemperantiùs consuevisse; liberísque ex ea genitis, ac præsertim Cæsari Borgiæ (qui postea Dux Valentinus appellatus fuit) nimiùm indulsisse, toti orbi manifestum est. Ac fortè hoc eodem insolente filio Deus uti voluit ad castigandam remissi Patris indulgentiam; Nam, ùt plurimi Scriptores* referunt, causam suæ mortis hausit ex vino venenato, quod ab eodem filio quibusdam aliis Cardinalibus præparatum, & ex errore pocillatoris ipsimet Pontifici obla-

**Spondan. ad hunc annum. Foresti in*

vitis Pontificum. Gratian. de casibus Viror. illustr. & alii passim.

oblatum fuerat. Successit autem Alexandro Pius III, dictus antea Franciscus Piccolominius, electus Romæ die 22. Septembris: & huic, intrà mensem defuncto, Julius II, dictus antea Julianus Ruvereus, itidem electus Romæ Kalendis Novembris, in festo omnium Sanctorum.

Successit Pius III, & huic repentè mortuo Julius II.

Mortem utriusque summi Pontificis maturiore morte antevenit Bertholdus Episcopus Hildesiensis, & Ecclesiæ Verdensis Administrator, vir eximiâ prudentiâ præditus, eloquio gravis, atque, ùt ait Bruschius, *omnium doctorum hominum amicus et fautor maximus*. Præfuit utrique Ecclesiæ summâ cum laude: & Verdensi quidem ab anno 1470; Hildesiensi verò ab anno 1481. Obiit Rotenburgi *pridie Ascensionis Domini*, die vicesimâ quartâ Maji; sepultúsque est Verdæ in Ecclesia Cathedrali, quam annorum septendecim spatio præclarissimis ædificiis exornârat, ac deinde solenni ritu consecraverat anno 1490. Successorem accepit Verdæ Christophorum Brunsvicensem, Archi-Episcopi Bremensis Coadjutorem: Hildesii verò Ericum Saxo-Lawenburgicum, Metropolitanæ Colonienſis Canonicum. Sed hic eam dignitatem sequente anno rursum abdicavit, eâque in Joannem fratrem suum reclinatâ, ad Colonienſis Ecclesiæ Canonicatum rediit. Unde tamen quinquennio pòst Monasterium evocatus; & ibidem nobiliore, quæ tum vacabat, infulâ potitus est.

Bertholdus Ep. Hildes. & Administrator Verdensis mòritur die 24 Maji.

Crantz. l. 12. Metr. c. 17. Brusch in Catal. Ep. Hildes. Chytræus l. 2. Saxon. & alii.

Inter has vicinorum Episcopatuum vicissitudines Diœcesis nostra Paderana sub tutela Hermanni Administratoris gaudebat hactenus pace tam jucundâ, *ut eo imperante*, quemadmodum Kerssenbrochius & Cratepolius referunt, *nemo hostilem animum in hanc terram declarare ausus fuerit*. Ab aliis tamen adversitatibus, quæ à cœli & aëris intemperie solent profluere, Diœcesis nostra hoc anno libera & immunis esse non potuit. Nam, quæ ab anno præcedente universam penè Germaniam pervagata est pestilentia, ea nunc etiam in diversos Westphaliæ tractus infundi cœpit: quanquam longè mitiùs (ùt opinor) in his terris grassata sit, quàm in aliis; ubi subinde tertiam, subinde mediam incolarum partem in tumulum deturbavit. In urbe Tremonienſi refert * Westhovius, eam incolis bene multis exitialem fuisse. Quæ verò damna creaverit Paderbornæ, quot mortes & funera concitârit, nemo veterum videtur adnotâsse. Certè huc etiam penetrasse malum istud, manifestò liquet è statuto Capitulari, quo Ecclesiæ Majoris Canonici, pestilentiæ grassantis causâ, licentiam dederunt omnibus residentibus, ut à festo S. Margarethæ * usque ad S. Martini ad alia salubriora loca se recipere, interimque ab urbe & Choro abesse, sinè omni suorum Jurium fructuúmque detrimento possent. Ecce hìc statutum * illud, è vernacula lingua redditum: *Nos*

Successit Verdæ Christoph. Brunsvic. Hildesii verò Eric. Saxo-lawenburgicus, * Kersenbr. in Catal. Episc. Pad. sub Hermanno. Cratepol. in Catal. Archiepisc. Colon. sub Hermanno

Pestis hoc aõ grassari cœpit Paderbornæ.

* Hæc eo tempore colebatur die 13. Julii.

* exarchiv. Cathedr. Ecclesiæ.

*Nos Wilhelmus Westphalen *Cathedralis Ecclesiæ Decanus, Theodorus Westphalen Senior, Pancratius *Westphalen Archidiaconus Sedis Horbusanæ, Conradus ab Haxthusen Archidiaconus Sedis Steinbeimensis, Otto ab Oynhusen Archidiaconus Sedis Huxariensis, Joannes ab Immessen, Theodorus Westphalen Præpositus in Bustorff, Ludolphus de *Busch Scholasticus, Hermannus Krevet, Nicolaus de Cloister, Laurentius Naschart, Fridericus ab Hörde, Philippus ab Hörde, et Fridericus Westphalen Cantor, nunc temporis in prabendis nostris residentes, confitemur publicè in hoc scripto, quòd, cùm doctores medicinæ suadeant, pestilentiam et locum, in quo ea grassatur, fugere propter periculum contagionis, quæ ex infectione loci et aëris facillimè contrahi, et ab uno homine in alium transfundi solet: idcirco inter nos capitulariter conventum decretúmque sit, ut nobis residentibus antè dictis, et cuilibet nostrûm, cui id allubuerit, permissum ac licitum esse debeat, extra Paderbornam ad alios campestres idoneósque locos discedere, et ibidem permanere, à die, quo hæ literæ datæ sunt, usque ad festum proximum S. Martini, citra neglectum et jacturam proventuum ac fructuum suorum, qui iisdem promptè et expeditè persolvi debent, perinde ac si hic ad fontes Paderæ continuò residissent: ità tamen, ut in Exaltatione Sanctæ Crucis oporteat eos interesse rationibus reddendis de granario etc. In testimonium veritatis horum omnium, Capituli nostri Sigillum secretius hisce literis appendi fecimus. Datum Anno Domini millesimo quingentesimo tertio, in die Beatæ Margaretæ Virginis.*

*Germanicè Cracht.

*westphalicè van dem Busche.

Erat eo tempore inter Ecclesiæ Majoris Canonicos Ericus Dux, Brunsvico-Grubenhagius (qui postea Paderanam simul & Osnabrugensem insulam adeptus est) agebátque tunc Paderbornæ primam sex hebdomadarum residentiam, quam Canonici omnes ex veteri lege ad amussim explere debent, priusquam ad percipiendos Beneficiorum seu Canonicatuum suorum fructus admitti queant. Hæc autem residentia Paderbornæ semper tam severè ac rigidè ab omnibus exigi solet, ut is, qui eam cœpit, toto illo tempore in cubiculo, Cathedrali Basilicæ contiguo, pernoctare, extra septa immunitatis Ecclesiasticæ pedem non efferre, omnibus horis canonicis à principio ad finem interesse; &, si vel semel in his fefellerit, residentiam totam repetere, atque ab initio rursus exordiri debeat. Non putabat Ericus Dux, huic rigori locum esse in eâ temporum habitudine. Atque ideo, cùm videret, Canonicos antè dictos metu pestis ad alium salubriorem aërem commigrásse; ejusdem periculi evitandi causâ aliquamdiu se retraxerat ab urbe & loco residentiæ: planissimè confisus, interruptionem hanc à præsenti aëris intemperie apud alios Canonicos excusatum iri. At illi mordicus pro veteri lege & consuetudine stantes, denuo remiserunt eum ad

Ericus Dux Brunsvicensis de Grubenhagen, Canonicus Paderborn. & postea Episcopus primam residentiam hoc anno peragit Paderbornæ. *Ex veteribus M. ss.*

ad novum aliud sesquimestre tyrocinum; neque priùs admiserunt ad Capitulum & perceptionem fructuum Canonicalium, quàm in explendâ hac mutilâ imperfectâque residentiâ dispensationem Pontificiam accepisset.

Annus Christi 1504.

JULII II. Pontificis 1. & 2.
MAXIMILIANI I. Imper. 11. & 12.
HERMANNI Admin. Pad. 6. & 7.

Bellum Palatinum, ejusque origo *Trithem. to. 2. Chro. Hirsaug. Langius in Chron. Citiz. Lintur. in append. ad Fasc. temp. Palat. in aquila Austriaca, & alii.*

GErmania superior ferè tota hoc anno in armis constitit propter bellum Palatinum. quod improsperè excitaverat Georgius, cognomento *Dives*, Bavariæ Dux è linea Landshutana. Obierat hic anno superiore; ac, priusquam terrenis rebus valefaceret, hæredem omnium provinciarum suarum armatâ manu constituerat Rupertum, Philippi Comitis Palatini Filium tertiò genitum: quippe qui Elisabetham filiam ipsius unicam tenebat in matrimonio, & ex ea jam susceperat unam alterámve prolem masculam. Supra modum tristabatur hac de re Albertus Bavariæ Dux è linea Monachiensi. Et quia viribus infirmior erat, quàm ut solus & sinè aliorum auxilio posset fortiorem adversarium ex nido jam infesso pellere; ad æquitatem Cæsaris confugiebat, acerbè questus: *injuriam sibi factam esse à Georgio defuncto: ditiones ejus Ruperto Palatino transscribi non potuisse: obstare pacta familiæ, jam pridem inter se ac Georgium Ducem inita: in his ab utraque *parte cautum, et cum obligatione mutua conventum esse, ut, qui prior ex ipsis moreretur sinè hærede masculo, ipsorum alteri ditiones omnes in Bavaria sitas relinquere, neque eas in alium extraneum transferre debeat.* Cæsar, his auditis, judicium causæ traxit ad se; vocatísque ambabus partibus, nullum non movit lapidem, ut eas ad concordiam ineundam flecteret: At Rupertus, homo juvenis, ac divitiis à defuncto socero acceptis tumidus, non modò protervè subterfugit arbitrium Cæsaris; sed etiam sœpius amicè monitus, ac tandem inobedientiæ causâ Cæsareæ proscriptionis fulgetro percussus, rem suam ferro & armis committere maluit, quàm prudentiæ & æquitati.

**Lintur. in append. ad fascicul. tempor.*

Rupertus à Cæsare proscribitur; & alii Imperii Principes contra eum ùt rebellem convocantur ad arma *Auctores iidem.*

Tum verò Cæsar, ne supremam auctoritatem suam planè despici ac veluti sub pedibus haberi sineret; confestim omnes imperii Principes ad arma vocat. Et quia jam satìs norât, Philippum Palatinum, Ruperti supra dicti patrem, eâdem rebellione implexum esse; jubet eos, divisis exercitibus in terras amborum ire. Præcipuum

puum belli robur ducebat Imperator ipſe, cui præter Albertum Bavariæ Ducem aderat Ericus Brunſvicenſis, & Fridericus Marchio Brandenburgicus: certúmque erat, victoriam penè totam in manibus ipſorum fore, ſi adventantes Bohemorum infidelium copiæ ab iisdem priùs obteri ac profligari poſſent, quàm Ruperto conductori ſuo ſe conjungerent. Cæſar igitur, ut viam his abſcinderet, feſtinatis itineribus caſtra movit Ratisbonam; ibíque eos ex improviſo obruens, feliciſſimo *conflictu ſtravit, ferè citiùs victor hoſtium ſalutatus, quàm bellandi initium faceret. In eo prælio Ericus Dux Brunſvicenſis à devictis Huſſitis * principale ipſorum labarum, aurato calice inſignitum retulit; illúdque poſtmodum in Eccleſia Mündenſi, ad Werræ & Fuldæ confluentem, velut æternum victoriæ monumentum appendi fecit.

Bohemi, à Ruperto conducti & accerſiti à Cæſare profligantur. *Auctores iidem.* *pridie 7. dus Sept.* *Ghytræus l 5. Saxon. pag. m. 138.*

Jam dimidium belli confectum erat, cùm iſta Bohemorum conjunctio ſucceſſum non haberet. Quare & ſuum Cæſar exercitum ſubdiviſit, alterámque illius partem reliquit in Bavaria contra ceteras Ruperti copias; alteram verò ſecum ipſe in Palatinatum abſtulit contra Philippum Ruperti patrem. Sed hîc non erat opus longiori marte; nam eodem ferè tempore adhuc alii tres exercitus illuc iêrant, Palatini terras à diverſis lateribus invaſuri. Primus erat Udalrici Ducis Würtenbergici, quem cum viginti millibus peditum & octingentis equitibus veniſſe referunt. Alter Wilhelmi Haſſiæ Landgravii, quem comitati ſunt Henricus Dux Brunſvicenſis, & Henricus Mecklenburgicus. Tertius erat Alexandri Comitis Veldentienſis: ſi tamen ille exercitum adduxiſſe dicendus eſt, cujus copiæ breviores erant, magísque ruſticano agmini, quàm exercitui bene ordinato ſimiles. Hi omnes, dum unà ſimul in Palatinatum ruerent, ità ibidem velut in hoſtico graſſati ſunt, ut nobiliſſima illa regio brevi tempore in luctuoſiſſimam ſolitudinem converſa fuerit. Fumabant incendiis pagi, gemebant urbes murorum ornamentis denudatæ, cadebant in terram præcelſæ turres & arcium ſuperbarum culmina, monaſteria templáq; optima in cineres & favillas abiêre: non quòd cum iis gereretur bellum; ſed quòd armati hoſtes intrà eorum ſepta ſe recepiſſent. Rupertus ipſe, belli totius fax, intrà hos tumultus martios, unà cum Eliſabetha conjuge ſua, eodem anno extinctus eſt, relictis duabus vel tribus prolibus, quas parentum obſtinatio infelices fecerat. Mirum interea, quâ benignitate & clementiâ Maximilianus Imperator uſus fuerit, non ſolùm erga prædictos orphanos; ſed etiam erga Philippum Palatinum. Hoc enim devicto, & rebellionis* admiſſæ venam poſtulante, continuò militem omnem è Palatinatu reduci juſſit: ſeveréque ſimul indixit Principibus belli ſociis, ut in poſterum ab inimicitiis abſtinerent;

Ditiones Palatinæ à Cæſare ac tribus aliis exercitibus invaduntur. *Trithem. to 2. Chro. Hirſaug. Langius in Chron. Citt. Palat in Aquilâ Auſtriacâ. Chytræus l 5. Sax.*

Rupertus cum uxore ſua in his turbis moritur. *Auctores iidem.*

**Trithem. to. 2. Chr. Hirſ. ad hunc ann.*

p. 606. & 627. nerent; &, si quid amplius querelarum foret, ad comitia sequentis anni juxta receptam Imperii consuetudinem deferrent.

Terræ motus in westphalia. Westphalia cum his turbis militaribus nihil commune habuit. In ea tamen duæ aliæ mutationes, perenni memoriâ dignæ, hoc anno contigerunt. Prima est insolita concussio vel tremor terræ, de quo manuscriptum Chronicon Dominicanorum Tremoniensium ità memorat: *Anno 1504, ipsâ nocte Bartholomæi Apostoli, terræ motus factus est magnus in partibus Westphaliæ, et circa Rhenum, et Coloniæ, ità ut multa ædificia commoverentur, turres ac muri succuterentur.* Duravit autem hic terræ motus, teste *Westhovio, per decursum unius *Psalmi quinquagesimi*: neque ferè alia labes ex eo consecuta, quàm quòd orbes mensales, patenæ, scutellæ, aliáque hujusmodi vasa stannea & cuprea (quæ à veteribus in interiore ac propatula domuum suarum parte ad splendorem exponi & ostentari è ligneo theatro vel suggestu sveverant) de superiore loco excussa, atque in terram dejecta fuerint. Altera eáque insignior mutatio hoc anno consecuta est ex funere Joannis Steckii, Comitatus Tremoniensis in Westphalia possessoris ac hæredis ultimi. Vitam hic sinè stirpe virili clausit *feriâ sextâ in Parascève; ac triduo pòst, nimirum feriâ secundâ Paschatis, Tremoniæ in templo Minoritarum ante aram principem tumulatus est, comitante urbis totius Magistratu. Vacantem ejus comitatum, neglectis consanguineorum precibus, Maximilianus Imperator eodem hoc anno in feudum tradidit civitati Tremoniensi: tum quia hæc jam à duobus ferè seculis medietatem istius comitatûs, quam à Comitibus prædictis emerat, clientelari beneficio possidebat: tum quia medietas altera, quæ tunc vacabat, ante omnes alios competitores huic urbi concedenda erat vi quarundam conventionum, gratiarum ac privilegiorum, de quibus Imperator ipse in diplomate infeudationis apud *Westhovium hoc modo loquitur: *Posteaquam verò per obitum quondam Joannis Steck altera medietas ejusdem liberi comitatûs ad nos et Sacrum Imperium recidit, eáque vigore quarundam conventionum, gratiarum, ac privilegiorum, quibus ipsi consules et magistratus à nobis nostrisque decessoribus eum in finem communiti sunt, iisdem præ quovis alio adscribi et concedi debet; suppliciter ac demissè nos exorârunt, ut unà cum dimidia parte jam ante habita, etiam residuam ejusdem liberi comitatûs partem, prout eam possedit quondam Joannes Steck, sibi in feudum tradere clementissimè dignaremur. Nos igitur, attentâ eorundem humili ac devotâ petitione etc. - - - - Datum in aula nostra ante Kufffleinium, die 12 mensis Octobris, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quarto.*

Joannes de Steck, Comitum Tremoniensiû ultimus, moritur die 5 Aprilis. *Chro. Tremon. mss.* **ergo die 5. April. Pascha enim fuit die 7. Aprilis.*

Comitatus Tremoniensis à Maximiliano Cæsare magistratui & urbi Tremoniensi in feudum datur. *Chron. mss. Tremon. *westhov. in mss Chr. Tremon. ad hunc ann.*

Moritur Bertholdus Archiepisc. Finem hujus anni funestavit inopina mors Bertholdi Archiepiscopi moguntini, Ecclesiæ nostræ Metropolitani; cui dies decima

nona

nona Decembris laudatissimæ vitæ filum incidit. Vir erat permagnæ auctoritatis & prudentiæ, ingenio acutus, eloquio promptus, laborum patiens, rerum experientiâ versatissimus, ideóque & Maximiliano Imperatori cum primis charus. Ajunt, primo & ultimo *ipsius anno crevisse tantam vinorum copiam, ut mensura vini solùm constaret quatuor obolis; nec defuerint, qui ut novum generosius acciperent, vinum vetus aut effuderint, aut murorum cœmenta eodem effuso temperârint. Suffectus est in ejus locum, die 30 Decembris ejusdem anni, Jacobus de Liebenstein, Metropolitanæ Ecclesiæ Decanus: quem & Bruschius anno 1504. electum asserit; etiamsi paulò antè per errorem calami vel typi referat, ejus decessorem obiisse anno 1505.

Moguntin* Serar. l. 5. rer. Mog. Brusch. in Catal. Archiep. Mog. Trithem. to. 2. Chro. Hirs. ad ann. 1505. *Serar. loc. cit.

Succedit Jacob* de Liebenstein. Ser. ibid.

Annus Christi 1505.

JULII II. Pontificis 2. & 3.
MAXIMILIANI I. Imper. 12 & 13.
HERMANNI Administrat. 7. & 8.

COlonia Agrippina Maximilianum Imperatorem hoc anno vidit in comitiis publicis, magno splendore ibidem habitis, omniúmque Ordinum concursu frequentissimis. Cœpta hæc sunt ineunte Julio, prætérque Cæsarem è proceribus infulatis aderant Hermannus Archi-Episcopus Colonienses, Ecclesiæ nostræ Administrator, Jacobus Archi-Episcopus Trevirensis, Conradus Episcopus Monasterienses, Laurentius Episcopus Herbipolensis, Georgius Bambergensis, Fridericus Ultrajectensis, Christophorus Labacensis, Petrus Tergestensis, Matthæus *Gurcensis, Christophorus *Chiemensis: è Principibus verò sæcularibus Philippus Elector Palatinus cum tribus filiis, Fridericus Elector Saxonicus cum Joanne fratre & Georgio patruo suo, Joachimus Elector Brandenburgicus cum Friderico patruo, Ericus Dux Brunsvicensis, Henricus Dux Lawenburgensis, Wilhelmus Dux Juliacensis, Henricus Dux Mecklenburgensis, Wilhelmus Landgravius Hassiæ, Joannes Comes Holsatiæ, Philippus Comes de Waldeck, Adolphus Comes Nassoviæ, Fridericus Comes de Zolleren, aliíque Comites, Barones, Nobiles, Urbiúmque & Ordinum Legati plurimi. Scopus istorum comitiorum præcipuus erat, belli prioris reliquias abolere, & si quæ offensionum ac dissensionum causæ adhuc supererent, eas-dem ex æquo & bono consopire. Quod ut majori cum efficacia fieret, Philippus Elector Palatinus, à Friderico Saxoniæ septem-

Maximilianus Cæsar Coloniæ celebrat comitia publica. Trithem. to. 2. Chro. Hirsaug. Brower. to. Ann. Trev. Surius in *Gurca urbs Episc. submetrop. Salisburg. *Chiemum germanicè Chiemsen / urbs Episcopalis sub Metropoli Salisburg.

Philippus Palatin* reconciliatur

Cæsari; & componitur pax inter ipsum & Albertum Bavarum.

Trith. to. 2. Chron. Hirsaug. Palatius in Aquila Austr. Surius in comment. rerum gest.

viro ad solium Imperatoris deductus, & coram eo in genua provolutus, demissè petiit, clementer agi secum, & criminis admissi veniam indulgeri. Hac autem impetratâ processum est ad leges pacis, conventúmque in hos articulos: Philippus Elector amittat ac dimittat ea, quæ superiore Bello amissa sunt: Albertus Bavarus ditiones omnes, à Georgio Duce quondam possessas, ad suum Ducatum retrahat: Ruperti Palatini proles accipiat eam ditionum controversarum partem, quæ inter Danubium & Nabum fluvios ad antiquos limites Palatini dominatûs adjacet: atque has leges pacis ad amussim observent omnes, quorum interest; neque plura poscant vel accipere contendant sub gravissima pœna læsæ Majestatis.

Cæsar in bellũ proficiscitur contra Carolum Geldrum.

Trith. to. 2. chron. Hirsaug. Brower in annal. Trevir. Surius in comment.

Coloniâ Cæsar à Philippo Filio in Geldriam evocatus est contra Carolum Egmondanum, turbatorem Belgii. Filius hic erat Adolphi Geldri, hominis impiissimi, qui Arnoldum patrem solâ dominandi libidine diuturnis in vinculis detinuerat: quíque ideo ab eodem Arnoldo *patre suo non solùm exhæredatus; verùm etiam avito Geldriæ Ducatu per bonorum omnium venditionem exutus fuerat. Ac tametsi ab eo tempore Ducatus hic sub potestatem Principum Belgicorum venerit; Carolus tamen, mali patris pejor filius, Geldrienssium seditione in avitam ditionem sese iterum intromiserat; indéque cœperat Gallorum auxiliis toti Belgio infestus esse. Dissimulaverat hæc aliquantulum Philippus Archidux, Belgarum Princeps. Tandem verò, cùm inquietum illud caput à molestiis inferendis non desisteret, eundem justo bello adoriri statuit. Itáque primùm anno superiore in ipsum emisit Florentium Isselsteinium; qui eundem in agro Dordracensi palantem occupans tam feliciter profligavit, ut ejus miles, loco humido ac gleboso constitutus, trepidissimâ in fugâ mille calceorum paria* luto infixa reliquerit. Mox etiam Philippus ipse per æstatem hujus anni in Carolum turbatorem prodiit: & occupatâ Graviâ, quæ portas ultro aperuerat, repentino marte *Arnhemium circumfudit. Potuisset hæc urbs obsidionem bene longam ferre: sed ubi cives comperêre, Maximilianum Imperatorem cum aliis Principibus in Geldriam advenire; deditione subitâ fortunarum suarum incolumitatem pacti sunt, oblatis numeratísque florenorum aureorum octo millibus, quos Philippus Archidux viritim in omnes milites distribui jussit. Exemplum hoc è vestigio consecutæ sunt urbes aliæ, Harderovicum, Thiela, Bommelia, Hattemium, Elburgum, Doisburgum, Lochemium, Grolla, cum plerisque nobilium dominorum arcibus: neque dubium erat, quin Egmondanus eodem armorum cursu totâ Geldriâ fuisset ejiciendus, nisi blanditiis ac demissione fictâ ruentem impetum avertisset. Au-

**vide Schat. ad ann. 1465. & 1470.*

**snoyus l. 12. rerum Batavicar.*

**Haræus in annal Brabant.*

Arnhemiũ in adventu Cæsaris Philippo Belgarum duci se submittit, unà cum aliis urbibus.

Haræus & snoyus loc. cit.

Audiêrat vir astutissimus, Isabellam Hispaniæ Reginam exeunte anno superiore defunctam esse; ideóque Philippum Isabellæ generum, cum Joanna Conjuge sua in Hispaniam cogitare, ut ibidem accipiat coronam regni. Petitâ igitur fide publicâ, ad Philippi genua se provolvit, inquiens: *minimè se parem esse, qui bellum gerat cum tanto Principe: cupere se tantùm, ut constituantur judices ad examinandum utriusque jus; atque interea permittatur sibi, residuam Ducatûs parem retinere. Id si fieret, se cum Domino suo novo Rege in Hispanias profecturum esse; visurúmque, ut ejusmodi comitatu honorario ad hoc iter sese comparet, qui Regi profecturo gaudium, et Hispanis, Germanicorum apparatuum insuetis, admirationem pariat.* Credidit Philippus homini versipelli, præsertim quòd itineris Hispanici Comitem se futurum, non solùm jure jurando; sed etiam (ùt Haræus refert) *accepto* sacratissimo Christi corpore* confirmârit. Apparantur ergo biennalium induciarum tabulæ, nullis temporibus observandæ. Maximilianus iisdem approbatis Coloniam revertitur; alteróque die ibidem omnes urbis campanas, veluti re feliciter gestâ, festivum resonare jubet. Philippus bonâ spe delinitus, reliquos anni menses consumit unicè in adornandis omnibus, ad intentum iter necessariis: ridente interim Carolo Geldro; & victorem suum, à quo debellari poterat, his offuciis tam fabre ac vafre à se delusum esse, intrà sinum sui cordis applaudente.

Carol. Geldr. dolosè pacem impetrat à Philippo. *Haræus in Annal. Brabant.*

**Haræus in annal. Brabant. ad hunc ann.*

Philippus accingit se ad iter Hispanicũ, fidem fallente Geldro. *Snoyus l. 12. rerum Batav. Haræus & alii.*

Porrò Hermannus Colonienſis Archiepiscopus & Ecclesiæ nostræ Administrator, posteaquam Imperator Coloniâ rursus discesserat, profectus est Arensbergam in Ducatum Westphaliæ: tum ut animum venatu oblectaret in silvis adjacentibus; tum ut rebus nostræ diœcesis è viciniore loco vigilantiorem oculum impendere posset. Ibi primùm à nobilibus de Wintzingerode paderanam partem castri Kruckenbergensis & oppidi Helmershusani, quæ iisdem oppignorata fuerat, mille centumque aureis redemit *die veneris post Ægidii.* Deinde *in festo S. Dionysii Martyris*, die 19 Octobris, Monialibus Augustinianis in **Brede** / propè muros Brakelensis oppidi, confirmavit omnes immunitates ac privilegia, à Simone decessore suo olim concessa; utì docent sequentes tabulæ.

Hermann⁹, Ecclesiæ nostræ Administrator partem nostram Krukenbergensis, & oppidi Helmershusani, redimit à Wintzingerodiis. *Litera Archiv. Paderb.*

Hermannus Sanctæ Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Westphaliæ et Angariæ Dux, --- ac Administrator Ecclesiæ Paderburnensis, devotæ, Nobis in Christo dilectæ, Rectrici, sororibus, et Conventui Domûs vallis Præsentationis Mariæ de **Brede** *nuncupati, ac propè oppidum Nostrum Brakel constituti, salutem in Domino sempiternam. Literas admissionis dicti vestri Conventûs, ac Domus vestræ regularis congregationis prædictæ, per*

Confirmat fundationẽ & privilegia Monasterii Virginum in Brede. *Litera Archivi Cathedr. Eccl. Paderbornen-*

colen.

colendæ memoriæ quondam Dominum Symonem, noſtrum in dicta Eccleſia Paderburnenſi immediatum prædeceſſorem, de dato anni Domini milleſimi quadringenteſimi nonageſimi, die Lunæ, quintâ menſis Aprilis, vobis per ipſum conceſſas, nobis nuper pro parte veſtra, ad illas per nos de Capituli noſtri et Archidiaconi loci dictæ veſtræ Domûs conſenſu ratificandum exhibitas et præſentatas, per nos viſas, ſicut petiiſtis, ratas et gratas habuimus et habemus: eámque clauſulam, quâ inibi dictus noſter prædeceſſor vos et dictum veſtrum Conventum ab omni impetitione temporali, omnibúsque exactionis, petitionis, ſeu contributionis, per nos et Succeſſores noſtros imponendis oneribus perpetuò liberare et eximere voluit, aliis juribus noſtris et Eccleſiæ noſtræ quibuscunque penitus exceptis harum noſtrarum ſerie literarum, de Capituli et Archidiaconi Eccleſiæ noſtræ prædictorum conſenſu ratificamus, et perpetuò comprobamus. In cujus rei teſtimonium præſentes literas noſtri ſigilli muniri juſſimus et fecimus appenſione roborari. Et Nos Decanus et Capitulum, ac Theodericus Varenſel Camerarius, loci Domûs prædictæ Archidiaconus, in evidens teſtimonium præmiſſorum et ſingulorum, ſigilla noſtra poſt Reverendiſſimi Domini noſtri ſigillum, ſuprà dictis hujuſmodi literis ratificationis ejuſdem, in ſignum noſtri conſenſûs juſſimus et fecimus reſpectivè appendi. Datum in caſtro noſtro Arensbergenſi, anno Domini milleſimo quingenteſimo quinto, ipſo die ſancti Dionyſii Martyris.

Graviſſimè commovetur contra Delbrugenſes, multorum exceſſuum reos. *Ex literis Archivi Delbrug.*

Eodem hoc tempore ab Hermanno Adminiſtratore cudebantur graviſſima irarum & comminationum fulmina contra noſtræ Diœceſis inquilinos in tractu Delbrugenſi. Populus hic, potiſſima ex parte in ericetis locísque paluſtribus habitans, ab aliquot annis in eam agendi & exorbitandi licentiam venerat, ut nullâ habitâ miniſtrorum Epiſcopalium reverentiâ, juſtitiam peſſundaret, leges violaret, tumultuoſis vocibus in judicium iret, innocentes divexaret, infirmiores opprimeret, factiones concitaret, aliáque non pauca ageret, unde non ſolùm omnis boni regiminis everſio; ſed etiam quotidianæ partium turbæ, verbera, percuſſiones, vulnera, homicidia, plurimáque id genus mala conſecuta fuerant. Commovebant hæc acerrimè Hermanni Principis iracundiam: certúmque erat, eum in Delbrugenſes non ſolùm pœnâ pecuniariâ; verùm etiam ſuppliciis corporum, exiliis, mutilationibus, & privilegiorum veterum obolitione animadverſurum fuiſſe, niſi duo nobiles viri, Philippus & Joannes ab Hôrde, conſanguinei ac Dynaſtæ in Boke, ruituram Principis indignationem ſalutari conſilio prævertiſſent. Horum impulſu Delbrugenſes, tempeſtatem ſuis capitibus imminentem fugituri, patrocinium quæſiverunt à Majoris Eccleſiæ Capitulo, enixè deprecantes, *ut ſui cauſâ Principem offenſum adeant, ejuſdémque permiſſu faciant, ſibi ex tribus Ordinum*

Implorant hi patrocinium Capituli Cathedralis. *Ex literis Hermanni Adminiſtratoris in archivo Delbrug.*

Diœce-

Diœcesanorum statibus designari duodecim arbitros, qui non procul à Bokensi castro ad judicium conveniant, Delbrugensium excessus et peccata audiant, pœnam exigant, et, quæ in posterum emendanda vel præcavenda fuerint, ex equo et bono statuant. Promittere se vicissim, quòd eorum arbitrio stare, pœnam exsolvere, inobedientes aut refractarios tradere, ac denique novam judiciorum suorum formam, suis Privilegiis consentaneam, cum approbatione sui Principis acceptare perlubenter velint.

Ex cujus patrocinio designantur è statib⁹ patriæ duodecim arbitri.

Acceptârunt hanc petitionem Reverendissimi Domini Cathedrales, & obtento Principis annutu designârunt è Capitulo Wilhelmum de Westphalen Decanum, Ludolphum de Busch Scholasticum, Pancratium* de Westphalen Archidiaconum sedis Horhusanæ, ac Theodericum de Varensel Cathedralis Ecclesiæ Camerarium: ex equestri Ordine Philippum & Joannem ab Hôrde Dominos in Boke, Bernardum seniorem Dynastam in Büren, & Henricum de Westphalen: ex urbibus patriæ duos consules Paderbornenses, quorum unus erat Ludolphus Schnërman; ac duos Warburgenses, quorum præcipuus erat Bartholdus à Geismar. Hi duodecim, *feriâ tertiâ* post S. Michaëlis*, in congressum pacificatorium coiverunt ante castrum Boke, in loco * ab hoc conventu celebri; ubi & ingens Delbrugensium turba convenerat, rerum gerendarum seriem præstolatura. Accusatores ipsorum erant quatuor Consiliarii, ab Hermanno Præsule nominati, nimirum Vincentius de Schwanenburg Magister aulæ, Gaspar Reneke Metropolitanæ Colonienſis Canonicus Presbyter, Arnoldus de Schorlemmer Satrapa* provincialis, & Petrus **von Linß** provincialis *quæstor. Ab his omnium accusationum, delictorum, excessuum, & prævaricationum capita Delbrugensibus longo ordine prælecta sunt; simúlque incussus terror ingens ex denuntiata Principis iracundia. Cùm autem iidem Consiliarii à prædictorum facinorum publicatione procedere ulteriùs vellent ad prælegenda reorum supplicia; duodecim illi pacificatores quantocyus intervenerunt, suspensâque pœnali sententiâ polliciti sunt, *curaturos se, ut offenso Principi satisfiat. Delbrugenses quidem deliquisse graviter; sed tamen à suis culpis resipiscere, ideóque et contumaces reputari non posse. Dolendum esse, quòd peccârint; gaudendum verò, quòd præteritarum noxarum pœnitentiam ceperint. Cupere eos, in gratiam offensi Principis recipi; paratósque fore ad acceptanda omnia, quæ vel ad ipsorum correctionem, vel ad innovandam judiciorum Delbrugensium formam visa fuerint expedire.*

*germanicè **Tracht Westpfalen.**

**erat hæc dies 30 septembr. sub litera Dominicali E.*

Vulgò* **vor der Schlingen.

**Land-Droste.*

**Land-Rentmeister.*

auditisque Delbrugensium excessib⁹, pro mitiganda eorum pœna intercedunt.

Ex literis Hermanni Administr. in archivo Delbrug.

Ità concilium illud hac die solutum est. Postea inter eosdem pacificatores actum de mitiganda pœna, Delbrugensibus reis infligenda. Postremò etiam per menses aliquot laboratum in conficien-

Conficitur nova Del-

brugensiú judiciorum forma ex veteribus privilegiis, & sequenti anno publicatur.

ficienda nova regiminis Delbrugensis & judiciorum nationalium forma, antiquis ipsorum juribus consentanea. Quæ deinde sequenti anno ab Hermanno Antistite confirmata; ac tandem à prædictis duodecim pacificatoribus *die Mercurii post Dominicam* 2dam à Paschate, quam appellant *Misericordia Domini*, Delbrugensibus omnibus, in clivo * Relleriano congregatis, solennissimè tradita ac promulgata est. Exemplar istius constitutionis Episcopalis asservatur in chartulario Delbrugensi. Et quia germanico sermone scripta est, nec multùm potest prodesse publico; satis erit, solam ultimam illius partem, latinè redditam, hìc adjungere, quæ ità habet: *Atque, ut hæc ordinatio perpetuis temporibus ità observetur, Nos Hermannus Archi-Episcopus Colonienſis - - - - et Ecclesiæ Paderbornensis Administrator, pro nobis nostrísque in Diœcesi Paderana successoribus, in testimonium hujus rei, sigillum nostrum hísce literis, cum filo serico rubri coloris, ab utraque parte per omnes paginas transmisso, appendi fecimus: ac subinde à Reverendis nobísque dilectis ac devotis Decano et Capitulo Majoris Ecclesiæ Paderbornensis flagitavimus, ut et ipsi eandem ordinationem et constitutionem sigillo suo, quo ad causas utuntur, in signum consensûs et voluntatis suæ communiant. Quod Nos Decanus et Capitulum suprà dictum, in signum consensûs nostri à nobis factum esse profitemur. Datum die jovis post S. Gertrudis, anno Domini millesimo quingentesimo sexto.*

* uff dem Rellerberge/ aliàs Rellerbrinck.

Ex literis antè dictis de aõ 1500.

Annus Christi 1506.

JULII II. Pontificis 3. & 4.
MAXIMILIANI I. Imper. 13. & 14.
HERMANNI Admin. Pad. 8. & 9.

Philippus Belgarum Princeps, in Hispaniam navigatur*, adversâ tempestate rejicitur in Angliam.

ANnus hic ab initio infelix, ac tandem etiam fatalis fuit Philippo Belgarum Principi, Maximiliani Imperatoris filio. Solverat hic è portu Belgico postridie sanctorum trium Regum, abiturus in Hispaniam cum Joanna conjuge sua, Regni Castellani hærede. Et ecce! vix iter unius bidui emensus erat, cùm repente cœlum inhorrescere, classem ejus disjicere, navium aliquas in Hiberniam, alias in extrema Scotiæ, alias aliorsum pellere, pro ut fortuna quamlibet ac pelagus iratum ferret. Philippus & Joanna post innumera vitæ pericula, Deo sœpius invocato, ægre tandem in portum Anglicanum incurrerunt: unde non multò post ab Henrico Rege Windesorium invitati, & omni officiorum genere in Aprilem usque detenti sunt.

Spondan. ad hunc annum. Trith. to. 2. Chron. Hirsaug. Palat. in aquila austr. Hræus in annal. Brabant.

Re-

Reparatis ibidem navibus, rursum ingressi pelagus, prospero vento in Hispaniam pervenerunt exeunte jam Aprili. Tripudiabat in adventu suorum Principum tota Castilia; magnisque gaudiis collocabat eos in throno Regni, invito licèt Ferdinando Rege, Philippi socero. Sed hoc gaudium brevi rursus in acerbos dolores conversum est. Vix enim Philippus Rex Coronæ Castellanæ commoda per unum alterúmve mensem degustaverat; quando post lusum pilæ, ex potu frigidæ avidiùs haustæ, in morbum fatalem decidit, & septiduo pòst cum incredibili subditorum suorum luctu extinctus est Burgis in Hispania die 25. Septembris, anno ætatis suæ vicesimo octavo. Mortem ejus propè omnis Europa flevit, exceptâ Galliâ. *Erat enim Princeps*, teste *Palatio, *robusius corpore, plenus pectore, concinnis membris, decorâ facie, virtutibus animi clarus, et gravitatem Regiorum gressuum ingenuâ liberalitate mulcens.* Reliquit ex Joanna conjuge sex liberos, videlicet Carolum V. & Ferdinandum I. Imperatores; itémque filias quatuor, Eleonoram, Isabellam, Mariam, & Catharinam posthumam, omnes deinde variis Europæ Regibus in matrimonium datas. Corpus ejus tumulatum est in Hispania apud Burgos; cor autem ex ejus mandato ad Belgas missum, & (uti Haræus *refert) Brugis in Flandria depositum est apud ossa Matris suæ, cum *hoc epitaphio:

Urbes et populos, diversáque regna tenebam:
Spes dabat imperium, spes dabat orbis opes.
Si spes in quoquam, fuerat mihi gloria prima:
Heu! heu! quanta fuit spes mea, tanta jacet.

Perversa quorundam hominum sceleratorum consuetudo est, ut, cùm ædes aliorum ardent, ad incendia quidem currant: non tamen, ut auxilium afflictis præbeant; sed, ut ex eorum afflictione, rapiendo ac deprædando, locupletiores fiant. Idem in hujus funeris eventu egit Carolus Egmondanus, Geldriæ Dux, quem anno superiore ferè penitus devictum ac debellatum vidimus. Promiserat ille, se profecturum cum Philippo; sed, cùm eundum erat, fingebat morbum. Biennales armorum inducias cum Belgio pactus erat; sed, auditâ Philippi morte, continuò rursum his diruptis in Belgium irruit, Brabantiam invasit, Torholtum incendit, vicos & oppida infirmiora despoliavit, nihílque non egit, quo & suas fortunas erigere, & belli prioris damna reparare posset. Accendebat audaciam ejus, quòd auxiliares copias acciperet à Rege Galliæ; nec pupillis facilè ad manum esset, qui ditiones Belgicas loco ipsorum regeret. Cæsarem enim, pupillorum avum, terrebat memoria anni millesimi quadringentesimi octogesimi octavi,

Reputatâ classe rursum ingressus iter, in Hispaniam venit; ibique coronatus Castiliæ Rex, cum ingenti omnium dolore moritur. *Auctores iidem.*

*Palat. loc. cit. n. 104.

*Haræus in ann. brab. *Palat. in Aquila austriaca.

Carol. Gelder, auditâ Philippi morte, ruptis induciis irruit in Brabantiâ. *Haræus in ann. Brab. Snoyus l. 12. rer. Batavic.*

*Schaten, & Haræus ad annum 1488.

quando in eodem *Belgio à tutela Philippi filii per tumultum populi excluſus, & (quod longè indignius) in cuſtodiam ferè quadrimeſtrem Brugis in Flandria detruſus fuerat. Itaque ut hunc obicem auferrent Belgarum proceres, hinc à Geldro & inde à Gallorum incurſu trepidi; ſub initium ſequentis anni Legatos ad Cæſarem mittunt, qui & vicarium pro pupillis regimen ei deferrent, & veteris injuriæ plebéæ veniam ab eo poſcerent. Inter alios Hauthemius, Brabantiæ Cancellarius, nervoſiſſimam orationem ſuam hac de re habitam ità clauſit: *Indigent regales pueri tuo, Cæſar, auxilio; tremulâque id voce per nos eblandiuntur: injurioſa plebs præteriti erroris culpam deprecatur: nos, et boni omnes maturando adventui tuo ſupplices inſiſtimus: Deus Cæſarem venire jubet, natura ſubditorum flagitat, extrema rerum Belgicarum neceſſitas extorquet, ſéque id extorturam eſſe, planiſſimè confidit.* Motus hac oratione promiſit, venturum ſe, cùm primùm poſſet. Atque ut interea nihil rerum neceſſariarum omitteretur, Caroli nepotis informationem commiſit Hadriano Florentio, poſtea ſummo Pontifici; reliquam verò gubernationem filiæ ſuæ Margaretæ, Philiberti ſabaudiæ Ducis relictæ Viduæ.

Belgæ Cæſarem ineunte ſequente anno per Legatos rogant, ut pupillorum loco ſuſcipiat gubernationem Belgii. *Haræus in ann. brab. Snoyus l. 13 rerum Batavicar.*

Paderborna magnam partem gravi incendio conflagrat. Ejuſdem origo & progreſſus. *Ex vetuſto codice urbis & curiæ Paderb.*

Luctuoſiſſimus etiam hic annus fuit urbi Paderbornæ, ſtragem admodum doloriferam paſſæ ab exitiali incendio, quo ferè quarta vel quinta pars urbis intrà paucas horas in cinerem & fumum abiit. Natum eſt hoc incendium *die S. Gertrudis, feriâ tertiâ poſt Dominicam Oculi*, in platea ſita ex adverſo Forenſis Eccleſiæ, vulgò dictæ **die Marck-Kirche**: auctórque illius fuit homo aliquis emotæ mentis, qui ibidem ex phrenêſi decumbens in loco ſuperiore domûs imprudens inſciénsque accenderat faſciculum ſtraminis. Inde flamma ſub meridiem ſurgens, ab occidentali vento, qui tum afflabat, in orientem propulſa eſt versùs urbis Paderanæ curiam: conſumptísque ædificiis omnibus, quæ interjacent, eodem incendio concremavit plateam* Schilderenſem, Kôtterhagenſem, Grovenſem, Kolgrovenſem, Campenſem cum templo Minoritarum, & quidquid ædium poſt plateam Campenſem eſt uſque ad urbis muros poſt Eccleſiam collegiatam ſanctorum Petri & Andreæ in *Buſtorff*. Univerſim hoc ingente flammarum diluvio cenſebantur periiſſe trecentæ domus, & homines quinque. Meminerunt hujus incendii Franciſcus *Irenicus in exegeſi Germaniæ, & Kleinſorgius in hiſtoria Weſtphaliæ manuſcripta. At nemo meliùs, quàm ſcriptor Synchronus, qui originem & progreſſum ejus manu propriâ adnotavit in antiquo libro urbis ac ſenatûs Paderbornenſis: ex quo & ea, quæ modò protuli, in breve compendium traxi. Creverat autem hic ignis non ſolùm ab aſpi-

*germanicè den ſchilderē/ kôtterhagen/ growe/Kollgrowe/dē Kampe ꝛc.

*Irenic. in exegeſi german. l. 12. ſub litera p.

rante

rante ventorum flatu; sed etiam ab ingente aquarum penuria, quâ superior hæc urbis pars huc usque laboraverat. Atque ideo non multò pòst cum æterno omnium incolarum commodo fabricari cœpta est nobilis illa officina* hydraulica, quæ modò Paderbornæ visitur, & immensam aquarum copiam ex urbe inferiore per canales subterraneos in urbem superiorem deducit, uti fusiùs exponetur ad annum 1523. *die Wasserkunst.

Priùs autem, quàm Paderborna in hanc miseriam conjiceretur, Hermannus Ecclesiæ nostræ Administrator pro veteri jure nostro Diœcesano consecravit novam Ecclesiam in oppido Beveren. Jacet hoc ad visurgim fluvium saltúmque Solinganum haud procul ab Holtzminda, éstque intrà limites ditionum Brunsvico-Wolffenbutensium. Jurisdictio tamen spiritualis & Ecclesiastica ab antiquissimis temporibus ad Paderanam Diœcesin pertinet, uti constat ex nostris* veteribus chartis: quarum una ad sedem Huxariensis Archidiaconatûs nostri assignat urbes, oppida, & pagos infrà scriptos, nimirum *Höxer, Albaxen, Godelheim, Broickhusen, Lüchtringen, Erckelen, Boifsen, Holtzminne, Oldendorp, Meinbersen, Homborg, Heinhusen, Ottbergen, et Beveren.* Juvat hìc addere verba Erbenii, qui de templi* suprà dicti dedicatione ità scribit: *Anno MDVI, Hermannus Hassiæ Princeps, et Antistes Padaburnensis, quem Pacificum vocant, templum, Beveræ à Brunone de Beveren conditum, ipso Vincentii die in honorem S. Joannis Apostoli solenniter consecravit.* Hermann* Episcopus nostter consecrat Ecclesiam parochialem in Beveren. *Erbenius apud Paullin. in addition. ad Chron. Huxar.* *litera veteres Archiv. Paderb. *Erben. loc. suprà cit.

Annus Christi 1507.

JULII II. Pontificis 4. & 5.
MAXIMILIANI I. Imper. 14. & 15.
HERMANNI Administrat. 9. & 10.

Cùm primùm depulsâ hieme succederet anni tempestas mitior, Maximilianus Imperator in urbe Constantiensi aperuit comitia publica; quæ Trithemio teste, à die 16. Aprilis tenuerunt usque ad exitum Augusti. Confluxit illuc magna Principum tam secularium, quàm Ecclesiasticorum frequentia; inter quos tamen Hermannus Ecclesiæ nostræ Administrator numerari non debet: quippe, qui itineris longitudine senióque præpeditus, misit illuc Oratorem suum, Joannem à Reichenstein Metropolitanæ Colonienſis Decanum. Celebratæ hìc primùm solennes exequiæ pro Philippo Imperatoris filio, ante annum defuncto; maximâque pompâ & apparatu lugu- Cæsar Imperii comitia celebrat Constantiæ *Trith. to. 2. Chron. Hirsaug. Brower. in ann. Trev. Surius in comment. rerum gest.*

bri adornatum Cathedrale templum, operante ad aram primariam Conrado *Episcopo Monasterienſi, ex pervetusta apud nos Comitum Ritbergicorum prosapia. Consultatum post hæc non parvo tempore de bello inferendo Venetis, decretáque in eum finem octo equitum & viginti duo peditum germanicorum millia: sed nullo penitus tam diuturnæ consultationis, & machinationum in peregrino solo inchoatarum pretio. Priùs enim, quàm Imperator sequenti anno in Italiam se infunderet, aditus omnes jam à Venetis præclusi erant: & parvæ illæ militum Germanorum copiæ, quas in agrum Cadoritanum intulit, facilè ab exercitu Veneto auxiliis Gallorum circumventæ, prostratæ, & in celerem fugam conjectæ sunt.

Longè salubriùs & sibi & Nepotum suorum felicitati consuluisset, si dilato in tempus aliud bello Veneto, statim arma sua convertisset in auxilium Belgii. Interea namque (dum compararet se contra Venetos) Carolus Gelder, acceptis quadringentorum equitum & bis mille peditum Gallicorum auxiliis, non solùm recuperat multas urbes, sibi ante biennium ereptas in Ducatu Geldriæ; sed etiam septembri mense rursus in Brabantiam involat, occupatâque *Thinâ (seu Tirlemontio) immensam ex hac urbe & regionibus circumsitis prædam abripit. Neque forsan adhuc feciſſet rapiendi & prædandi finem; nisi Rudolphus Anholtensis, exeunte jam Octobre à Cæsare missus, cum selectis Germanorum copiis advenisset.

Spectabat hæc per quietem Hermannus Antistes noster, verè dictus *Pacificus*; interímque suarum Ecclesiarum commodis intentus, hoc anno singularem hanc fortunam habuit, ut Colonienſi Archi-Episcopatui suo per emptionem acquisiverit universum temporale dominium castri & oppidi Stadtbergensis, quod Eresburgum dixêre veteres. Locum hunc olim Corbejensi Monasterio donaverat Ludovicus Imperator, cognomento *Pius*. Post annos deinde quadringentos Hermannus I. Abbas dimidiam illius partem concessit *Henrico Archi-Episcopo, successori S. Engelberti. Postremò & alteram ejus medietatem, quam Corbejenses hucusque retinuerant, Colonienſibus hoc anno vendidit Franciscus Abbas, ex perillustri familia Dominorum de Ketteler. Succesſerat hic ante annos tres Hermanno Bômelburgio: statímque omnem sollicitudinem & industriam suam eò verterat, ut Monasterii labentis bona, quæ jam antè per vitam solutiorem vendita, distracta, & oppignorata reperit, in florem aut vigorem pristinum restitueret. At, cùm ubique saccos vacuos & ærarium perforatum cerneret; necessarium huic malo remedium quæsiturus,

*Historia germ. archipisc. Mogunt. Deliberatũ inibi de bello inferendo Venetis, quod minùs feliciter anno sequente cœptum. Trithem. loc. cit. Brow. ibid. Palat. in aquil. austr. Carol⁹ Gelder iterum infestat Brabantiã, cum auxilio Gallorum. Haræus in Ann. Brab. Trithem. in Chron. Hirsaug. Surius palat. & alii. *Thienen alàs Tirlemont. Hermann⁹ Archiepisc. Colon. à Corbejensibus emit alteram partem oppidi Stadbergensis. Erben. in Chron. Huxar. Monumenta Paderb tit. Eresburgum n 9. *vid. Schaten ad annum 1230.

rus,

rus, confûgit ad Hermannum Archi-Episcopum: acceptísque ab eo ter mille & quingentis florenis aureis, residuam oppidi castríque partem Colonienſi Ecclesiæ transcripsit. Supersunt adhuc literæ, ea de re hoc anno datæ *Marspergi* *postridie S. Ægidii. Ac licèt in iisdem Conventus Corbejensis reservârit sibi jus reluendi hanc pecuniam, locúmque veterem repetendi; id tamen rectè ac verissimè, cum Ferdinando Fürstenbergio, literatissimo Antistite nostro, *ad Kalendas Græcas reservatum*, dixeris. Pulchrè Erbenius ad hunc annum, in additionibus ad Huxarienſe chronicon: *Anno* inquit, *M.D.VII. vendunt Corbejenſes alteram partem civitatis Eresburgenſis Hermanno Archi-Episcopo Colonienſi. Facilius est capere, quàm retinere.*

*Marsbergum, Stadberga, Martismons, & Eresburgum, nomina synonyma.

Monasterio Flechtorpienſi ejusdem Ordinis ac Diæcesis nostræ in comitatu Waldecensi, præerat hoc tempore Jodocus Abbas, è cœnobio Abdinghoffensi recentissimè postulatus, *Vir*, ùt Henschenius* loquitur, *pietate, doctrinâ, et rerum usu ornatissimus.* Hunc Wilhelmus Hassiæ Landgravius, Princeps pientissimus, adeò sibi charum habuit, ut hoc anno ipsum, totúmque Conventum Flechtorpienſem, in perpetuam suî suorúmque successorum tutelam receperit; solam animæ suæ majorúmque ac posterorum suorum memoriam* anniversariam, die decimâ nonâ Augusti cum vigiliis missísque defunctorum solenniter celebrandam, vicissim cum eo pactus. Verùm hæc promissa Landgravii tutela, prô dolor! ætatem non longam vidit. Paucis enim post ejus decessum annis Philippus Landgravius, catholicissimi Patris dissimillimus filius, non modò veterem proavorum suorum fidem ejuravit; sed etiam, ex perversa Lutheri institutione, monachos omnes & eorum sacratissima asceteria implacabili semper odio, quàm diu vixit, persecutus est. Unde etiam processu temporis evenit, ut insigne monasterium, invalescente Lutheranâ hæresi, primùm in temporalibus ac spiritualibus gravissima damna sustinuerit; postmodum verò (cùm nemo esset, qui cadenti religiosorum disciplinæ manum supponeret) ob inquinatissimam vitam Balthasaris Haghmeisteri, Abbatis ultimi, penitùs eversum ac dissipatum fuerit, utì suo loco memorandum est.

Wilhelmus Hassiæ Landgravius Monasteriũ Flechtorpiense in suam tutelam recipit.

*Henschenio, 2. Ss. Junii, ante vitam S. Landelini pag. 1064. n. 9.

*Henschẽ. loc. cit. Kleinsorg. in Hist. Westphal. mſ.

Sed hæc tutela brevî desiit sub Philippo ejus filio, Lutherum novatorem secuto.

Feliciùs in istis Luthericarum novationum turbis perseveravit monasterium Patrum Franciscanorum de strictiore observantia, quod hoc anno Bilefeldiæ, intra spiritualis nostræ jurisdictionis limites, inchoatum est. Cœperat id nuper erigi ante Bilefeldiam in monte S. Jodoci, utì suprà explicavi ad annum 1501. Sed cùm iliboni Patres brumali tempore molestissimis ventorum turbinibus, per æstatem verò iteratâ fontium & aquarum siccitate premerentur;

Conditur hoc anno Monasteriũ PP. Franciscanorum intra urbem Bilefeldiam.

tur; duæ perilluſtres familiæ de Wend & Quernheim, commiſerationis affectu motæ, commodiorem iis locum intrà oppidi Bilefeldienſis mœnia largiti ſunt. Superſunt hac de re tres donationum factarum tabulæ, quarum primis Lubertus de Wend, anno 1505. die 4 Decembris, cum conſenſu Annæ uxoris ſuæ pro conſtruendo monaſterio novo donavit ipſis medietatem curiæ ſuæ, dictæ **der Wendenhoff**, in loco urbis dicto **Hagenbroick**: alteris Hermoldus de Quernheim anno 1506. in Dominica *Reminiſcere*; tertiis verò Balduinus, Joannes, Reinerus, & Alardus de Quernheim, *feriâ 2dâ poſt Reminiſcere*, iiſdem Patribus tranſcripsêre *ſuam quisque partem deſertæ areæ, in loco* **Hagenbroick** *intrà urbem Bilefeldiam ſitæ.* Quæ omnia cùm à Wilhelmo Juliæ & Montium Duce, qui Ravensbergenſi comitatui præerat, lubenter approbata eſſent; iidem Patres ad Julium II Pontificem hoc anno recurrerunt, ſuúmque Monaſterium è monte S. Jodoci in hanc urbem transferendi licentiam ab eodem impetrârunt hoc diplomate:

Julius Pontifex dat licentiam transferendi Monaſterium ex vicino monte in urbem.

JUlius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Dilectis filiis, ----- ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Exponi nobis nuper feciſtis, quòd, cùm aliàs dilectus filius, Nobilis vir, Wilhelmus Dux Juliacenſis et Montenſis, de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cœleſtia, et tranſitoria in æterna, felici commercio commutare, de bonis à Deo ſibi collatis, in monte S. Jodoci prope oppidum Bileveldæ Paderburnenſis Diœceſis, Domum veſtram pro uſu et habitatione perpetuis Fratrum Minorum, de Obſervantia nuncupatorum, cum Eccleſia, campanili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortaliciis, et aliis officinis neceſſariis, de licentia ſedis Apoſtolicæ conſtrui et ædificari fecerit: propter ventorum tempore hiemali flatus, et aquarum pro uſu veſtro neceſſariarum tempore æſtivo carentiam (cùm illas propter loci montuoſi altitudinem ſinè magna difficultate habere non poſſitis) in eadem obſervantiam et inſtitutionem regulares dicti ordinis obſervando, non ſinè magno incommodo inibi habitare poteſtis. Quare pro parte tam veſtra, quàm dicti Wilhelmi Ducis, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis aliam domum in dicto oppido, ubi juxta regularia inſtituta dicti Ordinis vivere poteritis, conſtruendi, vobísque ad illam vos transferendi licentiam concedere, ac aliàs ſtatui veſtro in præmiſſis opportunè providere, de bonitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſingulorum præſertim Religioſorum incommoditatibus, quantùm in Domino poſſumus, libenter obviamus, eorúmque commoditatibus conſulimus, veſtris ac dicti Ducis in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, de licentia Vicarii Generalis dicti Ordinis deſuper obtenta, aliam Domum in dicto oppido, quod (ùt aſſeritur) à dicto monte ultra medium milliare Alemannicum non diſtat, ubi juxta regularia inſtituta dicti Ordinis vivere, et Verbum Dei Chriſti fidelibus ibidem commorantibus prædicare poſſi-

possitis, cum Ecclesia, campanili, cœmeterio, refectorio, dormitorio, hortis, hortaliciis, et aliis officinis necessariis, sinè alicujus præjudicio pro vestro et Fratrum dicti Ordinis usu et habitatione construi et ædificari faciendi, ac structuras et ædificia dictæ Domûs antiquæ eidem Domui noviter ædificandæ, applicandi, et uniendi, nec non vos de dicta Domo antiqua ad Domum noviter ædificandam hujusmodi transferendi, licentiam et facultatem auctoritate Apostolicâ tenore præsentium elargimur. Et nihilominus eidem construendæ Domui, postquam constructa fuerit, et vobis, et aliis in ea pro tempore degentibus Fratribus, omnibus et singulis privilegiis, libertatibus, exemptionibus, immunitatibus, favoribus, gratiis, indulgentiis, et indultis, quibus aliæ Domus dicti Ordinis et illorum Fratres utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, uti, potiri, et gaudere possitis, eâdem auctoritate de speciali gratia indulgemus, jure parochialis Ecclesiæ et cujuslibet alterius in omnibus semper salvo. Non obstante felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII prædecessoris nostri constitutione prohibente, ne quivis Ordinum mendicantium Fratres nova loca ad inhabitandum recipere, seu jam recepta mutare præsumant, absque sedis Apostolicæ licentia speciali faciente plenam et expressam, ac de verbo ad verbum, de prohibitione hujusmodi mentionem; et aliis Apostolicis constitutionibus, ac dicti Ordinis juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque: proviso, quòd Ecclesia antiquæ Domûs hujusmodi ad profanos usus non redigatur, sed in ea Missæ et alia divina officia quandoque celebrentur. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die X Julii, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septimo, Pontificatûs nostri anno quarto.

Canonici Cathedralium Ecclesiarum, Havelberg. Brandeburg. & Raceburg. à statu religioso ad sæcularem transeunt.

In terris Brandenburgicis hoc anno Julius Papa duas Ecclesias Cathedrales, Brandenburgensem & Havelbergensem (ità dictas à duabus urbibus Episcopalibus, Brandenburgo & Havelbergâ) unà cum earundem Canonicis, qui hucusque Regulares Ordinis Præmonstratensis fuerant, à statu religioso ad secularem Ecclesiasticum Papali dispensatione* transtulit. Videntûrque Ecclesiarum istarum Canonici ad hoc petendum & impetrandum animati esse exemplo Canonicorum Raceburgensium in Ducatu Lawenburgico. Nam & hi* à tempore B. Evermodi Episcopi, hoc est, à seculo Christi duodecimo, ejusdem Ordinis Præmonstratensis fuerant; & paulò ante hunc annum, dispensante summo Pontifice, ad Canonicorum secularium vitam pertransiêrant, utì refert *Albertus Crantzius. In has autem tres Ecclesias Cathedrales religiosus Ordo Præmonstratensis, meo judicio, introductus fuerat à tribus olim Canonicis Ecclesiæ Capenbergensis in Westphalia, *Evermodo, Walono, et Witgero*, qui seculo duodecimo ad Raceburgen-

*Trith. to. 2. Chron. Hirsaug.
*Crantz. l. 6 Metrop. c. 28.
*Crantz. l. 12 Metrop. c. 18.

burgensem, Havelbergensem, & Brandenburgensem insulam accersiti sunt. De B. Evermodo (qui ex Canonico Capenbergensi primùm factus est Præpositus Magdeburgensis in Ecclesia S. MARIÆ) clarissimè id affirmat* Crantzius ità scribens: *Erat autem Evermodus aliquando Præpositus Magdeburgensis: inde translatus ad Episcopatum Raceburgensem, Ordinem Præmonstratensem huc adduxit; permansítque is Ordo in Episcopatu et Capitulo ejus usque in præsentem diem.* De Walono autem & Witgero id apertè colligitur, partim ex regulari observantia, Havelbergæ ac Brandenburgi ab amborum temporibus usque in hunc annum custoditâ: partim ex vita B. Godefridi Comitis* Capenbergensis, quæ, uti Evermodum ad insulam Raceburgensem; ità pariter Walonum & Witgerum ad Havelbergensem & Brandenburgensem, ab Ecclesia Capenbergensi assumptos asserit hisce verbis: *Anno Domini MCXXII Castrum hoc Kapenberg fit Domus Religionis. A quo tempore plures de Fratribus nostris, in diversis extra nos locis, Episcopatus, Abbatias, Præposituras, et dignitates alias sunt adepti. Episcoporum autem horum, quos ab Ecclesia nostra sic assumptos legimus, hæc sunt nomina: EVERMODUS Racenburgensis Episcopus, WALONUS Havelbergensis Episcopus, WITGERUS Brandenburgensis Episcopus etc.* Similem translationem à statu regulari ad secularem Ecclesiasticum impetrârunt septennio pòst Canonici Cathedralis Ecclesiæ Salisburgensis. Nam & hi olim anno 1122, urgente* Conrado I. Archi-Episcopo, amplexi erant Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini. At anno 1514, agente Matthæo Langio tunc Salisburgensis Archi-Episcopi Coadjutore, per dispensationem Pontificiam rursus ad statum Canonicorum secularium translati sunt. Qua de re apud Hansizium* videri potest Bulla Leonis X. Pontificis, datâ Romæ anno millesimo quingentesimo decimo quarto, *X. Kalend. Octobris.*

*Crantz. l. 6. Metrop. c. 18. Ordo Præmonstratensis videtur huc olim invectus esse ex Monasterio Capenbergensi in Westphalia.

*Vita B. Godefridi, to. 1. Ss. Januarii, pag. 857. n. 1.

*Hansiz to. 2. Germ. sacræ pag. 216.

*Hansiz. l. cit. pag. 257 & sequent.

Annus Christi 1508.

JULII II. Pontificis 5. & 6.
MAXIMILIANI I. Imper. 15. & 16.
HERMANNI Admin. Pad. 10. & 11.

Cæsar improspere transit in Italiam, brevíque redit.

MAximilianus Imperator, bello Venetos appetiturus, exeunte Januario Tridentum abiit. Ubi cùm audisset, eos cum ingentibus Gallorum auxiliis occursûros; aliquot peditum equitúmque millia in provinciam* Cadoritanam, velut in locum securiorem, transire jussit: ipse autem citatis itineribus in Germaniam relapsus est, ut inde con-

*Palatius in Aquila Austriaca.

tra

tra vim hostium numerosiorem exercitum adduceret. Abeuntem haud multò pòst consecuti sunt infelices duo nuntii: unus de clade militum* relictorum in Italia, quos exercitus Gallo-Venetus inopino transitu circumvenerat: alter de periculis rerum perdendarum in Brabantia; cui Carolus* Gelder, Francorum auxilio fultus, extremam perniciem intentabat. Utrique huic malo simul occurrere, non erat intrà vires & potentiam Cæsaris. Quare missis aliquantulùm rebus Italicis convertit iter in Belgium, ut nepotum suorum terras ab Harpyjarum Geldrienſium unguibus defenſaret. Ibi Gallus, repentè à Venetorum amicitiâ retrocedens, Imperatori suggerit, ut ineat pacem cum Geldro; contra Venetos autem coëat secum in fœdus quadruplum, quo ipsimet ambo, paritérque Pontifex & Hispanus, in eorum excidium se conjungant. Placebat omnibus id consilium, locus ineundo fœderi constituitur urbs Cameracensis, diriguntur huc Legati singularum partium. Cum Geldro mox convenitur, ut retineat ea, quæ recuperaverat in Ducatu Geldriæ: contra Venetos autem in commune statuitur, ut omnes quatuor unanimibus armis in eorum ditiones ruerent; neque priùs desisterent ab iisdem impugnandis, quàm fœderatorum quilibet recepisset omnes urbes & oppida, quæ sibi quondam ab iis erepta vel extorta fuerant. Atque hoc est famosum illud Cameracense fœdus, quod hoc anno usque ad IV. Idus Decembris tam incredibili taciturnitate confectum asserunt, ut Venetorum Proceres, quàm primùm rei gestæ fama ad aures ipsorum venit, fabellam potiùs quàm veritatem esse existimârint.

Interea, dum ista fierent, successivè omnes Westphaliæ Præsules per decursum præsentis anni in viam æternitatis abiêre. Choream hanc mortualem ordiri cœpit Henricus Episcopus Mindensis è familia Comitum Schawenburgensium. *Vir* (ùt ait Crantzius) *animi tranquilli, modestus, pacificus, et semper ità versatus sinè querela, ut per annos triginta quinque sui Episcopatûs nemini unquam* detrimento fuerit.* Extremas testamenti sui tabulas absolvit breviter* hisce verbis: *Corpus terræ, anima Deo, bona pauperibus et amicis commendata sunto.* Obiit Petershagii in arce sua, die vicesimâ quintâ Januarii, in festo Conversionis Divi Pauli, sepultúsque est Mindæ in Ecclesia Cathedrali. Successorem habuit sibi multùm dissimilem, & ingenio magìs inquieto præditum, Franciscum Brunsvicensem, Christophori Verdensis Episcopi & Coadjutoris Bremensis fratrem; de quo surrogando jam antè cum Henrico ejus patre à quibusdam Capitularibus actum fuerat.

Alter, quem hoc anno Libitina sustulit, est Conradus, è Comitum Ritbergicorum prosapia Episcopus Monasterienſis, & Ec-

Palat. loc. cit. Spondan. hic n. 1.

**Haræus in Annal. Brabant.*

Fœdus Cameracense, quo Pontifex, Cæsar, Gallus, & Hispanus, conspirant contra Venetos.

Palat. in aquil. austr. Spond ad hunc ann. Hæus in ann brab. Trith. to 2 chron hirs.

Henricus Episc. Mindensis moritur die 25. Januarii.

Crantz. in append. Metrop. wittius in chron. ms. Kleins. in hist. ms.

**Crantz l. 12 metrop. c. 19.*

**Cratepol. in Catal Episc. mind.*

succedit illi Franciscus Brunsvic.

Conradus Episcopus Monasterienſis & Administrator Osnabrugenſis moritur die 9. Febr. *chron. Monaſt. mſ.*

cleſiæ Oſnabrugenſis Adminiſtrator, vir egregius, & prudentiâ, humanitate, pacísque ſtudio nemini ſecundus. Præfuit Eccleſiæ Monaſterienſi in annum undecimum; Oſnabrugenſi verò, quam priorem obtinuerat, in annum viceſimum ſextum. Obiit Bevergernæ in Diœceſi Monaſterienſi, die 9. Februarii; ejúsque cor Oſnabrugi, reliquum verò corpus Monaſterii in Cathedrali Baſilica tumulatum eſt cum hoc epitaphio, in appenſa tabula deſcripto:

Hac ego Conradus contectus mole quieſco,
Ritbergi comitum ſtemmata clara ferens.
Romuleas arces ac celſa palatia Regum
pervidi, mores tum varios hominum.
Hanc ſedem undecimum poſſedi lætus in annum,
Principis Imperii functus honore ſacri:
Arces, Paule, tibi reſtaurans mœnibus altis,
cetera ſtructurus; ſed cita mors vetuit etc.

Succeſſit ei in Epiſcopatu Monaſterienſi Ericus è domo Saxo-Lawenburgica. **Crantz. in initio appendicis ad metrop.*

Monaſterii ad vacantem ipſius Cathedram die 24. Februarii poſtulatus eſt Ericus Saxo-Lauwenburgicus, natus patre Joanne Lawenburgi Duce, matre*Dorotheâ Marchioniſsâ Brandenburgicâ. Qui & eodem anno, die viceſimâ nonâ Octobris, cum egregio ſplendore Monaſterium ingreſſus eſt; & ſequenti anno in ara ſumma Baſilicæ Cathedralis primam hoſtiam Deo obtulit, miniſtrantibus ejuſdem* ambobus fratribus; Joanne Epiſcopo Hildeſienſi tanquam Diacono, & Bernardo Præpoſito Colonienſi tanquam Subdiacono. Contrà verò Oſnabrugi pro Conrado mortuo delectus eſt Ericus Dux Brunsvicenſis, Paderbornenſi Eccleſiæ Canonicus, patre Alberto Grubenhagenſi, & matre Eliſabethâ Waldecenſi genitus. Hujus loco maluerant cives Joannem comitem de Rittberg, defuncti Antiſtitis ex fratre Nepotem: atque ideo, ùt primùm audiit inſana plebs, eligentium vota concurriſſe in Ericum, furens ac fremens in plateas proruit* & clamavit: *Nolumus hunc, ſed Joannem Ritbergenſem.* At Julius Pontifex, qui Ericum è Romano ſtudio jam antè noverat, non modò poſtulationem ejus ratam & gratam habuit; ſed etiam inſuper ſuâ ſponte, nullóque rogante indulſit ipſi, ut Paderbornenſem Canonicatum cum Oſnabrugenſis Epiſcopatûs infula conjungeret ac retineret, utì conſtat è ſubjecta hîc Papali Bulla:

Et in Epiſcopatu Oſnabrugenſi Ericus Dux Brunsvicenſis.
**chron. Oſnabrug. mſ.*

Qui eodem anno confirmatur à Pontifice, ſimúlq; licentiam accipit retinendi Canonicatum Eccleſiæ Paderb.

JUlius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, dilecto filio Erico, ex Ducibus Brunsvicenſibus Electo Oſnabrugenſi, ſalutem et Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam, nobis et Apoſtolicæ Sedi devotam, tuis exigentibus meritis paternâ benevolentiâ proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quæ tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Cùm itaque nos hodie Eccleſiæ Oſnabrugenſi, tunc certo modo Paſtore carenti, de per-

*Persona tua, nobis et Fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem consilio duxerimus auctoritate Apostolicâ providendum, præficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, prout in nostris inde confectis * literis pleniùs continetur: et sicut accepimus, tu tempore provisionis et præfecturæ prædictarum Canonicatum et Præbendam Ecclesiæ Paderburnensis obtineres, prout obtines: Nos tibi, ut statum tuum juxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentiùs tenere valeas, de alicujus subventionis auxilio providere, ac te præmissorum meritorum intuitu gratioso favore prosequi volentes, téque à quibuscunque excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, à jure vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodatus existas, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, tecum, ut etiam, postquam in vim provisionis et præfectionis prædictarum pacificam possessionem, vel quasi, regiminis et administrationis dictæ Ecclesiæ Osnaburgensis, et bonorum ejus, seu majoris partis eorum, assecutus fueris, ac munus consecrationis susceperis. Canonicatum et Præbendam prædictos (quorum fructus, reditus, et proventus, viginti quatuor marcarum argenti puri secundùm communem existimationem valorem annuum, ùt etiam accepimus, non excedunt) etiam unà cum dicta Ecclesia Osnaburgensi, quàm diu illi præfueris, ùt priùs retinere liberè ac licitè valeas, Generalis Concilii et quibusvis aliis constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, nec non dictæ Ecclesiæ Paderburnensis, juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium de specialis dono gratiæ dispensamus: decernentes, Canonicatum et Præbendam prædictos propterea non vacare, ac irritum et inane, si secùs super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, proviso, quòd Canonicatus et Præbenda prædicti debitis propterea non fraudentur obsequiis; sed illorum congruè supportentur onera consueta. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. - - - Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo, quingentesimo, octavo, octavo Idus Septembris, Pontificatûs nostri anno quinto.*

* in aliis eodem die datis, quæ supersunt Osnabrugi.

Vix eæ literæ abîerant in Westphaliam, cùm iterum Libitinæ victima cecidêre duo magni Præsules, Jacobus Liebensteinius Archiepiscopus Moguntinus, Ecclesiæ nostræ Metropolitanus; & Hermannus Hassus Archiepiscopus Colonienſis, Ecclesiæ nostræ Adminiſtrator. Prior horum, vir infirmus, post quadriennale regimen è vivis abîit die 15 Septembris: habuítque succeſſorem Urielem à Gemmingen, Majoris Ecclesiæ Decanum, qui & altero

Jacobus de Liebenſtein Archiepiſc. Moguntin* moritur, & ſucceſſorē accipit Urielem de Gemingen.

anno *in Dominica* mediæ quadrageſimæ ſolenni pompâ conſecratus eſt.* Poſterior verò, utì reperitur in veteribus manuſcriptis noſtris, die viceſimâ ſeptimâ Septembris vitam exuit Poppelsdorffii, tanto ſuî apud omnes relicto deſiderio, ut in ejus exequiis *Coloniæ et Paderbornæ* omnia in luctu peracerbo fuerint.* Neque id mirum eſt ob illuſtriſſima, quæ in eo conſtanter fulſerant, Epiſcopalium virtutum ornamenta. Nam, ut omittam, quòd aſſiduè pacem coleret (unde & *Hermanni pacifici* cognomen retulit) erat Princeps apprime ſapiens, mitis, religioſus, & erga inopes tam beneficus ac liberalis, *ut nunquam aliquem è pauperibus vel* mendicis à ſe vacuum diſcedere paſſus fuerit.* In publicis Imperii comitiis, Auguſtæ, Wormatiæ, Norimbergæ, & alibi, ſub horam prandii numeroſior egenorum turba confluebat ad illius unius aulam, quàm ad omnes ferè Principum reliquorum curias; ideóque & in vulgo proverbium erat: *qui diverſorium* Colonienſis Archiepiſcopi quærit; ibi illud inveniet, ubi congregatam viderit multitudinem pauperum.* Nec minor erat ejus devotio ac rerum ſpiritualium cura. Nam præter quotidiana horarum Canonicarum penſa (quod ex more veteri *Breviarium* dicimus) recitabat omni die preces alias voluntarias, ab iísque decurrendis* vix unquam abſtinebat; etiam eo tempore, quo præcipuis Imperii negotiis diſtentus erat. His adjungebat meditationes aliquas cum ardentiſſimis orationibus de paſſione Domini, quas ejuſdem rogatu ſcripſerat Venerabilis Pater Theodoricus*à *Monaſterio*, ex Ordine S. Franciſci de ſtrictiore obſervantia vir ſanctiſſimus. Divino etiam Sacrificio conſtanter intererat quovis die, niſi fortè per ſe ipſum ad aram facere, & æterno Patri agnum illum immaculatum ſuismet manibus immolare vellet. Conſecrationes Altarium & Presbyterorum* frequenter obibat in perſona propria; tametſi non deeſſent Antiſtites Vicarii, quibus id officium committere potuiſſet. Colonienſi Eccleſiæ præfuit annis viginti octo: Paderbornenſi per annos decem, eâ ſubditorum pace & exterorum formidine, ut intrà decennium iſtud, Cratepolio* teſte, *nemo hoſtilem animum in terras noſtras declarare auſus fuerit.*

*Trith. to. 2. Chron. Hirſ.

Die 27 Septembr. moritur Hermann⁹ Archiepiſcop⁹ Colonienſis, & Adminiſtrator Paderborn.

*Cratep in catal. Arch. Colon.

*Trith. to. 2 chron. hirſ. ad hunc ann.

*Trith. to. 2 chron. hirſ. ad annum 1480.

*Trith. ad ann. 1480.

*alio nomine etiam dict⁹ Theodoricus ab Oſnabrugo

*Cratep. in catal. Archiep. Col.

*Cratepol. ibidem.

In ejus locum ſuffectus eſt Coloniæ Philippus à Daun Comes Oberſteinius, Majoris Eccleſiæ Decanus, à Capitulo electus die 13. Novembris, & ſequente anno ſolenni ritu conſecratus. Paderbornæ verò eodem Novembri menſe ex Capituli noſtri Cathedralis gremio poſtulatus eſt Ericus Brunsvico-Grubenhagius, jam antè electus & confirmatus Epiſcopus Oſnabrugenſis. Ante hujus poſtulationem unanimi conſenſu omnium*Canonicorum, inter quos & ipſe Ericus erat, conventum eſt in hos articulos: *primò ut, quicunque eligendus foret, intrà annum proximum acceptæ confirmatio-*

Succeſſit ei in Archiepiſcopatu Colonienſi Philippus à Daun: & in Epiſcopatu Paderbornenſi Ericus Brunsvicenſis.

*litera co-

mationis, non modò Presbyterum se, sed etiam Episcopum consecrari face-ret; neque ea in re dispensationem peteret, vel oblatam acceptaret. 2dò, *ut omnem adhiberet operam ad recuperanda bona, ab aliis Dominis Episcopatui nostro subtracta; neque pateretur, nostræ Diœcesis bona ad alios Dominos pervenire, aut limites Diœcesanos contrahi.* 3tiò, *Ut Officialem suum nullo alio in loco, quàm intrà Paderbornam habitare sineret, nisi fortè postea inter ipsum et Capitulum aliter conventum fuerit.* Quartò, *ut habeat aliquem suffraganeum, qui sollicitè ac sedulò curet, ne Sacramenta simoniacè administrentur aut conferantur etc.* Literæ hæ, quas Capitulationis vocant, à toto Capitulo subsignatæ, datæque sunt *Anno Domini millesimo quingentesimo octavo, die veneris post S. Martini*, hoc est, die decimâ septimâ Novembris sub litera Dominicali A.

pitulationis in archivo Cathedr. Ecclesiæ.

Qui etiam ex conventione prævia sequenti anno debuit consecrari Episcopus.

Quâ eâdem die* etiam Ericus Episcopus, receptis, probatísque hujusmodi articulis, per majora Canonicorum Capitularium vota ad vacantem Paderbornensis Ecclesiæ infulam postulatus est.

**ex veter. mss.*

ERI-

ERICUS
Dux Brunsvicensis,
PADERBORNENSIS ECCLESIÆ EPISCOPUS XXXIX.

Annus Christi 1509.

Julii II. Pontificis 6. & 7.
Maximiliani I. Imper. 16. & 17.
Erici Episcopi Paderborn. 1.

Bellum contra Venetos ex fœdere Cameracensi feliciter inchoatur à Rege Galliæ.

Spondan. ad hunc annum n. 1. 2. & 3. Palat in Aquila Austriaca pag. 214 & seq.

Progressus fœderatorũ post victoriam Gallicam.

LUdovicus Galliarum Rex, Cameracensi fœderi ante alios obsecundans, Aprili mense contra Venetos in bellum ivit: nec multò post, superato amne Adduâ, memoratissimam ab iis victoriam reportavit pridie Idus Maji, occisis eorum non paucis millibus, capto Liviano exercitûs Imperatore, signis militaribus, tormentísque & impedimentis prope omnibus in illustrem prædam acceptis. Eâ clade tam insolitus pavor disjecti exercitûs reliquiis incussus est, ut ferè omnes, qui ex prælio evasêre, turpissimè dilapsi fuerint, & sub infelicibus Venetorum signis militiam facere detrectârint. Quin & ipsi Venetorum proceres, tam inopinâ jacturâ perciti, jam agebant inter se desperata consilia de relinquendo totius terræ continentis imperio; ideóque passim urbes & oppida extractis præsidiis deserebant, arbitrati nunc sibi satis fore, si maritimum imperium retinere possent. Ità Gallus brevi tempore accepit Cremam, Cremonam, Bergomum, & *Brixiam, urbes insubriæ: Pontifex Ariminum, Cerviam, Faventiam, & Ravennam, urbes Ecclesiæ: Hispanus Molam, Polignanum, Brundusium, Hydruntum, & alias maritimas urbes Apuliæ: Cæsar denique Goritiam, Tergestum, Belunum, Feltriam, Veronam, Vicentiam, ac* Patavium; potuissétque adhuc urbes multò plures obtinere, dummodo satis citò habuisset militem in Italia, qui easdem ab hoste vacuas potuisset introire, vel defendere. Quantùm verò ea militis adducendi tarditas nocuerit Imperatori, ex ejusdem anni decursu patuit. Hinc enim

*vulgò Brescia.

*aliàs Padua.

enim Tarvisium urbs cum regione adsita sub Venetorum dominio mansit: hinc Patavium, à Cæsareanis malè custoditum, facili negotio in potestatem Venetorum rediit: hinc afflicta ipsorum respublica optatissimam occasionem ac tempus habuit, non solùm recolligendi militem; sed etiam dejectos animos ad melioris fortunæ spem erigendi, cum ingenti rerum Cæsarearum damno & eversione. Adeò verum est, felicitatem bellicam ùt plurimùm in celeritate sitam esse, juxta vulgatum illud: *fronte capillatâ pòst est occasio calva.*

Cæsari multùm nocuit tardior adventus militum Cæsareorũ. *Spondan. ibid. n. 5. & 6. Palatius in Aquila Austriaca.*

Hæc rerum facies in Italia. Nunc ad nostra me recipio. Hermannus Ecclesiæ nostræ Administrator, cùm ante annum è vivis iret, in ærario Diœcesis nostræ adhuc reliquerat mille aureos florenorum Rhenensium: è quibus quadringenti insumendi erant in Castrum Krukenbergense prope Helmershusium; reliqui autem in redemptionem Castri Beverungensis. Hanc pecuniam Ericus successor ejus, pro impetranda confirmatione sua, sibi à statibus diœcesanis aliquantisper commodari petiit; eâ lege, ut iidem mille aurei quantocyus reciperentur ex dono gratuito seu pecuniis gratulatoriis, confirmato Episcopo à tota Diœcesi donari solitis. Imò & restitutione istâ non contentus, libere ac sponte voluit, adhuc alios trecentos florenos aureos ex eodem dono gratulatorio detrahi, & applicari ad anniversariam perpetuámque memoriam sui decessoris Hermanni Archiepiscopi; utì constat ex ejusdem Erici* literis, Paderbornæ hoc anno datis, *die Martis post Dominicam Invocavit*, hoc est die* vicesimâ septimâ Februarii. His peractis, pecunia Romam transmissa, & Erici confirmatio non multò pòst, nimirum die vicesimâ Aprilis, à Julio Pontifice expedita est in hunc modum:

Fundatur Paderbornæ memoria Hermanni Administratoris defuncti.

*literæ Archivi Cathedr. Eccl.

*Pascha enim hoc anno erat die 8. Aprilis, sub litera Dominicali G.

JUlius Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Erico, Electo Paderburnensi, salutem et Apostolicam benedictionem. Divinâ disponente clementiâ, cujus inscrutabili providentiâ ordinationem suscipiunt universa, in Apostolicæ dignitatis specula, meritis licèt imparibus, constituti, ad universas orbis Ecclesias aciem nostræ considerationis extendimus, et pro earum statu salubriter dirigendo Apostolici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis propensiùs cogitare nos convenit, quas propriis Pastoribus carere intuemur, ut eis juxta cor nostrum Pastores præficiantur idonei, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam, et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona Ecclesiarum ipsarum non solùm gubernent utiliter; sed etiam multimodis efferant incrementis. Sanè Ecclesiâ Paderburnensi, quam bonæ memoriæ Hermannus Archiepiscopus Colonienſis ex concessione et dispensatione Apostolicâ in administrationem, dum viveret, obtinebat, cessante administratione

Julius Pontifex confirmat postulationem Erici Brunsvicensis ad Episcopatum Paderbornensem. *ex Archiv. Cathedr. Eccl.*

tione hujusmodi per obitum ejusdem Hermanni Archiepiscopi, qui extra Romanam curiam debitum naturæ persolvit, adhuc eo (quo, dum idem Hermannus Archiepiscopus eidem Ecclesiæ in Administratorem deputatus extitit, vacabat) modo vacante: Nos verum et ultimum dictæ Ecclesiæ vacationis modum, etiamsi ex illo quævis generalis reservatio etiam in corpore juris clausa resultaret, præsentibus pro expresso habentes, et ad provisionem ejusdem Ecclesiæ celerem et felicem, ne longæ vacationis ex ponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem (quam de præficiendo eidem Ecclesiæ personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus) diligentem; demum ad te Electum Osnabrugensem, de illustri Ducum Brunsvicensium genere procreatum, quem dilecti filii, Decanus et Capitulum dictæ Ecclesiæ in Episcopum Padeburnensem concorditer postulârunt, consideratis grandium virtutum donis, quibus personam tuam illarum largitor altissimus multipliciter insignivit, et quòd tu, qui Ecclesiæ Osnaburgensi hactenus laudabiliter præfuisti, scies et poteris Ecclesiam ipsam Padeburnensem salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostræ mentis. Quibus omnibus debitâ meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem Fratribus ob tuarum exigentiam meritorum accepta, eidem Ecclesiæ Padeburnensi de ipsorum Fratrum consilio auctoritate Apostolicâ providemus, téque illi præficimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiæ Padeburnensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo. Ità tamen, quòd propter hoc dictæ Ecclesiæ Osnaburgensi præesse non desinas; sed etiam, postquam munus consecrationis ratione dictarum Ecclesiarum seu alterius earum susceperis, ac pacificam possessionem, vel quasi regiminis et administrationis dictæ Ecclesiæ Padeburnensis ac bonorum ejus seu majoris partis eorum assecutus fueris, utriusque earundem, Padeburnensis et Osnaburgensis Ecclesiarum, verus Præsul et Pastor existas, firmâ spe fiduciâque conceptis, quòd, dirigente Domino actus tuos, præfata Ecclesia tua Padeburnensis per tuæ circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter, et prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impositum humeris, promptâ devotione suscipiens, curam et administrationem prædictas sic per te, vel alium, seu alios, exercere studeas solicitè, fideliter, et prudenter, quòd ipsa Ecclesia Padeburnensis gubernatori provido, et fructuoso Administratori gaudeat se commissam, et odor tuæ bonæ famæ ex laudabilibus tuis actibus latiùs diffundatur; túque præter æternæ retributionis præmium nostram et Apostolicæ sedis benedictionem et gratiam exinde uberiùs consequi merearis. Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nono, duodecimo Kalendas Maji Pontificatûs nostri anno sexto.

No-

Notâ singulari dignum est, quòd Julius Pontifex in hoc diplomate utatur iisdem omnino verbis, quibus ante annum usus fuerat in diplomate provisionis Osnabrugensis, nimirum his: *de persona tua eidem Ecclesiæ ---- providemus, téque illi præficimus in Episcopum et Pastorem etc.* Quo loquendi modo, semper hactenus inusitato, satìs apertè indicat, Ericum ab utraque Ecclesia successivè postulatum, non solùm fore Episcopum unius, & Administratorem alterius (utì hactenus in usu fuerat) sed verè ac simpliciter Episcopum & Pastorem utriusque. Id quod inferiùs eodem diplomate adhuc apertiùs indicat hisce verbis: *ità, quòd utriusque earundem, Padeburnensis et Osnaburgensis, Ecclesiarum verus Præsul et Pastor existas etc.* Unde & Ericus hìc sese passim in omnibus literis, tam Paderbornensem, quàm Osnabrugensem Episcopum scripsit: adeóque primus omnium (ùt opinor) fuit, qui sub uno Episcopali nomine & persona geminas Diœceses copulaverit; secùs ac in Ecclesia hucusque receptum fuerat. Lætus igitur tam insigni concessione per æstatem hujus anni Paderbornam rediit; exhibitóque diplomate Pontificio, juramentum, à confirmatis Antistitibus requiri solitum, Capitulo Paderbornensi præstitit, utì constat ex ejusdem literis, quarum initium & finis est: *Ego Ericus, Dei gratiâ Ecclesiæ Paderburnensis Electus et confirmatus, Dux Brunsvicensis etc. ---- Sic me Deus adjuvet, et sancta Dei Evangelia. Datum* sub meo sigillo secreto, anno à Nativitate Domini millesimo quingentesimo nono, sabbatho post Petri ad vincula*, hoc est, die 4. Augusti sub litera Dominicali G.

Ericus Episcopus fuit primus, qui ex Pontificia concessione nominavit se Episcopum duarumEcclesiarum.

Juramentũ Erici, Paderb. Capitulo præstitum.

*in aliis literis, eodẽ anno ac die datis, additur: *datum Paderbornæ.*

Post hæc Ericus apparatu maximo se accinxit ad solennem ingressum, proximè celebrandum Osnabrugi. Concurrerunt ad eam pompam illustrandam, unà cum Philippo ipsius fratre, Dux Lünenburgensis, multíque Comites, Nobiles, & vasalli. Ab his Episcopus, inter Duces antè dictos medius, in urbem deductus est die vicesimâ sextâ Augusti, vel, ùt verbis chronici Osnabrugensis utar, *septimo Kalendas Septembris* in Dominica. Venientem excepêre Cives in sua signa distributi, raróque vestium & armorum splendore conspicui, intersonantibus tubicinum ac tibicinum jucundissimis choris. Ante fores Ecclesiæ Cathedralis præstolabatur eum Clerus urbicus, longo ordine compositus. A quo deinde ad aram Principem deductus, & cantu hymni Ambrosiani aliísque Ceremoniis consuetis festivo ritu honoratus est. Quo peracto cœpit instrui generale epulum: totúmque sequens biduum inter choreas & ludos equestres magno luxu transactum fuit.

Ericus Brunsvicensis Osnabrugi solennissimè inauguratur die 26. Augusti. *Chron. Osnabrug. mss.*

Annus Christi 1510.

JULII II. Pontificis 7. & 8.
MAXIMILIANI I. Imper. 17. & 18.
ERICI Episc. Paderborn. 2.

Cæsar Augustæ celebrat comitia Imperii, ibique sollicitat auxilia contra Venetos.

AUgustæ Vindelicorum hoc anno celebratus est magnus conventus Principum, quem Cæsar Maximilianus ibidem indixerat in festum Epiphaniæ Domini. Aderant illic è præcipuis Germaniæ Principibus, Uriel Archiepiscopus & Elector Moguntinus, Jacobus Archiepiscopus & Elector Trevirensis, Philippus Archiepiscopus & Elector Colonienſis, Fridericus Dux & Elector Saxoniæ, Ludovicus Elector Palatinus, Fridericus Dux Bavariæ, Ericus Dux Brunsvicensis, Fridericus Marchio Brandeburgensis, Ulricus Dux Würtenbergensis, aliique Proceres quàm plurimi, unà cum Legatis vel Oratoribus Regis Galliæ, Regis Hispaniæ, Regis Bohemiæ, & aliorum Principum Germanicorum. Consultatum ab his longo tempore, & magnâ sententiarum diversitate, de bello continuando contra Venetos: augebátque difficultatem, quòd Julius Pontifex, postquam suas urbes receperat, non solùm à Cameracensi fœdere ad Venetos defecisset; verùm etiam Hispanum & Cæsarem ab eodem abstrahere, contráque Gallos incendere moliretur. Vacillantibus hísce consiliis intervênit primùm *Orator Gallicus, & nervosissimâ oratione declaravit Venetorum superbiam, avaritiam, rapacitatem, fraudes, latrocinia, contemptum Cæsaris & Imperii. Nec multò pòst etiam accedebant ferales nuntii, à quibus perferebatur, quinquaginta & ampliùs incendiarios in Carinthiam & Austriam *introîsse, ut urbes, oppida, arces, & villas, admotis latenter ignibus in flammas agerent: eorum aliquos jam esse comprehensos, & in tortura vel equuleo confessos, quòd à Venetis pecuniâ conducti, in Germanorum terras emissi, atque, ut latentiùs desævirent, Religiosorum aut mendicorum habitu se contegere jussi fuerint. His auditis Principum congregatorum animi vehementer concitati sunt, ac tandem exeunte Majo (quo comitia solvebantur) communi suffragio decrevêre, bello cœpto insistendum esse, eóque fine pendenda Cæsari trecenta Rhenensium aureorum millia. Quanquam eo subsidio singulare nihil hoc anno effectum sit. Nam, ùt communiter apud Germanos fieri solet, pecuniæ & milites huic bello destinati, propter comitiorum diuturnitatem, serò nimis in Italiam appulêre.

Trith. to. 2 chron. hirs. Brower. in Annal. Trevir. Surius in comment.

Trithem. loc. cit.

Quæ tandem impetrat, ostensâ Venetorum malitiâ.

Trithem. & Surius loc. cit.

In-

Interea Ericus Episcopus noster, posteaquam in Augusto superioris anni solenniter invectus esset Osnabrugum, reliquâ anni parte in eadem Diœcesi perstitit: intérque alia, die vicesimâ septimâ Decembris, Capitulo Osnabrugensi confirmavit piscaturam fluvii à molendino post Ecclesiam S. Joannis posito, usque ad inferiorem urbis turrim, vulgò dictam **Hellings-Thurn**; uti constat ex ejusdem * literis, quarum finis est: *Datum Anno Domini millesimo quingentesimo nono, ipsò die B. Johannis Apostoli et Evangelistæ.* His autem traditis & consignatis, continuò intrà dies proximos discessit Osnabrugo; abiitque Neuhusium in Diœcesi nostra, ut ibidem pariter appararet omnia pro solenni ingressu & inauguratione, propediem futura ad fontes Paderæ. Supersunt adhuc ejusdem literæ * ad Saltkottenses, per quas ex arce nostra Neuhusana, *feriâ quintâ post Circumcisionis Domini*, sive die tertiâ Januarii anno 1510, ab iisdem petiit, ut *in diem proximum suæ inaugurationis et ingressus publici*, sibi trutas aliquas, de salmonum fluviatilium * genere submitti studeant. Supersunt & aliæ post solennem ingressum datæ, quibus urbi nostræ Brakelensi, die duodecimâ Januarii, sive *sabbatho post trium Regum*, confirmavit omnia privilegia, à suis decessoribus concedi & approbari solita. Unde colligo, introductionem & inaugurationem ejus, Padibornæ celebratam esse, vel die sextâ Januarii in Dominica, vel certè alio die proximo infra eandem hebdomadam. Quo autem apparatu Civium, quâ Nobilitatis & Cleri pompâ, quo Principum & aliorum Procerum comitatu festivitas illa peracta fuerit; id neque in temporum istorum fastis neque in aliis monumentis literariis, pro memoria nostra annotatum legitur.

Ericus Episcopus Paderborn. & Osnabrug. sub initium hujus anni Osnabrugo venit Neuhusium.

*litera Archiv. Osnabrug.

*litera Archivi Saltzkott.

* *vulgò* Lachs-Voreſſen

Paderbornæ solenniter introducitur & inauguratur initio Januarii.

Certiora nobis hoc anno suppetunt de Erico Episcopo Monasterienſi. Is enim (ùt in fastis ipsorum scribitur) pro singulari suo in Beatam Virginem affectu & studio hoc anno sanxit, Beatam Annam ipsius matrem in tota Diœcesi sua cultu annuo celebrandam, ejúsque festum perpetuis temporibus deinceps peragendum esse postridie gloriosæ Assumptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ. Quin etiam, ut novæ huic festivitati propriomet exemplo suo novum splendorem adderet, eâdem die Monasterii in summo templo ad aram fecit; magnâque ædificatione populi solenne sacrum Pontificali ritu pientissimè decantavit. Quam deinde consuetudinem totâ vitâ suâ non solùm hoc in festo; sed etiam in pluribus aliis constanter tenuit, majori merito apud Deum, quàm si deliciis ac vanitatibus ætatem insumpsisset.

Ericus Lawenburgicus, Episcopus Monasterienſis, instituit festũ S. Annæ, perpetuò celebrandũ postridie Assumptæ Virginis. *Chron. Monaster. mſ.*

Claudo hunc annum insigni historiâ: quæ, tametsi ab Annalium nostrorum scopo sit remotior (contigit enim in Marchio-

In terris Brandeburgicis vir Catholicus furatur è templo sacram pyxidem, & inventam in ea hostiam vendit judæo.

natu Brandeburgico) iis tamen vel idcirco meretur inseri, quòd plerique temporum istorum Scriptores mentionem illius faciunt. Paulus **Fromm**, oppidi Pernavienſis incola, die 6. Februarii media nocte, ex pagi vicinioris templo furatus erat inauratam pyxidem, in qua Sacramentum Divini Corporis asservari solet. Altero mane, cùm abiret Spandaviam, furtum hoc judæo venditurus; quievit paululùm in via: apertâque pyxide videt in ea duas hostias consecratas, majorem unam, & minorem alteram. Expalluit primùm hísce visis: & repentini consilii insçius, minorem ex iis deglutivit; majorem verò aliquantisper in sinu suo recondidit. Statímque eum tantus invasit horror torpórque sensuum, ut horam integram planè cœcus ac stupens, non potuerit se movere loco. Demum verò permittente Deo usuram luminis recipiens, neglectâ cordis pœnitentiâ, resumpsit iter ad urbem Spandaviam, ibíque sacrilegium suum venale obtulit Judæo, cui nomen erat Salomon. At ille videns, mercem hanc non esse argenteam, sed ex cupro solùm inaurato factam: *Bone vir!* inquiebat, *vasculum illud est ex cupro, ideóque illud non desidero. Si quid amplius in eodem obtulisses* (puta hostiam consecratam) *fortassis illud emerem à te.* Ad quæ verba homo improbus majorem hostiam de sinu profert; eámque judæo tradens: *Ecce*, ait, *quod modò quæris, in promptu est!* Mox judæus, intrà se ipsum plaudens: *quanti vendis hunc Deum tuum?* Et ille: *sedecim grossis.* Numeravit judæus novem; Deóque vendito, venditorem pessimum dimisit. Secuta mox ingens tragœdia. Nam judæus illico diviniſſimum corpus in mensam projicere, in illud cultris involare, proscindere, pungere, fodicare. Et quia nihilominus hostia manebat integra, nullísque punctionibus perforata; tandem ipse, ùt Avernalis furia: *in nomine*, inquiebat, *mille Dæmonum! si tu es verus Christianorum Deus, ostende te, et manifesta temet ipsum!* quo dicto, sponte suâ dissiliit hostia in tres partes, quarum singulæ ad oram exteriorem hujus fracturæ sanguineo colore erant imbutæ.

Trith. to. 2. chron. hirs. Surius in comment. Spond. ad hunc ann. n. 17. Lintur. in append. ad fascic.

Hostia, à judæo variis punctionibus impetita, dissilit in tres partes, quarum duas mittit aliis judæis.

Trith. & Surius loc. cit.

Convenerat autem aliquantò priùs inter judæum hunc, & alios duos (quorum unus Brandenburgi & alter Stendaliæ sedem fixerat) ut, quisquis eorum potiretur hostiâ consecratâ, partem hujus ad ipsos mitteret. Quare Salomon, ex tribus istis hostiæ divisæ partibus, duas misit ad ambos illos; & hi deinde ad multos alios, qui iisdem speciebus sacris turpissimè sunt abusi. Tertiam verò particulam pro se retinuit, eámque pannis involutam ferme per mensem integrum in sacculo suo tulit. Postea eam rursus è sacculo protulit; impositámque tabulæ mensæve domesticæ, tam diu transfixit & perforavit stylo ferreo, donec aliquis miraculosus

Tertia pars, ab eodem judæo retenta & rursus perforata, emittit sanguinem.

Auctores ibidem.

cruor

cruor aspectabili modo ex eadem flueret. Eo viso maximopere territus, continuò sævire destitit; modísque omnibus laboravit, particulam istam prorsus destruere. Et in primis quidem tentavit eam deglutire: sed non potuit. In aquas deinde misit; & non est dissoluta. Mox etiam in ignes misit: & à flammis intacta mansit. Postremò commiscuit eam parti farinæ, & congestam ex ea massam unà cum aliis panibus immisit furno: & ecce! furnus igne extracto clausus prodigioso lumine quantocyus inclarescit. quódq; magìs admirandum est, cùm judæus bis in furnum introspiceret; bis ille supra panem, sacramenti particulâ infertum, videt puerum elegantem & cœlesti splendore fulgidum considêre, utì hic idem Salomon, etiam extra torturam & equuleum, postea confessus est.

Mittitur in furnum, ubi puer JESUS apparet. *Auctores iidem.*

Interea sacrilegium Pauli furis prodebatur multis indiciis. Cúmque ideo apprehenderetur, fateretúrque venditionem Salomoni judæo factam; non solùm ille, sed etiam centum alii judæi processu temporis comprehensi, & carcerum diversorum vinculis constricti sunt. Prodiêre tunc horrenda Hebræorum scelera: præterque omnia suprà dicta, etiam compertum est, paucorum annorum spatio septem pueros Christianos, quorum innocenti sanguine gens illa nequam abuti solet, ab iisdem occisos, & multis acuum stylorúmque punctionibus crudelissimè trucidatos fuisse. His detectis processum est ad supplicia. Paulus **Fromm**/ Corporis Divini venditor, primùm ignitis forcipibus laceratus, ac deinde seorsim in rogo separato flammis injectus. Salomon Hebræus, tot miraculis à se visis nihil motus, ex temporali combustione ad ignes æternos abiit. Alii tres Christiano ritu baptismum recepêre: quorum duo sequenti mane capite plexi; tertius verò, quòd singularem inhonorationem Sacramenti non commiserit, vitæ gratiam consecutus, & ordinem S. Francisci in Berolinensi Monasterio ingressus est. Reliqui judæi omnes proscriptione publicâ è toto Marchionatu Brandenburgico expulsi, ne vel suorum necem vindicare, vel alia id genus crimina consiliis auxiliísque suis confovere possent.

Sacrilegii proditur, judæi capiuntur. *Trithem. l. 2 Chron. Hirs.*

Rei gravissimè puniuntur; & omnes Judæi proscribuntur ex Marchia Brandeburgica. *Trithem. & Surius loc. cit.*

Annus Christi 1511.

JULII II. Pontificis	8. & 9.
MAXIMILIANI I. Imper.	18. & 19.
ERICI Episcopi Paderborn.	3.

JUlius Papa, vir inquietus & mutabilis, postquam à Cameracensi fœdere ad Venetos descivisset, etiam hoc anno Cæsarem & Hispa-

Julius Pontifex frustratur

Imperatorẽ retrahere à fœdere Cameracensi. *Spondan. hìc n. 5. & 6. Coccinius de bello Veneto apud Frech. to. 2. rer. Germ.*

Hiſpanum invitavit, ut iidem pariter, abjecto Cameracenſi fœdere, ſibi ac Venetis ſociarent arma in Regem Galliæ. Et Hiſpanus quidem facillimè ſe in eam partem inclinari paſſus eſt, quòd maritimas Apuliæ urbes retenturus, & inveſtituram Neapolitani Regni à Pontifice accepturus eſſet. Cæſar autem, cùm neque infidum ſe oſtendere vellet Regi Galliæ, neque magnum aliquid ſe à Venetis conſecuturum cerneret; invitationem hanc à ſe rejecit, firmitérque perſtitit in Cameracenſi fœdere, cum Gallis inito. Neque defuit fortuna bello. Nam à Gallis occupata eſt Mutina,

Bellum Venetum à Cæſare & Gallo proſpere continuatur. *Auctores iidem.*

Concordia, Mirandula, & Bononia: à Cæſareis receptum eſt Cadubrium, Gradiſca, totúmque forum Julium. Quin & initio ſequentis anni exercitus Germano-Gallicus duas inſignes victorias ab hoſte retulit: unam die 18 Februarii in expugnatione Brixiæ ſive Breſciæ, quæ proditione ſuorum civium in partes Venetorum ierat: alteram die 11 Aprilis*in conflictu prope Ravennam habito, in quo ex Hiſpanis Venetorum ſociis feruntur cecidiſſe ad novem millia.

Spond. ad hunc annũ. Coccinius loc. cit. Palat. in aquil. Auſtr.

Hæc inter in vicinia noſtra vitam hoc anno finiit Bernardus Comes de Lippia, Simonis quondam Epiſcopi noſtri germanus frater; vir ùt bello ſtrenuus, ità etiam de re Catholica ac diverſis Religioſorum domiciliis præclarè meritus. Permiſit hic Patribus Franciſcanis de ſtrictiore Obſervantia, ut in urbe ſua Lemgovienſi Monaſterium ſtruerent: reſtauravit cœnobium Virginum in urbe Lipſtadienſi: condidit Monaſterium Canonicorum Regularium S. Auguſtini in oppido Blombergenſi: obiit annorum octoginta duorum ſenex die 2dâ Aprilis, & ex Anna Schawenburgica Conjuge ſua poſt ſe reliquit ſex liberos, videlicet Bernardum Colonienſis Eccleſiæ Canonicum, Simonem Comitem ſucceſſorem ſuum, & quatuor filias.

Die 2dâ Aprilis moritur Bernardus Comes de Lippia. *Chytræus in Saxonia ad hunc annum. Piderit. in Chron. Lipp.*

Lippienſem poſt quinque menſes in viam æternitatis conſecutus eſt Wilhelmus Comes de Ravensberg, Juliæ & Montium Dux, defunctus Düſſeldorpii die 6. Septembris. Huic Monachi Altenbergenſes inſigne elogium tribuunt, vocántque *Monaſterii ſui * cordialiſſimum Patrem, in omnibus adverſitatibus ſuis protectorem vigilantiſſimum, quique toto tempore ſui regiminis admirabili quâdam & propè Divinâ uſus prudentiâ, rempublicam ſuam continuâ pace gubernárit, auxerit, ac defenſârit.* Præfuit à morte Patris annis triginta ſex, & è Sibylla Brandenburgica uxore ſua tantùm unicam reliquit filiam Mariam; quæ anno ſuperiore, die primâ Octobris, Joanni III Clivorum Duci conjugata, eidem Juliæ ac Montium terras cum comitatu Ravensbergenſi in dotem attulit. Corpus ejus, utì vivus juſſerat, ad monaſterium Altenbergenſe deportatum, ibi-

die 6tâ Septembris moritur Wilhelmus Comes Ravensbergenſis, Juliæ & Montium Dux. *Chytræus ad hunc an. *Jongelin in Not. Abbat Ciſtert. de Monaſt. vet. Montis pag. 26.*

dém-

démque in Sacello Principum singulari pompâ tumulatum est, appositio hoc epitaphio: Ejus Epitaphium. *apud Jongelin. loc. cit.*

Anni milleni, quingenteni quasi pleni,
Unius ac deni, rapidi prope flumina Rheni,
Düsseldorp urbe, gemitu tamen haud sinè turbæ,
Septembris mensis die sextâ, Juliacensis
Terræ ac Montensis Dominum succiderat ensis
Mortis falcatus WILHELMUM: tempore natus
Qui multùm tardo fertur genitore Gerardo,
Ducisque piâ generosâ Matre Sophiâ etc.

De rebus ad nostram Diœcesin pertinentibus nihil aliud ex veteribus monumentis eruderare licuit, quàm hæc duo tantùm: Primum est, quòd hoc anno Ericus Episcopus noster, collectis Nobilium ac satellitum suorum turmis, in Corbejense territorium involârit; evastatisque tribus * pagis, *Ottberga*, *Godelhemio*, *et Ovenhusio* cum abreptis hominum agrestium spoliis in Diœcesin nostram se receperit. Cur autem id ab eo factum, & quâ injuriâ ad hoc audendum provocatus fuerit, nemo veterum scriptorum tradidit. Alterum est, quòd idem Episcopus contributiones publicas, annorum præcedentium decursu pro bello Veneto imperatas taxatásque solvere, pertinaciter detrectârit. Quâ de causâ etiam in Imperiali Camerâ lis eidem intentata, ac tandem eò usque perducta est, ut & ipse, & ambæ Diœceses ejus, propter hujusmodi recusationem, in pœnam Banni seu minoris * & majoris proscriptionis incidisse declarati fuerint. Sed hanc maculam, quâcunque demum ex causâ ortam, sequenti anno in comitiis colonienſibus iterum absterſit, uti videbitur suo loco.

Ericus Episcopus Paderborn. hostiliter invadit agros Corbejenses. * *Erbenius in Chron. Huxar. apud Paull.* Recusavit solvere contributiones imperatas pro bello Veneto, ideoque mulctatur pœnâ Banni. *Ex Literis Archiv. Osnabrug.* * *germanicè*, die acht und oberacht.

Annus Christi 1512.

Julii II. Pontificis	9. & 10.
Maximiliani I. Imper.	19. & 20.
Erici Episcopi Paderborn.	4.

ANnus hic admodum celebris & illustris fuit à comitiis, Augustæ Trevirorum habitis, inchoatisque die 11. Aprilis, in festo Paschatis. Præter Maximilianum Imperatorem convenerunt illuc è præcipuis Imperii Principibus, Uriel Archiepiscopus Moguntinus, Richardus Archiepiscopus Trevirensis, Philippus Archiepiscopus Colonienſis, Ludovicus Elector Palatinus cum suo fratre Friderico, Georgius Episcopus Bambergensis, Wilhelmus

Maximilianus Imperator celebrat comitia Trevitis, magnâ Principum frequentiâ. *Trith to 2. chron. hirs. Brower in Ann. Tr.*

mus Episcopus Argentinensis, Hugo Episcopus Tullensis, Fridericus Marchio Brandenburgensis cum suo Filio Casimiro, Udalricus Dux Würtembergensis, Ericus Dux Brunsvicensis, Joannes Comes Palatinus in Spanheim, Christophorus Marchio Badensis cum Ernesto & Philippo filiis, Itelius Fridericus Comes de Zolleren, Wilhelmus Comes de Fürstenberg, Ludovicus Comes Nassovio-Saêrburgensis, & alii Comites viginti sex. His accedebant Legati & Oratores, Ludovici Regis Galliæ, Henrici Regis Angliæ, Sigismundi Regis Poloniæ, Joannis Regis Navarræ, Friderici Electoris Saxoniæ, Joachimi Electoris Brandenburgici, Wilhelmi Ducis Bavariæ, Joannis Ducis Clivensis, Alexandri Ducis Bipontini, Wilhelmi Hassiæ Landgravii, aliorúmque plurium Episcoporum ac Principum, quorum nomina hìc sigillatim recensere, nimìs prolixum foret.

Ejus jussu ibidem quæritur & invenitur toga Christi, & multæ aliæ reliquiæ sacræ, *puta ab anno 1218. *Trithem. & Brower. loc. cit.

Cùm verò tardiùs advenirent antè dicti Principes & Legati, Cæsarem cupido subiit videndi togam Christi Domini, quam audiêrat, ibidem in Cathedrali templo sub ara maxima custodiri, neque ab annis * propè trecentis ostensam esse. Itaque feriâ quartâ infra diem solennem Paschatis altare majus præsente Cæsare *apertum est, inventæque sub eo tres arculæ. Una ad cornu dexterum, ex ebore & peregrino ligno scitissimè concinnata, quæ sitúmque thesaurum continens, cum hac inscriptione: *Hæc est inconsutilis toga Domini et Salvatoris nostri JESU Christi*: insigne donum S. Helenæ Imperatricis, quæ togam hanc ex itinere Hierosolymitano Treviros adduxisse creditur. Altera ad cornu sinistrum exhibebat reliquias varias, de veste B. MARIÆ Virginis, de fasciculis Christi infantis, de sepulchro & columna Domini, de S. Paulo Apostolo, aliísque Sanctis ac Martyribus. Tertia, in medio altaris posita, continebat corpus S. Materni * Trevirensis Episcopi, cum argenteo nummo, cui inscripta erant hæc verba: *sanctus Maternus*.

*fuit Discipulus S. Petri Apost.

Ad videndam togam Domini confluit ingens multitudo hominum; & cũ iis simul intrat in urbem lues contagiosa. *Auctores iidem.*

Rei novitas, rumore cognita, excivit illico multorum absentium desideria. Quorum petitioni concedi debuit, ut sacratissima Toga Domini ostenderetur publicè; eámque in rem constitueretur dies tertia Maji, quâ S. Crucis inventionem anniversariâ recordatione colit Ecclesia. Ex ea die thesaurus iste nobilissimus in Cathedrali templo primùm ostensus est Principibus congregatis, deinde & aliis hominibus per plures dies & hebdomadas: dicíque non potest, quàm innumera multitudo populi, tam insuetæ exhibitionis ac devotionis causâ, Treviros confluxerit. Cum iis tamen (id quod æstivo tempore in tanta hominum constipatione facillimè fit) simul in urbem ingressa est contagiosa lues; quæ &

Cæ-

Cæsarem Principésque compulit, comitia jam incepta solvere, & ea Coloniam ad salubriorem aërem transferre. Ex itinere paululùm declinavit Cæsar ad Monasterium Epternacense in Ducatu Luxemburgico; ubi ad reliquias Divi Sebastiani, pestiferorum patroni, devotissimè obtulit ingentem cereum* *trecentarum et sexaginta librarum*, qui etiamnum ibidem visitur. Diameter istius cerei complectitur pedem unum, altitudo verò pedes duodecim; insistítque basi ligneæ, cui inscripta sunt hæc verba: *Hunc cereum, CCCLXIIII librarum, anno Domini MDXII. Epternaci in Imperiali Monasterio S. Willibrordi, S. Sebastiano in persona dicavit Maximilianus Romanorum Imperator.*

Atque ideo comitia transferuntur Colon. *auctores idem.*

Bolland. to. 2. Ss. Januarii, in appendice pag. 1138, & seq.

Cæsar in itinere Epternacum veniens, offert ingentē cereum, librarum 364

Epternaco (ùt opinor) discessum est Coloniam Agrippinam, ad aperienda ibidem comitia, Treviris avocata. In iis Regnum Germaniæ divisum in decem circulos: recessum ab inito fœdere Gallico, Cæsari & suis noxio: repudiata auctoritas Pisani conciliabuli, anno superiore contra Pontificem convocati: missus ad Romanam Curiam Matthæus Episcopus Gurcensis, ut ibidem tractaret pacem cum Pontifice; quæ &, exclusis Venetis, cum Imperatore inita, & Romæ die 25 Novembris *in Ecclesia S. MARIÆ de populo* solenniter promulgata est. Denique & inter Imperatorem, Hispanum, & Henricum VIII Angliæ Regem, novum belli fœdus eâ lege percussum fuit, ut omnes uno impetu in Gallum irent, ejusdémque vires & arrogantiam coërcerent. Quo audito miles* Gallicus, dum ab omni parte se derelictum cerneret, Italiam ferè totam quantocyus deserere; & Mediolanensem Ducatum Maximiliano Sfortiæ, Ludovici Ducis in Gallicano carcere defuncti filio, rursum permittere coactus est.

In comitiis Colonienſibus imperium dividitur in 10 circulos, & alia multa utiliter fiunt.

Trithem. l. 2. chron. Hirs. Chytræus l. 6. Saxon. Surius in comment. Palat. & alii

Galli Italiā deserunt, & coguntur Mediolanensem Ducatum relinquere Maximiliano Sfortiæ.

Palat. in Aq. Austr. pag. 238, n. 156.

In iisdem comitiis Colonienſibus hujus anni, Ericus Episcopus noster demisse ad Cæsarem venit; præsentéque pecuniâ numeravit eidem omnes contributiones, præcedentium annorum decursu pro bello Veneto imperatas, & nondum persolutas: humillimè simul orans, ut Cæsarea Majestas excusationem à se prætentam admittere; pœnásque omnes, à se suísque Diœcesibus incursas, clementissimè tollere ac relaxare velit. Id quod etiam in iisdem comitiis factum & impetratum esse, declarant publicæ ejusdem Imperatoris* tabulæ, Erico traditæ, quarum finis est: *Datum in nostra et sacri Imperii civitate Colonia, die vicesimâ primâ mensis Augusti, Anno à Nativitate Christi millesimo quingentesimo duodecimo: Regnorum nostrorum, Romani vicesimo septimo, et Hungarici vicesimo tertio.* Multùm verò ad eam Cæsaris benevolentiam experiendam contulêre Papales literæ, Kalendis Maji ex urbe Romana

Ericus Episcopus & ejus Diœceses absolvuntur à pœna Banni Imperialis, commendante Julio Pontifice.

ex arch. Cath. Eccl. Osnabrug.

*Ex literis archiv. Paderb.

*datæ; per quas Ericus Episcopus, omniáque ad ejus causam pertinentia, Maximiliano Cæsari magnopere commendata fuerant.

Ericus Episcopus Paderborn. curat imprimi novũ Breviarium Paderbornense.

Ceterùm & hoc anno suprà dictus Præsul singularem suî laudem promeritus est accuratâ ordinatione officii ecclesiastici. Audierat ille pridem sub initium Episcopatûs aditi, Horas Canonicas à quibusdam Clericis nostræ Diœcesis recitari ex quibusdam laceris mutilísque chartis, indéque fieri, ut eæ sœpius non modò plurimùm detruncentur; sed etiam in una eadémque Ecclesia à diversis Clericis diversimode ac difformiter persolvantur ex defectu Breviarii Diœcesani. Itaque ut huic ordinationi confusioníque succurreret; pro Episcopali sollicitudine sua novum Breviarium excudi jussit cum hoc titulo: *Breviarium Diœcesis Paderburnensis, sumptibus Reverendi in Christo Patris et Domini, D. ERICI, Osnabrugensis et Paderburnensis Ecclesiarum Episcopi, de communi Capituli sui Venerabilis Ecclesiæ Paderburnensis consensu noviter exaratum, ab omnibus Clericis Beneficiatis in Diœcesi Paderburnensi inviolabiliter observandum.* Simúlque sub pœna excommunicationis districtè sanxit, ut, quàm primùm novus ille Horarum Canonicarum liber è prelo venerit, omnes illum quantocyus emere, atque ad suos usus comparare studeant. Edictum Episcopale, hac de re editum *ac promulgatum, ità sonat:

*Edictum hoc insertum est isti Breviario sub initiũ.

ERicus, *Dei et Apostolicæ sedis gratiâ Ecclesiæ Paderburnensis et Osnaburgensis Episcopus, Dux Brunsvicensis etc. Dilectis nobis in Christo Clericis universis nostræ Paderburnensis Diœcesis salutem in Domino sempiternam. Quoniam omnia, in hoc transitorio seculo agenda, confusè et indeterminatè aguntur, si sinè debito peraguntur ordine: profectò juxta sanctorum Patrum instituta, ac sanctæ et Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ordinationem, in Divinis Horis Canonicis dicendis et legendis non solùm devotionem et attentionem; sed etiam debitum ordinem, secundùm temporum varietatem et diversitatem Sanctorum sub gravibus peccatis Clericis oportere observare præcipitur. Sanè, sicuti ad nostram veridicam pervenit notitiam (quod dolenter audivimus) sunt nonnulli Clerici dictæ nostræ Diœcesis, qui enormiter syncopando legunt Horas Canonicas: alii, unius etiam oppidi, et unius etiam Parochialis Ecclesiæ Clerici, disformiter et differenter persolvunt hujusmodi Divinum officium: alii ex chartulis defectuosis et truncatis dicere Deo Canonicas non verentur Horas. Cùm itaque ex debito nostri officii et Pastoralis dignitatis nobis incumbat, quòd saluti animarum nostrorum subditorum, maximè Clericorum, prospexe nostro diligentiùs intendamus; vestigiis felicis recordationis quondam Domini Bernardi Episcopi, dum viveret, dictæ Paderburnensis Ecclesiæ, nostri prædecessoris, inhærentes, visum est nobis necessarium, ut defectibus illis in præfata nostra Diœcesi opportunè et salubriter occur-*

occurramus. Et ut uniformitas et æqualitas in Divinis officiis et Horis Canonicis legendis et dicendis in præfata nostra Diœcesi existat; et ut illa tam in præcipuis solemnitatibus et Sanctorum festivitatibus, quàm ferialibus diebus, decentiùs et honorificentiùs per anni circulum observetur: de consilio et assensu dilectorum nobis in Christo, Decani, Archidiaconorum, et Canonicorum ejusdem Ecclesiæ nostræ Paderburnensis, ordinamus, statuimus, et districtiùs sub excommunicationis et anathematis pœna præcipimus et mandamus, ut unusquisque Clericorum secularium sæpe dictæ nostræ Diœcesis, infra unius mensis spatium post præsentium synodalem publicationem, et postquam beneficium aliquod Ecclesiasticum consecutus, vel ad sacros Ordines promotus fuerit; proximè sequens Breviarium, nostris impensis impressum, pro uniformi debita observantia, in dicta nostra Diœcesi æqualiter tenenda et habenda, sibi comparare et emere studeat et procuret: et secundùm illud, et ordinationem in eo annotatam, per anni decursum tam circa festa mobilia, quàm Sanctorum festa pro qualitatibus temporum occurrentia, in horis Canonicis dicendis, legendis, et persolvendis se regat, nisi propter varietatem temporum, in futuris synodis, circa aliqua festa aliter fuerit ordinatum et statutum. Noluimus tamen per hujusmodi ordinationem et statutum, nostræ Majoris et aliarum Collegiatarum Ecclesiarum ejusdem nostræ Diœcesis Prælatos, Canonicos, et Clericos, quibus in hoc deferimus, ad prælibata Breviaria comparanda, aut secundùm ea Horas Canonicas legendum, cantandum, aut dicendum, aliquatenus fore adstrictos: cùm in illis Ecclesiis, ex bonarum mentium et fidelium ordinationibus, nonnulla reperiantur festa statuta, extra ordinem prætactum per anni decursum servari solita. Datum Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo, die quidem tertiâ mensis Januarii, nostri Officialatûs Curiæ nostræ Paderburnensis sub sigillo majori, quo ad hæc in præsentiarum utimur.

Annus Christi 1513.

JULII II. Pontificis	10.
LEONIS X. Pontificis	1.
MAXIMILIANI I. Imper.	20. & 21.
ERICI Episcopi Paderborn.	5.

Rex Galliæ novo fœdere cum Venetis inito, remittit suos in Italiam. *Spond. hic n. 5. Palat. in Aquil. Austr.*

POstquam Imperator sub anni prioris exitum pepigisset pacem cum Pontifice, rursum Veneti in societatem armorum coëunt cum Rege Galliæ: unde huic spes nova rediit ad Ducatum Mediolanensem, à Maximiliano Sfortia jam insideri teneríque cœptum. Itaque rursus viginti Gallorum millia in Italiam abire jussa: primáque eorum impressio

pressio facta est in urbem Novariam, ubi Sfortia cum quatuor Helvetorum millibus agebat in præsidio. Obsessis addebant animos novæ Helvetorum copiæ propediem adfuturæ: ideóque ad omnes obsidentium terriculationes tam erant imperterriti, ut, ubi mœnia tormentis fracta jam patescerent, cum opprobrio suos hostes ad assultum invitârint, sola quædam detrita lintea murorum hiatui prætexentes. Quo viso Galli, murum subire veriti, ad plura stadia recesserunt; atque ità viam dederunt Helvetis in propinquo exspectantibus, ut aliquot suorum millia in urbem intromitterent. Et hi deinde uno impetu in hostium castra* prorumpentes, brevi tempore celeberrimam ab iis victoriam retulêre, cæsis ex parte Gallorum decem & ampliùs eorum millibus, ex parte autem Helvetorum mille trecentis tantùm. Peractâ clade, quæ teste Spondano contigit die 6. Junii, Helveti cum Cæsareis & Hispanis in unum belli corpus conjuncti: Galli Italiâ ferè totâ rursum exacti: Veneti multis urbibus exuti, itâque territi, ut vix Patavium Tarvisiúmque à fœderatorum armis tutari potuerint.

*Galli ingenti clade cœduntur ab Helvetis in Italia. *Surius ad hunc annũ. Spond. & Palat. loc. cit.*

At priusquam ille Gallorum exercitus in Italiam se infudisset, Julius Papa fatali necessitate à ciendis bellis desistere didicit, utpote extinctus Romæ die vicesimâ primâ Februarii, multásque molitiones & consilia militaria suo secum sepulchro contumulans. Successit in ejus locum Joannes de Medices, electus die 11. Martii, dictúsque postmodum Leo decimus. Is, ubi Cardinales conciliabuli Pisani assecias, eorúmque fautorem Galliæ Regem, à vinculo anathematis absolvisset; nihil industriæ prætermisit, ut Cæsarem inter ac Venetos concordiam pacémque restauraret. Sed, cùm hi, superbis Gallorum pollicitationibus deliniti, consiliis omnibus aurem occluderent, nisi eâ pace Vicentiam ac Veronam, urbes à Cæsare captas reciperent; utrimque bellum ardore maximo resumptum est. Quanquam id non sinè magno Venetorum infortunio. Nam eorum exercitus paulò post, die septimâ Octobris, novo atrocissimóque prælio ab Hispanis & Cæsareis ità obtritus est prope Vicentiam, ut occisis eorum quinque vel novem millibus (prout Scriptores inter se variant) tota castra cum signis, impedimentis, pulvere, tormentísque militaribus in Cæsareanorum potestatem venerint.

Julius II. Papa moritur, cui succeditLeo X. *Spondan. Trith. in chron.hirs.*

Veneti magnâ clade sternuntur ab Hispanis & Cæsareis prope Vicentiam. *Spondan. n. 11. hìc. Surius & Trith. ad hunc annũ. Palat. in Aq. Austr.*

Longè fœdior his bellis erat atrocissima seditio civium, quæ sub initium hujus anni consurrexit Coloniæ Agrippinæ. Murmuraverunt hîc aliqui Cives, urbem suam premi nimiis pecuniarum exactionibus, eásque non converti in usus publicos; sed in privata quorundam Senatorum commoda. Ea res cùm facilè inveniret aurem fidémque multitudinis; irritata plebs pridie trium

Seditio gravissima Civium Colonienſium contra Magistratum urbicum.

Regum

Regum insano motu concurrit ad Prætorium, ibidem clamans & vociferans: *ubi sunt nequissimi isti, qui tam immodicis pecuniis nos emungunt? veniant ocyùs; et nobis omnium, tam acceptorum, quàm expensorum, rationem reddant!* Consternati Senatores jubent illico, duos ex ordine suo in apertum progredi, qui lenioribus verbis plebem demulceant; promittántque, operam se daturos, ut eorum votis ac desiderio satisfiat. His auditis paululùm conquievit & abscessit populus. At altero die, qui erat Ss. trium Regum, furore novo concurrit iterum ad Prætorium. Cúmque ibidem comperisset, Senatorum plures populari ferociâ territos ad curiam non venisse; continuò cœpit eos in alicujus culpæ suspicionem trahere: inde in omnes urbis plateas ruere, concursare domos, visitare cubicula, perquirere omnes domorum angulos; &, quotquot Senatorum Consulúmve domi reperit, in custodiam deturbare. Ex his in foro *fœnario, die decimâ Januarii, caput ense abscectum est Theodoro de **Spitz**/ die duodecimâ Joanni de Berchem, die decimâ tertiâ duobus Consulibus Joanni **von Reidt** & Joanni Oldendorpio, die decimâ quintâ tribus aliis Senatoriæ dignitatis viris, Petro **Rott**/ Francisco **von der Linden**/ & Bernardo **Eyß**. Præter hos, teste Chytræo, alii sex inferioris ordinis in furcam acti, alii ab urbe proscripti exilióque perpetuo mulctati sunt, judicio planè tumultuario, & exemplo tam fœdo ac barbaro, ut vel ipsorum Thracum aut Scytharum truculentiam superet. Plures aliæ, sed non adeò præcipites ac sanguinariæ seditiones, eodem ferè tempore coortæ sunt in aliis Germaniæ civitatibus, puta Aquisgrani, Novesii, Antenaci, Spiræ, Wormatiæ, Ratisbonæ, Brunsvici, & alibi. Unde vides, quàm periculosus eo tempore dominatus fuerit multarum urbium: utpote in quibus plebs, & civium plebejorum vulgus, plerumque magìs imperitabat Senatoribus, quàm Consules & Senatores civibus. Ex hoc autem præpostero dominandi modo, heu! quàm execrandæ confusiones, haud multò post, per universam penè Germaniam consecutæ sunt? Certè, quòd inaudita priùs Lutheri & Calvini dogmata ferè in omnes Germaniæ urbes tam repentino diluvio diffusa fuerint; id nulli alteri causæ adscribi potest, quàm turbulento plebis dominatui, quæ abjectâ Episcoporum ac Magistratuum suorum auctoritate, sequioris Evangelii præcones in ecclesiarum parochialium cathedras violentis manibus intromisit.

Surius in comment. Truh. l. 2. chron. hirs. Chytræus ad hunc annum. Chron. Tremon. ms.

*furiosa cædes Consulum & Senatorum. *Auctores iidem.*

Plures aliæ seditiones Civium in aliis urbib⁹. *Auctores iidem.*

De rebus nostræ Diœcesis nihil hoc anno ex literis antiquis proditum, quàm quòd *Breviarium Paderbornense*, jussu Erici Antistitis nostri excudi cœptum, hoc anno tandem è Lipsiensi prelo in lucem venerit, uti monstrant hæc verba in fine ejusdem additæ:

Breviarium Paderbornense, ab Erico Episcopo edi jussum hoc anno perfi- citur.

dita: *Impressum* Liptzick *per Melchiorem Lotterum Anno Domini MDXIII.* In præfatione hujus Breviarii præmisit Episcopus utilissimam instructionem pro quovis Clerico; pulcherrimèque docet, quomodo ad Horarum Canonicarum recitationem accedere, seséque ad eam comparare debeat: *Omnis Beneficiatus*, inquit, *animum suum ad debitè orandum præparet, varias cogitationes prorsus abjiciat, inter orandum colloquia, risus, et jocos non admisceat, canibus bestiisque ceteris non intendat, locum devotioni aptum eligat et omni impedimento vacuum. Non gratiâ humanæ laudis accedat; sed rectâ et bonâ intentione, in Dei laudem, officii satisfactionem, meriti augmentum, et benefactorum suffragium singulariter intentus. Initiando denique se signo sanctæ crucis muniat, orationem Dominicam cum salutatione Angelica præmittat, ut ei Divina gratia, quo mens in Dei laudem devotiùs elevetur, et obsequium creatori acceptabilius reddatur, assistat. Legendæ igitur sunt Horæ canonicæ intellectualiter cum cordis attentione, affectualiter cum mentis devotione, integraliter cum distincta oris expressione, venerabiliter cum reverenti gestu corporis et animæ, congruenter locis et horis statutis. Psallentibus, inquit S. Bernardus, Angeli sancti adminiceri dignantur. Ea propter eorum debemus attendere præsentiam, cùm stamus ad orandum aut psallendum, et stare cum omni reverentia, et illa crebriùs intendere versibus:*

Cum Domino psalles, psallendo tu tria serves:
Dirige cor sursum, profer bene, respice sensum.
Tunc orantur Horæ, cùm corde leguntur et ore.

*nunc Leipzig.

Instructio pro devota Breviarii recitatione, in eodem addita.

Non dubito, quin Ericus Episcopus etiam ipsémet in decursu Officii diurni talem se exhibuerit, quales alios nostræ Diœcesis Clericos in hoc orandi genere inveniri voluit. Qui enim alios fructuosè adhortari, atque ad bonum aliquod accendere cupit; necesse est, ut semetipsum priùs ad hoc bonum incitet, & aliis præclaro exemplo præeat. Certè manuscriptum Osnabrugense Chronicon apertè asserit, Ericum ab exordio sui Episcopatûs in recitandis Horis fuisse perassiduum; solitúmque, eas quotidie cum duobus Aulæ Capellanis legere. An autem & ultimis vitæ annis devotum illud orandi studium pari sedulitate & industriâ continuârit; non ausim pro certo dicere: cùm antedictum Osnabrugense Chronicon eodem in loco addat, eum denique, à Philippo Hassiæ Landgravio seductum, languidiùs orâsse; vel etiam quandoque penitus à peragendo Horarum Canonicarum penso destitisse.

Ericus Episcopus in orandis Horis erat admodum assiduus.

Obiit & hoc anno, die Mercurii tertiâ Augusti, Ernestus Archiepiscopus Magdeburgensis, & Ecclesiæ Halberstadiensis Administrator, Ernesti quondam Saxoniæ Ducis & Electoris filius.

Ernestus Archiepiscop. Magdeburgensis & Ad-

De

De ejus laudibus multa reperiuntur in ambarum Diœcesium fastis, ex quibus duo potissimùm excerpere volui. Primum est, quòd in utraque Diœcesi nunquam à suis subditis* pecuniariam præstationem exegerit, nisi in primo regiminis ingressu; neque tunc à singulis capitibus in recognitionem signúmque subjectionis postulaverit plus, quàm unum, ùt appellabant, nummum Schreckenbergicum. Alterum est, quòd colonos & rusticos nunquam onerari voluerit* servitiis vecturísque extraordinariis. Atque ideo, cùm prope Halam* Saxoniæ inchoâssetarcem Mauritzburgensem, audiísétque postea, se absente multos rusticos à Præfecto Gebingensteiniano ad convehendos lapides & ligna compulsos fuisse; jussit illum vocari ad se, verbísque severissimis eum ità adortus est: *Quis imperavit tibi, ut me absente subditos meos astringeres ad insueta servitia? nolo maculam hanc aspergi meo nomini! vade protinus, colonos illos convoca, pretium omne vecturarum iisdem solve usque ad extremum assem: et certus esto, structuram hanc meo solius sumptu; non autem subditorum meorum sudore vel sanguine staturam esse.* Pari modo etiam peracto consummatóque ædificio* dixisse fertur: *Si scirem, in ædificium hoc vel tenuem obolum à meis subditis collatum esse, vel aliquid servitii et laboris præstitum, pro quo non fuerit repensa merces laboranti debita; mallem illud sus déque vertere, quàm ejusmodi notam meo nomini inustam ferre.* Sepultus est Magdeburgi in æde Cathedrali: & successorem in utroque Episcopatu habuit Albertum Brandeburgicum, Joachimi I. Electoris fratrem; qui & anno sequente ad septemviralem dignitatem venit in Ecclesia Moguntina.

minister Halberstad. moritur.

*Chytræus l. 6. saxon. ad hunc ann & alii

*Chron. Halberstad ms.

*idem chron. ms.

*Hall in Sachsen.

*Libellus germanic⁹, describens Cathedr. Ecclesiam Magdeb.

Successit Magdeburgi & Halberstadii Albertus Brandeburgicus.

Annus Christi 1514.

LEONIS X. Pontificis 1. & 2.
MAXIMILIANI I. Imper. 21. & 22.
ERICI Episc. Paderborn. 6.

SEptimus hic annus erat belli Veneti: sed rursus admodum infelix Venetis. Nam initio noctis inter undecimam ac duodecimam Januarii, Venetiis in frequentissima urbis regione consurrexit feralis flamma: quæ adjuvante ventorum inclementiâ, dextrorsum ac sinistrorsum tam insolito furore ac velocitate sæviit, ut intrà paucas horas innumeræ ædes ac Basilicæ in cineres ac favillas ierint. Neque hîc finis fuisset malo, per totam noctem continuato, nisi Andreas Grittus, primariæ Nobilitatis vir, initio sequentis diei cum ingenti fabrorum & operariorum turba advolâsset; mandâsséque domos

Grauissimũ incendium Venetiis. *Palet. in Aq. Austr. Surius in comment. Jovius l. 12 Histor. & alii.*

mos omnes, quæ ardentibus propinquæ erant, festinato labore in terram detrahi. Jacturam hanc brevi consecuta est eorundem Venetorum clades bellica. Obsederant illi Muranum oppidum, haud procul à Venetiis in insula situm, quod in fine superioris anni à Cæsareis interceptum erat. Repulsi sœpius cum ingenti suorum detrimento, parabant abscessum: sed eventu improspero. Dum enim reductis impedimentis ad suas naves classémque vicinam se reciperent; inopinatò vident eam propter aquæ & maris refluxum *in sicco stare. Quo animadverso, Cæsareus miles magno impetu ex oppido erupit, fugitivos invasit, in classem irruit, occupatísque Venetorum triremibus, non pauca signa tormentáque militaria in prædam abstulit.

Veneti à Cæsareis cæduntur prope Muranum.

*Palat. in Aq. Austr. pag. 252.

Hísce casibus fatigati quieverunt hoc anno Veneti. Neque etiam Cæsar singulare aliquid egisse visus est adversùs ipsos: tum quia ei plus animorum erat ad prosequenda bella, quàm pecuniarum ad conducendos alendósque milites: tum quia consilia belli vertebant se per mortem Annæ Francorum Reginæ, die 9. Januarii è vivis evocatæ. Hac enim occasione Henricus VIII. Angliæ Rex ab Hispano Cæsareóque fœdere abstractus est, Ludovico Galliarum Rege *Mariam sororem ejus in thori sociam expetente. Et nuptiæ quidem die 9. Octobris peractæ sunt Abbavillæ in Picardia; sed magno sponsi jam veterascentis malo: nam, ùt ait *Palatius, *dum novæ nuptæ amoribus* (quæ tantùm octodecim annorum puella erat) *præter ætatis et infirmæ valetudinis rationem plusculum indulgeret*, febri corripitur, & in ipso ingressu anni sequentis, die 1. Januarii, celeriore fato uxori simul & rebus humanis valedicit.

Henricus VIII. Angliæ Rex recedit à fœdere Cæsareo & Hispanico.

*Surius ad hunc ann. Spondan. & alii.

*Palat. in Aq. Austr. pag. 252. n. 179.

Interim & hoc anno ex Imperii Principibus decessit Uriel Archiepiscopus Moguntinus & nostræ Diœcesis Metropolita; quem alii tertiâ, alii undecimâ, alii verò *nonâ Februarii* (prout in ejus epitaphio legitur) huic seculo subtractum volunt. In hujus locum, die 9. Martii, unanimi Canonicorum suffragio postulatus est *Albertus Brandeburgicus, ejusdem Ecclesiæ Canonicus; quem & anno superiore ad Magdeburgensem & Halberstadiensem insulam perveniisse diximus. Virum hunc ad eam dignitatem quasi fictum factúmque fuisse, non falsò dixerim. Erat enim singularis amator statûs Clericalis: cujus incensissimo desiderio per quadragesimam anni superioris (priusquam ad ullas infulas postulatus esset) Presbyterium suscepit, atque in octava Paschatis * Berolini publicè ac solenniter Missam decantavit, nondum expleto ætatis anno vicesimo tertio. Exinde singulis diebus in capella, ab ejus fratre Joachimo I. præparata, cum aliis octo sacerdotibus Divinum offi-

Uriel Archiepiscop. Moguntin. moritur: cui succedit Albertus Brandeburgicus.

*Serar. l. 5 rerum Mogunt.

*Trith. to. 2. Chron. Hirs. ad ann. 1513.

*officium devotissimè peregerat, usque dum ad sacras insulas admotus esset, uti refert Joannes Trithemius, in aula Brandenburgensi cum primis notus. *Trithem. ibidem.

Triste rursus, & vel ipsis barbaris execrandum facinus hoc anno vidit Westphalia in Conrado Comite Tecklenburgico. Is enim, ut ante diem regeret, præposterâ dominandi libidine inflammatus, Ottonem patrem suum nefariè trusit in carcerem. Qua de re cùm acerbissimè quererentur boni omnes; ejusdem Conradi Soror, Comiti Bronckhorstiano nupta, Procerum vicinorum aulas pientissimè imploravit, ut captivo patri repentinum auxilium ferrent. Convenerunt igitur Monasterienses & Paderbornenses Episcopi, simúlque Comites Oldenburgenses, Lippienses, Ritbergenses, & Schawenburgenses, hominémque impium in suo castro Tecklenburgico minis & armis ità pressérunt, ut Ottonem patrem è vinculis relaxare, & gubernationi pristinæ restituere compulsus fuerit. Neque tamen id erat primum impietatis exemplum in hac familia. Nam & idem hic Otto Comes paulò antè Nicolaum fratrem, & idem ille Nicolaus ante annos non multos Nicolaum patrem in vinculis attinuerat.

Otto Comes Tecklenburgic⁹ à Conrado filio suo conjicitur in vincula. *Chytræus ad hunc annum. Hamelmann in appendice Chron. Osnabr. pag. 643.

Sed iterum è vinculis eripitur à vicinis Episcopis. *Auctores iidem.

Prodiit & aliud hoc anno scelus hominum, longo tempore in latrociniis aliísque horrendis flagitiis versatorum. Præcipui ipsorum duces fuêre tres fratres Westphali, in oppido Lunensi geniti. Quorum unus, cùm in homicidio prope Hammonam facto comprehenderetur, sinè mora fassus est, multa alia hujusmodi homicidia à se suísque duobus fratribus communi studio perpetrata esse: quin & incestuosos coitus cum propria matre ab iisdem habitos; &, si quas alias mulieres in abstrusioribus locis corripuerint, easdem violenter à se vitiatas, & peracto scelere jugulatas. His enuntiatis, etiam alii duo fratres in diversis Westphaliæ partibus comprehensi. Primúsque eorum, qui triginta quatuor homicidia confessus fuerat, Hammonæ quadrifariam dissectus est: alter, qui septuaginta quinque cædes perpetraverat, Paderbornæ apud nos; ac tertius, qui similiter non parvam hominum multitudinem trucidârat, apud Unnam in comitatu Marcano gravissimis suppliciis facinorum suorum pœnas exsolvit. Iidem & alios quosdam Liinenses oppidanos, flagitiorum suorum socios, prodidêre; qui similiter prope Unnam oppidum *feriâ secundâ post Dominicam in albis* crurifragio plexi, ac deinde in rotam acti sunt. Nullúsque ex numero eorum fuit, qui non quinque, vel septem, vel etiam viginti quatuor homicidia commisisset; uti per bacillos, ex rotis eorundem pendulos, commonstratum esse, refert* Westhovius. Potissimùm verò scelerata hæc latronum societas desævierat

Detecta etiam societas quorundam latronum, qui diu plurimos occiderunt in Marcano comitatu Westphaliæ. *chron. Tremon. mſ.

*Westhov. in Chron. Tremon. mſ.

vieratin viatores exteros, peregrinis ex urbibus adventantes: eáque res multis annis occulta manſit, quòd ab iis hominum occiſorum corpora prope villam ſeu diverſorium (cui nomen *Birckenbaum) in profundum puteum conjecta eſſent.

*diverſoriũ inter Lũnam & Hammonã.

Annus Chriſti 1515.

LEONIS X. Pontificis 2. & 3.
MAXIMILIANI I. Imper. 22. & 23.
ERICI Epiſcopi Paderborn. 7.

Ludovicus XII Rex Galliæ moritur Kalendis Januarii. Succedit Franciſc⁹ I. *Palat. in Aq. Auſtr. Spondan. & Surius.*

KAlendis Januarii bellicoſam animam exhalavit Ludovicus XII. Galliarum Rex: & quia prole maſculâ deſtitutus erat; Franciſcus I, Comes Engoliſmenſis, proximioris cognationis titulo ad coronam evocatus eſt, unctúsque Remis die viceſimâ quintâ Januarii. Is, ùt erat avidiſſimus recipiendi Ducatûs Mediolanenſis, in primo ſtatim regiminis aditu renovavit armorum fœdus cum Venetis; ac deinde per æſtatem hujus anni cum ingenti exercitu properavit in Italiam. Prima belli auſpicia dependebant à felici transgreſſu Alpium. Nam in harum introitu miles Helvetus ità occupârat omnes viarum anguſtias, ut vix ulla penetrandi ſpes videretur affulgere. At Franciſcus, nihil iſtis obſtaculis territus, inimicorum ſuorum conſilia novo prorſus conſilio fregit; omnémque exercitum ſuum, tam equeſtrem quàm pedeſtrem, unà cum tormentis bellicis deduxit per altiſſimos aſperrimósque ſcopulos etiam ſolo aſpectu horridos: labore quidem immenſo difficillimóque; ſed tamen hoſtibus omnino inſciis, neque priùs hunc deſcenſum advertentibus, donec omnis miles in aperta *ſalutiarum deveniſſet. Indè rectà Mediolanum progrediens, nobiliſſimam, ab Helvetis Maximiliani Ducis adjutoribus, victoriam reportavit. Initium conflictûs fuit Idibus Septembris, quando Helveti duabus ante veſperum horis Gallicanum exercitum adorti ſunt: pugnatúmque in multam noctem pertinaciſſimis utrimque animis, donec propter immodicas tenebras aliquantiſper conquieſcere neceſſum fuerit. Mansêre tamen in armis omnes: & ipſe Rex, ùt erat indutus apparatu martio, ſomnum in arena cepit reclinato ad bellicum tormentum corpore. Altero mane, nimirum die 14 Septembris, albeſcente cœlo novis animis reſumpta eſt pugna: in eâque tandem Helveti, propter allapſa Venetorum auxilia, campo cedere coacti ſunt, amiſſis ex parte ſua quindecim millibus; reliquis autem diffugientibus ac diſperſis. Finito prælio Franciſcus Rex Mediolanum victor ingreſſus eſt;

Hic, renovato cum Venetis fœdere, in Italiam proficiſcitur ad recuperandum Mediolan. *Auctores idem. Chytraus ad hunc annũ.*

*Salutiæ urbs Italiæ in Pedemontio, vulgò Saluzzo.

Helvetos pro Sforzia pugnantes feliciter cædit, & Mediolanensẽ Ducatum recuperat. *Auctores idem. Longius in Germ. Ci-*

est; brevíque pòst etiam arx huic urbi adsita cum toto Mediolanensi Ducatu in potestatem Gallorum rediit, Maximiliano Duce capto & in Franciam deportato: ubi & finem vivendi fecit.

Congressus Maximiliani Imperatoris, Sigismundi Poloniæ, & Vladislai Hungariæ Regis prope Viennâ. *Cuspinian° in Diario istius congressûs. Palat. in Aq. Austr. Langius in Chron Citiz. Chytræus & alii. °Palatius loc cit.*

Cæsar hoc rerum statu novis amicitiis Austriacam Domum firmaturus, Sigismundum Poloniæ, ejúsque fratrem Vladislaum Hungariæ ac Bohemiæ Regem, humanissimè invitavit Viennam Austriæ. Quod cùm illi pari humanitate condixissent, Cæsar iis processit obviàm haud procul à Vienna; ibidémque in aperto campo tres illi Reges sese invicem jucundissimè complexi sunt, dicente Cæsare: *hæc dies, quam fecit Dominus!* & Sigismundo respondente: *Faxit Deus, hunc nostrum * congressum Christianæ Reipublicæ salutarem esse!* Institutâ dein brevi hilaríque venatione, pernoctatum est in vicinis arcibus. Alterâ verò die, quæ erat decima septima Julii, solennis Regum ingressus in urbem Viennensem habitus, universâ multitudine civium cum omni Clero, Magistratu, & Academiæ proceribus, in occursum hospitum effusâ. Pompam hujus introductionis ex parte Cæsaris adauxerunt Matthæus Episcopus Gurcensis, Coadjutor Salisburgensis, & S.R.E. Cardinalis, inter Hispanum Anglicúmque Legatos medius, Christophorus Archiepiscopus Bremensis, Joannes Episcopus Ratisbonensis, Wiguleus Episcopus Passavienſis, Christophorus Episcopus Labacensis, Bertholdus Episcopus Chiemensis, Guilielmus & Ludovicus Bavariæ Duces, Casimirus Marchio Brandenburgensis, Albertus Dux Mecklenburgicus, Udalricus Dux Würtenbergicus, multíque illustres Imperii Comites, præstantissimo ornatu fulgidi. Nec minori ferè pompâ se ostentârunt duo Reges advenæ. Nam ex parte Sigismundi Poloniæ Regis in urbem comitati sunt Matthias Episcopus Vladislavienſis, Joannes Episcopus Posnanienſis, Petrus Episcopus Premislienſis, unà cum Palatino Sendomirienſi, Lublinenſi, Vilnenſi, & aliis magni nominis: ex parte autem Vladislai, Hungariæ ac Bohemiæ Regis, Thomas Cardinalis & Archiepiscopus Strigonienſis, Hungariæ Primas, Gregorius Archiepiscopus Colocienſis, Georgius Episcopus Quinque-Ecclesienſis, Ladislaus Episcopus Vacienſis, Michaël Episcopus Bosnenſis; &, quod omnium caput est, Ludovicus & Anna, Vladislai Regis egregia Soboles. Exinde sequenti triduo Cæsarem inter & Reges consultatum est de rebus Regni: conventúmque primò, ut inter eos maneat arctissima & nunquam dissolubilis amicitia: deinde ut in hujus amicitiæ confirmationem Anna, Regis Vladislai Filia, desponsetur Ferdinando Archiduci, Maximiliani Imperatoris ex filio Philippo nepoti; & vicissim Ludovicus, ejusdem Vladislai filius, desponsetur Mariæ Archiduci,

Cæsar cum duobus Regibus magno splendore Viennam ingreditur. *Cuspinian. in Diario hujus congressûs ap. Frecher. to. 2 rer. germanic.*

Ludovicus Regis Hungariæ filius desponsetur Mariæ Austriacæ: & Anna Regis Hungariæ filia desponsetur Ferdinando Austriaco. *Cuspinian. loc cit. Surius in comment.*

ejusdem Imperatoris ex filio Philippo nepti. Quibus utrimque stabilitis, reliqui dies usque in mensem Augustum venationibus, ludis, & oblectationibus dati sunt; ac tandem conjunctissimi Reges non minori, quàm quo venerant, honore rursus dimissi.

Philippus Archiep. Coloniensis moritur: cui succedit Hermann' de Wieda.

Eodem anno è vicinorum nobis Antistitum numero defunctus est Philippus Archiepiscopus Colonienſis, vir insigni prudentiâ & humanitate præditus. Luculentum utriusque hujus virtutis exemplum inter alia dedit, quando comperit, non paucos è Nobilitate patria sibi clanculum inimicos esse. Tunc enim eosdem illos humanissimè invitavit ad convivium; intérque geniales epulas, veluti per jocum, interrogavit eos: *Quot proditores habuerit* *Christus inter suos*? Respondentibus autem illis: *unum duntaxat, nempe Judam Iscariothen*: singulari comitate reposuisse fertur: *at ego tot penè proditores habeo, quot convivas.* Atque hoc dicto, cùm adhuc pergeret amicè ac hilariter cum iisdem agere, ità animos convivarum ad se rapuit, ut infida ipsorum consilia humanitate magis quàm severitate disturbaverit. Successorem in Episcopatu nactus est Hermannum de Weda, qui & postea anno 1532 Padibornæ apud nos ad cathedram Episcopalem venit. Initia ejus in utroque loco fuerunt bona. Sed, quia minùs literatus & in quæstionibus fidei neutiquam versatus erat; à Martino Bucero, Apostatâ Dominicano, tandem seductus est, & initia bona fine pessimo corrupit, quemadmodum suo loco referetur.

Surius in comment. Cratepol. in Catal. Arch. Col.

*Cratepol. loc. cit.

Theodoricus à Monasterio, qui & aliàs Theodoricus de Osnabrugo dictus est, ex ordine S. Francisci de strict. Observ. cum fama sanctitatis moritur Lovanii.

Longè beatiori morte Westphaliam hoc anno illustravit Venerandæ memoriæ vir, Theodoricus Côelde ex ordine S. Francisci strictioris Observantiæ, natione Westphalus, hoc anno sanctissimè defunctus in Conventu Lovaniensi, die undecimâ Decembris. Virum hunc aliquando à loco natali patris, qui origine Osnabrugensis erat, appellârunt cum Trithemio Theodoricum ab Osnabrugo; aliquando autem & multò sœpius à loco natali proprio Theodoricum à Monasterio: nam in hac urbe domicilium fixerant parentes ejus, ibidémque pariter jure civico donati erant. Id quod cùm in monumentis Provincialibus ejusdem ordinis clarissimè annotatum, sed à quibusdam recentioribus ignoratum fuerit; diversitate nominum decepti, unum eundémque Theodoricum in duas personas divisêre. Literarum Philosophicarum causâ à parentibus suis missus erat Coloniam Agrippinam. Ubi postquam præclarissimè in studiis profecisset, aggregare se primò cœpit ad Ordinem * Eremitarum S. Augustini: inde verò non multò pòst, severioris vitæ desiderio, amplexus est Ordinem S. Francisci *de strictiore Observantia*, quem id temporis religiosæ pietatis & virtutum studia maximopere commendabant. Et verò hujusmodi mu-

Annal. Ordinis nſ.

Vita ejus à Raisio edita

**Raisius in ejus vita. monumenta Provincialia istius Ordinis.*

mutationem Deo placitam, atque ex ejus voluntate vel impulsu susceptam fuisse, eventus docuit. Nam ex eo tempore tam eximium verbi Divini præconem effecêre Superi; ut, cùm totum ferè Belgium concionando & catechizando peragraret, ubique admirabilis doctrinæ & sanctitatis vestigia post sè relinqueret. Hunc in finem addiderat illi Deus non modò singularem in dicendo gratiam; sed etiam in agendo vim & energiam, de qua *Trithemius, cum eo vivens, ità loquitur: *Theodoricus de Osenbrück* (aliàs de Münster) *Ordinis Fratrum Minorum Colonienſis* *Provinciæ, vir est in Divinis scripturis exercitatum habens ingenium, declamator sermonum popularium famosissimus: cujus vitam omnes, qui eum noverunt, sanctam et religiosissimam prædicant. In sermonibus enim faciendis ad populum tantâ gratiâ divinitus illustratur, tantâ facundiâ loquitur, tantâ denique compunctione et dulcedine auditores suos afficit, ut similem inter Germanos habuerit neminem. Unde et per totam provinciam generalis prædicator constitutus est.* Multa hac de re, utì etiam de illius ardentissimo animarum zelo, aliísque virtutibus, quibus cum admiratione omnium excelluit, scribi possent, sed his omissis, hîc solùm adjungo ea, quæ ad Spiritum ejus Propheticum, rerúmque arcanarum notitiam pertinent. Cùm Antwerpiæ * Guardianum ageret; inde ad oppidum Hochstratense vectus, in curru publico Virginem offendit Catharinam nomine: quæ, ùt erat adhuc recèns alteri promissa & coccineo indumento fulgens, identidem respiciebat anxia, ne pretiosus ille vestium suarum nitor ab excusso è rotis luto aspersionem caperet. Huic Theodoricus * dicebat ore fatidico: *desine, mea filia! desine vestimenti hujus nimiam custodiam gerere! non diu amplius uteris illo; sed assumes aliud indumenti genus, de quo nondum cogitas.* Utì dixit, ità factum. Accidit post breve tempus, ut ejusdem Catharinæ soror Hochstratensi in oppido ingrederetur Monasterium S. Claræ. In quo actu religioso cùm Theodericus nuptialem illi concionem diceret, spirituali verborum pondere adeò commota est Catharina; ut abdicato protinus mortali sponso, religiosam vitam conjugio antetulerit, & in eodem Hochstratensi Monasterio ætatem reliquam Christo Domino consecrârit. Alio tempore invitatus à viro Nobili, aliáque & alia fercula in mensam afferri *videns: *Quanta*, inquiebat, *hîc est ciborum abundantia? et, eheu! quanta apud alios eorundem penuria? Ausimne petere abs te, mi Domine! ut ex eis mittatur aliquid ad hominem, occultâ inopiâ pressum?* Annuente Domino, præcerptum aliquid congestúmque in unam lancem coopertam linteo, quam Theodoricus famulo domestico tradens: *vade*, inquiebat, *ad plateam* *scriniariam, et cibum hunc infer in domum illam,*

*Trith. l. de viris illustribus.

*hæc provincia eo tempore complectebatur Belgium.

Spiritus ejus Propheticus.

*circa annum 1509.

*Raisius in vita Patris Theodorici.

*Raisius in ejus vita.

*die schreinerstraß.

illam, in quam avolabit linteum à vento raptum. Paret famulus: abripitur à vento linteum, detruditúrque in domum civis, communi hominum opinione divitis. Eam verò cùm intrare non auderet famulus, continuò scutellam cum cibis retulit; edixítque Patri, domum hanc opulentiorem esse, quàm ut hujusmodi ciborum frustula in eandem inferre audeat. Ad quæ verba sanctus vir: *scio, scio, quænam sit ista domus: tu modò perge, dictísque meis obsecunda.* Redit igitur ad eam famulus: & ecce? ùt primùm penitius introgreditur, videt omnia plena fame; intérque alia duas proles, porcorum siliquis esuriem sui ventris mitigantes. His prodigiis in vita gestis accessit etiam prodigiosa multúmque admiranda mors. Die undecimâ Decembris, quæ illi postrema fuit, Lovanii de sug. gestu sacro edicebat publicè, *depositionem tabernaculi sui velocem fore.* Dimissâ concione pergit ad sacristiam templi, præparat se ad offerendum Sacrificium, devotione maximâ ad aram facit: atque, ùt erat rigidus communis vitæ sectator, consuetâ refectionis horâ simul cum aliis fratribus ad mensam adit. Sub ea mortem viciniorem sentiens, iterum surgit è triclinio, cubiculum suum repetit, in genua supplex devolvitur: dúmque agonem suum complicatis manibus Deo commendat, eodem penè temporis momento beatam animam exhalat. Interea post ipsum emittitur Fratrum aliquis, ut videat, quid agat? quî valeat? quid eidem accidat? sed jam serò nimìs. Cùm enim cubiculum ipsius aperit, jam exanimem ac defunctum reperit, genibus adhuc flexis, & manibus ad orandum compositis. Acta sunt hæc Lovanii, ubi sepultus est in choro templi cum hoc epitaphio: *Hîc jacet sepultus Venerabilis ac devotus Pater, Frater Theodoricus à Monasterio, eximius Prædicator verbi Dei, quondam hujus Conventûs et aliorum Guardianus.* Ossa ejus anno 1618. die 12 Septembris *iterum exhumata, & in sacello valetudinarii Lovanienſis etiamnum asservantur in arca lignea & elegante.

Mortem suam eodē die, quo obiit, prædixit publicè in concione. *Raissius in ejus vita. Annales Provinciæ.*

Ossa ejus elevata asservantur in valetudinario cœnobii Lovanienſis. *Raissius in ejus vita.*

Annus Christi 1516.

LEONIS X. Pontificis 3. & 4.
MAXIMILIANI I. Imper. 23. & 24.
ERICI Episcopi Paderborn. 8.

Ferdinand⁹ Hispaniæ Rex moritur, & hæredem sceptri declaravit Carolum Austriacum.

SUb initium hujus anni, die XXIII. Januarii decessit Ferdinandus cognomento *Catholicus*, Hispaniarum Rex potentissimus: hæredémque sceptri declaravit Carolum Austriacum, ex ejusdem filia Joanna geni-

genitum, qui paulò antè*provinciarum Belgicarum gubernationem aggressus erat. Hic, ùt pacificè transiret in Hispaniam, neque interim à Gallis turbarum aliquid vereri posset in Belgio Regnóque Neapolitano; sinè mora cum Francisco I. Galliarum Rege novum pacis & amicitiæ fœdus ineundum censuit: id quod etiam Augusto mense præsentis anni per utriusque partis Legatos Novioduni percussum firmatúmque est. Nec multò pòst etiam Cæsar in favorem Caroli nepotis eidem fœderi se adjunxit: & quia Gallus Veronam repetebat pro Venetis belli præteriti sociis; etiam urbem hanc eâ lege reddidit, ut pro illius restitutione intrà semestre spatium à Gallis Venetísque solverentur sibi ducenta aureorum millia. Quo peracto Verona ad Venetos rediit, ac demum finis bello Veneto impositus est.

Major difficultas erat eidem Carolo in tuenda interim, dum abesset, Frisia. Provinciam hanc jam ab anno 1498 legitimè obtinuerat Albertus Saxo, & post eum Georgius filius. Jámque omnes ferè urbes & oppida subjecerant se juri Saxonis, exceptâ urbe Grôninganâ; quæ eidem diu restitit, ac tandem anno 1514, cùm à Georgii Saxonis exercitu* vehementissimè premeretur, à Carolo Geldro auxilium petiit. Is, ùt erat homo turbidus & in omnes rapiendi occasiones intentissimus, repentè cum exercitu numeroso advolat, Saxones ab obsidione Groningensi rejicit, urbem intrat, juramentum fidelitatis accipit, occupatâque Snecâ, Slotâ, Bolswerdâ, & aliis oppidis, universam Frisiam occidentalem suæ potestati submittere nititur. Irritatus hac injuriâ Saxo, ut hosti hostem potentiorem objiceret, initio sequentis* anni recepit se ad Carolum Austriacum, Belgii totius Dominum; acceptísque ducentis aureorum millibus jus omne, quod in Frisiam occidentalem habuit, in eundem transtulit. Submisêre se protinus novo Principi munitiones urbésque illæ, quæ hucusque in Saxonis obsequio manserant, ac præcipuè Harlinga, Franickera, & Leowardia: reliquæ verò contra jus fásque retinebantur ab invasore Geldro. Et hic, eâ Saxonis renuntiatione flocci habitâ, etiam hoc anno* ausus est, non solùm in mari Austrio Hollandorum naves deprædari; verùm etiam in Frisia urbes illas, quas Carolus Austriacus occupârat, obsidione admotâ cingere. Tum verò Carolus, nihil ampliùs morandum ratus, misit illico Florentium Isselsteinium cum navali classe & quindecim armatorum millibus; quos inter non pauci Belgarum Proceres, novo Principi virtutem fidémque suam probaturi. Cum his Florentius processit primò in classem Geldricam; eâque disjectâ, omnium piratarum ac prædonum colla, quotquot eorum* comprehendere poterat,

Spondan. Chytræus & alii passim.

nimirum anno 1514. mense Junio uti scribit Siffridus Petri.

Hic fœdus init cum Rege Galliæ.

Spond. Palat. Chytræ

Cui fœderi dum accedit Cæsar, finis imponitur bello Veneto.

Auctores iidem.

Frisia depulso Geldro, magnâ ex parte se submittit CaroloBelgarum Principi.

Chytræus l. 7. Saxon. Snoyus Rer. Batav. l. 13. & alii.

anni 1515. Chytræus & Snoyus loc. cit.

anno 1516. Chytræus & Snoyus loc. cit.

Auctores iidem.

terat, laqueis infamibus inſeri, & ſparſim ad maris littora ſuſpendi fecit. Inde verò terreſtri Marte in Geldrum prodiens, Franekeram ac Leowardiam ab obſidione diuturna liberat, hoſtili exercitu ad primos Belgarum aſpectus diffugiente. Solutionem hujus obſidii propediem futuri ſubſecuta eſt deditio Doccomii, Worcomii, Stáveræ, Hindelópæ, Bolswerdæ, multorúmque militum, qui à fugitivo Geldrorum exercitu Bolswerdam ſe receperant.

Ericus Epiſcopus Paderborn. & Oſnabr. mutuæ aſſiſtentiæ fœdus init cum Ducibus Brunsvicenſibus.

Inter hos Friſiæ motus Weſtphalia tota gaudebat hactenus optatiſſimâ ab armis tranquillitate. Quam ut pro ſe ſuísque Diœceſibus conſervaret Ericus Epiſcopus noſter; hoc anno cum Henrico, Wilhelmo, & Erico Ducibus Brunsvicenſibus, mutuæ defenſionis & aſſiſtentiæ fœdus iniit contra hoſtes, ac terrarum vel Diœceſium ſuarum invaſores qualescunque. Tabulæ*publicæ, eâ de re confectæ, adhuc ſuperſunt; earúmque initium & finis eſt, utì ſequitur:

Ex literis Archivi Cathedr. Eccleſ. Paderb.

NOs Dei gratiâ Ericus Epiſcopus Oſnabrugenſis et Paderbornenſis, Dux Brunsvicenſis: et Nos Henricus junior, Dux Brunsvicenſis ac Luneburgenſis, pro nobis et nomine Illuſtriſſimorum Principum, Domini Wilhelmi et Domini Erici etiam Ducum Brunsvicenſium ac Luneburgenſium, fratrum noſtrorum, profitemur in his literis publicis coram omnibus hominibus, quòd nos ad omnipotentis Dei laudem, Sacri Romani Imperii honorem, noſtrarum Diœceſium, Principatuum, terrarum, ſubditorúmque incolumitatem, pro pace, concordia, et ſalute earundem Diœceſium, Principatuum, terrarum, ſubditorúmque noſtrorum, ſingularem amicitiam, conjunctionem, fœdúsque mutuum iniverimus: ídque in præſens facimus hiſce literis, ità ut etc.--- Quòd ſi et noſtrûm aliquis improviſo marte invaderetur, Officiales et ſubditi noſtri, qui gravatu vel offenſæ parti viciniores erunt, non exſpectatâ illius requiſitione ſtatim et incunctanter cum omni armorum et armatorum robore, quantum in ea feſtinatione colligi poterit, etiam nobis adhuc abſentibus in auxilium advolabunt; illúmque et ejus ditiones ac ſubditos tam diu ab injuriis vindicare, eripere, et ſervare ſatagent, donec nos ad ulteriorem requiſitionem cum reliquo exercitu noſtro advenire poſſimus. ----- Datum Fürſtenbergæ, anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, feriâ ſextâ poſt S. Catharinæ Virginis.

Tabulæ hæ ſunt germanicæ, ex quibus hæc pauca latinè reddidi.

Fürſtenbergam, ubi fœdus illud concluſum eſt, arbitror eſſe eam, quæ haud procul ab Huxaria ſupra Viſurgim ſita eſt in Ducatu Brunsvicenſi; non autem eam, quæ in campo Sintfeldico jacet intrà Diœceſin noſtram. Illa enim, cùm in Principum amborum finibus conſtituta ſit, magìs apta ac idonea erat ad hujuſmodi congreſſum. De cetero jam antè per menſes aliquot Ericus Epiſcopus in Diœceſi noſtra commoratus fuerat, ibíque beneſi-

neficentiam non parvam exhibuerat Catharinæ *Greven* Abbatissæ, totíque Monasterio Wurmelensi Virginum Ordinis Cistercienſis. Habuerant illæ quondam pro suis & pagi totius usibus molendinum aliquod in amne *Twista*. Id quidem ante plures annos jam collapsum, & nescio qua de causa, quibúsque hominum vel temporum injuriis, hucusque nondum ab iis restauratum fuerat: sed tamen adhuc supererant antiqua rudera, vel certè alia monumenta literaria, quibus ostendi probaríque poterat jus antè habitum. Itaque pro eo rursus excitando humillimè supplicant Erico Antistiti nostro. Et ille considerato ipsarum jure, adhibitóque etiam Capituli majoris consensu, benignissimè indulsit earum petitioni: ità tamen, ut id fiat citra omne detrimentum juris molendinarii ad Calenbergense castrum pertinentis; vitáque religiosa, ex præscripto reformationis in eodem cœnobio factæ, accuratissimè observetur. Literæ istius concessionis conscriptæ sunt linguâ westphalicâ; earúmque, si latinè reddantur, initium & finis est, uti sequitur:

Monasterio Virginum in Wurmelen Diœcef. Paderborn. concedit facultatem resuscitandi molendinum à plurimis annis collapsum ac desolatum. *Literæ Monasterii Wurmel.*

NOs Ericus, Dei gratiâ Episcopus Osnabrugensis et Paderbornensis, Dux Brunsvicensis, notum facimus ac profitemur publicè per has literas, pro nobis et omnibus successoribus nostris in prædicta Paderbornensi Ecclesia, quòd nos cum consilio, scientia, et consensu Reverendorum ac Honorabilium Dominorum, Decani et Capituli nostræ Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis, concesserimus, indulserimus, ac permiserimus etc. --- Datum Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, in vigilia Pentecoſtes.

Biduo pòst hásce datas, Monasterii Gerdensis Virgines in summas angustias & pericula conjectæ sunt ex funesto incendio Gerdensis urbeculæ. Erumpebat hoc feriâ 2dâ Pentecostes * in domo cujusdam civis: statímque tantâ ferocitate grassatum est per omnes incolarum ædes & horrea, ut intrà paucas horas oppidulum illud, excepto Monasterio ac templo, in cineres & favillas totum abiêrit.

Oppidum Gerdense totum, excepto Monasterio, per incendium destruitur. **Ex diario mſ. Henrici Schröder Abbatis in Marienmünſter.*

Annus Christi 1517.

LEONIS X. Pontificis 4. & 5.
MAXIMILIANI I. Imper. 24. & 25.
ERICI Episcopi Paderborn. 9.

EPiphaniam Domini Maximilianus Imperator celebravit hoc anno Treviris. Indè non multò pòst in Belgium profectus est ad Carolum nepotem suum, acturus cum eo de rebus bellicis adversùs Geldrum. Accepe-

Cæsar in Belgium proficiscitur ad Carolum nepotem suũ.

Brower. in ann. Trev. Dux Geldriæ dirè grassatur in Hollandia. *Snoyus l. 13 rer. Batav.*

ceperat hic per initia præsentis anni exercitum prædatorium novies mille armatorum hominum; quos maritimo itinere miserat ad infestandam Hollandiam, robore militari vacuam. Illic Medenblícum, Alcmariam, aliáque oppida, villas, ac pagos expilaverant; ac deinde magnis onusti spoliis, per Diœcesin Ultrajectinam se retraxerant in fines Geldriæ. Ibi rursus novorum spoliorum avidi, pedestri itinere se infuderant in vicinas Hollandiæ terras. Ac tametsi ubicunque locorum immanissimè grassarentur, nullibi tamen asperiùs debacchati sunt, quàm in oppido Asperensi: ídque non alia de causa, quàm quòd ejusdem inquilini contra prædones istos acerrimè se defenderint, ardenti pice, calce, aliísque materiis urentissimis, hominum nequissimorum capita è mœnibus perfundentes. Capto igitur devictóque tandem hoc oppido, prædones isti continuò cum ingenti fremitu in omnes plateas ac domos ruere, obvios quosque furori suo immolare, sacerdotes ad aram confugientes * interimere, mulieres partui vicinas ferro perfodere, infantium animas impacto in terram capite ex corporibus ejicere, virgines ac viduas infandis libidinibus conspurcare, aliáque id genus agere, quæ Christianus animus cogitare, nedum exequi, probrosum duceret. At carò admodum stetit illis hæc ferocia. Nam paulò pòst à superveniente Belgarum exercitu primùm dispersi; ac deinde partim hoc, partim sequenti anno à diversis Principibus intercepti, meritísque * suppliciis affecti sunt, aliis in furcam actis, aliis infami rotæ impositis, aliis alio pœnarum genere nocentem animam evomentibus. Neque hîc rerum hoc anno gestarum finis. Nam fugato prædonum istorum agmine ulteriùs processum est contra Geldrum, neque priùs ab eodem persequendo destitum, donec omnis Belgarum exercitus ante Arenacum * staret. Ibi dum arctissimâ obsidione premeretur Gelder, & jam horribili tormentorum fragore quaterentur mœnia; tandem ipse desperatis auxiliis extra urbem progredi, pacémque petere coactus est: quam etiam, interventu Legati Gallici, eâ lege obtinuit, ut acceptis à Carolo Austriaco centum millibus coronatorum, ab omni Frisia terrâ maríque abstineret.

**Snoyus l. 13 rer. Batav. Haræus in ann. Brab. *Auctores iidem. Teschemacher. in ann. Clivia part. 2. pag. m. 305. *aliàs Arnhemium.* Dux Geldriæ cogitur pacem à Carolo Austriaco petere. *Snoyus loc. cit. Chytræus l. 7. Saxon.* Carol⁹ Austriac⁹, Belgarum Princeps, in Hispaniam solvit, & initio sequentis anni coronatur Hispaniæ Rex. *Snoyus l. 13. rer. Batav. Palat. in Aq. Austr.*

Ità Carolus Austriacus, hujusmodi impedimentis ac periculis liber, tandem hoc anno pridie Nativitatis B. MARIÆ Virginis conscendit classem; ventóque tam secundo navigavit in Hispaniam, ut eodem mense, die vicesimâ octavâ Septembris in Biscayam appulsus fuerit. Venientem cum ingenti gaudio susceperunt Hispaniæ totius Proceres: à quibus etiam per initia sequentis anni Vallisoletum deductus, regali solio impositus, & Hispaniæ Rex unà cum Joanna matre sua, defuncti Regis Ferdinandi Filia, salutatus est.

Quis

Quis non putâſſet, eam rerum Auſtriacarum & Hiſpanicarum conjunctionem toti Imperio Germanico maximopere ſalutarem fore? Præſertim, cùm idem Carolus Auſtriacus etiam biennio pòſt ad coronam Imperii ſuſcipiendam evocatus fuerit? ſed eheu! ſpem illam optatiſſimam repentè hoc anno reſcidit unus deſertor Monachus, Martinus Lutherus ex ordine Eremitarum S. Auguſtini. Erat hic anno 1483 in comitatu Mansfeldienſi prope Islebiam natus egentiſſimis parentibus, nimirum patre Joanne **Luder/** & matre Margaretâ **Lindeman**; uti fatetur ipſemet híſce * verbis: *Ego ſum ruſtici filius de Möer circa Islebiam. Ego natus ex pauperibus parentibus. Pater fuit pauper foſſor montium: mater omnia ligna ad rem domeſticam neceſſaria in dorſo importavit.* Literas humaniores didicerat * Magdeburgi & Iſenaci; philoſophicas autem in Academia Erfurtenſi. Indè ſe ad ordinem Auguſtinianum transferens, eruditionem & ingenium ſuum ità excoluit, ut anno 1512 Sacroſanctæ * Theologiæ Doctor creatus ſit Wittenbergæ in Saxonia. Quo ex loco etiam hoc anno furere, & hæreſum ſuarum perverſa dogmata propalare cœpit. Occaſio autem novarum doctrinarum fuit hæc: Leo Pontifex omnibus Chriſtianis, qui pro bello Turcico pecuniariam opem conferrent, liberales peccatorum indulgentias dederat; iisdémque promulgandis in Germania præfecerat Albertum Archiepiſcopum Eccleſiæ Moguntinæ. Hic omiſſis Auguſtiniani Ordinis Eremitis, per quos ejuſmodi indulgentiæ jam ab annis plurimis promulgari ſueverant, ad munus iſtud aſſumpſit Joannem Tetzelium ex ordine S. Dominici. Quod cùm ægerrimè ferrent Auguſtiniani; Joannes Staupitius, ejuſdem * Ordinis Vicarius in Germania, Martinum Lutherum Wittenbergæ docentem incitat, ut contra novos iſtos pecuniarum collectores linguam ſuam calamúmque ſtringeret. Neque deerat materia ad proſequendas hujuſmodi cavillationes peridonea. Nam ſub illo indulgentiarum prætextu collectores nonnulli quandoque dixerant fecerántque multa præter intentionem Pontificiam, quæ à viris prudentioribus concedi vel approbari nequaquam poterant. Imò Paulus Langius, ex ordine S. Benedicti ſcriptor coævus, in chronico Citizenſi aſſerit, Fratrem aliquem ex ejuſmodi indulgentiarum prædicatoribus ab obitu ſuo reliquiſſe duo millia florenorum aureorum, quæ è ſolis pœnitentium lachrymis non ſinè vitio corraſa fuerant. Itaque Lutherus, tam fertili in campo ſe conſtitutum videns, primò contra quæſtores illos acerrimè detonuit è ſuggeſtu ſacro. Poſtea verò, vel ab ipſo verborum plauſu inſolentior factus, nonaginta quinque Theſes in lucem edidit: in quibus non modò præcones hujuſmodi; ſed etiam Pontificem ipſum

Martinus Lutherus incipit ſuis doctrinis germaniam turbare.

*to 2. col. loq. mensal. latino.

*Chytræus l. 7. Saxon.

*Spondan. & Surius ad hunc annum.

*Spondan. ad hunc annum. Langius in Chron. Citiz ad ann. 1513.

*Spondan. & Surius ad hunc annum.

aggressus est, ejúsque* in concedendis indulgentiis auctoritatem in dubium traxit. Secuta mox ambarum partium concertatio Vulcania. Tetzelius enim, Francofurti ad Oderam, Lutheri thesis ùt hæreticas comburi fecit, iisdémque centum & sex alias oppositas: contrà verò Lutherus* pariter Tetzelianas theses per Academicos Wittenbergenses in conspectu totius urbis igni infausto tradidit. Ex his autem igniculis, tam improvidè succendi jussis, coortum est immane illud incendium, quod intrà paucos annos Germaniam totam in horrendas bellorum, seditionum, ac tumultuum flammas egit, utì videbimus alibi.

*Auctores iidem, & alii passim.

Capitulum Osnabrugense impetrat à Leone Papa, ut in posterum nemo amplius ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis admittatur nisi qui fuerit plenæ nobilitatis.

Interea Collegium Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis constiterat hucusque non solùm è personis genere perillustri natis; verùm etiam ex aliis viris, Magisterii seu Doctoratûs honore conspicuis. Quorum operâ cùm se suáque bona ab iniquis appetitoribus defendi non posse crederent ejusdem Ecclesiæ Canonici; adjuvante Erico Episcopo, impetrârunt hoc anno Romæ à Leone X. Pontifice, ut, quemadmodum Paderbornæ, ità etiam Osnabrugi, nemo deinceps ad Capituli Majoris gremium recipere-tur, nisi qui de Nobili Baronum vel ex utroque parente de militari genere se procreatum esse demonstraret. Pontificium diploma hac de re datum est Romæ die 17. Julii. Et quia simul complectitur multa alia, quæ ad hunc scopum non faciunt, prolixitatis evitandæ gratiâ sufficiet, primariam illius partem hîc adducere.

Ex archiv. Cathedr. Eccl. Osn.

LEo Episcopus, Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Ad ea, quæ Ecclesiarum, præsertim Cathedralium insignium decorem et utilitatem, nec non personarum earundem commodum et tranquillum statum concernunt, et quibus ipsarum Ecclesiarum honor augetur et status conservatur, libenter intendimus, et circa illa statuimus et ordinamus etc. - - - - Quare pro parte modernorum Episcopi ac Decani et Capituli prædictorum, asserentium dictam Ecclesiam primam omnium Ecclesiarum in Saxonia per claræ memoriæ Carolum Magnum Romanorum Imperatorem sufficienter et copiosè dotatam fuisse, et bona ad eandem Ecclesiam pertinentia in terris et dominiis diversorum Principum et Dominorum temporalium sparsim sita esse, ac pro illorum defensione et conservatione assistentiam Nobilium et potentum pernecessariam existere, nobis fuit humiliter supplicatum, ut de cetero perpetuis futuris temporibus nullus, etiam in quacunque facultate graduatus, quarumcunque literarum dictæ Sedis, aut Legatorum vel delegatorum ejus, seu quacunque aliâ, etiam dictâ ordinariâ, auctoritatibus ad Canonicatus et Præbendas, ac suprà dictas et quascunque alias dignitates, personatus, et officia dictæ Ecclesiæ quomodolibet assumi deberent, statuere et ordinare, aliásque desuper opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos

Nos igitur modernos, Episcopum, ac Decanum et Capitulum præfatos, ipsíusque Capituli singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis, à jure vel ab homine quâvis occasione vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut de cetero perpetuis futuris temporibus nullus, etiam in quacunque facultate graduatus, quarumcunque literarum dictæ Sedis, vel Legatorum aut delegatorum ejus, seu quacunque aliâ, etiam dictâ ordinariâ, auctoritatibus, ad Canonicatus et Præbendas, Dignitates, Personatus, et officia prædicta, quomodolibet admittatur; nec Episcopus et Decanus nunc et pro tempore existentes, ac Capitulum præfati, ad quemcunque recipiendum et admittendum, quarumcunque literarum, etiam quascunque sententias, censuras, et pœnas in se continentium vigore, invitι compelli possint, nisì eisdem Episcopo, ac Decano et Capitulo clarissimè constiterit, quòd hujusmodi recipiendus sive admittendus de Nobili Baronum, seu ex utroque parente, de militari genere ac de legitimo thoro procreatus, et aliàs statu liber, ac scientiâ, moribus, famâ et honestate præclarus existat: ac ut quæcunque collationes et provisiones, ac aliæ dispositiones de Canonicatibus et Præbendis, Dignitatibus, Personatibus, et officiis dictæ Ecclesiæ, etiam per Sedem prædictam aliter pro tempore factæ, nullius sint roboris ac momenti, ac præsentibus literis per quascunque literas Apostolicas, quasvis etiam derogatoriarum derogatorias, aliásque fortiores, efficaciores, et insolitas clausulas, ac irritantia vel alia decreta et declarationes in se continentes, etiam per nos et dictam sedem etiam motu proprio et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine pro tempore concessas, nullatenus derogatum existat aut censeatur derogari, nisì earundem præsentium de verbo ad verbum toto inserto tenore, et trinis literis in forma Brevis expediendis, et per intervallum eisdem Episcopo ac Decano et Capitulo intimandis, et tunc demum Episcopi et Decani et Capituli ipsius Ecclesiæ pro tempore existentium expressus ad id consensus accesserit, auctoritate Apostolicâ prædictâ earundem tenore præsentium statuimus et ordinamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterísque contrariis quibuscunque. Nulli ergò omnino hominum liceat hanc paginam etc. - - - Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo decimo septimo, die XVII mensis Julii, Pontificatûs nostri anno quinto.

Ericus Episcopus Paderb. componit lites diuturnas inter Monasterium Bôdecense,

Ad impetrandum hoc diploma non parùm contulit Erici Antistitis, unà cum eodem Capitulo supplicantis, auctoritas. Et hic etiam, quia nostræ simul Diœcesi præerat, per æstatem hujus anni Padibornam venit; ibíque desideratam diu concordiam statuit inter Monasterium Bôdecense, & vicinæ arcis ac satrapiæ Wewelsburgensis possessores hypothecarios, Conradum de Brencken,

& Præfectos arcis Wewelsburgensis.

cken, & Bernardum ac Joannem Dominos de Büren: quorum ille diuturno tempore Wewelsburgum obtinuerat usque in annum 1513; hi verò illud post Conradum Brenckium etiamnunc obtinebant. Utraque hæc perillustris familia, ob agrorum silvarúmque Wewelsburgensium limites, jam dudum acriter decertaverat cum prædicto Monasterio, ità ut etiam à prædictis Nobilibus ad varias damnorum illationes processum fuerit. Ac tametsi postmodum res ista primò * Coloniæ, deinde & Romæ in judicium deducta esset; nihilominùs tamen Domini Bürani, maximéque Brenckius, pendente lite, Monasterium hoc novis invasionibus, incendiis, aliísque nocumentis, & pecorum abactionibus, acerbè divexaverant. Intervenit quidem his injuriis Illustrissima vidua Hassiæ Landgravia, à Bôdecensibus implorata; utì constat ex ejusdem literis ad Capitulum nostrum Cathedrale * datis, quarum initium & finis est: *Anna, Dei gratiâ, nata Duciſſa Mecklenburgenſis, Landgravia Haſſiæ, Comtiſſa Cattimelibocenſis, Vidua etc. --- Datum Marpurgi, ſabbatho poſt Luciæ anno M.D.XV.* Sed quia in hac lite agebatur simul de juribus bonísque Episcopalibus castri & satrapiæ Wewelsburgensis; nihil aliud hujusmodi literis effectum est, quàm quòd Ericus Episcopus noster inter partes litigantes amicabilem compositionem & concordiam tentare conatus fuerit. Neque tentamen istud fortunato successu caruit. Nam inspectis partium ambarum juribus, præmissâque sequenti consultatione, res illa tandem hoc anno ad amicam transactionem * venit; intérque alia conventum est, ut pagus Haren, Oisthelmeren, & Westhelmeren, cum omnibus (utì vocant) appertinentiis suis, in posterum esse debeant sub dominio castri Wewelsburgensis: ut Marca Tyndelensis * & Bôdecensis perpetuò maneat in usu ac dominio solius monasterii: ut arbustum Swaffensis Marcæ dividatur in duas partes æquales, è quibus una pertineat ad castrum Wewelsburgense; altera verò ad monasterium Bôdecense: aliáque id genus multa, quæ prolixiùs videri possunt in tabulis publicis, eâ de re confectis, & sigillo quadruplici consignatis, *die Jovis in ſancta hebdomada Pentecoſtes, Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo ſeptimo.*

*Ex literis Cancellariæ Paderb.

*Ex literis Archivi Cath. Eccl. Paderb.

*ſunt in arch. Cath. Eccl.

*Litera tranſactionis in Cancellaria Paderb.

*die Tyndeler und Bödeker Marck.

Simon Comes de Lippia, prole masculeâ carens, ab Erico Episcopo reliquisq; statibus Diœcesanis impetrat, ut, si

Eodem hoc tempore Simon Comes de Lippia adhuc omni prole destitutus erat; neque ampliùs affulgebat ulla spes, accipiendi hæredis è sua conjuge Walburge Bronckhorstiana. Itaque, ne se defuncto comitatus Lippiæ revolveretur ad Ecclesiam nostram (cui feudi masculini titulo obstrictus est) devotissimè se recepit ad Ericum Antistitem; ab eóque obnixè petiit, ut, si fortè moriturus esset non relictâ prole masculâ, permitteretur sibi pro tali casu, unum è proximioribus consanguineis Lippiaci comitatûs hæredem

dem dicere. Deliberatum est ea de re cum statibus patriæ. Et hi non modò petitioni Comitis assensum præstitêre; verùm etiam (quod longè ampliùs demirandum est) incredibili facilitate mentis eidem indulserunt, ut, si in linea hæredis proximè nominandi iterum atque iterum ejusmodi casus eveniret, etiam iterum atque iterum postremus Comes è proximioribus consanguineis hæredem ac successorem sibi deligere ac nominare posset. Eâ tamen adjectâ lege, ut feudum hoc nunquam aliter, ac masculinum censeri debeat, juxta antiqua Cæsarum privilegia: item ut nullo tempore deligatur ejusmodi successor, qui sit Imperii Romani Princeps; ne per ejus potentiam gravari & opprimi queat Ecclesia nostra: denique ut alter alteri in bello & aliis dissidiis fidelissimè semper assistat. Visuntur adhuc ea de re prolixæ literæ, quibus præter Episcopum & Capitulum subscripserunt, è nobilitate Joannes Dominus de Büren, Wernerus de Spiegel, Joannes de Stapel, Jodocus Westphalen, Elmerinchusius de Haxthausen, Franciscus de Hôrde; ex parte Diœcesanarum urbium, Paderborna, Warburgum, Brackelia, & Borgentrica: finísque literarum est hic: *Datum Anno Domini millesimo quingentesimo decimo septimo, die S. Odelrici Episcopi.*

fortè finè prole mascula moreretur, non solùm ipse posset successorem nominare è proximis cognatis; sed etiam ejus posteri id possint per duas vices. *Ex Archivo Cath. Eccl. Pad.*

Quis non videt, concessionem & pactionem hanc nimis prodigam fuisse, imò & Canonum sacrorum legibus vel maximè adversantem? tantos enim Ecclesiæ fundos, videlicet Lemgoviam, Dethmoldiam, Hornam, Falckenbergam, & Lage, cum suis Satrapiis, in tot generationes lineásque novas extendere, quid aliud esse aut videri potest, quàm aliqua alienationis bonorum Ecclesiasticorum species? At, quia insolitus ille favor solùm eâ lege & conditione Simoni Comiti concessus est, si quidem ipse prolem masculam non acciperet: is autem postea è secundo connubio filios & hæredes consecutus fuerit cum bene longa successorum usque adhuc superstitum serie; pactio illa tam ingenti molimine stabilita, rursum casso eventu concidit.

Ceterùm & hoc anno, die 11. Septembris *in festo Sanctorum Proti et Hyacinthi*, turris Ecclesiæ & oppidi nostri Brakelensis funesto incendio periit. Pro qua restauranda Ericus Episcopus anno proximo, *in Dominica Reminiscere*, eidem oppido literas commendatitias dedit ad corroganda piorum hominum subsidia.

Turris Ecclesiæ Brakelensis igne consumitur.

Annus Christi 1518.

LEONIS X. Pontificis 5. & 6.
MAXIMILIANI I. Imper. 25. & 26.
ERICI Episcopi Paderborn. 10.

Per

Maximilianus Imperator celebrat comitia in urbe Augustana. *Brower. in ann. Trev. Spondan. Surius & alii.*

PEr æstatem hujus anni Maximilianus Imperator Augustæ Vindelicorum aperuit comitia publica, deliberaturus ibidem cum Imperii statibus de bello Turcico, mediisque ad illud exequendum necessariis. Convenerunt ea de causa Electores & Principes quàm plurimi, intérque alios Albertus Archiepiscopus Moguntinus, Richardus Archiepiscopus Trevirensis, Hermannus Archiepiscopus Colonienſis. Matthæus Episcopus Gurcensis & Coadjutor Salisburgensis, Christophorus Archiepiscopus Bremensis, Georgius Episcopus Bambergensis, Gabriel Episcopus Aichstadiensis, Christophorus Episcopus Augustanus, Laurentius Episcopus Herbipolensis, Joannes Episcopus Ratisbonensis, Ernestus Episcopus Passavienſis, Henricus Episcopus Razeburgensis, Petrus Episcopus Tergestinus, Ludovicus Comes Palatinus Rheni & Elector, Fridericus Saxoniæ Dux & Elector, Joachimus Marchio Brandeburgicus & Elector, Georgius Saxoniæ Dux, Casimirus Marchio Brandeburgicus cum duobus fratribus, Joannes Landgravius Leuchtenbergensis, & plures alii, quos è chartis veteribus non detexi.

consultatur ibidem de bello contra Turcas. *Auctores iidem.*

In eo congressu, postquam Imperator & Legatus Pontificius gravissimam orationem habuêre de necessitate belli Ottomannici; repentè consurrexit Udalricus de Hütten, Friderici Saxonis Orator: totóque ore & pectore Lutherum spirans, tanta cum vehementia dissuasit bellum istud, ut uno simul eodémque impetu in eversionem sedis Pontificiæ classicum ferale caneret. *Evomuntur,* inquiebat, *Legati quatuor ad nationes Christianas, ut Reges et Principes ad expeditionem instigent; ipsi verò pecuniam emulgeant, et prædicent: qui crediderit et decimas solverit, salvus erit! O avaritiam immensam et carentem fundo! Provenit Pontifici ex sua terra vectigal, quantum nulli Regum Christianorum. Et tamen asinos auro onustos Romam mittimus, aurum cum plumbo mutamus, negligentias (hem! lapso calamo) indulgentias passim admittimus! --- Turcam profligare vultis: laudo propositum. Sed vehementer vereor, ne erretis in nomine. In Italia quærite; non in Asia. Contra Asiaticum quisque nostrorum Regum pro finibus suis defendendis per se satis est. Ad alterum verò domandum totus orbis Christianus non sufficit. --- Hic ubique grassatur, et sanguinem miserorum sitit etc.* Quis non videt hæc & alia complura, quæ novus iste cerberus in prolixa oratione sua velut Averni spumam eructavit, fuisse meras calumnias & mendacia, à Luthero ejúsque sociis putidissimè confícta? & tamen ea tantùm valuêre apud aliquos Principes à Friderico Saxone concitatos, ut negotium

Udalricus Huttenus, orator Saxonis à Luthero concitatus, dissuadet bellum, & gravissimè invehitur contra Pontificem. *Palat. in Aq. Austr. oratio Hutteni apud Freher. to. 2. Rer. Germ.*

Consultatio de bello Turcico differtur in alia comitia *Palat. in Aq. Austr.*

gotium expeditionis Turcicæ usque in alia comitia differendum fuerit, Maximiliano Imperatore tam iniquis ipsorum tergiversationibus frustra obnitente.

Lutherus evocatur ad comitia Augustana: ubi à Cardinali Cajetano pressus, confitetur se velle sequi doctrinam Ecclesiæ Romanæ.

Inter hæc Lutherus à Pontifice Romam accersitus, Friderici Saxonis & aliorum operâ id impetraverat, ut à Legato Pontificio de doctrina sua audiretur in Germania: & quidem in comitiis Augustanis, ubi Legatus Pontificius, Cardinalis Thomas Cajetanus, adhuc agebat cum Cæsare & Principibus. Ab eo pressus impulsúsque, ut errorum suorum palinodiam caneret, fateri quidem noluit se errâsse; postridie tamen, puta VII. Idus Octobris, in consessu quatuor consiliariorum Cæsaris chartam aliquam suâ manu scriptam Cardinali tradidit, & eidem prælegit in hæc verba: *Ego Frater Martinus Luther Ordinis S. Augustini protestor, quòd revereor et sequar Sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus meis factis et dictis, præsentibus, præteritis, et futuris. Si quid mihi excidit, quod contrà vel aliter dictum fuit vel fuerit; rogo et volo, id pro non dicto haberi et habere.* Similiter & hoc anno scripsit ad Leonem Pontificem, suáque omnia eidem judicanda submisit hísce verbis: *Beatissime Pater! prostratum me pedibus Tuæ Beatitudinis offero cum omnibus, quæ sum et habeo. Vivifica, occide! voca, revoca! approba, reproba, ùt placuerit! vocem tuam vocem Christi in Te præsidentis et loquentis agnoscam.* Sed hæc agebat & scribebat vir nequissimus, ne initio statim videretur ab Ecclesia Catholica defecisse. Atque ideo, cùm adhuc acriùs urgeretur à Cardinale suprà dicto, ut errores hucusque sparsos apertiùs recantaret; periculi declinandi causâ clanculum se subduxit. Nec multò pòst ex urbe Wittenbergensi de confessione sua, coram Cardinale & aliis facta, perversè ac subdolè* ità scripsit: *Posteriorem responsionem meam, etsi cum multa reverentia dedi, ac velut in arbitrium summi Pontificis reposui: non tamen id me fecisse credas, quòd de re ipsa dubitem, aut animi sententiam sim unquam mutaturus; sed quia oportuit reverentiam servare ei, qui vice summi Pontificis fungebatur.* Sic eo tempore versipellis homo adhuc volebat videri reverens erga summum Pontificem, quem in corde penitus contemnebat. Quid ergò mirum, quòd pientissimus Imperator, in iisdem comitiis Augustanis, magnam Ecclesiæ pestem ab hoc virulento Monacho * concitandam esse vaticinatus fuerit, edixeritque Baroni Schenckio: *Video Cacodæmonem corporali specie, Monachi istius humeris incubantem! et te quidem superstite, me autem extincto, Monachus ille turbas, calamitates, et miserias gravissimas in Imperio suscitabit.*

Wittenbergam rediens, ad errores pristinos revertitur.

*apud Cochlæum in Actis Lutheri ad hunc annum in fine.

*Palat. in Aq Austr. Carol. Stengel in comment. rer. August. par. 2. c. 64 florimund. Remund. & alii.

Præter ista religionis dissidia, etiam in Westphalia turbæ quædam excitatæ sunt à Nicolao Dynasta Lingensi, Ottonis Comitis

Ericus Episcopus Monaster. Lin-

gam occupat, & Nicolaum Comitem propter depræ-dationes publicas è Dynastia ejicit. *chron. Monast. mſ. Chytræus l. 7. Saxon.*

Tecklenburgensis fratre. Invaserat hic vias publicas, infestaverat itinera, spoliaverat mercatores, maximéque Monasterienses, ditioni suæ vicinissimos. Ac tametsi idcirco ab Episcopo Monasterienſi de restitutione spolii compellatus esset, contemptis hujusmodi monitionibus non solùm recusabat ablata reddere; sed etiam anteriores injurias iterum atque iterum novis injuriis accumulabat. Quare Episcopus, rem experturus, castra locat ad urbem Lingam; eâque tandem expugnatâ, intrà breve tempus Dynastiam totam in suam suæque Diœcesis potestatem redigit. Interea Comes, liberorum expers, Joanni Clivorum Duci Lingense Dominium obtulit; id unum ab illo postulans, ut ejusdem auxilio Lingam reciperet, quàm diu in vivis ageret. Lætus eo munere Dux continuò scribebat ad Episcopum, simúlque minabatur, se hostem ipsius fore, nisi Linga quantocyus redderetur Nicolao Comiti. At Episcopus, ejusmodi minas flocci pendens, intrepidè respondit Clivio: *hostem alium à se nesciri, quàm Nicolaum Comitem: ab hoc se injuriis appetitum: hunc à se justissimo bello domitum; et veluti prædonem publicum dominio suo exutum esse. Id si Dux ulcisci velit, exspectari à se adventum ejus: sibi tam parùm formidinis esse ab hoste voluntario, ut etiam præfidat, suam Diœcesin filo serico circumducere; interímque videre, quis filum istud se nolente ausit incidere.* His intellectis, paulisper conquievit Clivius. Per Autumnum verò sequentis anni cœpit aggredi mercatores Monasterienses, præsertim eos, qui Coloniam nundinandi causâ cornutum pecus deducebant: eorúmque duos non solùm intercepit; verùm etiam rebus omnibus exspoliatos, in custodiam & captivitatem traxit. Offensus eo facto Præsul cogitabat illico parare bellum adversùs Clivium: petebátque in hunc finem à statibus patriæ, ut indulgerent sibi, à quolibet subdito per singula capita pauculos duntaxat nummos in hoc bellum exigi. At illi non putárunt operæ pretium fore, ut parvæ hujus Dynastiæ causâ Diœcesis tota in periculum caderet: ideóque petitionem istam non solùm rejecêre; sed etiam assiduis importunísque precibus Episcopum *adegerunt, ut Clivii Ducis comminationi cederet, & Nicolao Comiti Lingense dominium restitueret. Fecit igitur, utì volebant; sed animo invitissimo: memorántque passim Annalistæ Monasterienses, ex eo tempore Episcopum hunc præ dolore vel tædio paulatim ità contabuisse, ut biennio pòst, nimirum anno 1522. mortalem vitam deseruerit. Quin & iidem ipsi, qui restitutionem Lingæ tam impotenter urserant, suo damno didicêre postea, quàm improvidè & imprudenter egerint. Nam anno 1526 ingratissimus ille Comes recessit iterum à Joanne Clivio, seséque contulit in clientelam Caroli

Comes ejectus fugit ad Ducem Clivensem, qui frustra ab Erico petit restitutionem Dynastiæ, *chron. Monast. mſ.*

Clivensis aõ sequenti capit aliquos mercatores Monaster. *chron. Tremon. mſ. chron Monast. mſ.*

Dynastia Lingensis anno 1520 Nicolao restituitur, urgente Capitulo & statibus patriæ. *chron. Monast. mſ.*

*anno 1520

roli Geldrorum *Ducis : qui deinde ex eodem Lingensi oppido Monasterienſem Diœceſin pro inquieto ingenio ſuo non parùm divexavit. *Chron. Monaſt. Pontan. in hiſt. Geldr. ad an. 1526

De rebus Diœceſis noſtræ nihil hoc anno reperitur, quàm quòd Ericus Epiſcopus noſter, *feriâ ſextâ poſt Lætare*, in arce Reckenbergenſi prope Wiedenbrugum compoſuerit litem, in cauſa Delbrugenſi habitam cum Nobilibus de Hôrde, caſtri Bokenſis poſſeſſoribus. Item quòd Henricus Schrôder, electus Abbas in Marienmünſter, die undecimâ Auguſti ab eo confirmatus; & ſequenti anno, die viceſimâ Julii, per Suffraganeum ejus Joannem Epiſcopum Tepehlicenſem conſecratus fuerit. Ericus Ep. noſter componit litem cum nobilibus de Hôrde. *literæ Pad.* Confirmat electionem Abbatis Marienmünſter. *Henricus Abbas in Diario.*

Annus Chriſti 1519.

LEONIS X. Pontificis 6. & 7.
CAROLI V. Imperatoris 1.
ERICI Epiſc. Paderborn. 11.

SOlutis anno ſuperiore comitiis Auguſtanis, Imperator Maximilianus animi laxandi cauſâ Ænipontum, & indè poſt aliquot hebdomadas Kuffſteinium ſe receperat. Ibi febriculâ parvâ tentatus, juſſit illico ſe deferri Viennam Auſtriæ. Sed priusquam eò perveniſſet, incrementis tam celeribus aucta eſt morbi vis, ut Welſii in Auſtria ſuperiore iter inceptum ſiſtere compulſus fuerit. Aliam ergò viam ſibi proximè ineundam videns, primùm aliquoties pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta devotiſſimè ſuſcepit: deinde verò, die undecimâ Januarii, etiam oleo ſacro juxta ritum Eccleſiæ Catholicæ ſe inungi petiit. Quo peracto, cùm juberet, ſibi varias preces, inſupérque hiſtoriam Dominicæ Paſſionis uſque ad mortem prælegi; inter illa Evangeliſtæ verba (*Et inclinato capite emiſit ſpiritum*) ſuum & ipſe ſpiritum pientiſſimè emiſit horâ tertiâ poſt mediam noctem, die duodecimâ Januarii. Nulla penè virtus erat, quæ in hoc laudatiſſimo Principe ſedem non habuerit. Ut omnem animi tumorem evitaret, mortualem tumbam cum omni ſupellectile ad ſepulturam neceſſaria * tectiſſimè ſecum circumtulit; eámque frequenter inſpiciens, inquiebat clanculum intrà ſe: *quid te, Maximiliane, dilatas et extendis? quid multa poſſidens, plura appetis? tot Provinciæ, tot Regna, te non capiunt: et tamen erit, ut capiat te loculus iſte!* zelo fidei & religionis Catholicæ, deteſtabatur ſummopere turbulenta Lutheri dogmata: atque ideo pridie ſuæ mortis, quâ potuit extremâ voce, rogabat adſtantes Principes: Re-

Maximilianus Imperator hoc anno moritur die 12. Januarii. *Palat. in Aq. Auſt. Joannes Faber in oratione funebri apud Freher. to. 2 rer. germanic.*

Ejuſdem virtutes præclariſſimæ. *Palat. in Aq. Auſtr. Vernulæus in virtutibus domûs Auſtr. l. 3. c. 10.*

Renuntiate Carolo et Ferdinando nepotibus meis, ut Majorum suorum vestigiis insistentes, Catholicam religionem adversùs novorum dogmatum auctores et sectatores etiam cum vitæ periculo defendant.* Liberalitatem ejus, utì & opum terrenarum despicientiam, commendant exempla plurima; tum verò maximè hæc illius verba *cedro digna: *hominum custodia mihi demandata est; non opum: quibus, si semel caperer, illicò è Rege servus futurus sum.* Plura de his ac similibus videri possunt apud Vernulæum, Palatium, & alios non paucos.

*Vernul. ibid. l. 1. c. 1. Schönleben in diss. de de orig. Domûs Austr. part. 2. pag. 148. *apud Pal. in Aq. aust. pag 292.

Vacantem Imperii thronum ambiunt Carolus Austriacus Rex Hisp. & Franciscus I. Rex Galliæ.

Vacantem Imperii thronum ambiunt Reges, Franciscus I Galliarum Rex, & Carolus Hispaniæ Rex, defuncti Imperatoris ex filio nepos. Pro illo stabat Archiepiscopus Trevirensis; pro hoc autem Albertus Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus. Illum commendabat ætatis maturitas, potentiæ amplitudo, opum affluentia, Principum Italicorum favor, & Mahometici furoris refrænandi spes. Hunc autem præter ea, quæ in Gallo prædicari poterant, adhuc apertiùs commendabat sanguis Germanicus, propago Austriaca, Philippi patris jam defuncti egregiæ ad regendum dotes, ac denique in omnium oculis constituta felicitas, quâ Romanum Imperium sub ejus avo Maximiliano Cæsare gavisum fuerat. Itaque, ut averteretur omne incommodum, quod è suffragiorum diversitate subnasci poterat; Albertus Moguntinus in primo Electorum congressu, die decimâ septimâ Junii intrà urbem Francofurtensem habito, è diversis veterum exemplis ostendebat, quàm periculosa bella Germaniæ toti metuenda forent, si in electione novi Cæsaris inter se invicem discordes fuerint: ac proinde suaderi à se, ut ante omnia firmissimè sanctissiméque statuant, non alium Cæsarem se habituros aut proclamaturos esse, nisi qui unanimi omnium consensu electus sit. Id cùm ab omnibus maximopere approbatum atque receptum esset, sequenti die processum est ad consultationem alteram. In ea primùm Albertus Moguntinus, pro Rege Carolo perorans, inter alia proponebat: *Imperatoriam dignitatem non videri à Gallo alium ob finem appeti, quàm ut eam iterum à Germanis ad Gallos transferat. Id autem illi facillimum fore, si Imperator fiat. Sicut enim adhuc recenter Mediolanensem Ducatum avulsisset ab Imperio; ità eum pariter conaturum esse, ut provincias totius Belgii et alia, quæ Domûs Austricæ sunt, propter veteres inimicitias vi et armis ad se rapiat. Hac autem Domo enervatâ vel oppressâ, cogitarent ipsi, quænam umbra libertatis in posterum relinquenda sit penes alios inferiores Germaniæ Principes et Electores?* Silente Moguntino, ceteri Electores post brevem collocutionem petiêrunt à Trevirensi, ut & ipse pariter ediceret ea, quæ conceperat & studiosè comparaverat pro Rege Galliæ.

Electores, à Moguntino persuasi statuunt, se non habituros alium Cæsarem, quàm qui unanimi consensu elect⁹ fuerit. *Palat. in aquil. Aust. Sabinus de electione Caroli V.*

Albertus Moguntinus perorat pro Carolo. *Auctores iidem.*

Trevirensis perorat pro Francisco I.

At

At ille, jam devictus à Moguntino, potissimùm adducebat: *quàm florens olim ac fortunatus fuerit Imperii Romani status, quando sub Carolo Magno et quibusdam alius Francorum Imperatoribus Germani et Galli ferè in unam Rempublicam coaluêre. Hanc verò ætatem auream, hæc secula felicissima reduci posse per electionem Francisci Regis. Neque eidem obstare sanctionem Bullæ, ùt vocant, aureæ: quippe quæ suo judicio tantùm excludat eos, qui nullam veteris Imperii ditionem possident. Inter hos autem non esse Regem Galliæ, utpote regni Arelatensis et Mediolani possessorem.* Videbatur hæc oratio, & quidquid in ea roboris erat, jam satìs elisum esse per verba Moguntini. Pro majori tamen consultationum facilitate placuit etiam audire Fridericum Saxonem, cognomento *sapientem*. Respondit ille sinè magnis verborum ambagibus: *Dubitari in primis à se non posse, quin electio Galli prohibita sit per Bullam auream; adeóque frustra laborari in hac aliter explicanda. Deinde et illud planum esse, quòd Carolus Hispaniæ Rex verè ac propriè sit Princeps Germanicus, tametsi materno titulo ad Coronam Hispaniæ evocatus fuerit. Denique et sole clariùs versari in oculis omnium, quòd periculosis hisce temporibus necesse sit, ejusmodi Imperatorem circumspicere, qui istius fastigii Majestatem et opibus illustrare, et magnâ potentiâ tueri possit. Talem verò inter modernos Germaniæ Principes alium non occurrere, quàm Carolum Hispaniæ Regem, Austriæ Archiducem, Belgii totius Ducem.* Hæc ubi pro singulari sapientia sua protulerat Saxo, ferè omnium septemvirorum vota in eandem sententiam inclinavit: Ipséque Trevir eatenus assensum præbuit, ut, etiamsi Galliæ Regem Hispano præhaberi cuperet, fateretur tamen, se publicæ quietis causâ ab aliorum votis non esse dissensurum. Subinde adhuc aliqui dies conscribendis, utì vocant, capitulationibus insumpti sunt; atque ità demum, die vicesimâ octavâ Junii, Carolus Hispaniæ Rex Francofurti ad S. Bartholomæum communi omnium suffragio delectus ac proclamatus est.

Fridericus Saxo censet indubiè stando esse pro Carolo: *Auctores iidem.*

Qui tandè unanimib⁹ votis eligitur die 28. Junii.

Pridie, quàm ista fierent Francofurti, celeberrima disputatio instituì cœpit in urbe Lipsia inter Andream Carlstadium Lutheri asseclam, & Joannem Eckium Sacrosanctæ Theologiæ Doctorem ac Professorem Ingolstadiensem. Occasionem huic pugnæ literariæ dederant annotationes quædam, ab eodem Eckio primis Lutheri propositionibus appositæ, & alicui amico traditæ. Hæ cùm incidissent in manus Carlstadii, audacissimis animis ad certamen scholasticum provocavit Eckium, nihil ambigens, facillimum sibi triumphum fore à viro tali, quem Lutherus antea comparaverat *Leoni mortuo*. At alium planè virum in eo reperit, quàm à Luthero depictus fuerat. Nam ab isto *Leone mortuo* in congressibus publicis, de gratia & libero hominis arbitrio habitis, adeò admor-

Carlstadius in urbe Lipsia infeliciter disputat cum Eckio. *Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. rer. gest.*

morsus ac dejectus est, ut non modò laudem nullam; sed etiam ingentem sui confusionem è prædicto certamine reportârit, uti præter Cochlæum & alios contestatur Casparus Peucerus, Catholicæ religionis hostis infensissimus. Neque tamen hîc finis pugnæ; debellato enim Carolstadio etiam ipse Lutherus, ùt athleta novus, in arenam prodiit: sed æquè ac magìs infeliciter. Nam in ipso statim literarii congressûs limine, cùm rogaretur, ut modestè ac religiosè ageret; priùs irâ quàm argumentis victus, non sinè maximo auditorum scandalo exclamavit: *non propter Deum res ista cœpta est, nec propter Deum finietur.* Per quæ verba quid aliud voluit, quàm hujusmodi novitates à se procusas esse in nomine atri istius genii, de quo* alio in loco dixit, *se nonnisì Theologum speculativum fore, si non semper cacodœmonem suo collo incubantem gereret.* Deinde & in ipso disputationis cursu ità pressus est ab eodem Eckio, ut fateretur primò, *se non impugnare, nec Christianè à quoquam impugnari posse primatum et obedientiam Romanæ Ecclesiæ.* Secundò, *credere se et scire, quòd detur purgatorium; fieríque mentionem ejus in sacris literis.* Tertiò, *admitti etiam à se illud Macchab. 2. c 12. Sancta et salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.* Sed in ea confessione coram Eckio facta non diu perstitit homo versatilis, & modò asserens, modò negans eadem. Nam paulò pòst recessit iterum ab hac sententia, similis illi, de quo Horatius l. 2. satyrâ 7.

- - - Vertumnis, quotquot sunt, natus iniquis,
Vixit inæqualis, clavum ut mutaret in horas.

Similiter & Luther⁹ ibidem vincitur; & fatetur, rem hanc non esse cœptã propter Deum. *Cochlæus & Surius loc. cit.* *Embser. in script. contra Lutherum.* *Pichler in append. Theologiæ polem. & alii ab eo cit.*

Otigo belli Hildesiensis, hoc anno habiti. *Chytræus l. 3. Saxon ad ann. 1519. Lezner in Chron. & alii.*

Erupit & hoc anno grave bellum Joannis Episcopi Hildesiensis, ex ducibus Saxo-Lawenburgicis, paulò antè concitatum à vasallis ejus, Nobilibus viris de Salderen. Redemerat ab his Episcopus Præfecturam aut Satrapiam Lawensteinianam, quam iisdem oppignoraverat prædecessor ejus Bertholdus. Id cùm ægerrimè ferrent Salderi, Præfecturæ istius retinendæ avidi; mense Julio prioris anni cum prædatoria cohorte in eandem Præfecturam irruerunt: direptísque pagis & villis agrestibus, etiam oppidum Lawensteinienſe injectis per noctem ignibus concremârunt. Nec minore truculentiâ in Diœcesin Hildesiensem sævìit eorundem Salderorum fautor, Franciscus Episcopus Mindensis, ex domo Brunsvicensi, homo ad galeam potiùs, quàm ad infulam gerendam natus. Præterquam enim, quòd hujusmodi grassatoribus tutissimum in Diœcesi sua receptum præstitisset; etiam ipse eodem ferè tempore, quo Lawensteinium adorti sunt Salderi, in Præfecturam Artzensem irruit: frustráque oppugnato Artzensi castro, circumsitos hinc inde pagos rapinis ac direptionibus miserrimè depopulatus est. His

Nobiles Domini de Saelderen, & Francisc⁹ Episcopus Mindensis infestant Hildesiensem Diœcesin anno præcedente *Chytræus loc. cit.*

offen-

offensus Hildesiensis imploraverat opem Henrici Ducis Luneburgensis in Zell. Et hic iterum iterúmque Mindensem Episcopum studiosè monuit, ut ab ejusmodi injuriis abstineret, & ab iniqua Salderorum factione vel tumultu se retraheret. At ille consanguineorum suorum, videlicet Henrici, Erici, & Wilhelmi, Ducum Brunsvicensium auxilio fretus, non modò admonitiones istas non admisit; verùm etiam in ipsum admonitorem pervicacissimè insurrexit, filiámque ejus Elisabetham, Carolo Geldro desponsatam (cùm in sponsi amplexum properaret) prope Mindam urbem à fluvii Visurgis transitu prohibere studuit. Quare tandem Hildesiensis, nullam concordiæ spem supereſſe videns, ad arma se convertit, cum Henrico Luneburgico fœdus contrahit, Carolum Geldrum Henrici generum sibi adjungit, ab Erico fratre suo Monasterienſi Episcopo militare subsidium postulat, denique etiam vicinos Comites, Jodocum de Hoya, Simonem de Lippia, Fridericum de Diepholt, Antonium & Joannem de Schawenburg, omnes Francisco Mindensi infensissimos, & ab eo plurimis injuriis appetitos, contra communem hostem in bellum sociale vocat. Ab his adjutus, exeunte quadragesimâ præsentis anni castra movit in Diœcesin Mindensem, devictâque illius arce primariâ, quæ Petershagium dicitur, intrà breve tempus toto Mindensi territorio unà cum urbe Minda potitus est. Inde Episcopus & fœderati ejus verterunt arma contra Duces Brunsvicenses, Franciſci jam debellati consanguineos: nam & illi Salderis aliisque rebellibus in Ducatu suo receptum dederant, & Franciſci Mindensis petulantiam consiliis & auxiliis confirmârant. Initio res utrimque gesta est ferè solis agrorum finiúmque populationibus: at exiguo cum fructu partium. Dum enim fœderati ex uno latere incurrebant in terras Brunsvicensium; hi vicissim ex alio latere incurrebant in terras Hildesienses & Luneburgenses: donec tandem prope Soltoviam in Ducatu Luneburgico ambo exercitus sibi invicem occurrerunt. Conflictum hîc die vicesimâ octavâ Junii, certatúmque fortiter ab utraque parte: sed longè fortiùs à cataphractis Monasterienſibus & equitatu Geldrico. Hi enim acerrimâ impressione ità se intruserunt in hostiles cuneos, ut iisdem tormenta omnia & eorum usum eripuerint. His autem ereptis Brunsvicensium acies quantocyus in fugam acta, & ab Hildesienſibus fœderatis ingenti clade prostrata est. Memorantur ex hostibus in loco prælii cecidisse tria vel quatuor millia. E captivis præcipui fuêre duo Duces Ericus & Wilhelmus Brunsvicenſis, duo Comites Wünstorffius & Regensteinius, centum & viginti viri Nobiles, intérque eos etiam Burchardus de Salderen, belli totius fons & origo:

Henricus Dux Luneburgensis, ab Hildesiensi Episcopo imploratus, monet Mindensem, ut à factione Salderorũ se retrahat, sed nihil efficit. *Chytræus loc. cit.*

Joannes Episcopus Hildesiens. contractis aliorum Principum amicitiis & auxiliis, hoc anno invadit & occupat Diœcesin Mindensẽ. *Chytræus ibid.*

Ann. Hild. Inde cum fœderatis convertit se contra Duces Brunsvicenses, Franciſci Mindensis consanguineos & adjutores. *Auctores iidem.*

Brusvicenses gravissimè cæduntur à fœderatis Hildesiensibus. *Chytr. l. 8. Saxon. ad ann. 1519.*

Inter alios capiuntur Ericus & Wilhelmus Duces Brunsvic.

origo: nec multùm abfuit, quin caperetur etiam Henricus Dux, præcipiti fugâ tandem elapſus. Denique & in prædam accepta ſunt tormenta bellica viginti quatuor, vaſa pulveris nitrati ſeptuaginta, equi militares propè octingenti, currus onuſti ampliùs mille, ſupellex argentea Ducum, & alia quàm plurima.

Ericus Dux Brunsvicenſis libertatem ſuam redimit, & Hoyano Comiti reſtituit arces ante ſeptennium ablatas. *Chytræus ibidem.*

Exeunte poſt hæc menſe Julio Ericus Brunsvicenſis, qui in cuſtodia Henrici Luneburgenſis erat, libertatem ſuam redemit eâ lege, ut præter ingentem pecuniæ ſummam, detentori ſuo perſolvendam, Hoyano Comiti reſtitueret Erenburgum, Barenburgum, & Stoltenaviam arces, eidem Comiti ante ſeptennium ablatas. De reliquis autem captivis, totóque belli negotio, à vicinis Electoribus exeunte hoc anno conſtitutum eſt *primò*, ut novæ armorum induciæ, prioribus jam elapſis, utrimque fierent & ſervarentur uſque ad finem ſequentis anni. *2dò*, ut Franciſcus Mindenſis, auditis ambarum partium querelis, intrà ſextam hebdomadam Epiſcopatui ſuo reſtitueretur. *3tiò*, ut Wilhelmus Brunsvicenſis, aliíque Domini captivi, cautione præſtitâ relaxentur; ſed elapſo induciarum tempore in priorem cuſtodiam redeant, niſi res eorum interea transactæ fuerint. *4tò*, ut Henricus Brunsvicenſis Burchardum de Salderen nec receptu nec opibus juvet: ceterarum verò controverſiarum causâ, Moguntinus, Saxo, & Brandeburgicus Electores, intrà tempus induciarum conveniant, & eaſdem complanare ſatagant.

Porrò Ericus Epiſcopus noſter, etiamſi Ducum Brunsvicenſium conſanguineus, & iiſdem fœdere* conjunctus fuerit, à bello tamen ſuprà dicto videtur ſeſe penitus retraxiſſe. Nam eodem hoc anno, *feriâ quintâ poſt Dominicam Miſericordia Domini*, in urbe Lipſtadienſi cum diverſis Comitibus, etiam iis, qui contra Brunsvicenſes Hildeſienſi Antiſtiti adhærebant, mutuæ defenſionis & aſſiſtentiæ tractatum iniît: utì edocemur ex ejuſdem Erici literis de anno 1523, in quibus ille tractatus allegatur unà cum his Dominorum paciſcentium & contrahentium nominibus, *Philippus Dux Brunsvicenſis, Erici Antiſtitis frater, Wolffgangus Princeps Anhaltinus Aſcaniæ Comes, Wilhelmus Comes Hennebergenſis, Philippus ſenior, Philippus medius, pater ac filius, et Philippus junior Comites Waldecenſes, Ewerwinus et Arnoldus cognati Comites in Benthem et Steinfort, Simon Comes de Lippia, Jodocus et Joannes Comites Holſatiæ et Schawenburgi, Otto Comes Rittbergenſis, Conradus Comes Tecklenburgenſis, Jodocus, Joannes et Ericus Comites Hoyani, Friderícus Comes Diepholdienſis, Ulricus Comes de Regenſtein et Blanckenburg, Wolffgangus Comes de Gleichen, Gebhardus et Albertus fratres Comites de Mansfelt, Balthaſar et Chriſtophorus fratres de Mülingen et Barbey, Hen-*

**Vide dicta ad annum 1516.*

Ericus Epiſcopus Pad. & Oſnabr. hoc anno mutuæ defenſionis fœdus Lipſtadii iniît cum pluribus Comitibus. *Literæ Erici Epiſcopi de aõ 1523.*

Henricus senior Dominus de Schlaitz et Lobenstein, Henricus Reuß de Plawen Dominus de Graitz et Chranichfelt etc.

Annus Christi 1520.

LEONIS X. Pontificis 7. & 8.
CAROLI V. Imperatoris. 1. & 2.
ERICI Episcopi Paderborn. 12.

MEnse Junio Carolus V. Imperator feliciter ex Hispania in Belgium appulsus, maximisque gaudiis ibidem non solùm à Ferdinando fratre & Margarethâ amitâ gubernatrice; verùm etiam ab innumeris Germanicorum Principum urbiúmque Legatis exceptus est. Mansit illic trimestri circitèr aut paulò ampliùs; & interea curabantur omnia, ad solennem coronationis pompam necessaria. His autem adornatis, die vicesimâ 2dâ Octobris cum incredibili splendore Aquisgranum venit; posterâque die ibidem in Ecclesia, Caroli Magni sepulchro inclyta, inter lætissimas Procerum populíque acclamationes Germaniæ Rex inunctus & consecratus fuit. Modus & forma coronationis ferè nihil singulare habuit ab aliis ejusdem antecessoribus: cetera verò, quæ ad solennem urbis ingressum pertinent, admodum superba erant, & magnifica visu. Horâ post meridiem secundâ, in aperto campo venientem excepêre Principes Electores cum omni Clero urbico & innumera populorum turba; peractísque gratulationum officiis, hoc ordine in urbem Regiam deduxerunt. Primus omnium anteequitabat Marchio Brandeburgensis cum triginta equitibus vexilliferis. Insequebantur mox tria millia peditum Germanicorum; & post eos Dux Juliacensis cum quadringentis equitibus gravis armaturæ: qui tamen omnes rectâ per urbem viâ rursum egressi sunt per aliam portam, ut omnia circa urbem loca suis excubiis tutarentur. His è vestigio succedebant equitatus Electoralis, nimirum Saxonicus, Palatinus, Brandeburgicus, Moguntinus, Trevirensis, & Colonensis: tum deinde Aula Regia cum primaria totius Belgii Nobilitate, auro gemmísque fulgida: postremò equitatus Imperatorius circitèr bis mille capitum, cum duodecim tubis tympanísque æneis. Prægresso hoc splendore militari, qui potissimam diei partem absumebat, consecuta est ingens diversorum Religiosorum Aquisgranensium turba, in suas classes pulcherrimè distributa: póstque illos, interjectis iterum duodecim æneatoribus ac tubicinibus, Majoris Ecclesiæ Canonici, complures Divûm reliquias

Carolus V. è Regno Hispaniæ veniens, Aquisgrani coronatur die 23. Octobris. *Palat. in Aq. Austr. Hartmannus Maur. l. de coronat. Caroli V.*

Solennis ingressus Caroli V. in urbem. *Palatius in Aq. Austr. Hartmannus Manrus loc. cit.*

quias, maximéque S. Caroli Imperatoris caput, & crucem Domini Servatoris noſtri præferentes. His autem proximè inſiſtebat Collegium Electorale, nitidiſſimis in equis conſidens, & novum Imperatorem in medio ſuî complectens: nimirum primo loco Trevirenſis, cui à dextris adequitabat Elector Palatinus, & à ſiniſtris Legatus Electoris Brandeburgici: tum Udalricus de Pappenheim, loco ægrotantis Friderici Saxonis evaginatum gladium ante Majeſtatem Cæſaream vibrans: mox Imperator argenteo veſtitu rutilans, deinde Moguntinus & Colonienſis Electores, poſtremo loco Legatus Regis Bohemiæ, velut ſeptimi Electoris. Infra hos verò ſequebantur tres Cardinales, nimirum Guilielmus Croyus Cardinalis & Archiepiſcopus Toletanus, Matthæus Langius Cardinalis & Archiepiſcopus Salisburgenſis, Matthæus Schinerus Cardinalis & Epiſcopus Sedunenſis, aliíque Regum, Principum, urbiúmque præcipuarum Legati. Denique totam hanc introductionis & ingreſsûs pompam conclusêre duo millia Cæſareorum equitum, quorum ſingulæ turmæ diverſo colore veſtium diſgregatæ, atque ad omnem ſplendorem compoſitæ erant.

Aquisgrano Cæſar propediem abſceſſit Coloniam, ubi primò indixit comitia Wormatienſia ad initium ſequentis anni: deinde etiam urbi Tremonienſi confirmavit Comitatum Tremonienſem.

Peractâ coronatione Carolus Imperator vix ultra biduum Aquisgrani perſtitit; atque inde Coloniam Agrippinam ſe recepit, quò & ceteri Principes, propter metum invaleſcentis peſtilentiæ, vel jam antè præiverant, vel abeuntem proſecuti ſunt. Ibi primùm indixit comitia publica, ſub initium ſequentis anni celebranda Wormatiæ. Deinde quàm plures urbium Imperialium Legatos audiit, intérque eos Hildebrandum Schwartzium, Conſulem ac Legatum Tremonienſem; qui & ibidem die ſextâ Novembris impetravit confirmationem Tremonienſis Comitatûs, Magiſtratui urbico ante ſedecim annos à Maximiliano Cæſare conceſſi. Diploma Germanicum, ea de re conſcriptum, exhibetur* à Weſthovio, ejúsque initium & finis hoc modo ſonat. *Nos Carolus quintus, electus Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Germaniæ, Hiſpaniæ, utriusque Siciliæ Hieroſolymæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. Rex, Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ etc. Comes Habspurgi, Flandriæ, ac Tirolis etc. - - - Datum in noſtra et Imperii noſtri civitate Colonia, die ſexto Menſis Novembris, Anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo viceſimo, Regnorum noſtrorum, Romani ſecundo, ceterorum verò omnium quinto.*

*Weſthov. in chron. Tremon. mſ. ad ann. 1504.

Lutherus à Leone condemnatus, impudentiſſimè furit contra ipſum.

Pergebat interea Lutherus non modò novos quotidie errores cudere; ſed etiam Bachârum inſtar furere ac ſævire. Dederat ille quidem die ſextâ Aprilis humaniſſimas ad Papam Leonem literas, in quibus fatebatur, ejus vitam adeò ſanctam & inculpatam eſſe, ut à nemine convitiis appeti, niſi per ſummam injuriam poſſit. Ce-

Celebratior, inquiebat, *et augustior est, in omni terrarum orbe, vitæ tuæ inculpatæ fama, quàm ut à quovis vel maximi nominis possit impeti.* At ubi paulò pòst doctrinam suam ab eodem Papa damnatam audiit, non modò totis conviciorum plaustris in eundem involavit; verùm etiam ipsius famam propudiosis imaginibus putidissimè proscidit. Modò enim depingi illum fecit ùt Cacodæmonem cum horrendis cornibus, modò ùt draconem cum diductis faucibus, modò ùt monstrum hominis cum asininis auribus, modò aliis inficetis expressionibus, adeò turpibus & injuriosis, ut existimarentur, potiùs ab infami scurra, quàm à Doctore Christiano & ingenuo proficisci. Quin imò cùm audisset, suos libros ex decreto Caroli V. Imperatoris in Belgio combustos esse; adeò vehementer excandescere, & in furias agi cœpit, ut studiosam juventutem die decimâ Decembris Wittenbergæ convocaverit, & coram ea Papalem suæ damnationis Bullam, unà cum toto jure Canonico, suismet manibus concremârit.

Cochlæus in actis Lutheri. Pistori⁹ in Anatomia Lutheri. & plures alii.

Eodem hoc anno multis in locis grassata est feralis pestilentia: quæ in aliquibus provinciis, teste Spangenbergio, tam sæva fuit, ut etiam in sylvarum ac montium abdita sese penetraverit. Hæc & Aquisgranum ingressa erat paulò antè, quàm ibidem procederetur ad coronationem Cæsaris: interímque sic invaluit, ut Imperatorem coëgerit, re peractâ cum Principibus congregatis Coloniam fugere. In Diœcesi quoque nostra videtur ea non modicam stragem edidisse. Nam è solo Monasterio B. MARIÆ (vulgò Marien-Münster) septem viros religiosos è vivis abstulit, quemadmodum loci istius Abbas Henricus Schrôder in diario suo annotavit hísce verbis: *Anno 1520. P. Nicolaus Cellerarius noster, cum aliis sex Monasterii nostri Religiosis decessit in pestilentia.*

Pestis hoc anno grassata est Aquisgrani, Paderbornæ & in aliis provinciis. *Spangenb. in Chron. Mansfeld. Diarium Henrici Abbatis in Marienmünster.*

Annus Christi 1521.

LEONIS X. Pontificis 8. & 9.
CAROLI V. Imperatoris 2. & 3.
ERICI Episc. Paderborn. 13.

MEmorabilis hic annus fuit à comitiis Wormatiensibus, quæ præsente Carolo V. Imperatore à die sextâ Januarii protracta sunt usque in mensem Majum. Aderant illi Principes frequentissimo numero. Et quidem è statu Ecclesiastico, Albertus Cardinalis & Elector Moguntinus, Richardus Elector & Archi-Episcopus Trevirensis, Hermannus Elector & Archiepiscopus Co-

Carolus V. initio hujus anni comitia Wormatiensia celebrat.

Colonienſis Matthæus Cardinalis & Archiepiſcopus Salisburgenſis, Chriſtophorus Archiepiſcopus Bremenſis, Georgius Epiſcopus Bambergenſis, Conradus Herbipolenſis, Reinardus Wormatienſis, Georgius Spirenſis, Chriſtophorus Auguſtanus, Guilielmus Argentinenſis, Joannes Hildeſienſis, Erneſtus Paſſavienſis, Franciſcus Mindenſis, Erardus Leodienſis, Hieronymus Brandeburgenſis, & alii non pauci. E ſtatu autem ſeculari, Fridericus Elector Saxoniæ Dux, Joachimus I. Elector Brandeburgicus, Ludovicus Elector Palatinus, Joachimus & Joannes Brandeburgenſis Electoris filii, Georgius & Joannes Saxoniæ Duces, Wilhelmus, Otto, & Joannes Bavariæ Duces, Fridericus & Caſimirus Marchiones Brandeburgici, Ericus & Henricus Duces Brunsvicenſes, Henricus & Albertus Duces Mecklenburgici, Philippus Haſſiæ Landgravius, Philippus Marchio Badenſis, Antonius Comes de Schawenburg, aliíque Duces & Comites penè innumeri.

Lutherus, ad ea comitia evocatus protervè renuit ſuos errores revocare.

In horum Auguſtiſſimo conſeſſu paulò pòſt etiam Lutherus, acceptis publicæ fidei ſecuritatísque tabulis, comparere juſſus eſt. multa enim blaſphema, ſeditioſa, impia, & Germanicæ quieti inimica, ex ejuſdem libellis prælegerat Legatus Pontificius, quæ Fridericus Saxo, & alii fautores ejus, negabant eſſe ab eo ſcripta vel typis data. Venientem, alterâque poſt adventum die, quæ erat decima ſeptima Aprilis, ad comitia publica introductum, Joannes ab Eck*Trevirenſis Archiepiſcopi Vicarius Generalis nomine Cæſaris interrogavit palàm: *Num libellos hos*, quorum titulos & inſcriptionem prælegebat, *agnoſcat ùt ſuos?* cúmque id affirmâſſet præter opinionem Friderici Saxonis, ulteriùs inquiſivit: *an ea, quæ in ejuſmodi libellis contenta ſunt, etiamnunc tueri velit, an verò aliqua ex iis revocare et expungere?* Hærebat ad hæc Lutherus, petebátque deliberandi ſpatium: id quod ei permiſſum eſt uſque in diem craſtinam. Tunc autem rurſus ad comitia vocatus, cùm extra ſcopum quæſtionis non pauca diceret, ideóque rurſus urgeretur, ut ſimpliciter & categoricè reſponderet ad quæſtionem herì propoſitam; demum impudenti ore prorupit *in hæc verba: *Quoniam Sacra Cæſarea Majeſtas veſtra ceteríque Principes ità jubent ac volunt, dabo reſponſum, neque cornutum, neque dentatum. Ego nec volo nec poſſum revocare quidquam, nisì convictus fuero, vel ſcripturarum teſtimoniis, vel evidenti ratione: Etenim neque Papæ, neque ſolis conciliis credo; quia ſcio illos, et errâſſe crebriùs, et ſibimet ipſis contradixiſſe.*

Palatius in Aq. Auſtr.
Cochlæus in actis Lutheri.
Surius in comm. rer. geſt.
Spond ad hunc ann
**Diverſus à Joanne Eckio Doctore Ingolſtadienſi.*
**Auctores iidem.*

Offendebat plerosque Principes tam infrunita reſponſio Monachi, ſuam ſolius opinionem tot ſanctorum Patrum & conciliorum auctoritati præferentis. Neque dubium eſt, quin Cæſar ſta-

tim

tim adversùs eum, veluti manifestum hæreticum, fuisset processurus; nisì jam antè fide publicâ addixisset Friderico Saxoni, Doctorem hunc Wittenbergicum sinè omni nocumento reducendum esse. Certè Cæsar ab eo tempore scelus illud è suis oculis exesse voluit; ac demum die octavâ Maji severissimo edicto cavit sub pœna banni vel proscriptionis Imperialis, ne quis deinceps eum vel ejus complices, adhærentes, fautores & sectatores, receptare, defendere, sustentare, fovere, dicto, facto, aut scriptis publicis præsumeret. Quin & eodem decreto jussit, ut elapso viginti dierum, à die vicesima quinta Aprilis computandorum termino, quisque Principum adversùs eum, ubicunque deprehensus fuerit, juxta formam Imperialis Banni procederet; vel certè injectis manibus tam diu sedulò custodiri faceret, donec ipse Imperator, eâ de re certior factus, indicaret illi, quid hoc homine fieri, & quali quantâque pœnâ in eundem animadverti vellet. Occisissimus tunc fuisset homo pestilens, nisì clancularìe servâsset illum nova Saxonis astutia. Is, cùm audisset hujusmodi edictum cudi, intráque dies paucos evulgandum esse; jussit illico, Lutherum ab hominibus larvatis in via corripi, & in aliquam suarum arcium, quam ipse primùm nescire voluit, secretissimè abduci. Arcem hanc plerique *Wartenburgum*, Lutherus autem arroganti nomine suam *Pathmum* appellavit: in eâque sub initium tam occultè latuit, ut silente simulantéque Saxone, permulti crederent, eum ab Imperatore Carolo vel è vivis exturbatum, vel in abstrusam custodiam abreptum esse. Prorupit tamen ea fraus post menses pauculos: imò Lutherus ipsemet eam prodidit variis libellis literísque seditiosis, ex eadem *Pathmo* in vulgus editis. Quæ tametsi hæresibus doctrinísque pessimis repletæ essent, ejusmodi plausum acceperunt apud indoctum vulgus, ut eundem (si fas est dicere) infinitis laudibus in cœlum tulerint. Quin & aliqui ob amorem ejus in eam blasphemiam proruerunt, ut eodem anno duos nummos honorarios procudi fecerint, in quorum uno Lutherus in veste *Monachali visus est cum hac inscriptione: *Beatus venter, qui te portavit*; & in altero similiter ejusdem imago cum hoc impiissimo versu:

Hæresibus si dignus erit Lutherus in ullis;
Et Christus dignus criminis hujus erit.

Ceterùm furtiva ista Lutheri abductio id effecit, ut hìc in primo persecutionis & proscriptionis æstu extra omnem teli jactum poneretur. Quòd antem postea, cùm illæ Saxonis fraudes jam ubique palàm fierent, idipsum Cæsaris edictum ad executionem deduci non potuerit; adscribendum est Francisco Galliarum Regi, ejusdémque bellis contra Cæsarem hoc anno motis. Invaserat ille Re-

Cæsar Lutherum abire jubet, eumq; & omnes ejus receptores, fautores & sectatores proscribit edicto publico. *Palat in Aq Austr. Spond ad hunc ann. & alii.*

Lutherus, ne quid mali pateretur ex hoc edicto, jussu Friderici Saxonis clàm abducitur Wartenburgũ. *Palat. Spondan. Cochlæus. & Surius ad hunc annum.*

A Lutheranis eidem ineptissimè applauditur, in ò & blasphemè.

Weisslinger l. Von gest frist. pag. 70. Juncker in vita Lutheri. nummis & iconibus illustratâ.

Franciscus GalliæRex, absente Carolo Rege, invadit & occupat Regnum Navarræ. *Palat. in Aq. Austr. Spond. hic n. 6. Bartoli de Vita S. Ignatii l. 1. pag. 4. & seq.*

Regnum Navarræ. Et quia per absentiam Cæsaris Hispania tota laborabat rebellionibus intestinis; facillimè Navarram omnem occupaverat, exceptâ arce Pampelonensi, in quam Ignatius de Lojola victâ urbe se injecerat. Et hic quidem fortissimè defendit eam, quàm diu viribus & corpore sanus fuit. At ubi postmodum lapis muralis, jactu globi tormentarii excussus, pedem ejus alterum comminuit, & alterum gravissimè sauciavit; etiam arx ista, meticulosi gubernatoris ignaviâ, decimo quarto Kalendas Junii in potestatem Gallorum venit. Indè animus ità increvit Gallo, ut etiam trans Iberum amnem sua signa ferre, & in ipsa Castellæ viscera se infundere non dubitaverit. Sed eventu planè improspero. Nam interea, cæsis peremptísque rebellium antesignanis, tota Hispanorum militia conjunctis in unum viribus, obviàm sese Gallis trans fluvium Iberum tulit: initóque ibidem prælio, tam insigni clade eos profligavit, ut captis eorundem beliducibus, Navarra tota eâdem facilitate, quâ priùs amissa fuerat, ab Hispanis recepta sit. Neque hîc finis fuit infelicitatis Gallicæ. Imperator enim invasione Gallicâ lacessitus, percusserat interea fœdus cum Pontifice, ad invadendum hoc anno Gallum in Italia. Paulóque pòst amborum exercitus ibidem coîit sub egregiis beliducibus, quorum præcipuus erat Prosper Columna, exploratæ virtutis miles. Prima deinde vis impressa est urbi Parmæ. Quâ cadente, etiam Placentia, Papia, & Cremona ad repentinam deditionem compulsæ sunt. Indè victores contra Mediolanum versi, Gallorum castra disjecerunt, cedentibus primùm Venetis, Gallo junctis; reliquis verò cum Lautrecio, Principatûs Mediolanensis gubernatore, tumultu magìs ac metu panico, quàm Cæsareo ferro in fugam actis. Corona victoriæ fuit urbis Mediolani deditio. Quæ sequenti nocte Cæsareo Marti portas aperuit; suóque exemplo etiam Alexandriam, Comum, Laudam*, aliásque non paucas urbes, in Caroli V. potestatem progressu tam felice traxit, ut intrà breve tempus Insubria ferè tota, excepto Mediolanensi castro, à Gallorum servitute liberata fuerit.

Inde progressus in Castellam, ità cæditur ab Hispanis ut Navarrã totam rursus amiserit *Palatius Spond. & alii.*

Nec multò pòst etiam in Italia cæditur, ejicitúrq; rursũ è Ducatu Mediolanensi. *Spond. hîc n. 7. Palat. in Aq. Austr. & alii.*

*Lodi.

Nihil funestius nationi Germanicæ poterat accidere, quàm ista amborum Regum discordia. Hac enim inceptâ, ac deinde quàm plurimis annis inter concatenatas bellorum turbas protractâ, Lutherus optatissimam occasionem habuit ad suas hæreses libere securéque divulgandas, utì ex annorum sequentium decursu planum fiet. Interea adhuc paululùm revertamur ad comitia Wormatiensia; maximéque ad ea, quæ ibidem acta sunt in causa Episcopi Hildesiensis & fœderatorum ejus, contra Duces Brunsvicenses aliósque Dominos, ante biennium in bello Hildesiensi captos.

La-

Laboraverant in componendo hoc dissidio tres Electores, Moguntinus, Saxo, & Brandenburgicus. At, cùm in duobus congressibus, mense Januario Majóque ante annum habitis, res ea ad optatam concordiam perduci non potuerit; partes ambæ in comitiis Wormatiensibus hoc anno comparere, ibique suas controversias novo Cæsari dijudicandas proponere jussæ sunt. Quo peracto Carolus Imperator communi Principum consilio primùm tres Commissarios in inferiorem Saxoniam ablegavit, qui intrà spatium quadrimestre, adhibitis ab utraque parte quibusdam arbitris, controversiam hanc amicabili viâ dirimere studerent. Deinde etiam severissimo edicto cavit, ut ambarum partium captivi unà cum oppidis, arcibus, & pagis, quæ alter alteri eripuerat, intrà mensem traderentur in manus ac potestatem Cæsareæ Majestatis, usque ad exitum totius causæ: &, siquis ambarum partium id recusaverit, certò sciret, se Imperatoriæ proscriptionis pœnâ, & omnium bonorum, beneficiorum, ac Regalium amissione mulctatum iri. Oportebat Episcopum Hildesiensem tam severis præceptionibus morem gerere. At ille iterum iterúmque de obedientia præstanda monitus, non modò non obediit; verum etiam captivos à se detentos adhuc arctiùs custodiri & adstringi jussit. Quare tandem Imperator (qui tunc agebat Gandavi in Flandria) sententiam banni, vel proscriptionis contra omnes immorigeros tulit; simúlque Ducibus Brunsvicensibus, Henrico & Erico, demandavit, ut sententiam à se datam executioni darent. Consternatus indè Luneburgicus, priusquam ab imminenti fulmine propiùs tangeretur, continuò suorum amicorum operâ transegit cum Brunsvicensibus: idémque & alii fœderati Comites vel antè fecerant, vel tunc fecerunt simul cum Luneburgico. Solus Episcopus Hildesiensis, etiamsi ejus proscriptio festo S. Laurentii per totam Diœcesin promulgata esset à caduceatore Cæsareo, concordiam omnem obstinatissimè respuit, instigatione civium & senatorum Hildesiensium, qui sententiam proscriptionis (germanicè **die acht und ober-acht**) contemptissimis vocibus explodebant, sermone vernaculo vociferantes: **Wat acht und aver acht? tweymahl acht synd sestteyne.** At paulò pòst Episcopus infelix didicit, quàm stolidè & imprudenter egerit! nam exeunte mense Augusto suprà dicti Brunsvicensium Duces Hildesiensem Diœcesin cum instructissimis copiis ingressi sunt. Et quia Episcopus tunc temporis non solùm necessario milite destitutus, verùm etiam à prioribus belli sociis derelictus erat; primò arcem Hundesruckam, deinde Lawensteiniam, Poppenburgum, Steinbruckam, Liebenburgum, Woldenbergam, aliásque arces, oppida, & præfecturas, continuato

Carolus V. in comitiis Wormatiensibus Joanni Episcopo Hildesiensi præcipit sub pœna banni, ut omnes bello Hildesiensi captos relaxet, sibíq; tradat usque ad exitum totius causæ. *Chytræus l. 8. Saxon.*

Quod cùm Episcopus pertinaciter abnuit, à Cæsare proscribitur, & maxima terrarum suarũ parte exuitur. *Chytræus loc. cit. Lezner in Chron. Dassel. Spangenb. in Chron. Mansfeld.*

nuato victoriarum cursu in potestatem suam redegerunt. Attonitus hoc eventu Joannes Episcopus, festinatis itineribus fugit ad fratrem suum Ericum, Monasterienſis Ecclesiæ Præsulem. Sed, cùm ille solus res afflictas restituere non posset, nec auderet propter edictum Cæsaris: nullo recreatus auxilio, ad suos redire debuit; ac tandem biennio pòst *fœdissimâ pace Brunsvicensibus permittere, ut retinerent omnes arces, oppida, & Præfecturas, post Imperialis banni *executionem Hildesiensi Episcopatui subtractas. Ità factum, ut Episcopus retinuerit solùm tres præfecturas, nempe Sturwaldiam, Peinam, & Marienburgum unà cum urbe Hildesiensi: reliquæ autem præfecturæ omnes, plùs quàm sedecim, in Ducum Brunsvicensium potestate manserint per annos ferè centum & viginti.

*aõ 1523.

*Chytræus l. 8. Saxon.

Ericus Episcopus Paderb. & Osnabr. Wormatiæ per suos Legatos accipit confirmationem suorum Regalium.

Ericus Episcopus noster prædictis comitiis Wormatiensibus non interfuit. In iis tamen per ablegatos & Oratores suos Albertum Comitem de Mansfeld, & Mauritium de Amelungen, amborum Episcopatuum suorum jura & Regalia à novo Imperatore consecutus est; uti constat ex ejusdem Imperatoris diplomate Germanico, quod adhuc Paderbornæ in Ecclesiæ majoris archivo superest, & hoc modo clauditur: *Datum in nostra et Imperii nostri civitate Wormatia, die 2dâ mensis Aprilis, Anno post nativitatem Christi Domini nostri millesimo quingentesimo vicesimo primo, Regnorum nostrorum, Romani secundo, ceterorum verò omnium sexto.* In eodem hoc diplomate scribit Imperator, quòd Ericus Episcopus noster per Legatos antè dictos absentiam suam excusaverit, proponíque fecerit, se, tametsi Regalium suorum recipiendorum causâ personaliter accedere perlubenter voluerit, uti deberet; *gravissimis tamen suis et suarum Diœcesium negotiis præpediri*, quò minùs id per se ipsum facere ac præstare posset. Quænam autem hæc ejus negotia fuerint, non satis liquet: nisi forsitan occupatus fuerit Osnabrugi in comprimenda Lutheri doctrina, quam ibidem id temporis à Gerhardo Heckero, Augustiniani Conventûs Monacho, propalatam esse, refert *Hamelmannus. Certè in Diœcesi nostra nihil aliud ab eo gestum reperitur, quàm quòd per æstatem hujus anni laboraverit in pacanda controversia de pagis **Attelen** & **Hengleren**, inter Nobiles Calenbergios & Capitulum Cathedrale agitari cœpta, ac tandem die 4. Augusti felicissimè composita: uti docent ejusdem Episcopi tabulæ, ea de re conscriptæ, signatæque *Paderbornæ in Monasterio Abdinghoff, Dominicâ post vincula Petri, Anno post nativitatem Christi millesimo quingentesimo vicesimo primo.*

*Literæ in archivo Cath. Eccl. Paderb.

*Hamelm. in hist. Renati Evangelii in urbe Osnabr. pag. 1126.

Componit litem inter Capitulum & Nobiles Calenbergios de pagis Attelen & Hengleren.

*Literæ in archiv. Cath. Eccl. Paderb.

Claudo hunc annum præmaturâ morte Leonis Papæ, qui nondum quinquagenarius inter armorum curas in morbum incidit,

dit, obiîtque Romæ die 1. Decembris. In ejus locum die 9. Januarii ſequentis anni, delectus eſt Hadrianus VI. titulo Ss. Joannis & Pauli Cardinalis Presbyter & Epiſcopus Dertuſenſis* in Hiſpania; antea Caroli V. Imperatoris Præceptor, natione Belga, & honeſtæ fortunæ parentibus Ultrajecti genitus. Qui, cùm id temporis abeſſet, & apud Hiſpanos ageret; demum die 29. Auguſti Romam appulſus, ac biduo pòſt in Baſilica S. Petri coronatus eſt die 31. Auguſti, in Dominica.

Leo X. Papa moritur die 1. Decembris. In ejus locum initio ſequentis anni eligitur Hadrianus VI.

Spond n 10

**Dertuſa, Hiſpanicè Tortoſa.*

Annus Chriſti 1522.

HADRIANI VI. Pontificis 1.
CAROLI V. Imperatoris 3. & 4.
ERICI Epiſcopi Paderborn. 14.

BEllum, quòd anno præcedente exarſerat in Italia, hoc anno rurſus urgeri cœpit; ſed magno iterum Franciſci Regis Galliarum damno. Collegerat hic ibi novum exercitum, virorum ſexaginta millium; eúmq; urbi Mediolano admoveri juſſerat ſub Duce Lautrecio. Sed hac in urbe Proſper Columna, Cæſareorum ſupremus Ductor, adeò fortiter ſe defendit contra omnes aſſultus hoſtium, ut hi urbis potiundæ ſpe depoſitâ, aliò mentem & arma vertere coacti fuerint. Recedentes pedetentim inſequebatur Cæſareanus miles. Nec multò pòſt in vicino loco ad Bicocam pagum totis utrimque caſtris concurſum eſt, eâ Gallici exercitûs clade, ut amiſſis ferè omnibus belli Ducibus, Helvetiorum Gallorúmque octo millia occubuerint; reliqui verò in effuſiſſimam fugam conjecti ſint, relicto ſimul toto ærario bellico. Magnus exinde pavor in regno Galliæ, ſecuta mox deditio arcis Mediolanenſis, Genua ipſa, urbs magna & præpotens, quæ tunc à Gallis tenebatur, ingreſſum Cæſareo militi aperire compulſa eſt.

Galli rurſus obſident Mediolanum; & ab eo depulſi, cum ingenti clade cædantur à Cæſareis.

Palat. in Aq. Auſt. Spond. hîc n 4. Ripamont. l. 15. hiſt. Eccleſ. Mediolan.

Genua à Cæſareis occupatur.

Palat. ſpondan. & Surius ad hunc ann.

Verùm quàm feliciter in eo loco procedebant res dominii temporalis; tam infeliciter in Germania procedebant res Eccleſiæ, quas ubique peſſundabat & evertebat Lutherus Evangeliſta Saxonum. Wittenbergam hic è ſua Pathmo reductus erat ineunte Martio; ſtatímque inibi diverſos libellos edidit, omni ſpurcitiâ & ſcurrilitate refertiſſimos. Primus eſt contra Sedem Pontificiam, quam Suillus Doctor ita alloquitur: *Martinus Lutherus Sanctiſſimæ Sedi Romæ, et toti ejus Parlamento, meam gratiam et ſalutem.* Deinde recitatâ ſuæ damnationis Pontificiæ Bullâ, ſic pergit: *Ego autem dico ad Papæ et Bullæ hujus minas: qui præ minis moritur, ad ejus defun-*

Lutherus, Wittenbergam rediens, tres libellos putidiſſimos odidit, nempe contra Papam, contra ſtatũ Eccleſiaſticum, & de vita conjugali.

Cochlæus in actis Lutheri ad hunc ann. & alii.

cti sepulturam compulsari debet crepitibus ventris etc. Secundus est contra statum Ecclesiasticum, cui vir audacissimus novam excommunicationis & reformationis bullam seditiosè intentat, insolentibus hisce verbis, in medio libelli positis: *Doctoris Lutheri Bulla et reformatio. Quicunque opem ferunt, et corpus, bona, ac famam, in hoc impendunt, ut Episcopatus devastentur, et Episcoporum regimen extinguatur; hi sunt dilecti filii Dei, et veri Christiani, observantes præcepta Dei, et repugnantes ordinationibus Diaboli. Contrà verò, quicunque defendunt Episcoporum regimen, eisque obediunt voluntariâ obedientiâ; hi sunt Diaboli ministri proprii, et repugnant Dei ordinationi ac legi.* Tertius denique fœdissimi Doctoris libellus est de vita conjugali, in quo Sacerdotes, Monachos, & Sanctimoniales omnes adhortatur ad ineundas nuptias; & addit: *carnalem commixtionem cuilibet homini tam necessariam esse, quàm edere, bibere, screare, dormire, vigilare; ideóque penitùs oportere, ut omnis vir habeat mulierem, et mulier virum, juxta illud Genesis 1. Crescite et multiplicamini.*

Superi boni! quænam hæc doctrina? quàm fœda? quàm sacrilega? quàm impia, & magno gentium Doctori contraria? Nonne hic apertè inquit 1. Cor. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit: puto autem, quòd et ego spiritum Dei habeam?* & tamen hoc deploratissimo tempore nemo Principum Germanicorum fuit, qui tam impiæ doctrinæ se opponere vellet aut valeret! Carolus enim Imperator per æstatem hujus anni in Hispaniam iêrat, ut rebellionum præteritarum reliquias funditus extirparet. Saxo & Palatinus, penès quos Imperii administratio solebat esse in absentia Cæsaris, aut Lutheri fautores erant, aut certè nondum penitus ab eo alieni. Ferdinandus Imperatoris frater, qui Palatino & Saxoni velut Imperii Vicarius adjunctus erat, nondum eò ætatis venerat, ut regere sinè istis ambobus posset. Atque ideo Lutherus, ab omni metu solutus, non solùm impunè agebat & scribebat omnia, quæ volebat; sed etiam ubique passim Sacerdotes, Monachos, Sanctimoniales, & omne indoctum vulgus hominum, ad avitæ fidei desertionem cum æterno animarum suarum exitio pertrahebat. Id quod etiam acerbè queritur Hadrianus Papa in Epistola* verè aurea, ad Fridericum Saxonem hoc anno scripta: *Tibi, inquit, debemus omnes, quod nunc passim ab unitate Matris Ecclesiæ recedatur: quòd indoctum vulgus mille præstigiis ac fascinationibus retrahatur à fide, quam suxit ab ubere materno: quòd Basilicæ sint sinè plebe, plebs sinè Sacerdotibus, Sacerdotes sinè debita reverentia, et sinè Christo denique Christiani.*

**vide hanc in opere concilior. & apud Palat. in Aq. Austr.*

Accedebant his malis truculentæ invasiones Solymanni Turcarum

carum Imperatoris, cui istæ Lutheri & suorum seditiones ad auferendas Christianorum terras non parum profuêre. Obsederat hic anno superiore Belgradum urbem, Hungariæ Dominam; eámque demum die 29. Augusti post bimestrem oppugnationem ceperat, nullo Principum Christianorum in urbis auxilium advolante. Id cùm ei tam prospere successisset, etiam hoc anno adjecit animum ad invadendam Insulam urbémque Rhodum, ab equitibus Rhodiis (quos hodie à moderna ipsorum sede Melitenses appellamus) hucusque fortiter custoditam. Itaque mense Junio præmisit illuc numerosissimam classem trecentarum ferè navium, quæ urbem incingerent, & omnes insulæ accessus clauderent. Has deinde partim secutus, partim etiam comitatus est ingens exercitus terrestris ducentorum vel trecentorum millium; insupérque tanta militarium tormentorum ac balistarum copia, quæ duabus propè oppugnationibus urbium sufficere posset. Consternatus eorum adventu Philippus Liladamus, Rhodiorum equitum supremus Magister Ordinis, misit ocyùs è suorum numero, qui à Pontifice, ab Imperatore, à Galliæ Angliæque Regibus, festinata auxilia contra hostem præpotentem peterent: interímque urbem istam cum armatis, quos habebat, quinque millibus fortissimè tutatus est usque in mensem sextum. At, cùm intrà tempus illud nihil auxiliorum adveniret, ac plerique urbis propugnatores diuturnâ jam obsidione fracti vel extincti essent; ægerrimè tandem die vicesimâ Decembris urbem dedere coactus est, *æterno*, ùt ait Palatius, *Christianorum* Principum opprobrio, qui discordiis à se invicem distracti, commune illud atque fortissimum Christianæ Religionis propugnaculum neglexêre.* Hi nimirum sunt primi fructus Lutherani Evangelii! Hæc illa præclara merita verborum seditiosorum, quæ novus Evangelista Lutherus hoc anno protulit, in libello *contra Bullam Cœnæ* *hoc modo scribens: *Quid juvat armis corporeis Turcam avertere? quid nobis mali facit? occupat Provincias, eásque gubernat dominio temporali. At hoc ipsum pariter ferendum nobis est à Papa: qui et vitam nobis et corpus excoriat, secùs quàm Turca faciat. Imò Turca permittit victis, ut eorum quisque maneat in sua fide. Hoc autem Papa non facit; sed mundum universum cogit, ut deficiat à fide Christi, transeátque ad sua Diabolica mendacia. Unde, si Turcam velimus aggredi, initium nobis ducendum est à Pontifice.* Certè longè meliùs Luthero censit hac de re suprà dictus Liladamus, Rhodii Ordinis Magister supremus. Qui, dum urbe deditâ ad Solymannum deductus, atque ab eo magnis honorum pollicitationibus ad deserendam Fidem Romano-Catholicam invitatus esset; intrepidè respondit *in hæc verba: *Malo vitam hanc, aut statim amittere coram*

Solymann⁹ Turcarum Imperator occupato ante annũ Belgrado, etiam hoc anno occupat insulam Rhodum, fortissimũ Christianorum propugnaculũ. *Spond. hic. Palat. in Aq. Austr. Surius in commene. Jacobus Fontan. l. 2. de bello Rhodio.*

Palat. in Aq. Austr.

**vide Cochlæum ad hunc annũ in actis Lutheri.*

Palat. in Aq. Aust. Jacobus Font. l. 2. de bello Rhod.

oculis tuis, aut eam semper ingloriam et inhonoram ducere; quàm à te victus, etiam Catholicæ Ecclesiæ ac Religionis desertor fieri. Vinci enim est fortunæ: suos autem deserere, et à Catholicæ veritatis tramite in transversum ire, extremæ levitatis, ignaviæ, et impietatis est.

Ericus Episcopus Paderborn. à Simone Comite Lippiensi recuperat comitatum Pyrmontanũ. *aõ 1494. *ex literis archiv. Cath. Eccl.

Interea Ericus Episcopus noster magno studio desudaverat in recipiendo retrahendóque ad nos Comitatu Pyrmontano; qui post obitum Mauritii, Comitum Pyrmontanorum ultimi, à Simone III. Antistite nostro *Lippiacis Comitibus ex nova gratia concessus fuerat. Acceperant hi jam quatuor investituras feudales *bonorum Pyrmontensium: quarum tres acceperat Bernardus Comes à tribus Episcopis, Simone, Hermanno, & Erico; quartam verò Simon Comes post mortem sui Patris Bernardi Comitis, anno millesimo quingentesimo undecimo defuncti. Nihilominus tamen Ericus Episcopus, collaborante Capitulo suo Cathedrali, repensis aliis beneficiis ac favoribus eò tandem rem deduxit, ut hoc anno Simon Comes Pyrmontano Comitatui pro se suísque successoribus plenè & integrè renuntiârit; eundémque totum Ecclesiæ nostræ perpetuis temporibus tenendum ac possidendum restituerit. Quâ de re in Ecclesiæ nostræ Cathedralis tabulario adhuc supersunt & custodiuntur duæ literæ, westphalicâ linguâ scriptæ. Primæ sunt Erici Episcopi, quibus Capitulo Majori, propter molestias & labores in recuperando Comitatu Pyrmontano habitos, perpetuò donavit ac tradidit majorem decimam urbis Lügdensis pinguem satis & celebrem *à vetustate, unà cum alia minore ad anniversariam sui memoriam applicanda. Alteræ sunt Simonis Comitis, quibus hic in præsentia *Rabani de Westphalen*, *et Hermanni de Mengersen*, Comitatum Pyrmontanum perfectissimè abdicat in favorem Ecclesiæ Paderbornensis: & hæ literæ datæ sunt hoc anno, *die Jovis post S. Michaëlis Archangeli.* Nihil optatius accidere poterat Episcopatui nostro, quàm ista renuntiatio: plurimúmque utilitatis ex ea sperandum erat, nisì triennio pòst Ericus Episcopus novâ alienatione spem istam, velut herbam in prima segete, corrupisset; quemadmodum referetur infrà ad annum 1575.

*vulgò den grossen stadtegeden to Lügde.

Ericus Episcopus Monasterienſis moritur. *Chron Tremon. mſ. *Chron. Monaſt. mſ.

Denique & hoc anno ex Antistitum Westphalicorum numero decessit Ericus Episcopus Monasterienſis, Horstmariæ defunctus die vicesimâ *Novembris, postquam Ecclesiæ suæ cum laude maxima præfuisset annis quatuordecim. Mortem ei præmaturam attulit lenta corporis & virium corporearum tabes: quam putatur contraxisse, partim *ex dolore ac tœdio restitutæ Lingensis Dynastiæ, de qua dictum est ad annum 1518; partim ex infelicitate sui fratris, Joannis Episcopi Hildesienſis, priori anno à Cæsare proscripti, ac plerisque bonis Episcopalibus exuti. Corpus ejus

ab

ab obitu deportatum est ad Basilicam Cathedralis Ecclesiæ Monasterienſis, ibidémque è regione chori ad latus *australe conditum, cum impoſita ex aurichalco lamina, tumultu Anabaptiſtico poſtmodum everſa. Præter legata pia quàm plurima, reliquit inſuper à morte ſua ſeptem millia florenorum aureorum pro ærario publico, & quatuor millia pro Succeſſore: neque ullus Aulæ Miniſter, imò nec minimus *famulus, etiam inter minimos culinæ mediaſtinos fuit, cui non legaverit aliquod liberale munus. Vacantem ipſius Cathedram infelici fato recepit Fridericus de Wieda, Hermanni Colonienſis Archiepiſcopi frater, vir Erico deceſſori ſuo plurimùm diſſimilis; planéque talis, de quo breviter ac verè dixeris, quòd graviſſimo iſtius Diœceſis infortunio delectus fuerit. Ejus enim negligentiâ Lutherana hæreſis, ac deinde fœdiſſima lues Anabaptiſtica Diœceſin urbémque Monaſterienſem ingreſſa eſt; brevíque tantum inibi excitavit incendium, ut non niſi plurimo populorum ſanguine poſterioribus annis reſtingui & opprimi potuerit, utì ſuo loco videbimus.

*Chron. Monaſt. mſ.

*Chron. Monaſt. Succeſſit ei Fridericus Comes de Wieda.

Annus Chriſti 1523.

HADRIANI VI. Pontificis 2.
CLEMENTIS VII. Pontif. 1.*
CAROLI V. Imperatoris 4. & 5.
ERICI Epiſc. Paderborn. 15.

*electus eſt die 19. Novembr. coronatus die 26. Novembr.

POſteaquam Imperator priori anno diſceſſerat in Hiſpaniam, Ferdinandus ejuſdem frater & Imperii Vicarius Norimbergæ cœpit aperire comitia publica, quæ uſque in primos hujus anni menſes protracta ſunt. In eo Principum conventu Franciſcus Cheregatus, cui Hadrianus Pontifex Apoſtolicæ legationis officium impoſuerat, à Principibus congregatis efflictim petiit, ut germanicæ tranquillitatis miſerti, ſincerè tandem ſe converterent ad exequenda ea, quæ in comitiis Wormatienſibus contra Lutherum decreta fuerant. At illi, potiſſima ex parte jam ſeducti, viciſſim obtulerunt ei centum gravamina, contra abuſus Pontificios à ſcriptoribus Lutheranis conſarcinata. Quibus addiderunt frigidiſſimum hoc reſponſum: *Dolere ſe, quòd è Lutheri dogmatis tam funeſta animarum pericula conſurrexerint. Sed ea nunc tempora et hominum ſenſus eſſe, ut, ſi ex edicto Cæſaris contra Lutherum proceſſuri forent; neceſſariò timendum ſit, indè plus perturbationis, quàm utilitatis publicæ naſciturum. Jam enim pleræque multitudini perſuaſum eſſe, Romanam curiam per abuſus varios egiſſe multa,*

Hadrianus Papa in comitiis Norimb. rogat Principes, ut Wormatienſi contra Lutherum decreto pareant. *Palat. in Aq. Auſtr. Spond. Surius & alii*

Cui frigidiſſimè ibidem reſpondetur. *Auctores iidem.*

ta, quæ nationi Germanicæ in grave præjudicium cederent: atque ideo primùm oportere, ut abrogentur gravamina, Legato Papali tradita. His enim non abolitis, si quid acerbius contra Lutherum fieret, multitudinem popularem in turbas prorupturam, et insano tumultu vociferaturam, talia contra Lutherum et ejusdem fautores agi pro tuendis Romanorum abusibus, et Evangelicæ veritatis oppressione. Quàm speciosa atque ad obtegendam astutiam elaborata verba! Quasi verò turbas excitaret, qui turbas opprimit!

Novem moniales unâ vice abducuntur simul ex monasterio Nimicensi: inter quas etiam Catharina de Bore/ postea Lutheri conjux.

Sic igitur Lutherus cum suis poterat impunè furere, nullóque resistente humana Divináque omnia permiscere. Id quod etiam hoc anno audacissimè fecit, & effectui dedit. Nam, ut alia nefanda sileam, ejus hortatu vel approbatione Leonardus Koppenius civis, in hebdomada sancta, è Nimicensi *monasterio simul abstulit, & Wittenbergam attulit novem virgines Deo consecratas: inter quas etiam erat nobilis illa & famosa femina Catharina de Bore/ quæ biennio pòst novo huic Saxonum Evangelistæ sacrilegis nuptiis illigata est. Ac, ne quis execrabile illud factum reprobaret, Lutherus illud peculiari libello edito summopere dilaudavit, ità scribens inter alia: *Fecisti novum opus Leonarde, quod loquentur ac decantabunt omnes provinciæ. Et multi quidem traducent illud, ùt absurdum facinus. Qui autem cum Deo sentiunt, dilaudabunt illud veluti rem præclarissimam, censebúntque id esse opus et consilium Dei. Audient quidem te fuisse raptorem istum: at verò felicem raptorem! sicut enim Christus in hoc mundo raptor erat, quando Dæmoni per mortem suam auferebat arma, ipsúmque ducebat captivum; ità et tu has miseras animas ex humanæ tyrannidis carcere eduxisti. Et quidem opportunissimo tempore, in Paschate, quo Christus suorum quoque captivitatem captivam duxit etc.* Prô! quæ doctrina? quàm absurda & absona comparatio Christi, & illius Koppenii? faceścant ab auribus oculísque puris ejusmodi sordes Luthericæ,

*Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. *germanicè* Nimptsch. Turpe illud facinus Lutherus scurriliter laudat. Cochlæus & Surius loc. cit.*

- - - - - - ne stercore fœda canino
Atria displiceant oculis venientis amici!

Dux Borbonius à Gallo ad Cæsarem transit: res Gallicæ infeliciter cedunt in Italia.

Quod attinet ad gesta bellica, satìs feliciter ea rursum cecidérunt pro Carolo Imperatore. Nitebatur quidem Franciscus Galliæ Rex Mediolanum recuperare, ideóque præmiserat illuc potentissimum exercitum, quem ipse propediem secuturus, & in aciem educturus erat. Sed hæc ejus consilia improviso rursus inverversa sunt per defectionem Caroli Borbonii, Francorum Ducis præstantissimi: qui, quòd à Rege se neglectum, & ab Aloysia Regis matre magnis odiis appetitum cerneret, abjectâ ejus militiâ ad Caroli Cæsaris fortunam se adjungebat. Consternatus indè Rex, veritúsque domi tumultum inter suos, retraxit pedem ex Italia: totiúsque

Spond. ad hunc ann. Surius in comment. Palat. in Aq. Austr. Ripam. l. 15 Hist. Med.

totiúsque exercitûs Præfecturam detulit Boniveto Duci, magnis quidem natalibus orto; sed qui rerum bellicarum non satìs gnarus, nec alio merito, quàm Regiæ matris commendatione ad hujusmodi honores venerat. Is igitur, tametsi vel tertiâ suarum copiarum parte potuisset Mediolanum frangere, exercitum suum imprudentissimè convertit ad expugnanda quædam levioris momenti oppida: atque ità Cæsareis occasionem tempúsque dedit, non modò ad contrahendum augendúmque militem; verùm etiam ad urbes præcipuas, Mediolanum scilicet & Cremonam, novis aggeribus operibúsque præmuniendas. Id autem quàm fatale illi fuerit, eventus infelix docuit. Nam paulò pòst, & exercitus Regius continuis Cæsareorum infestationibus plurimùm diminutus, & Bonivetus Dux velitationum improsperarum tœdio in Galliam regressus est, *nullius rei bene gestæ gloriam ex provincia* Mediolanensi referens*, utì scribit Ripamontius. **Ripamont. loc. cit.*

Neque Gallo felicior fuit ejusdem socius & adjutor Carolus Gelder. Is, tametsi anno 1517, à Carolo V. nondum Imperatore victus, eidem promisisset, se deinceps nihil ampliùs acturum esse contra Frisiam occidentalem, quam iniquis armis appetiverat; nihilominus iterum, hortatu Gallico, in Transisalaniam finitimámque Frisiam præcedenti anno se injecerat. Missi igitur hoc anno Joannes Wassenarius, & Georgius Schenckius, ingentium animorum & notæ virtutis viri, cum egregiis militum instructorum copiis, queîs Geldrum insolentem frangerent. Nec defuit amborum votis fortuna prospera; fugientibus enim ad eorum adventum Geldris, devictóque Worcomio Frisiæ prædictæ oppido, primùm Sevenwoldii, mox etiam Ommelandii, ac plures alii circa Groningam populi, submissis capitibus fortunam Cæsaris adoravêre. Indè Schenckius & Wassenarius victricia signa protulerunt contra Dockomium: eóque per trimestrem obsidionem domito, etiam Slota, Sneka, & quidquid aliarum urbium ac munitionum in tota Frisia vel retinuerat vel recuperaverat Gelder, oblato fidelitatis & obedientiæ Sacramento Imperium Cæsaris recepêre. Supererat adhuc Steenwicum, Transisalaniæ oppidum, quod paulò antè à Geldris dolo captum, sollicitéque præmunitum fuerat. Sed & istic vim Cæsareorum non exspectârunt Geldri, jam pridem ab illis trepidare docti. Nam adventu eorum intellecto, priusquam ab iis obsiderentur, spoliatis oppidanis præcipiti fugâ se subduxerunt. Quos tamen Wassenarius, relicto ibidem Schenckio, celerrimè insecutus est; & non procul ab urbe Geldrâ, post brevem concertationem, tam feliciter devicit, ut eorum septingenti circitèr in loco cæsi, ducenti bello capti, reliqui autem

Carolus Gelder à Cæsareis profligatur ex tota Frisia, quam invaserat suadente Gallo. *Haræus in annal. Brabant. ad ann. 1522. & 1523. Chytræus l. 9. Saxon.*

autem abjectis desertísque signis militaribus, quà data via, dilapsi fuerint.

Hadrianus Papa moritur.

Multa alia, quæ contra Gallum hoc anno cusa & fabricata sunt, præpopere abrupit inopina mors Hadriani VI. Pontificis, Carolo V. ante omnes addictissimi. Magno huic Romanæ Ecclesiæ Capiti nihil ad summam existimationem apud Romanos defuit, quàm quòd immodicum * Papalis aulæ splendorem abrogaret; rejectóque superfluo ministrorum circumfluorum syrmate, instar hominis religiosi privatim viveret. Pro exaltanda familia sua nullam planè curam aut sollicitudinem habuit, ut nepotes & consanguineos suos ad pinguiora * sacerdotia promoveret, solitus dicere: *nolo ædificare Sion in sanguinibus.* Obiit Romæ die 14. Septembris in festo Exaltationis S. Crucis; humatúsque est in Ecclesia Teutonicorum S. MARIÆ de anima, cum hac scriptura, monumento ejus incisa: *Hadrianus VI. hìc situs est, qui sibi nihil infelicius duxit in vita, quàm quòd imperaret.* Successit illi Julius de Medices Archiepiscopus Florentinus, electus Romæ die 19., & coronatus die 26. Novembris, dictúsque *Clemens septimus.*

*Spond. ad hunc ann. Ott in Roma gloriosa. Auctores iidem, & alii.

*in ejus vita to. 14. concilior. apud Labb. Lochorst in Epist post chron. Hedæ.

In Ostphaliæ Westphaliæque finibus hoc anno magnus diversorum Principum & Comitum congressus, die undecimâ Martii, celebratus est in urbe Huxaria. Accesserunt illuc Ericus & Henricus junior Brunsvicensium Duces, ibidémque associârunt sese fœderi, quod in urbe Lipstadiensi anno 1509 inter Ericum Episcopum nostrum, aliósque Principes & Comites Ostphaliæ & Westphaliæ, pro defensione & assistentia mutua percussum erat; uti liquet è Ducum prædictorum literis, germanico sermone scriptis, cum hoc initio & fine: *Nos Dei gratiâ Ericus et Henricus junior, Duces Brunsvicenses et Luneburgenses, profitemur ac notum facimus etc. Actum Huxariæ, die Mercurii post Dominicam Oculi, Anno à nativitate Christi Domini nostri millesimo quingentesimo vicesimo tertio.* Recensentur in iisdem literis etiam aliorum Principum Comitúmque fœderatorum nomina, videlicet Ericus Episcopus noster, Philippus Dux Brunsvicensis Erici Antistitis frater, Wolffgangus Princeps Anhaltinus Ascaniæ Comes, Wilhelmus Comes Hennebergensis, omnésque illi, quos ex fœdere Lipstadiensi produximus ad annum 1519.

Ericus Episcopus Paderb. & alios Comites ante quadriennium inito.

ex literis Archiv. Cath. Eccl. Paderb.

Renovato firmatóque hoc fœdere Episcopus noster Paderbornam se recepit; & Neuhusii in loco amœnissimo, unâ ferè horâ ab urbe dissito, construere hoc anno cœpit orientalem alam novi castri vel palatii Episcopalis. Ædificium istud, quod etiamnunc opere superbo cernitur, intrà biennium & paulò ampliùs ferè usque ad dimidiam suî partem perductum est; quemadmodum ad ingressum

Ericus Episcopus Paderb. hoc anno cœpit ædificare orientalem alam arcis Neuhusanæ prope Paderborn.

gressum castri, quà Paderbornam respicit, adhuc demonstrant ejus insignia muro infixa & incisa, cum hac inscriptione germanica: **Von Gottes Gnaden / Erich Bischoff zu Paderborn und Oßnabrück / Hertzog zu Braunschweig und Lüneburg /** Anno 1525. Tota autem istius alæ Neuhusanæ fabrica, unà cum turribus & omni structura interiore, diuturniorem operam expoposcit. Nam, utì cœnobii Mariæmünsterensis manuscripta in diario Henrici Abbatis perhibent, anno 1529 adhuc indictæ & postulatæ sunt contributiones publicæ pro novi illius ædificii consummatione. Et Ferdinandus Fürstenbergicus in monumentis Paderbornensibus memorat, etiam Hermannum de Wieda, Erici Episcopi successorem, in continuandis ædificiis ab Erico cœptis*non parvam operam præstitisse: addendo forsitan, aut perficiendo partem alæ meridionalis usque ad antiquius ædificium, quondam ab Henrico Spiegelio conditum. *vide dicenda ad ann. 1590.

Urbi etiam Paderbornæ egregium hoc anno decus & commodum accrevit ab inchoata supra minorem Paderam officina aquaria; cujus benificio fontes Paderæ ex inferiore urbis parte ad superiorem illius partem per canales propelluntur in amplissimos alveos; indéque iterum per canales alios derivantur in præcipuas plateas civiúmque vicinorum ædes. Opus sanè utilissimum, non modò ad privatam commoditatem civium; verùm etiam ad restinguenda incendia, quæ subinde non modicam urbis partem ex aquarum penuria devoraverant. Licentiam exstruendæ hujusmodi officinæ concessit hoc anno civibus Reverendissimum Capitulum Cathedrale; utì constat ex ejusdem Capituli tabulis westphalicâ linguâ conscriptis, quarum partem latinè redditam hîc appono.

Paderbornæ hoc anno struitur officina hydraulica, per quam fontes Paderæ in superiorem urbis partè derivantur. *ex archiv. Cath. Eccl.*

NOs Decanus, et Cathedrale Capitulum Paderbornensis Ecclesiæ, pro nobis et successoribus nostris profitemur in his literis, quòd honorabilibus ac providis Consulibus, Senatui, et communitati urbis Paderbornæ, eorundem rogatu permiserimus, ut infra monasterium Abdinghoffense supra minorem Paderam construere et erigere possint parvam ædiculam, cum rota aquatica interiùs agitata; vi cujus aquam suis usibus necessariam in forum et plateas urbis derivare queant etc. - - - - In testimonium veritatis, Nos Decanus et Cathedrale Capitulum Paderbornensis Ecclesiæ suprà dictæ, pro nobis et successoribus nostris, majus sigillum nostrum hísce literis appendi fecimus, Anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo tertio, die Mercurii post Ss. Apostolorum Petri et Pauli. Et Nos Consules, Magistratus, et universa communitas Paderbornensis Civitatis profitemur in his literis reversalibus, quòd in prædicto rivulo minore, ceterísque rivis Paderæ, nihil à nobis habeatur juris, quàm quod et

quousque nobis à prædicto Cathedrali Capitulo id indultum ac permissum est etc. - - - Datum, ùt suprà.

Delbrugensium privilegia confirmantur ab Erico Episcopo. *ex archiv. Delbrug.*

Ostentant & hoc anno Delbrugenses nostri privilegiorum suorum confirmationem, ab Episcopo Erico datam, & consignatam *die Lunæ post S. Liborii Patroni nostri.* Sed, cùm in illis tabulis à me inspectis & relectis nihil inveniam relatu dignum; operæ pretium non existimavi, fore, ut eas latinè redderem, & huic operi immiscerem.

Annus Christi 1524.

CLEMENTIS VII. Pontificis 1. & 2.
CAROLI V. Imperatoris. 5. & 6.
ERICI Episcopi Paderborn. 16.

In comitiis Norimbergensibus rursus à Cæsare & Pontifice urgetur executio decreti Wormatiensis contra Lutherum. Sed frustra. *Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. rer. gest. Palat. in Aq. Austr. & alii.*

INtrà primos hujus anni menses nova rursus Imperii comitia Norimbergæ celebrata sunt: at iterum exiguo cum profectu Religionis Catholicæ. Querebatur in iis Legatus Pontificius, causam fidei contra Lutherum tam socorditer ac negligenter à Principibus agi, cum gravissimo periculo totius Germaniæ: orare Pontificem, ut seditiones istius Monachi tandem sincerè comprimant; simúlque promittere, curaturum se, pro suis viribus, ut vicissim aboleantur mitigentúrque decantata sœpius germanicæ nationis gravamina. Similiter & Cæsar absens per Legatum ex Hispania missum querulabatur, edicto suo, in comitiis Wormatiensibus contra Lutherum edito, hucusque tam parùm obediri: cunctationem hanc sibi non exiguo despectui esse; ideóque velle se & præcipere, ut ejusdem edicti executio vel nunc saltem ab universis Principibus citra omnem reluctationem sincerè ac seriò ad effectum deducatur. Secuta est his de rebus diuturna Principum consultatio. Et quia jam pleraque ipsorum pars in Lutheri dogmata non parùm propendebat; tandem die 18. Aprilis nugatorium hoc planéque frivolum decretum consensu plurimorum prodiit: *Wormatiense edictum Cæsaris in omnibus Germaniæ terris exequendum esse, quantum pro ratione temporis et circumstantiarum fieri potest*: hoc est, quantum unusquisque Principum pro suo in Lutherum affectu vellet, ùti ego ex eventu & rebus postea secutis colligo. *Romanum verò Pontificem rogandum esse, ut ad examinanda Lutheri dogmata generale concilium in Germania convocet, quàm primùm potest. Ac; ne interea populus rerum credendarum incertus maneat; primùm in Diœcesi qualibet seligi oportere viros doctissimos, qui per æstatem hujus anni libros*

Inane decretum Principum de rebus fidei definiendis in proximo conventu Spirensi. *Cochlæus & Palatius loc. cit. Spond. hic n. 5.*

Lu-

Lutheri perlegant, et ex iis bonum à malo segregent: deinde verò circa Novembrem hujus anni nova rursus comitia Spirensi in urbe congreganda esse, in quibus audito eorundem eruditorum judicio definiatur, quid usque ad finem generalis concilii quisque agere vel credere in rebus Divinis debeat. Superi boni! quæ & quantæ hallucinationes in hoc Principum istorum decreto? quomodo poterat convocari concilium generale, nondum conciliatis Gallo & Cæsare? quomodo universalis & antiquissima Ecclesiæ doctrina disquiri debuit in urbe Spira, in conventu particulari quorundam Principum? quis inibi futurus judex controversiarum? non indocta plebs, uti liquet per se. Non ipsimet congregati Principes: quia potissimam sui partem seculares erant, ad quos orthodoxæ fidei & rerum credendarum censura nunquam pertinuit. Non denique selectiores è Clero viri. Quis enim persuadeat sibi, Gallos, Italos, Hispanos, aliósque Ecclesiæ populos id approbaturos esse, quod paucis Germanis credibile visum fuerit, præsertim in particulari cœtu, nullâ Cæsaris ac supremi Pontificis auctoritate cœpto? Hæc & alia contra decretum illud prudenter obmovebat Legatus Pontificius. At à plerisque Principum æquè parùm auditus est, ac ii, qui surdo canunt. Quare tandem coactus est ea de re Pontificem erudire, & hic vicissim apud Carolum Imperatorem conqueri. Carolus autem Imperator, qui tunc agebat in Hispania, non modò hoc Norimbergense decretum, velut inane ac frivolum reprobavit; sed etiam Principibus omnibus gravissimè interdixit, ne in urbe Spira convenirent, ibíque novam rerum credendarum normam formámve cuderent: uti constat ex prolixa ejusdem Imperatoris epistola, à Cochlæo recitata, signatáque *Burgis in Castilia, die 15. Julii, anni MDXXIV.*

Carolus V. per speciale rescriptum, ex Hispania missum, decretum hoc Norimbergense reprobat. *Cochlæus in actis Lutheri. Spond. & Surius ad hunc ann.*

Cæsareum illud fulmen haud obscurè jam præsenserant nonnulli Principes, quorum sincerius adhuc studium erat in religionem Catholicam: nimirum Ferdinandus Archidux Caroli Imperatoris frater, Matthæus Cardinalis & Archiepiscopus Salisburgensis, Georgius Saxoniæ Dux, Wilhelmus & Ludovicus Bavariæ Duces, Bernardus Episcopus Tridentinus, Ernestus Episcopus Passavienſis, Joannes Episcopus Ratisbonensis, Wigandus Episcopus Bambergensis, Georgius Spirensis, Wilhelmus Argentinensis, Christophorus Augustanus, Hugo Constantiensis, Philippus Frisingensis, Christophorus Basileensis, & Sebastianus Brixinensis. Hi, cùm in comitiis Norimbergensibus contra pluralitatem aliorum Principum nihil evincere potuissent, conventum aliquem particularem condixerunt in urbe Ratisbona, festo S. Joannis Baptistæ; ibidémque præsente Legato Pontificio con-

Alii Principes Catholici in alio conventu Ratisbonæ habito, decernunt obtemperare edicto wormatiensi, & Religionem Catholicam tueri. *Cochlæus, Surius, Spond. & alii.*

diderunt saluberrima hæc statuta, in eorum terris observanda: *Wormatiensi edicto Cæsaris purè ac simpliciter omnes obtemperent: sacrificium Missæ et omnia Sacramenta consuetis Ecclesiæ ceremoniis peragantur: in jejuniis, precationibus, aliisque ritibus antiquis nihil innovetur: sacrilega Sacerdotum ac sanctimonialium connubia non tolerentur. Studiosi Wittenbergenses ad sacerdotium vel doctionem publicam nullibi admittantur. Subditorum ac civium filii, qui in studiis versantur Wittenbergæ, intrà spatium trimestre revocentur; neque illuc redire audeant sub pœna confiscationis et amissionis bonorum ac beneficiorum omnium. Nemo ad populum verba faciat, nisi examinatus ab Episcopo loci: nemo ex typographis librum aliquem prelo det, nisi qui priùs approbatus fuerit ab Episcopo etc.*

Lutherus hoc anno Monachalē cucullum exuit. *Spond. ad hunc ann. & alii passim.*

Utinam pari zelo exarsissent & alii Principes, maximéque Fridericus Saxoniæ Dux & Elector! hujus enim conniventiâ Doctor Lutherus, in extrema vitiorum ruens, tandem hoc anno die 9. Octobris monachalem cucullum exuit; pessimóque exemplo suo quàm plures alios diversorum Ordinum Religiosos ad hoc audendum & imitandum traxit. Quanquam ii omnes in prædicando hoc novo Evangelio non unâ eadémque fortunâ gavisi fuerint. Nam, ut alios non paucos taceam, Henricus Zutphanius ejusdem Augustiniani Ordinis desertor (quem Bremenses primum suæ urbis Evangelistam & purioris doctrinæ præconem vocitant) apostasiæ ac desertionis suæ mercedem tristissimam hoc anno retulit. Wittenbergam hic abiêrat ex monasterio Antwerpiensi; auditóq; Luthero Antwerpiam reversus, pernicioſam ejus doctrinam in hac urbe sparserat. Comprehensus idcircò bis, & alterâ vice post errores jam semel ejuratos in severiorem custodiam detrusus, perfracto carcere diffugit Bremam. Hîc autem à civibus avidissimè receptus, Lutheranam hæresin intrà annum & aliquot menses ità disseminaverat; ut ineunte hoc anno duos alios ejusdem Ordinis apostatas, puta Jacobum *Præpositum & Joannem Amsterdamium, in operam subsidiariam advocari necessum fuerit. Neque diu tunc emansit pœna, votorum suorum violatori debita. Cùm enim haud multò pòst à Pastore Meldorpiensi in Dithmarsiam evocatus, ibíque non semel impiè contra antiqua Ecclesiæ dogmata concionatus esset; nocte mediâ ab armatis Dithmarsiensibus in lecto comprehensus, alteróque mane, die decimâ vel undecimâ Decembris ferali rogo combustus est. Lutherani hunc passim appellant martyrem. Sed cur etiam eodem titulo martyribus non adscribunt Joannem Leidensem, Bernardum Knipperdollingium, Müntzerum, & alios hujusmodi? *Martyres Christi non facit pœna, sed causa*, ait S. Augustinus. Et ante hunc S. Cyprianus: *ardeant licèt*

Henricus Zutphani apostata (vulgò Broer Henrick) primus Bremensium seductor, hoc anno vivus exuritur in Dithmarsia *Chron. Brem. ms. Spond. hic n. 12. Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment.*

aliàs Jacob Provest/ und Johan Sötemelck.

licèt flammis, et ignibus traditi animas suas ponant; non erit illa fidei corona, sed pœna perfidiæ. Occidi talis potest: coronari non potest.

Ericus Episcopus Paderb. hoc anno confirmat & renovat inter nobiles de Spiegel pacem Castellanam in monte Desenberg; *ex literis archivi Cath. Eccl. Paderb. *aõ 1472.

Hoc etiam anno apud nos inter perillustres Dominos de Spiegel non parva dissensio erat de monte castróque Desenbergico, in quo tanquam primariâ feudorum Spiegeliorum parte dominii Desenbergensis jurisdictio quondam fundata fuit. Controversiam hanc ante annos quinquaginta & amplius *jam composuerat Simon Episcopus, constitutâ inter eos pace Castellanâ, quam vocant germanicè **Burgfriede.** Quoniam verò posterioribus hísce temporibus novæ iterum discordiæ repullulaverant inter eorundem successores; Ericus Episcopus noster iisdem efficacissimè se interposuit, veterémque pacem Castellanam juxta leges à Simone constitutas renovari fecit. Qua de re in Cathedralis Ecclesiæ nostræ tabulario adhuc asservantur ejusdem Erici literæ, Westphalica dialecto scriptæ, quarum initium & finis est: *Nos Ericus, Dei gratiâ Episcopus Paderbornensis et Osnabrugensis, Dux Brunsvicensis, notum facimus et profitemur vigore harum literarum etc. - - - - Datum anno Domini millesimo quingentesimo vicesimo quarto, die S. Andreæ Apostoli.* Hodie castrum illud, quod in montis Desenbergensis fastigio steterat, nescio quibus annorum præcedentium injuriis planè collapsum est: intérque murorum ac turrium ruinas, veterem suæ nobilitatis gloriam concidisse luget. Id quod Ferdinandus Fürstenbergius, Episcopus noster, in monumentis Paderbornensibus* maximopere deplorat, hísce versibus: *fol. 155.

Nunc jacet indignâ latè collapsa ruinâ
Arx vetus, et rerum gloria sola manet.
Quis, nisi mentis inops, factis extendere famam
Negligat; ipsa videt si quoque saxa mori?

Cæsareani improsperè impugnant Marsiliam. *Palat. in Aq. Aust. Spond. Surius & alii, *gallicè Aix.

Supersunt & aliæ plures Erici Episcopi de hoc anno literæ, ex quibus manifestè liquet, eum potissimâ hujus anni vel ætatis parte in Diœcesi nostra perstitisse. At, cùm in iis nihil inveniam, quod ad illustrandam historiam faciat; libenter eas prætermitto, & adhuc pauca aliqua de rebus in Italia gestis hîc adjungo. Mense Augusto Carolus Borbonius, Cæsareorum ductor, cum nonnullis peditum equitúmque millibus in Galliam Narbonensem irruit: Aquísque sextiis *magnâ civium gratulatione receptus, cogitabat Avenionem; & indè rursus Lugdunum (vulgò Lion) urbem id temporis malè firmam aut minùs custoditam. Hac autem occupatâ, facillimum ipsi erat, è vicino Ducatu Borbonico suas copias adaugere, & in ipsa Galliarum viscera se inferre: præsertim cùm viciniores populi adamarent magìs Borbonium Ducem; quàm Regem

gem ipsum, ob illicitos amores minùs carum. Displicebat consilium illud Ferdinando Davalo, & aliis quibusdam belli Ducibus; malebántque, non attentâ copiarum suarum paucitate castra verti contra Massiliam: sed eventu maximè improspero; posteaquam enim quadraginta dies in ejusdem urbis diverberatione inutiliter consumpsissent; adveniente Gallorum exercitu, obsidionem malè cœptam solvere, & majori, quàm illuc venerant, celeritate in Italiam se recipere coacti sunt. Abeuntes è vestigio insecutus est Franciscus Rex: omissóque Mediolanensi castro, universum exercitum adduxit ad Papiam urbem, cui præter quingentos Hispanos quinque millia Germanorum à Cæsareanis injecta erant sub Antonio Leva, expertæ fortitudinis & scientiæ militaris viro. Cœpta est hæc obsidio sub initium Novembris: certéque tunc fuisset actum de Insubria, si Franciscus Rex tantùm valuisset ingenio & arte militari, quantùm Regali potentiâ, & militum congregatorum numero; utì docuit eventus famosissimæ hujus obsidionis, de qua plura ad annum proximè secuturum.

Cæsareani obsidionē solvunt in adventu Franciſci Gallorum Regis: qui & Papiam obsidere cœpit mense Novembri. *Palat. in Aq. Austr. Spond. & Surius hic. Ripamont. l. 16. Hist. Mediolan.*

Annus Christi 1525.

CLEMENTIS VII. Pontificis 2. & 3.
CAROLI V. Imperatoris 6. & 7.
ERICI Episcopi Paderborn. 17.

FRanciſco Galliarum Regi tardè hactenus procedebat obsidio Papiensis in Italia: tum quòd iniquissimo hoc anni tempore obsidionales copias multis inutilibus frustraneísque laboribus nimiùm delassaret: tum quia simul id temporis ad occupandam urbem Regnúmque Neapolitanum non pauca suorum millia transmiserat; & alia sex Rhætorum Grisonúmve millia, ob interceptam à Cæsareis Clavennam, repentè in suam patriam revocata fuerant. Interea Cæsareani, obsidentium tarditate læti, vires suas egregiè restaurabant. Et quidem hi, qui per insubriam in diversis urbibus aut munimentis dispersi fuerant, colligebant se apud urbem Laudam, vulgò *Lodi*. Iis autem brevi tempore accedebant primùm non parva Anglorum & Helvetorum auxilia; paulóque pòst, circa finem Januarii, adhuc quindecim Germanorum peditum equitúmque millia, à Borbonio Duce in Italiam traducta. Quæ dum exercitui reliquo se conjunxêre, tandem pugna cum hostibus decreta est, omnísque miles tam propè admotus ad castra Gallicana', ut ambarum partium sclopetarii penè se invicem contingere, & mutuis explosionibus

Franciſcus GalliæRex, ante Papiā ingenti clade prostratus, àCæsareis capitur unà cum Henrico Navarræ Rege. *Palat. in Aq. Aust. Spond. & Surius hic. Ripamont. l. 16. Hist. Mediol. & alii.*

nibus lacessere possent. Initium pugnæ duabus ante lucem horis à Cæsareis datum est die vicesimâ quartâ Februarii, sancto Matthiæ Apostolo sacrâ: atque, ut se invicem inter matutinas tenebras discernere à Gallis possent; miles omnis albâ tunicâ, vestimento superjectâ, ante prælium indutus erat. Certatum fortiter aliquot horis ab utraque parte. Demum verò Cæsareani plenissimâ victoriâ potiti sunt; &, quod omnium felicissimum fuit, etiam ipse Gallorum Rex, confosso infra se equo, in manus ipsorum incidit. Rogatus, an se vellet Borbonio Duci captivum dedere? eundem velut Gallicæ coronæ transfugam aversatus, Lanoium Ducem accersi petiit; & huic sese, priusquam Borbonius adveniret captivum tradidit. Præter ipsum bello capti sunt, Henricus Rex Navarræ, Annæus Mommorantius Franciæ Mareschallus, aliique Procerum Gallicorum plurimi cum ingenti militum gregariorum turba: cæsi autem & in prælio strati, Bonivetus Admiralius, Palissius & Lescutus Mareschalli, Tremollius, Suffolcius, Sanseverinus, multique alii inferioris notæ, quos universim ad octo vel decem millia ascendisse volunt. Reliqui verò Galli (quidquid ipsorum adhuc supererat in tota Insubria) visâ auditâve suorum clade, festinatis cursibus in suam Galliam relapsi sunt; neque priùs à fuga destitêre, utì scribit Ripamontius, *quàm relictas à tergo Alpes cernerent.*

Rex Navarræ clàm elabitur è custodia: Rex Galliæ abducitur in Hispaniam. *Spond. ad hunc ann. & alii passim.* *vulgò, Picigghitone.*

Partâ hac insigni victoriâ, quæ Imperatori Carolo septingentis tantùm aut octingentis capitibus constitisse fertur, Henricus Rex Navarræ in arcem Papiensem deductus fuit: ex qua tamen, auxilio quorundam civium, paulò pòst elapsus; & occultissimis itineribus in Galliam reversus est. Franciscum verò Lanoius Dux primò Piceleonem*, deinde navali itinere in Hispaniam transportavit; ubi Carolo Imperatori traditus, in arce Madritensi decentissimam & Rege dignam custodiam usque in annum proximè sequentem pertulit. Ajunt, ipsum (cùm in hujus arcis pariete scriptum reperîsset illud symbolum Caroli V.: *Plus ultrà*) suâ manu subnotâsse hanc monitiunculam, *Hodie mihi, cras tibi*: Carolum verò, suæ sortis non immemorem, subscripsisse iterum illud Terentii: *Homo sum: humani nihil à me alienum puto.*

Bellum rusticum in Germania, auctore Thoma Müntzero. *Cochlæus in actis Lutheri.*

Sopito hunc in modum bello Gallico, exortum est in Germania *bellum Rusticum*, cujus incentor primarius fuit sacerdos apostata Thomas Müntzerus, Lutheri discipulus. Hic, ùt erat mortalium audacissimus, cum socio suo Pfeiffero, Præmonstratensis ordinis desertore, cœpit hoc anno percursare varias Germaniæ provincias, & ubique rusticos in pagis excitare, ut Evangelicæ libertatis restaurandæ causâ potestatem omnem, tam secularem quàm

Palat. in Aq. Aust. Helvicus in Theatr. Hist. univ. Spond. Surius & alii.

quàm Ecclesiasticam, armatâ manu supprimerent, Sacramenta abolerent, Ecclesias invaderent, monasteria destruerent, Monachos ac Sanctimoniales trucidarent. Mira stolidáque res! intrà breve tempus post seditiosas hujusmodi conciones trecenta (ùt ajunt) rusticorum millia in armis constitêre, maximéque in Thuringia, in Alsatia, in Suevia, Franconia, & aliis ad Rhenum locis. Ac priusquam à Principibus conscribi possent necessarii militum exercitus; eo furore proruerunt in Ecclesias, arces, ac monasteria, ut in sola Franconia plùs quàm ducentas Nobilium arces ac monasteria in flammas egerint. At ille hominum seditiosorum furor brevi iterum oppressus est. Nam, ùt primùm vicini Principes militari manu adversùs eos in arenam processêre; agrestis illa gens tam fœdo excidio percussa est, ut intrà bimestre spatium centena & ampliùs eorundem millia occubuerint. Antonius Lotharingiæ Dux ad viginti sex millia trucidâsse fertur in Alsatia. Pari strage affecti sunt ab Electore Palatino, Moguntino, & aliis fœderatis, quibus etiam Diœcesis nostra* subsidium pecuniarium pro communi bello conferre debuit. Postremùm verò à Georgio Saxonum Duce, Philippo Hassiæ Landgravio, & Henrico Brunsvicensi, decumanam ac decretoriam cladem accepêre prope Franckenhusium in Thuringia, confossis primo impetu sex & ampliùs rusticorum seditiosorum millibus, captóque ipsorum Evangelista Müntzero, qui ægritudinem à prælio peracto simulans, in lectum se injecerat. Nec multò pòst etiam Pfeifferus ejusdem socius in fuga comprehensus, & Mülhusium* deductus est; ubi ambo viri nequam infami gladio plexi, & ipsorum capita ad conservandam facti memoriam feralibus contis imposita fuêre: diverso tamen amborum exitu. Pfeifferus enim impœnitens obiit ad modum bestiæ: Müntzerus autem revocatis erroribus, acceptísque ritu Catholico Sacramentis, inter pientissimos dolentis animi affectus* occubuisse fertur, melior Christianus in morte, quàm in vita.

Rustici ubique ingenti clade cæduntur à Principibus *Auctores iidem. Brower. in ann. Trev.*

**ex Diario Henrici Abbatis in Marienmünster.*

Müntzerus & Pfeiffer, rusticorum antesignani capiuntur, & afficiuntur morte, *auctores iidem.*

**urbs Thuringiæ.*

**Cochlæus in actis Lutheri.*

Sed nondum hîc finis fuit malorum, quæ ex malignis Lutheri suggestionibus in hunc annum inciderunt. Nam eodem illo tempore, quo prædicti rustici contra suos Dominos, etiam in urbibus depravati cives contra personas Deo sacras vehementer insurgere visi sunt: neque dubium est, quin divina profanáque omnia fuissent permixturi, nisi compressa rusticorum seditio etiam tumultus hujusmodi civicos feliciter enervâsset. De Franckofurtensium ac Moguntinensium seditione, quarum utraque in Aprili contigit, videri potest Joannes Cochlæus. Quæ autem sequenti mense Monasterii Westphalorum contigit, hujusmodi ortum &

Seditiones civium Francofurti & Moguntiæ. *Cochlæus & Surius hic.*

pro-

progressum habuit. Lutheranam ibi doctrinam de superiore loco proposuerant quatuor Sacellani urbici, Lubertus Cansemius ad S. Martinum, Joannes Tantius ad S. Lambertum, Fridericus Reiningius ad B. Virginem trans aquas, & Joannes Vinchius ad S. Ludgerum: quibus etiam extra templum in privatis colloquiis egregiè assistebat Adolphus Clarenbachius, Ludimagister Martinianus, Coloniæ postmodum combustus. Horum tumultuosis adhortationibus concitati cives, adversùs Clerum & libertatem ejus conscripserunt leges triginta quatuor, quarum præcipua capita sunt hæc: *Sede vacante, custodia castrorum Episcopalium non sit in manu solius Capituli Majoris; sed etiam in manu unius è nobilitate, et unius è numero civium. Nullus è Clero sit immunis ab oneribus publicis. Collegia Canonicorum, etiam Ecclesiæ Cathedralis, subjiciantur correctioni civium. Nullus è statu civico potestatem habeat legandi aliquid personis Ecclesiasticis, etiam ad sacra funebria et memorias anniversarias. Filii civium, ad Clericalem statum transituri, bona hæreditaria non queant aliis donare vel transcribere, quàm solis civibus. Ad Collegium Fratrum communis vitæ* nemo deinceps admittatur: iis, qui adhuc ibidem vivunt, suppeditentur omnia ad congruam sustentationem necessaria; reliqua verò convertantur in usus pauperum etc.* Has aliásque leges exoticas die vicesimâ sextâ Maji cum ingenti fremitu obtrudunt Magistratui ac Senatoribus urbis, comminantes iisdem extrema omnia, nisì leges istas à Capitulo Majoris Ecclesiæ continuò recipi & consignari faciant. Mox etiam furore populi jubentur occludi portæ, stringuntur gladii, coguntur ad plebis imperia Consules, adeuntur majoris Ecclesiæ Canonici, propositóque mortis periculo legem populi admittunt, consentiunt, subscribunt: ac dein, tumultu paululùm consopito, die primâ Junii, ab urbe se proripiunt. Interea Clerus minor, qui in urbe manserat, in id unum incumbebat, ut quatuor isti Sacellani, velut præcipui tumultuum præteritorum incentores, dimoverentur à suis cathedris. Et primò quidem Canonici Martiniani tentârunt illud in Sacellano suo Luberto Cansemio. Is enim omnis verecundiæ immemor, tametsi antea conjugii fidem addixisset puellæ perhonestæ, quam stupraverat; alterius insuper haud parvi nominis virgunculæ pudicitiam sollicitaverat per literas amatorias, fœdâ spurcitie ac turpitudine plenas. Quæ literæ cùm in publico senatu prælectæ essent, ità commoverunt Senatorum animos, ut Collegio Martiniano quantocyus facultatem dederint, scelus istud ab officio & suggestu sacro detrudendi. Pari felicitate etiam Joannes Tantius à Pastore Lambertino, & Fridericus Reiningius à Decano Transaquensi, sacellanatibus suis exuti ac depulsi sunt: Vinckio

Seditio urbis Monasterienſis, & ejus origo à præconibus Lutheranis. *Kerssenbroch in hist. Anabapt. ms. ad annum hunc & præcedentem.*

*vulgò Fratere Herren.

Tumultus hic sedatur, depositis ab officio prædicatoribus. *Kerssenbroich. loc. cit.*

ckio autem, ne quid ampliùs mutiret contra Catholicos, oblato alio pinguiore sacerdotio garrulum os facillimè clausum & obturatum est. His autem ab officio vel ab urbe pulsis, tota factio Lutherana quàm primùm concidit: ac decimo post mense non solùm Cathedralis Ecclesiæ Canonici in urbem reversi (uti cives mutatâ mente jam iterum expetiêrunt) sed etiam omnes legum priùs obtrusarum articuli solenni pacificatione aboliti & abrogati sunt.

Seditio civium Osnabrugensiũ, & eorum iniquissima ausa contra Clerum & Capitulum. *Chron. Osnabr. mss. Chytræus l. 11. Saxon. Hamelm. in hist. Ev. ren.*

Non minori cum ferocia contra Clericos tumultuatum ac desævitum est Osnabrugi: nam & ibi novæ libertatis Evangelica tuba jam insonuerat per Gerhardum Heckerum, Ordinis Augustiniani Monachum. Seditionis autem vexillum primus ibidem extulit Joannes de Oberg, civis Osnabrugensis: cui protinus accesserunt permulti alii, maximéque Joannes Ertmannus, Henricus Lürmannus, & (ùt vulgò credebatur) etiam Otto Spikerus, ejusdem urbis Gogravius. Hi, cùm audissent, Monasterienses tanta cum audacia adversùs Clerum insurrexisse; eorundem exemplo moti judicârunt, sibi pariter aliquid audendum esse pro tuenda (ùt vocabant) libertate Evangelica. Itaque his instigantibus, ultimâ die Maji, quæ tunc erat feria quarta ante Pentecosten, coacta est ingens multitudo plebis, effractæ Cathedralium Canonicorum ædes, direpta Clericorum bona, aliáque id genus plurima contra immunitatem Ecclesiasticam horribiles inter clamores gesta & attentata sunt, repugnantibus frustra Consulibus & Magistratu urbico, suorúmmet capitum non securis. Gravissimè hanc injuriam ac seditionem tulit Ericus Episcopus: jámque tales coquebat iras, quæ indubiè toti urbi extremam perniciem attulissent; nisi prudentior Magistratus ad mitigandum ipsius animum continuò deprecatores adhibuisset Gerhardum Abbatem Iburgensem, & alios viros eidem Antistiti non parùm caros. Horum intercessione tandem eò res deducta est, ut omissâ armorum vi, concordiæ & pacificationis ineundæ causâ amicabilis congressus fieret; in eóque per designandos arbitros ac mediatores, offensio tota quocunque meliore modo sopiretur. In hoc autem congressu, Bilefeldiæ die sextâ Augusti habito, à designatis mediatoribus, Philippo Erici Antistitis fratre, Philippo seniore Comite Waldecensi, Gerardo Abbate Iburgensi, ac Theodorico Lüningio satrapâ Ravensbergensi, cum utriusque partis consensu statutum est: *Primò*, ut urbs Osnabrugensis Erico Antistiti in satisfactionem offensæ pro multa solvat sex millia florenorum aureorum Rhenensium. *Secundò*, ut Joannis Obergii, velut primarii incentoris, pœna relinquatur arbitrio Principis, qui illum vel supplicio capitis, vel bonorum suorum confiscatione punire poterit; ità tamen, ut ab ingressu urbis

Ericus Episcopus gravissimas minas intentat urbi; sed paulò pòst iterum pacatur in tercessione Abbatis Iburgensis & aliorum. *Chron. Osnabr. mss. Chytræus loc. cit.*

Civitas mulctatur sex millib⁹ aureorum; seditiosi puniuntur. *Ex literis Archivi Cath. Eccl. Osnabr.*

urbis ac Diœcesis Osnabrugensis æternùm excluſus maneat. *Tertiò*, ut Magistratus Osnabrugensis alios factiosos pro quantitate suorum delictorum puniat, excepto Ottone Spikero Gogravio: qui, si hujusmodi seditionis particeps fuerit (uti refert suspicio) ab Erico Antistite punietur eo modo, quo in alios reos animadvertetur ex parte Magistratûs. *Quartò*, ut Canonici Cathedrales aliique Clerici, qui prædictæ seditionis causâ ab urbe profugerunt, securè ac libere ad suas ædes reverti debeant &c. - - - Qua de re servantur adhuc tabulæ publicæ, vernaculo sermone scriptæ, hoc ferè initio & fine: *Nos Philippus Dei gratiâ Dux Brunsvicensis, Philippus senior Comes Waldecensis, Gerhardus Abbas Iburgensis, ac Theodoricus Lüning satrapa Ravensbergensis, profitemur ac palàm facimus, quòd in dissensionibus et inimicitiis, inter Ericum Episcopum - - - ex una, et Magistratum urbémque Osnabrugensem ex altera parte ortis ratione seditionis ac violentiæ, contra Clerum Osnabrugensem usurpatæ, cum utriusque partis notitia et consensu statuerimus in hunc modum etc. - - - Datum et actum Bilefeldiæ, Dominicâ post vincula Petri, anno post nativitatem Christi Domini nostri millesimo quingentesimo vicesimo quinto.*

Fridericus Dux & Elector Saxoniæ moritur Catholicè.

Inter has urbium ac rusticorum seditiones, die quintâ Maji, è vivis abiit Fridericus Dux & Elector Saxoniæ: magnus quidem Lutheri fautor & patronus; in eo tamen commendandus, quòd ejusdem errores nunquam amplexus, & adhuc ritu Catholico defunctus fuerit. Sic enim docet* Chytræus, homo Lutheranus, ad hunc annum ità scribens: *Dux Fridericus, sub quo docere Lutherus cœpit, nunquam videri voluit, immiscere sè illius causæ; sed ostendit potiùs, Ecclesiasticas controversias commendare se Episcopis, ad quorum curam pertinerent. Ideo sinebat Theologos ea de re scriptis ac disputationibus luctari inter se; eatenus solùm Luthero patrocinium præstans, ne adversariorum violentiâ opprimeretur.* Succesſit ei, velut improli & cælibi, Joannes frater ejus, acatholicæ doctrinæ primus cultor. Hic Luthero & aliis ejusdem farinæ sociis, omnem agendi, mutandi, reformandi, ac pervertendi libertatem in rebus Ecclesiæ tribuit. Atque ideo infrœnis ille Apostata in eam vitæ licentiam proruit, ut (quod aliàs nunquam ausurus fuisset vivente Friderico) die vicesimâ septimâ Junii præsentis anni sacrilego connubio se conjunxerit cum sanctimoniali profuga Catharina de **Bore**, quæ biennio abhinc è Nimicensi monasterio abducta, atque interim (ùt Cochlæus* asserit) *vagâ suâ inter scholares Wittenbergenses conversatione generis communis effecta fuerat.* Præclarissimum inauditis hujusmodi nuptiis epithalamium addidit Hieronym⁹ Emserus, amœni vir ingenii; interque alia, Lutheranorum personam agens ità* cecinit:

Succesſor ejus & frater Joannes Dux, plus indulget Luthero: qui paulò pòst uxoré ducit Catharinam de **Bore** Monialem profugam.

Chytræus l. 1. Saxon.

Cochlæus in actis Lutheri.

Spond. ad hunc ann.

Cochlæus loc. cit.

apud Cochlæum in actis Luth. ad annum 1525.

Hoc Magistro licet nobis
Omne nefas, licet probis
Omnibus obstrepere:
Conculcare licet leges,
Infamare licet Reges
Summo cum Pontifice.

Sed et ipsos irridemus
Christi Sanctos, ac delemus
Cælitum imagines:
Septa claustri dissipamus,
Sacra vasa compilamus
Divinósque calices.

Cuculla! vale cappa!
Vale Prior, Custos, Abba,
Cum obedientia!
Ite vota, preces, horæ!
Vale timor cum pudore,
Vale conscientia!

Albertus, magn⁹ Magister Ordinis Teutonici in Borussia, desicit à fide, & uxorem ducit. *Chytræus Spond. Surius & alii* **Reusner in Genealogia Regum Daniæ.*

Lutheri exemplum continuò, velut obice rupto, secuti sunt quàm plures alii Sacerdotes, Monachi, ac variorum Ordinum Religiosi: intérque eos etiam Albertus Brandeburgicus, Teutonici Ordinis per Borussiam supremus Magister. Nam & ipse hoc *anno, religiosorum votorum immemor, cum Dorothea Friderici Regis Danorum filia matrimonium iniit; assumptóque Ducis Borussiæ titulo, regiones istas ab Ordine Teutonico in domum Brandeburgensem transtulit. quod cùm summopere probaretur à Luthero, etiam consanguineum ejus Albertum Archiepiscopum Moguntinum in eosdem casses pertrahere, eíque similiter per literas persuadere studuit, ut acceptâ Conjuge Archiepiscopales terras in sæcularem Principatum verteret: *Habet*, inquit, *hac in re Illustrissima Dominatio vestra pulcherrimum exemplum, nempe Magnum Borussiæ Magistrum.* Et iterum paulò pòst: *Quod si hæc animum Illustrissimæ Dominationis vestræ non permoveant; certè vel hoc solùm sufficere deberet, quòd Illustrissima Dominatio vestra à Deo facta sit persona mascula. Voluntas enim Dei est, ut vir habeat mulierem, juxta illud Gen 2. Non est bonum, esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi. - - - Horribile est, si vir in morte inveniatur sinè uxore, nisi saltem habuerit sincerum animum voluntatémque ineundi matrimonii! quid enim respondebit, cùm Deus interrogaverit: virum te creavi, qui solus esse non debet, ubi ergo est uxor tua?* Superi boni! quænam hæc verba impia, sacrilega, propudiosa? quis unquam vel in Scriptura sacra, vel in sanctorum Patrum voluminibus legit, ejusmodi quæstionem in divino judicio proponendam esse? At alium Lutherus virum in hoc Antistite expertus est, quàm ipse credidisset: imò talem, qui scurrilem hanc epistolam ne levi quidem responsiunculâ dignatus est impertire. Sciebat enim, quod ait Augustinus l. 1. de adulterinis conjugiis c. 24. *Quod alicui, antequam vovisset, licuit; id, cùm se nunquam fa-*

Ejus exemplo Lutherⁱ Albertum Archiepiscopum Moguntinum sollicitat ad Apostasiam & matrimonium. *Serar. l. 5. rer. moguntp. 887. Spond hic n. 19. Cochlæus Surius & alii.*

Albertus Moguntinⁱ ne quidem dignatus est Luthero ad has literas respondere.

Serar. loc. cit. pag. 893. Cochlæus in actis Lutheri. Spond. & Surius ad hunc ann.

clurum voverit, non licebit; si tamen id voverit, quod vovendum fuit; sicut est perpetua virginitas, vel continentia post experta connubia. Hæc enim, cùm homines voverint, nullâ conditione rumpenda sunt: quia et hoc Dominum præcepisse intelligendum est, ubi legitur, Vovete, et reddite Domino Deo vestro.

Ericus Episcopus Paderb. edictum wormatiense Caroli V. rigorosè exequitur.

Paris constantiæ in fide catholica adhuc erat Ericus Episcopus noster: &, quòd ampliùs commendandum est, Wormatiense edictum Caroli Cæsaris contra omnes Luthero addictos in Diœcesi sua rigorosissimè solebat exequi. Experti sunt id Sacerdotes vitæ communis* in domo Fratrum, quæ tunc erant Herivordiæ. Audierat, eos vel eorum aliquos Lutheranis doctrinis adhærescere; ideóque in vim edicti Wormatiensis jubet eos, velut Ecclesiasticæ jurisdictioni nostræ subjectos, à Procuratore fiscali Paderbornam evocari, ut ibidem fidei doctrinæque suæ rationem redderent. Mittuntur ergo prædicti Conventûs aut Collegii nomine duo Sacerdotes, Henricus **Telgete**, & Gerhardus **von Xanten**, hujus causæ procuratores ab eadem Domo Fratrum constituti. Hi, cùm in judicio Ecclesiastico interrogarentur de Lutheri dogmatis, non solùm protervè responderunt se iisdem adhærescere; verùm etiam singulari immodestia contra sententiam, à generali Vicario in se suósque latam, nescio quibus frivolis audacissimísque appellationibus protestati sunt. Sed hanc eorum audaciam pro merito suo castigavit ac fregit Ericus Episcopus. Continuò namque jussit ambos Dringenbergensem in arcem abripi, in eáque tam diu custodiri & emaciari; donec & ipsi Lutherum ejurâssent, & alii ejusdem Domûs aut Collegii Sacerdotes, à quibus procuratorio nomine missi fuerant, Papali Cæsareóque edicto sese in posterum parituros esse promisissent. Imò ne tum quidem prædicti duo sacerdotes è Dringenbergensi custodia priùs dimissi sunt; quàm alii complures Domini, maximéque Simon Lippiensis Comes, pro iisdem relaxandis è carcere sæpe deprecati fuerint. Seriem rei gestæ, quæ minùs fideliter evulgata est ab Hamelmanno, delibare juvat è tabulis autographis, westphalico sermone scriptis, & in archivo Cathedralis Ecclesiæ nostræ conservatis; quæ ferè hoc modo sonant.

*vulgò **Frater-Herren.** Sacerdotes vitæ communis in Herivordiensi Domo Fratrum propter doctrinas Lutheranas Paderbornam citat. Eorum duos, aliorum nomine illuc missos, & immodestiùs respondentes in carcerem detrudit,*

Literæ publicæ de tota re conscriptæ. *ex archiv. Cath Eccl. Paderb.*

NOs *Bartholomæus* **Amelen** *Pater, Joannes* **Neer** *Procurator, cum omnibus Presbyteris, Clericis, et Fratribus domûs Fratrum intra Herivordiam, profitemur et contestamur hisce literis. Cùm Reverendissimus et Illustrissimus Princeps Ericus Episcopus, - - - ad instantiam et requisitionem Procuratoris fiscalis, nos ùt violatores ac transgressores Cæsarei Pontificiíque edicti, contra seditiosos Martini Lutheri aliorúmque adharentium ausus jam pridem publicati, judicialiter conveniri, et cum præfini-*

finitione termini judicialis ad nos tuendos ac defendendos evocari jusserit: cúmque insuper exhiberi nobis fecerit informem et inconsultam appellationem, in qua adhuc videmur à Lutheranorum ausis ac machinationibus desistere non velle, pro ut nostri Confratres, *atque ad eam causam constituti Procuratores,* Henricus Telgete *et* Gerhardus von Xanten *Sacerdotes, non solùm temerariè et informiter appellârunt; sed etiam Paderbornæ indecenti modo, verbis et factis, contra veterem Christianæ Ecclesiæ morem insolescere visi et auditi sunt (id quod à nobis neutiquam approbatur, neque nostrâ voluntate contigit) unde etiam prædicti duo Sacerdotes hac in re graviter deliquerunt, prædictóque Clementissimo Domino nostro justissimam causam dedêre, eosdem ex mandato Papali et Cæsareo incarcerandi, puniendi, et castigandi: quemadmodum etiam contra nos pari modo procedere voluit, ut Papalibus hujusmodi, nec non et Cæsareis mandatis morem gereret. Nos igitur Bartholomæus Pater, Joannes Procurator, totúsque Conventus Domûs Fratrum antè dictæ promittimus ac spondemus, quòd nos omnes ac singuli doctrinam et institutiones Martini Lutheri nequaquam sequi; sed è diverso nos ità gerere, docere, et concionari velimus, utì Christianarum legum, conciliorum, ac statutorum Ordinationes, in Ecclesia Catholica ab antiquis temporibus observatæ, nobis indicant et commonstrant. Quòd si aliquis nostrûm adversùs ista quid aliud attentaret, illum vel illos in Conventu nostro ferre non volumus; sed eosdem à nobis segregare, et Episcopali Celsitudini suæ absque omni mora ac tergiversatione in jus et judicium tradere etc. etc. - - - - Datum anno Domini millesimo, quingentesimo, vicesimo quinto, ipsâ die S. Lamberti Episcopi.*

Fridericus Comes de Spiegelberg, Comitatum Pyrmontanum sibi arrogat, eúmque rursus abstrahit à diœcesi Paderbornensi. *Ex literis infrà citandis.*

His laudatissimè gestis, novum Ecclesiæ nostræ vulnus infligtum est ex iniquissima transactione hoc anno facta de dominio & Comitatu Pyrmontano, quem triennio ab hinc Diœcesi nostræ à Comitibus Lippiacis restitutum ac reunitum fuisse vidimus. Invaserat hunc Fridericus Comes de Spiegelberg, ea solùm de causa, quòd Comitatus iste Joanni patri suo in dotem assignatus fuerit, quando matrimonium iniit cum prima uxore sua Comitissa Pyrmontana, sinè liberis relictis mortua. Stupebant ista Paderbornenses, dicebántque, non videre se, quo jure Fridericus in Comitatum hunc involare queat: hunc enim esse feudum Diœcesis nostræ, adeóque nec in dotem assignari posse, multòque minùs ad Fridericum pervenire, utpote qui non sit genitus è matre Pyrmontana; sed è secunda sui patris conjuge, Comitissa Diepholdiensi. At ille contra negare feudum, publicísque in scriptis dicere, Comitatum Pyrmontanum esse dominium planè liberum, atque ab omni clientela seu jure beneficiario solutum: proinde & infeudationem, Lippiacis Comitibus ter quatérque priùs concessam, nullius fuisse roboris

boris ac valoris. Debuissent hîc statim Episcopus & Capitulum Consiliarios suos mittere in archivum patriæ, veteres infeudationum tabulas perquirere, & ex iis non modò jus nostrum, sed etiam qualitatem & modum ejus exhibere. At ipsi (quæ erat illorum temporum socordia) neglecto archivo nostro confugêre statim ad amicabilem transactionem; eámque adhuc incautiùs detulerunt Gebhardo & Alberto Comitibus Mansfeldianis, ultroneè se offerentibus, & rerum nostrarum ignaris. Hi autem gravissimo nostræ Diœcesis damno rem ità composuêre, ut *Comitatus *Pyrmontanus sit ac maneat feudum Paderbornense*: Friderico tamen Spiegelbergio & ejus fratri conferatur, non solùm pro se suísque hæredibus masculis; verùm etiam, si tales non supererent, pro eorundem filiabus, aliísque ex eorum vel earum sanguine descendentibus, *pro ut in Diœcesi Paderbornensi *usu et observantiâ receptum est**. *Datum Huxariæ, die Veneris post Crispini et Crispiniani, Anno Domini 1525.*

Controversia per arbitros iniquissimè deciditur pro Spiegelbergio. *ex literis transactionis.*

**ita literæ transact.*
**ita habetur in lit. transact.*
*Wie dann solches in dem Stifft von Paderborn her kommen usu Gebrauch ist.

Quis non videt, hanc transactionem à Comitibus Mansfeldianis factam, fuisse iniquissimam? si enim agnoscebant arbitri, Comitatum Pyrmontanum esse feudum Paderbornense; quomodo ab iisdem decerni poterat, ut conferretur Friderico Spiegelbergio, qui ex matre Pyrmontana nullatenus descendebat? aut quomodo asserere poterant in Diœcesi Paderbornensi usu & observantiâ receptum esse, ut emortuâ stirpe masculâ succedant in feudis fœminæ & earum descendentes; cùm apertè contrarium eluceseceret ex peculiari concessione ante octennium facta* Simoni Comiti Lippiensi, cui id temporis adhuc supererant sorores quatuor, multâ prole masculâ fœcundæ? & tamen Ericus Episcopus, nostræque Ecclesiæ Capitulum Cathedrale, nescio, quâ cœcitate vel ignorantiâ ducti, compositionem istam admisêre. Quæ res postmodum, extinctâ Comitum Spiegelbergicorum familiâ, diuturnis litibus & controversiis materiam præbuit usque ad annum circiter 1668; quo Ferdinandus Fürstenbergicus Episcopus noster tandem ità cum Waldeckianis *Comitibus pepigit, ut Comitatus Pyrmontanus, qui tunc ad eosdem venerat, deficiente ipsorum stirpe masculâ ad Episcopatum nostrum recideret.

Ostenditur iniquitas istius sententiæ vel transactionis.

**vide dicta ad ann. 1517.*

**Imhoff. in Nobil. Proc. S. R. l. 3. c. 12. n. 5. & l. 6. c. 19. n. 3.*

An-

Annus Christi 1526.

CLEMENTIS VII. Pontificis 3. & 4.
CAROLI V. Imperatoris 7. & 8.
ERICI Episcopi Paderborn. 18.

Carol⁹ Imperator uxorem ducit Isabellam Lusitanam.

QUarto Idus Januarii Carolus V. Imperator in urbe Hispali matrimonium iniit cum Isabella Regis Lusitaniæ filia: intérque prima nuptiarum gaudia etiam concluſæ ſunt conditiones pacis ac libertatis pro Francisco Galliarum Rege, hactenus captivo. Quas inter præcipuæ erant hæ: *ut Galliæ Rex intrà ſex hebdomadas, à die liberationis factæ, Carolo Imperatori pro ſe ſuísque hæredibus reſtitueret Ducatum Burgundiæ, ab avia paterna debitum. Ut omni jure prætenſo in utramque Siciliam, Ducatum Mediolanenſem, Ditionémque Genuenſem et Aſtenſem perpetuò renuntiaret. Ut Eleonoram Caroli ſororem viduam, in thalami ſociam adſciſceret, et cum ea in dotem acciperet ducenta liliorum aureorum millia. Ut Carolo Borbonio, et aliis ad Cæſarea caſtra transgreſſis, redderet omnia, quæ poſſederant in regno Galliæ. Ut Carolo Geldro, ſi bello et armis à Cæſare peteretur, nullum auxilium ferret. Ut binos filios, ex priore conjuge natos, daret obſides Imperatori; eidémque per jus jurandum promitteret, ſe in ejus captivitatem rediturum eſſe, ſi fortè poſtea conditionibus hujuſmodi ſtare, vel non vellet, vel non poſſet.* His aliísq; articulis ab utraque parte conſignatis, Franciſcus Rex die 18. Martii libertati redditus; & ejuſdem ambo filii, Franciſcus & Henricus, à Carolo Imperatore velut obſides recepti ſunt. At ecce! quàm inſtabilis & fluxa eſt fides Gallica. Vix enim aliquot hebdomadis Rex in Galliam reverſus fuerat, cùm repentè ſuam promiſſionem de Burgundia reſtituenda revocat. Monitúsque idcirco à Carolo Cæſare frigidiſſimè reſpondet: *Magnates Regni ſui in eam reſtitutionem conſentire nolle: ſinè horum voluntate ſibi fas non eſſe, membrum aliquod à regno ſeparare: proinde rogare ſe, ut Burgundiæ loco duos milliones aureorum à ſe recipiat.* Mirari his auditis Carolus, protinúsque reſpondere: *nullis Regni legibus prohiberi poſſe reſtitutionem rei alienæ, qualis eſt Burgundiæ Ducatus, aviæ ſuæ Mariæ Burgundicæ debitus, et huic per vim ereptus: adeóque vel decedendum ex illius poſſeſſione; vel, ſi id non vellet aut non poſſet, ad captivitatem Hiſpanicam ex vi juramenti præſtiti redeundum eſſe.* Quid autem ad iſta Gallus? pudor eſt dicere! Non ſolùm ei nihil, nisi verba dedit; ſed etiam (quod longè fœdius eſt) poſt duos menſes, die 17. Maji, cum Venetis ac Pontifice nefandum fœdus iniit ad eundem infeſtandum,

Haræus in Ann Brab. Palat. in Aq. Auſtr. & Franciſcum Galliæ Regem libertati reſtituit variis conditionibus: quarum una eſt, ut Carolo reddat Burgundiâ, ei ab avia paterna debitam.

Haræus & Pal. loc. cit. Spond ad hunc ann.

Gallus libertati redditus, non modò renuit Burgundiam reddere;

Haræus in Ann Brab Spond. hic. Pal. in Aq. Auſtr.

ſed etiam contra Cæſarem cum Pontifice & Venetis percutit novum fœdus, ad eundem perſequendum.

ſtandum, proſequendum, opprimendum, &, ſi Superis placuiſſet, etiam ejiciendum totâ Italiâ. *Auctores tidem & alii.*

Nihil perniciosius evenire poterat orbi Europæo, quàm fœdus illud: præſertim eo tempore, quo & hæreſis Lutherana inteſtinis diſſidiis lacerabat Germaniam, & furor Ottomannicus funeſtiſſimis cladibus evertebat Hungariam. Id quod ipſémet Imperator Clementi Pontifici objectavit in epiſtola, nono Kalendas Julii ad eum data, cùm ità ſcribit: *Videat, quæſo, Sanctitas veſtra, an hæc Paſtorali congruant officio, an hic ſit gladius per veſtram Sanctitatem evaginandus, quem Chriſtus ipſe in vaginam potiùs recondendum cenſuit, Animadvertat, an hæc juſtitia conveniant, an verò contrà injuſtè procedatur cum ipſo Apoſtolicæ Sedis protectore, turbetur univerſæ Eccleſiæ ſtatus, et incendatur ignis adeò noxius, ut tandem Chriſtianorum viribus debilitatis, perfidi hoſtes*velut lupi rapaces gregem Chriſtianum abigant, ac demum hæreticorum dogmata magìs magísque invaleſcant?* Et certè Pontifex ex eo damnoſo fœdere non modò laudem nullam; ſed etiam, puniente Deo, egregiam ſuî confuſionem & ignominiam retulit. Interea namque, cùm fœderati Pontificii militem colligerent; Hugo Moncadius Cæſareanæ claſſis Præfectus, quaſi Regni Neapolitani limites defenſurus, cum aliquot Cæſareorum millibus ex improviſo Romam ſe convertit: ac, priusquam de adventu ſuo Romanis aliquid ſuboleret, ſub auroram die decimâ nonâ Septembris, colluſione Principum Columniorum, in urbem ſe intromiſit. Nulli civium in hoc ingreſſu vel minimum nocumenti datum, Cæſareus miles viâ rectâ progreſſus ad Palatium Vaticanum, direptus illic omnis apparatus aulæ, ſublata ſupellex pretioſa, Clemens Pontifex ægerrimè captionis periculo ſubtractus, & in caſtrum S. Angeli dilapſus eſt. Ubi, cùm formidaret, ſe minimè ſecurum fore; oblatâ rejiciendi fœderis Gallicani ſpe, quadrimeſtres cum Hugone Moncadio inducias pepigit, eâ lege ac promiſſione, ut *adversùs Columnios nullam hac de re vindictam quærere, copiásque ſuas omnes, in Inſubriam transmiſſas, à fœderatorum ſuorum partibus revocare velit ac debeat.* Atque utinam, vel tunc ſaltem didiciſſet Papa ſuo damno ſapere! Nam paulò pòſt, cùm, elapſis hujuſmodi induciis, Gallicano fœderi ſe rurſum conjunxiſſet: à Cæſareis Romæ captus, & in cuſtodiam detruſus eſt, utì ad annum ſequentem referetur.

Cæſaris contra Pontificem querelæ ea de re. *Palat. in Aq. Auſtr. Spond. hic n. 4. Helvicus in theat. hiſt. univ.*

**Turcæ.*

Cæſareani Romam occupant, & palatium Vaticanum diripiunt, Pontifice clàm effugiente ad caſtellum S. Angeli. *Auctores iidem.*

Pontifex quadrimeſtres inducias paciſcitur cum Cæſareis: poſtea tamen redit iterum ad fœdus Gallicum. *Spond. hic n. 7. Pal in Aq. Auſtr.*

Meritò autem hæc patiebatur Papa Clemens: quippe qui familiæ ſuæ commoda Religioni præferebat, ſuóque damnoſiſſimo cum Gallis fœdere cauſa fuit, ut non modò bella Cæſarem inter & Gallum continuata ſint; verùm etiam, ut Hungaria acerbiſſimam hoc anno cladem à Turcis tulerit. Nam interea temporis,

quo Papales copiæ contra Cæsareanos in Insubriam processêre, Solimannus Turcarum Imperator cum ingenti barbarorum exercitu in Hungariam se infudit: expugnatóque Petri-Waradino, Villaco, & aliis oppidis quàm plurimis, tandem vicesimâ nonâ Augusti Ladislaum Regem, viginti annorum juvenem, cum parvo exercitu suo funestissimâ clade prope Mohazium stravit, perdidit & obtrivit. Ferunt, ex parte Regis, tam in prælio, quàm in fuga, periisse viginti duo millia gregariorum, Nobiles Hungaros præcipui stemmatis quingentos & ampliùs, Archiepiscopos præterea duos, & Episcopos quinque. Rex ipse, dum amissis omnibus fugâ salutem quæreret, palude haustus interiit, hærede adhuc nullo propter juveniles annos post se relicto. Neque satis hoc furori Mahometico; indè enim prædatoriæ Turcarum cohortes per totam Hungariam inferiorem quaquaversum divisæ, & ubique locorum tam barbarum in modum grassatæ sunt, ut propè ducenta Christianorum millia partim occisa, partim in servitutem abducta fuisse, memorentur. Quo peracto, Solimannus exercitum reduci jussit, & seditionis Asiaticæ causâ Constantinopolim reversus est, nullo (quod mireris) præsidio militari in urbibus bello captis relicto.

Solimann⁹ Turcarum Imperator Hungariam invadit. Exercitus Hungarorũ cæditur, & Ladislaus Rex miserè occumbit. *Isthuanff. l. 8. Hist. Hung. Sambucus in append. rer. Hung Spond. Pal. & alii.*

Debuissent in his angustiis Ladislao Regi auxilium ferre Ferdinandus Archidux, & alii Germaniæ Principes. At ille militum suorum florem Carolo fratri suo miserat in Italiam contra iniqua Papalium fœderatorum ausa: ceteri autem Germaniæ Principes nihil opis afferre poterant ob animorum divisiones & execranda Religionis dissidia. Quæ & hoc anno tam flebilibus aucta sunt incrementis, ut in Spirensibus comitiis, per æstatem habitis, nonnulli Principum ausi fuerint conciones Lutheranas in ædium suarum atriis palàm instituere, feriâ sextâ & sabbatho coram omni populo carnes comedere, novos rerum credendarum articulos conventui Principum offerre, eorundem approbationem à comitiis flagitare, ac demum Evangelicæ doctrinæ suæ ostentandæ causâ, militum ac ministrorum suorum vestibus hâsce literas in dextra manica assuere *V. D. M. I. Æ.* id est: *Verbum Domini manet in æternum.* Præcipui novitatum istarum auctores erant Joannes Elector Saxoniæ, & Philippus Landgravius Hassiæ: quorum posterior anno superiore ad Lutheranorum partes accesserat, non attentâ reclamatione pientissimæ genitricis suæ, Annæ Mecklenburgicæ, quæ probè Catholica mansit usque ad extremum vitæ suæ halitum. His duobus novi Evangelii protectoribus etiam Lutherus Georgium Saxoniæ Ducem adjungere hoc anno studuit. At ille, ùt erat in avita fide constantissimus, non modò novum istud Evangelium

Principum Lutheranorum insolentia in comitiis Spirensibus. *Cochlæus in actis Lutheri. Spond Sur. Pal. & alii*

Luther⁹ etiam Georgiũ Saxoniæ Ducem ad suam sectã allicit: sed ab eo repellitur.

gelium à se rejecit; sed etiam Luthero invitanti præclaram epistolam reddidit, in qua recensitis urbium seditionibus, religiosarum domuum expilationibus, conjugatarum personarum adulteriis, monachorum & monacharum nuptiis, aliisque id genus offendiculis ex novo ejus Evangelio proseminatis, ità subjungit: *Hos egregios fructus attulit Evangelium tuum, quod de suppedaneo* in apertam lucem protraxisti! Et rectè ais, de suppedaneo: bonúmque foret, ut sub eodem adhuc delitesceret! si enim adhuc semel hujusmodi Evangelium è tenebris abditísque scamnorum eruas, nullum amplius * agricolam in pagis nostris retinebimus. etc. - - - Datum Dresdæ die Jovis, festo Sanctorum Innocentum, anno Domini 1526.*

*Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. Auctor libelli de ortu & occasu evangelii Luther. *germanicè welches du unter der Banck herfürzogest. *alludit hic ad bellum rusticum.*

Et certè, si novus iste Lutheri partus repentè in primis incunabulis oppressus foret; etiam in Diœcesi nostra adhuc incolume staret nobilissimum illud Helmershusense monasterium Ordinis S. Benedicti, quod hoc vel præcedente anno dissipatum est per Apostasiam vitámque nequissimam Georgii Marnholtii Abbatis ultimi. Postulatus hic erat ante annos pauculos in locum sui decessoris Ludovici ab Hanstein: nec voluerat Ericus Episcopus postulationem ejus confirmare, quòd aliunde jam satìs nôsset, in eo nullam religiosæ conversationis micam reperiri. Postremò tamen, cùm pro eo constanter intercederent Levinus de Veltheim Præpositus Hildesiensis, Joannes de Marnholt Decanus Halberstadiensis, & alii perillustres viri; eorundem precibus inclinatus, postulationem supradictam admisit eâ lege, ut se suúmque monasterium continuò submitteret congregationi ac reformationi Bursfeldiensi, ibidem hactenus non receptæ. Id quod etiam Huxariæ in scripturis publicis, ea de re confectis, datâ manu stipulatus est: sed heu! quàm instabili & Græcâ fide? Mittebatur quidem illuc ex monasterio Bursfeldiensi Joannes Winhusius, integerrimæ vitæ Sacerdos; eidémque demandatum erat, ut *Prioris* officio fungeretur, monachósque dissolutos ad severiorem vivendi formam adstringeret. Sed quia Abbas ipsémet religiosam ejusmodi reformationem oderat, bonus *Prior* non modò nihil profecit apud homines infrunitos; verùm etiam haud multò pòst ab iisdem in suo cubiculo per noctem invasus, comprehensus, ligatus, bacillo in os intruso vociferari prohibitus, extra monasterium tractus, in saltum Solinganum trans Visurgim raptatus, ibíque tandem soluto oris repagulo dimissus, atque ad monasterium suum remissus est cum hac monitione & comminatione: *abi jam, ac tolle te quantocyus, nec deinceps Helmershusium revertere! alioquin deteriora tibi evenient.* Ità rursum exleges monachi, præeunte Abbate suo, ad priorem vitæ licentiam redière; imò etiam delapsi sunt ad pejora, quàm unquam

Monasterii Helmershusani apostasia cum Abbate & malis monachis. *Ex veteri mss relatione Paderborna.*

*Relatio supradicta Paderb.

antea. Nam, ùt vetera Diœceſis noſtræ* monumenta perhibent, vagabantur ubique foris pro ſuo libitu, vivebant ſinè regula, carebant religiosâ diſciplinâ, hærebant in ganeis ac tabernis publicis, non legebant *Miſſas*, non recitabant *Horas*, non pſallebant in choro, non intererant officio Divino, cimelia, calices, vaſa ſacra potitando abſumebant; multáque factitabant alia, non ſolùm homini religioſo, verùm etiam Chriſtiano turpia. Qua de re cùm Abbas iterum ſeverè moneretur ab Erico Epiſcopo; finxit iterum, ſe curaturum, ut reformatio Bursfeldienſis nunc tandem ſeriò à ſuis recipiatur: eúmque in finem ex Erfurtenſi monaſterio venire juſſit Joannem Hunefeldium, virum non minùs doctrinâ, quàm religione præſtantiſſimum. Sed & hic tentatæ reformationis & correctionis mercedem non meliorem retulit, quàm Joannes Winhuſius. Nam paulò pòſt à Georgio Abbate, & effreni lurconum ſuorum turba, graviſſimis contumeliis affectus, injuriis oneratus, inediâ preſſus, ac demum in ejuſmodi miſerias detruſus eſt, ut extra monaſterium in ædibus privati civis (ad cujus opem confugerat) ærumnis ac doloribus confectus fuerit. Interea Romæ laboraverat Abbas, ut Conventus Helmershuſanus Papali diſpen-

*ex eadem relatione mſ.

ſatione* converteretur in Collegium Canonicorum ſecularium; utì poſtmodum ex variis contractibus & ſcripturis compertum eſt. Cùm verò id ei negaretur, vel certè ab aliis impeditum ſit, ne fieret; maluit ex recenti Lutheranorum doctrina monaſterium deſerere, quàm ex Bursfeldienſium inſtituto religioſioris vitæ normam acceptare. Itaque primò nummos omnes, quos è pecuniariis monaſterii proventibus corradere potuit, clàm avexit *Pollas*, ubi ciſtulam habebat pro celandis hujusmodi furtis. Deinde prata & campos, prædiúmque unum poſt alterum, turpiſſimè vendidit vel oppignoravit, etiam ignorantibus quandoque monachis, à quibus ideo ſigillum Conventûs per vim extorſerat. Ad extremum denique, ab Erico Epiſcopo noſtro comprehendi metuens, cum uno alteróve famulo clancularià fugâ ſe ſubduxit; cúmque in montem vicinum evaſiſſet, converſo ad monaſterium vultu dixiſſe fertur: *Vale Helmershuſium! ego nunquam ampliùs te videbo.*

*Poll, oppidum ad Viſurgim.

Exemplum hoc illico plenis paſſibus conſecuti ſunt reliqui iſtius Eccleſiæ Monachi, abjectóque religioſo habitu ità poſtmodum ſe in omnem ſcelerum ſentinam demerſêre, ut in eos, velut homines infames, etiam judicio publico animadverti neceſſum fuerit. Horum unus Joannes Usler, multis annis per orbem vagus, tandem ab Erico Epiſcopo ſcelerum ſuorum causâ comprehenſus, & ad carceres perpetuos condemnatus eſt. Alius, nimirum Joannes Simons, propter multiplicia crimina Dringenbergæ in cuſtodiam datus: ac

tametſi

tametsi per interventionem alicujus viri nobilis cautione datâ libertatem receperit, haud multò pòst in colluvie militum grassatorum (quos appellabant **Knechte**) infelici morte trucidatus fuit. Alius demum, cui nomen Henricus **Tôldeken/** ob infanda maleficia etiam ab ipsismet Lutheranis carcere constrictus est in Hassia; & adhuc ibidem circa annum 1540. infamibus vinculis inclusus jacuit. Ità sanè præstantissimum illud nostræ Diœcesis monasterium, posteaquam steterat annis quingentis & viginti sex, fine infausto periit; ac tandem post diuturnas gravissimásque lites in Hassorum potestatem venit, utì suo loco recensebitur. Interea lubet hîc addere brevem catalogum omnium Abbatum Helmershusensium, qui ab anno Christi millesimo usque ad Marnholtium desertorem præfuêre, operosèque à me collecti sunt ex diversis archivorum nostrorum literis.

CATALOGUS
Abbatum *Helmwardeshusensium
ab anno 1000. usque ad annum 1526.

*nunc Helmershusensium.

I. *Haulfus* Abbas præesse cœpit anno Christi millesimo, quo monasterium hoc à Comitibus, Eckihardo & Mathilda fundatum est sub Ottone III. Imperatore & Silvestro II. Pontifice. Memoratur in Historia translationis S. Modoaldi apud Papebroch. to. 3. Ss. Maji, c. 1. n. 6. Vixit adhuc anno 1017, quo S. Henricus Imperator monasterium hoc Paderbornensium Episcoporum curæ & inspectioni tradidit.

II. *Wino* Abbas, antea monachus Abdinghoffensis Paderbornæ. Hic anno 1032. à B. Meinwerco Episcopo nostro missus est Hierosolymam, ad afferendam indè mensuram ac delineationem Ecclesiæ supra Christi sepulchrum conditæ. Vixit adhuc, & interfuit consecrationi Ecclesiæ Bustorffiensis anno 1036, utì constat ex tabulis ad eundem annum productis à Schatenio.

III. *Tammo*, seu *Tangmarus*. Reperitur apud Schatenium in literis Abdinghoffensibus, ad annum 1058.

IV. & V. Horum duorum nomina ignorantur. Forsitan sunt *Albericus* & *Berthgerus*, de quibus è Corbejensi manuscripto meminit Overhamus in suis notis ad vitam B. Meinwerci, pag. 337.

VI. *Thietmarus* I. hunc Abbatem sexto loco præfuisse, discimus ex historia translationis S. Modoaldi apud Papebrochium n. 8. ubi sic legitur: *Tietmarus, hujus cœnobii sextus à Deo electus Abbas.* Reperitur apud Schatenium in literis fundationis Bursfeldiensis ad annum 1093. pag. 637. Idem anno 1107. Helmershusium attulit corpus B. Modoaldi Trevirensis Archiepiscopi, utì in historia illius translationis loco citato legitur. VII.

VII. *Reimboldus* I. reperitur in literis Helmershusanis de anno 1126.

*aliàs Adelberti.

VIII. *Thietmarus* II. reperitur in literis Athelberti *Archiepiscopi Moguntini de anno 1139.

IX. *Conradus I.* Reperitur apud Schatenium in literis Gerdensibus ad annum 1142. & in aliis quàm plurimis usque ad annum circiter 1170.

X. *Conradus II.* Hic in literis suis de anno 1180 clarè meminit sui decessoris Conradi primi; simúlque nominat se *Conradum hujus nominis 2dum.* In aliis verò, post mortem ipsius datis, appellatur *Conradus hujus cœnobii Abbatum decimus, sui verò nominis 2dus.* Unde certum est, nos hactenus in Abbatum catalogo non errâsse.

XI. *Thietmarus*, vel *Dithmarus III.* Reperitur in literis Helmershusanis de anno 1205, *indictione octavâ*; quarum initium est: *Ego Thetmarus, Divinâ clementiâ hujus nominis tertius Helmwar. deshusensis Abbas.* Eodem anno postulatus est Abbas in monasterio Corbejensi; ibidémque triennio pòst, nimirum anno 1208, præmaturâ morte extinctus est, uti ferunt Annales* Corbejenses.

*Annal. Corbej. apud Paullin. & chron. Huxar. apud eundem.

XII. *Wernerus.* Reperitur in literis Helmershusanis, datis *anno 1215, indict. III. die 24. Junii.*

XIII. *Henricus* Abbas. Reperitur in literis Helmershusanis de anno 1220, & in Marienfeldensibus de anno 1221.

XIV. *Conradus III.* De hoc supersunt literæ, quæ sic incipiunt: *In nominæ sanctæ et individuæ Trinitatis, ipsius favente clementiâ Conradus hujus nominis tertius, Helmwardensis Ecclesiæ Abbatum quartus decimus etc.* Sed annus, quo datæ sunt, non additur.

XV. *Joannes I.* Reperitur in literis de anno 1237. obiit eodem anno.

XVI. *Conradus IV.* Reperitur primùm in literis de anno 1237: deinde in aliis multis usque ad annum 1249. Annus mortis ignoratur.

XVII. *Hermannus I.* Memoratur in literis de anno 1256, & in aliis de anno 1267.

XVIII. *Conradus V.* dictus de Recklinghusen. Reperitur in literis de anno 1270.

XIX. *Joannes II.* Hic in literis de anno 1273, die 14. Aprilis, nominat se *Joannem, electum Abbatem in Helmershusen.* Reperitur & in aliis permultis literis usque ad annum 1303 inclusivè.

XX. *Adolphus* Abbas. Reperitur in literis Helmershusanis de anno 1307. & in Gerdensibus de anno 1310. Hic omisso negle-

glectóque Episcopo Paderbornensi confirmationem & benedictionem suam petiit à Clemente V. Pontifice, ad quem in Gallias Avenionem profectus est. Sed, cùm ab eo post longas pecuniarum ac temporum dilapidationes tandem remitteretur ad Archiepiscopum Colonienſem, velut Apostolicæ Sedis Commissarium; non multò pòst circa annum 1314 *ante adeptam confirmationem è vivis abiit, nullo alio tantorum itinerum & impensarum fructu, quàm quòd opulentissimum illud monasterium gravissimis debitis oneraverit.

*ex literis monasterii Helmershusani de anno 1319.

XXI. *Reimboldus II.* Reperitur in literis monasterii Wilbadessensis, anno 1316 datis pridie Epiphaniæ. Hic similiter benedictionem suam à Paderbornensi Episcopo suscipere detrectavit. Qua de re cùm Episcopus noster conquestus esset apud Pontificem; causæ hujus discussio commissa est Godefrido Episcopo Osnabrugensi, & quibusdam aliis. Hi autem cognitione factâ pronuntiârunt contra Abbatem: atque ideo is tandem anno 1326, *VIII. Idus Martii*, confirmationem suam ab Episcopo nostro accipere compulsus est, uti constat ex actis, quæ supersunt. Rexit usque ad annum circitèr 1330.

XXII. *Engelhardus* Abbas. Reperitur in literis de anno 1332, & in aliis de anno 1337.

XXIII. *Sifridus* de Schartenberg. Reperitur in literis datis anno 1339 *in crastino S. Nicolai Confessoris*. Resignavit anno sequente, uti fatetur ipsémet in aliis literis.

XXIV. *Hermannus II*, dictus de Hardenberg. Reperitur primùm in literis de anno 1348: deinde in plurimis aliis consequentibus, quarum ultimæ datæ sunt *anno 1391, sexto Kalendas Decembris.*

XXV. *Joannes III.* Reperitur in literis de anno 1394. Non præfuit ultra sexennium.

XXVI. *Theodoricus* de Rebock. Invenitur in literis de anno 1399, datis *pridie Conversionis S. Pauli*: deinde in plurimis aliis, quarum ultimæ datæ sunt anno 1423, *in die S. Martini Episcopi.*

XXVII. *Wilhelmus I.* Reperitur in literis de anno 1424, *datis in die Ss. Apostolorum Petri et Pauli.*

XXVIII. *Arnoldus* de Malsburg. Hic anno 1435 ex Abbate Helmershusano postulatus est Abbas in Corbeja, ubi postea rexit usque ad annum 1463, quo mortuus est.

XXIX. *Wilhelmus II.* Reperitur in variis literis ab anno 1436 usque ad annum 1454 inclusivè.

XXX. *Hermannus* III, dictus de Stockhusen. Reperitur in literis ab eo datis anno 1456 *in Dominica Judica.* Item in aliis anno 1462.

XXXI.

XXXI. *Wilhelmus* III, dictus de Haxthausen. Reperitur in literis ab eo datis anno 1471, die 22. Januarii: & in aliis quàmplurimis, quarum ultimæ datæ sunt anno 1494, *die S. Petri ad vincula.*

XXXII. *Hermannus* IV. Reperitur in literis ab anno 1496 usque ad annum 1499 inclusivè.

XXXIII. *Ludovicus* ab Hanstein. Reperitur in literis ab eo datis anno 1510, *ipso die S. Michaëlis.*

XXXIV. *Georgius* de Marnholtz, Abbatum Helmershusensium pessimus ac postremus: qui & postea monasterium illud Philippo Hassiæ Landgravio vendidisse fertur.

Annus Christi 1527.

CLEMENTIS VII. Pontificis 4. & 5.
CAROLI V. Imperatoris 8. & 9.
ERICI Episcopi Paderborn. 19.

Clemens Papa redit ad fœdus Gallicum: Veneti, Galli & Pontificii invadunt Regnum Neapolis. *Spond. hic. Hareus in ann. brab. Palat. in Aq. Aust.*

CLemens Pontifex, tametsi priore Septembri in præsentissimo captionis periculo fuerit, sub initium hujus anni rursum Gallicano fœderi se conjunxit. Coibant igitur haud procul ab urbe Roma Galli, Veneti, & Pontificii milites; junctísque belli viribus procedebant contra Neapolim, ut regnum illud ejecto Cæsare victricibus armis occuparent. Nec defuêre primùm successus boni. Captæ aliquot urbes, oppida & castella, magno Pontificis gaudio; sed iterum paulò pòst in dolorem & luctum conversò. Nam interea, dum fœderati ad Neapolim obsidendam irent, Georgius Fronsbergius cum quatuordecim millibus Germanorum advenit in Italiam. Quos cùm accepisset Carolus Borbonius, Cæsareorum supremus Dux; contractis in unum copiis omnibus, occisóque simul Joanne Medicæo nepote Pontificio (qui Cæsaris transitum prohibere conisus fuerat) properatis itineribus contendit Romam. Tum verò consternatus Pontifex quantocyus ad se accersi petiit Lanoium, Neapolitani Regni Pro-Regem, ut cum eo octimestres iterum inducias pangeret. Sed frustra jam erat, militem famelicum, & necessariis stipendiis diu destitutum, ab invasione Romanæ urbis retrahere. Itaque die sextâ Maji, cùm primùm diluceseeret, Cæsareani magnis animis in muros urbis incurrerunt: ac tametsi binis vicibus repulsi fuerint, assultu tertio urbe totâ potiti sunt; amisso tamen Duce Borbonio, qui in ipsa murorum conscensione globo tactus occubuit. Secuta mox dira cædes, non modò mili-

Interea Cæsarei sub Duce Borbonio properant Romam, & eâ expugnant. *Anonym. in comm. urb. captæ. Spond. ad hunc ann. Haræ°, Pal. Surius Helvicus & alii.*

militis Pontificii, sed etiam plurimorum civium. Non sexui, non ætati, non religiosis domibus templísque parcitum. Direpti è sacrariis calices, refracta sanctimonialium claustra, spoliatæ monachorum cellæ: tota urbs tam barbarè ac fœdè habita, ut à temporibus Gothorum ac Wandalorum ferè nunquam acerbiùs oppressa fuerit. Ipse Pontifex, tametsi ægerrimè se furori primo subtraxerit, fugerítque in castellum S. Angeli; altero tamen mense, nimirum die sextâ Junii, se & arcem hanc unà cum suis dedere, ac deinde per septem menses in captivitate Cæsaris permanere coactus est. Cæterùm & huic fortunæ Cæsaris etiam haud parùm damni conjunctum fuit. Nam interea, dum Cæsareani in urbe capta è templorum domuúmque spoliis dies geniales agerent, non modò multa ipsorum millia luxu & peste consumpta sunt; verùm etiam Gallicanus miles, qui mense Julio cum exercitu novo in Lombardiam transmissus erat, nemine resistente Papiam & Alexandriam urbes recuperavit.

Pontifex ipse capitur dedito castro S. Angeli, nec nisi post mensem septimum libertati redditur. *auct. iidem Chytræus l. 12 Saxon.* Novus Gallorũ exercitus in Insubriam veniens, Papiã & Alexandriam recuperat. *auct. iidem*

Attamen & ea Cæsaris jactura felicissimè compensata est, quando Ferdinandus ipsius frater, hoc eodem anno, Bohemiæ, Hungariæque thronum conscendit loco Ladislai Regis demortui, cujus unicam sororem Annam conjugali thalamo devinctam habuit. Elegerunt hunc Bohemi præcedente anno, die 24. Octobris; & sub initium præsentis anni, die vicesimâ quartâ Februarii, summo omnium applausu coronârunt Pragæ in templo aulico. Hungari verò, tametsi antea pars eorum Joannem Cepusiensem, Transilvaniæ Waiwodam, in sedem regni elevâsset; postea tamen, cassatâ hujusmodi electione, nova regni comitia indixerunt Posonii: ibidémque pariter Ferdinandum Archiducem, communibus plurimorum Principum Ordinúmque suffragiis, Hungariæ Regem edixêre. Et hic deinde in urbe *Albâ Regali* die 5. Novembris coronatus, intráque paucos annos toto regno potitus est, Joanne Waiwodâ duobus validissimis præliis devicto fugatóque. Ità rursum Franciscus Galliarum Rex inani spe delusus fuit: quippe qui cum eodem Waiwoda jam electo solenne fœdus percuti, scriptóque publico in urbe Buda promulgari fecerat.

Ferdinand⁹ Austriacus, ante annũ electus BohemiæRex, etiam hoc anno eligitur Rex Hungariæ, contra Joannem Cepusiensem. *Isthuanff. l. 9 Hist. Hung. & alii.*

In hac rerum Cæsarearum prosperitate nihil erat visu tristius, quàm acerba labes Catholicæ religionis, quæ per absentiam Caroli Imperatoris quotidie magìs ac magìs diminuta est in Regno Germaniæ. Nam, ut alia non pauca taceam, Philippus Hassiæ Landgravius è cœnobiorum dissipatorum bonis novam hoc anno academiam Lutheranam in urbe Marpurgensi condidit, ad quam è vicinis Westphaliæ locis quàm plurimi adolescentes confluxêre, magno animarum & avitæ fidei decremento. Tremoniæ quoque per-

Philippus Hassiæ Landgrav. è bonis monasteriorũ dissipatorum condit academiam Marpurgensem.

Dilichi⁹ in chron. hass. Chytræus l. 12. Saxon. Cives Tremonienses petunt Lutheranum Concionatorem; sed à Magistratu urbico bonis verbis absterrentur.

multi cives cum ingenti fremitu postulârunt à Magistratu urbico, ut Lutherani Evangelii præcones in Ecclesiarum suarum cathedras admitterentur. Sed horum postulata Magistratus catholicus prudenti alloquio faciliùs rejecit, inquiens: *Tremoniam esse urbem Imperialem, ideóque vel maximè Imperatori subditam. Constare omnibus, quàm severè Imperator Lutherana dogmata prohibuerit per edictum Wormatiense. Id si modò violaverint, metuendum esse, ne offenso irritatóque Cæsare non solùm excciderent Comitatu Tremonienſi, quem beneficiario nomine impetrâssent; verùm etiam aliarum gratiarum ac privilegiorum suorum jacturam facerent.* Multò nequiùs res agi visa est Lipstadii à duobus Augustiniani cœnobii monachis, Joanne Westermanno, & Hermanno Kothenio, qui Wittenbergâ, ex Lutheri schola & magisterio reduces, doctrinam ibidem Lutheranam sparserant. Mense Martio prioris anni Hermannus Colonienſis Archiepiscopus ad eosdem corrigendos & puniendos miserat Joannem Rombergium, Ss. Theologiæ Doctorem & Commissarium Archiepiscopalem. Is cùm advenisset Lipstadium, ambósque illos monachos ad examen evocâsset; continuò ad mendacia & fraudes conversi, negârunt se Lutheranis doctrinis adhæresce re, simúlque palàm edixerunt, se Catholico ritu semper victuros, &, si quid hæreticum imprudenter à se dictum fuerit, in posterum correcturos esse. At heu! quàm primùm Rombergius Coloniam Agrippinam rediit; etiam nequissimi illi monachi in antiquam silvam reversi sunt: brevíque tempore totam urbem Lippienſem ad infausta Lutheri dogmata traduxêre, evulgato simul catechismo westphalico, qui eodem veneno etiam vicinos Paderæ fontes inficeret. Mirandum hîc interim, quàm fallaciter mendacitérque de duobus hísce monachis pro more suo scripserit * Hamelmannus, quòd auditâ suorum dogmatum condemnatione *obtulerint se ad disputandum de iis in urbe Lippia; id autem à Rombergio detrectatum fuerit.* Contrarium certè scribit integerrimus vir * Casparus Ulenbergius, in urbe Lippienſi genitus, & rerum in sua patria gestarum ante omnes gnarus. *Cùm* inquit, *monachi, qui Lutheranissimi fundamenta posuerant, ad reddendam facti sui rationem citarentur, conquesti sunt, se per calumniam delatos ad inquisitorem, et mendaciis oneratos esse. Itaque factâ protestatione, obedientes se Romanæ Ecclesiæ filios appellârunt, et Commissario stipulatâ manu polliciti sunt, nullum se deinceps è damnatis Lutheri erroribus docere velle.* Estne hoc ad disputandum provocare; an verò potiùs nequiter se submittere?

chron. Tremon. ms. Lipstadium pervertitur à duobus monachis Augustinianis qui priori quidem anno Lutherum ejuraverant sed paulò pòst ad eosdem errores reversi sunt.

**Hamelm. in hist. Evang. renati in urbe Lippiensi.*

**Ulenberg. l. de gravibus justisq; causis permanendi in Eccl. Catholi. c. 7.*

Præter istas Lutheri novitates proruperunt hoc anno quædam aliæ sectæ ab Oecolampadio, Zwinglio, Carlstadio, & aliis Lutheri discipulis fabricatæ; è quibus tamen ferè nulla pejor, quàm

Ana-

Anabaptistarum fuit. Docebant hi *Baptismum puerorum esse inutilem, oportere inter Christianos esse omnia communia, omnem feminam obligari ad serviendum voluntati cujuslibet concupiscentis, et vicissim viros omnes obstrictos fore ad admittendam libidinem cujuscunque feminæ, se rogantis.* Quæ & alia id genus plurima cùm ab honestis auribus nec audiri nec ferri possent; plerique viri Principes nefarium illud genus hominum, velut execrabilem inferni partum, acerrimo supplicio persecuti sunt. Rotenburgi ad Neccarum fluvium ex ea hominum colluvie viri novem in ignes missi, feminæque decem in fluvio suffocatæ sunt. Alii quoque Salisburgi, alii Viennæ, alii Isenaci & Augustæ, alii Wormatiæ & in aliis urbibus comprehensi, &, cùm ab erroribus suis resipiscere nollent, capitalibus pœnis affecti sunt. At nemo ex iis diriori morte punitus, quàm eorum Doctor præcipuus, Michaël Sellarius monachus apostata: cui primùm excisa est lingua impia, deinde corpus ignitis forcipibus laceratum; semel in foro publico, & quinquies in via ad locum ultimi supplicii; postremò etiam in ignes dejectum, & in cineres redactum est Rotenburgi. Neque tamen pestilentissima secta illa tot mortibus extingui potuit; sed intrà paucos annos in provinciis Belgicis longè validiùs reviviscere cœpit, utì videbimus infrà, cùm ad Joannem Leidensem pervenerimus. Adeò verum est, quòd hoc anno *Lutherus, novitatum suarum immemor, contra Zwinglium & Oecolampadium scripsit: *Nos Germani, quidquid novum est, arripimus, eique adhæremus velut fatui. Nulla doctrina, nullúmque somnium tam ineptum excogitari potest à Diabolo, quod discipulos suos non inveniat: quantóque ineptius est, tantò citius.*

Novæ hæreses hoc anno ortæ, ac præsertim doctrina Anabaptistarum. *Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. ad hunc annum. Spond. ad hunc ann. n. 18 & seq.* Anabaptistarum persecutiones & supplicia. *Auctores iidem.*

**Luther. in l. contra Zwingl. Cochlæus in actis Lutheri.*

Lugebat interea Diœcesis Hildesina, quòd sibi nondum restitutæ essent Satrapiæ & præfecturæ plurimæ, quas anno 1521 à Ducibus Brunsvicensibus occupatas, & huic Episcopatui subtractas esse diximus. Conquestus quidem fuerat ea de re Joannes Episcopus; ejusdémque rogatu causæ hujus examen à Romana curia commissum erat Petro Cardinali Anconitano. At ubi postmodum hoc anno vidit, opinione suâ tardiùs hac in re processum iri, tum ob mortem Cardinalis antè dicti, tum ob inopinam captivitatem ipsius summi Pontificis: tandem vel tædio victus, vel aversione & odio subditorum fractus, Episcopatui suo renuntiavit; &, quod reliquum vitæ erat, apud fratrem suum Lawenburgi Ducem contrivit, Lubecæ *defunctus anno 1547 die tricesimâ Novembris, & sepultus Racenburgi. Ejus loco postulârunt Canonici majoris Ecclesiæ Balthasarem Merckelium, Caroli V. Imperatoris Pro-Cancellarium, virum eruditione magìs, quàm

Joannes Episcopus Hildesiensis abdicat Episcopatû & vitam postea privatam agit apud fratrê Lawenburgi Ducê. *Chytr. l. 12 Saxon. Brusch. in catal. Episc. Hild. Reutel. in chron. Hild.*

**Catalogus Episc. Hild. Chytræus, Reusner, & alii.*

Succeffit Balthaſar Merckeli⁹, quadriennio pòſt mortuus. *Chytræus Bruſchius Reutelius loc. cit.*

natalium ſplendore clarum: cujus potenti patrocinio ſperabant apud Cæſarem effectum iri, ut ablatæ quondam ſatrapiæ Hildeſienſi Epiſcopatui redderentur. Neque ſpes illa forſan cecidiſſet irrita, nisì tam inſignis præpoténsque vir quadriennio pòſt immaturâ morte è vivis exiiſſet, utì referetur infrà ad annum 1531.

Knipperdollingius Monaſterii turbas agit, & illudit Epiſcopo. *Kerſſenbroch in Hiſt. Anabapt. Mon. ad hunc annum.*

In Diœceſi Monaſterienſi per æſtatem hujus anni auditus eſt in aëre magnus fragor ac ſonitus, quaſi martialium tormentorum, ac militum adversâ acie concurrentium. Veriſimile eſt, eo ſigno prænuntiatos eſſe horribiles iſtos bombardarum ac militum concurrentium fremitus; qui non longè pòſt, in urbis Monaſterienſis obſidione, conſecuti ſunt ſub Joanne Leidenſi, Monaſterienſium Anabaptiſtarum Rege. Certè huic tragœdiæ jam hoc anno præludere viſus eſt Bernardus Knipperdollingius, homo Lutheranus, inquietus, & urbis totius exitio natus. Præterquam enim quòd varias in plebe turbas concitaret, etiam ipsímet Epiſcopo Friderico procaciſſimè illudebat; eundémque ob artem tornariam, quâ temporis fallendi causâ nonnunquam uſus fuerat, non alio ferè nomine compellabat publicè, quàm *tornatorem fuſi muliebris. Imò ſubinde colum cum girgillo parvo & aliis inſtrumentis muliebribus deferebat palàm in ſuo pileo; atque ità per urbem hiſtrionico geſtu incedebat, ut & populo ridenti ludum, & ſibi de irriſo Epiſcopo plauſum faceret. Non poterant hæc diu latere Præſulem, abſentem urbe. Quare cùm nugator ipſe haud multò pòſt negotiandi causâ proficiſceretur Bremam; eundem in itinere prope Vechtam attineri, & Horſtmariam in carceres promeritos deduci juſſit. Mirum, quibus motibus agitata fuerit Monaſterienſis plebs, ùt primùm captivitas hæc urbi innotuit! Fremere illa per plateas, coire in cuneos, adire Magiſtratum, implorare Cathedralis Eccleſiæ Canonicos, minis etiam ac terroribus cogere, ut Knipperdollingii liberationem ab Antiſtite poſcerent, ergáque mulctam pecuniariam perurgerent. Ægerrimè permiſit id Epiſcopus, ideóque reſcripſit Capitulo: *Mirari ſe, quòd iſta rogent pro tali homine, qui Clero ſemper et Magiſtratui obſtreperus fuit. Nihil eum in urbe nisì turbas agere, nec ambigi poſſe, quin aliquando totius urbis ac patriæ everſor fiat. Se quidem importunis ipſorum poſtulatis nunc annuere; vereri tamen, ne eos poſtmodum ſui facti pœniteat.* Nec vana præmonitio fuit. Solutus enim carcere, propediem ad ſeditioſum ingenium rediit; neque priùs à turbis deſtitit, donec è Lutherano Anabaptiſta factus, ac tandem urbe captâ ex turri Lambertina ſuſpenſus fuerit.

*weſtphalicè ſpille-ken-dreyher.

Comprehenditur ab Epiſcopo; ſed brevi pòſt â carcere liberatur precib⁹ Capituli majoris. *Kerſſenbroch. loc. cit.*

Propylæũ Cathedralis Eccleſiæ Monaſter.

Eodem anno, die ſeptimâ Septembris, Monaſterii propylæum Baſilicæ Cathedralis (quod vulgò *Paradiſum* vocant) funeſtis ignibus correptum & exuſtum eſt ex incuria operariorum, qui plum-

plumbeas tecti laminas reparabant, & ignes huic operi solidando necessarios incautiùs custodiêrant. Hoc incendio simul interiit admirandæ vetustatis Bibliotheca, super eodem propylæo structa: in qua præter antiquos codices, ex arborum corticibus consarcinatos, multa virorum doctissimorum autographa unà cum veterum Imperatorum & Regum diplomatis conservata erant. Magna certè jactura, tantóque magis deploranda, quòd hujusmodi thesaurus librarius plerumque nullo pecuniarum impendio restitui ac restaurari queat.

cum Bibliotheca nobilissima conflagrat. *Kerssenbr. loc. cit.*

De rebus Diœcesis nostræ singulare nihil hoc anno reperitur. Id solùm ex chartis antiquis novimus, Ericum Episcopum nostrum potissimâ hujus anni parte in Diœcesi nostra constitisse; intérque alia laborâsse gnaviter in componenda controversia, quæ inter Capitulum Cathedrale & pagi Ettelensis incolas exorta erat propter silvam, dictam **die Etteler Marck**. Supersunt adhuc illius transactionis & conventionis tabulæ, ab Erico Antistite in Abdinghofensi apud nos monasterio consignatæ, quarum finis est hic: *In testimonium rei gestæ* nos duo hujus transactionis exemplaria confici, et utrique parti unum similis tenoris, cum appenso nostro Erici Episcopi sigillo tradi jussimus. Datum Paderbornæ in Abdinghove, die Jovis post Galli, anno milleſimo quingenteſimo viceſimo ſeptimo.*

Ericus Ep. Pad. componit litem Capituli majoris & Ettelensiũ subditorũ, de Marca vel saltu Ettelensi. *Urkund dessen hebbē wy düser Affscheide twey vertfiget ꝛc.

Annus Christi 1528.

CLEMENTIS VII. Pontificis 5. & 6.
CAROLI V. Imperatoris. 9. & 10.
ERICI Episc. Paderb. & Osnabr. 20.

EXercitus Gallicanus, qui per æstatem superioris anni sub Lautrecio Duce in Insubriam venerat, mense Februario præsentis anni processit in Regnum Neapolitanum: atque ideo Cæsareanus miles ab urbe Roma, ubi multis millibus peste & luxu imminutus erat, continuò se retraxit Cajetam, Neapolim, & in alia valentiora ejus Regni loca. Primus Gallorum advenientium terror multas urbes, & oppida non satis firma, Regi Francisco subdidit. Neapolis ipsa, cui Lautrecius exeunte Aprili totius exercitûs robur admovit, in extremo deditionis periculo versabatur: quia Cæsar non habebat in campo militem, qui succurreret; & Philippus D'Oria Genuensium Archithalassus haud procul à sinu Salernitano Cæsaream classem navali prælio superârat, interempto Hugone Moncadio classis Præfecto, multísque belli Ducibus in pugna captis. At unde gravissimum

Lautrecius Gallorum Dux, in regnum Neapolitanum progreditur, & Neapolim obsidet. *Palat. in Aq. Aust. Spond. ad hunc annũ. Hæreus in ann Brab.*

Classis Cæsarea cæditur à Philippo D'Oria, Genuensiũ Archithalasso. *auct. iidem*

simum periculum imminebat Cæsari; indè mox inopina rerum Cæsarearum salus exorta est. Cùm enim haud multò pòst, Regem inter & D'Oriam, improvisæ dissensiones nascerentur propter captivos Duces, quos Galliæ Rex imperiosiùs minaciúsque pro se poposcerat: Philippus D'Oria cum Andrea patruo suo repentè se convertit ad partes Caroli Imperatoris, belliduces in prælio navali captos in urbem Cajetam à Cæsareis insessam retulit, indéque reversus Genuam, non modò Gallos omnes ejecit urbe, sed etiam universo Genuensi populo inter innumeras gratulationes denuntiavit, urbem statúmque Genuensem privilegio moderni Cæsaris elevatum esse in ordinem dignitatémque Reipublicæ liberæ, qualis ab eo tempore etiamnum perseverat. Tum verò fortuna Cæsaris iterum erigebat se, videbatúrque simul cœlum ipsum pugnare pro ejus causa. Nam digresso D'Oria, tam acerba pestis ingressa est in castra Gallica, ut exercitus ferè totus brevi tempore consumptus fuerit. E primariis Gallorum Ducibus conciderunt Lautrecius, Vaudemontius, Trivultius, aliíque plurimi. Excetera verò militum gregariorum turba superfuêre vix ultra centum equites ac mille pedites, qui bonâ valetudine uterentur. Et hi quidem, dum è castris per noctem fugere, & Aversam se recipere nitebantur, à Cæsareis vel in fuga strati, vel paulò pòst in Aversanæ urbis deditione unà cum Duce suo Marchione Salutio in captivitatem recepti sunt. Mox etiam Capua, Nola, Puteoli, & aliæ à Gallis antea occupatæ urbes, in Cæsaris potestatem rediêre: meritóque dubites, an in hostium adventu citiùs amissæ, quàm in eorum abitu recuperatæ fuerint?

Philippus D'Oria transit ad partes Cæsareas; impetrátq; ut Genua sit in posterũ libera respublica. *Auctores itidem & alii.*

Exercitus Gallicanus ante Neapolim peste consumitur totúmque regnum repentè ad Cæsarem redit. *Hæreus in ann. brab. Palat. in Aq. Aust. Surius in comment. rer. gest. Chytræus l. 12. Saxon. Spond. & alii.*

Non minori fortunâ Cæsar usus est in Belgio contra Carolum Geldrum, Ultrajectinæ Diœcesis invasorem. Hic, ùt erat homo inquietissimi capitis, Diœcesi Ultrajectinæ sub tribus ultimis Episcopis admodum infestus ac gravis fuerat. Nam sub Friderico Badensi eripuerat ipsi Oldensaliam: reliquósque Transisalanorum agros, populationibus, incendiis, ac deprædationibus, acerbè devastaverat. Sub Philippo Burgundo successore ejus abstulerat Swollam, Covordiam, Diepenheimiam, pluráque alia Transisalaniæ castella, cum insigni regionis illius detrimento & ruina. Demum sub Henrico Bavaro Antistite per æstatem prioris anni seditiosorum complurium factione infuderat se in ipsam urbem Ultrajectinam; eâque obtentâ in Transisalaniam irruens, totius provinciæ Ultrajectensis Dominum se proclamari & inaugurari fecerat. Non poterat Episcopus cum inimico tam potente bellum gerere; multóque minùs belli gerendi molem, exhausto jam ærario, sustinere. Itaque rebus desperatis consilio statuum Transisalanorum

Henricus Episcopus Ultraject. à Caroloo Geldro diu pressus, totã provinciã Ultrajectensem Cæsari transcribit reservatâ sibi suisque successoribus Episcopali sustentatione. *Hæreus in ann. Brab. Chytræus in Saxon.*

norum recepit se ad Margaretham Gubernatricem Belgii; & in ejus persona, Carolo V. Imperatori ditiones omnes Ultrajectinas perpetuò tenendas ac possidendas obtulit, dummodo Pontifex id ratum haberet, & Episcopis ejusdem loci præter jurisdictionem spiritualem relinqueretur honestissima sustentatio, eorundem dignitati consentanea. Quo peracto statim Transisalani, mense Januario præsentis anni, Carolo Imperatori suam fidem addixêre. Pro cetera verò Diœcesis parte subigenda quantocyus expeditæ sunt validissimæ Belgarum copiæ. Et hæ, posteaquam Geldro multas urbes & oppida surripuerant, tandem etiam Kalendis Julii urbem Ultrajectinam proditione quorundam civium intercepperunt, captis, & condigno postmodum supplicio punitis iis, qui præteritarum seditionum auctores fuerant. Post hæc inita, & hisce legibus definita pax cum Geldro: *Carolus Gelder abjuciat fœdus cum Gallo. Amissas Geldriæ urbes à Cæsareanis recipiat. Zutphaniam Geldriámque à Cæsare, ùt Brabantiæ Duce, clientelari beneficio teneat pro se solísque hæredibus masculis, legitimo thoro natis: his autem non existentibus relinquat eam Cæsari, ejúsque hæredibus utriusque sexûs etc.* Acta sunt hæc, ùt Haræus refert, in oppido Gorcomiensi, tertio nonas Octobris. Nec multò pòst, nimirum die vicesimâ ejusdem Octobris, Henricus Episcopus in urbe Ultrajectina omne dominium temporale istius Diœcesis in Carolum Imperatorem transtulit per solennem scripturam: quæ deinde Romam Clementi Pontifici missa, atque ab eodem approbata & confirmata est anno 1529, *decimo tertio Kalendas Septembris.* Ità demum nobilissima illa civitas & provincia seditionibus bellísque intestinis extra suorum Antistitum potestatem abiit.

Aliud hoc anno bellum, in ipsis Germaniæ visceribus, non minori cum periculo suscitatum est ab Ottone Packio, Georgii Saxoniæ Ducis integerrimi Consiliario. Nactus ille sigillum sui Ducis, mendacissimè conscripserat arcanum fœdus, quo Ferdinandus Archidux, Joachimus Elector Brandeburgensis, & Georgius antè dictus, cum Alberto Moguntino, Matthæo Salisburgensi, Wigando Bambergensi, Conrado Herbipolensi, ac duobus fratribus Wilhelmo & Ludovico Bavariæ Ducibus, fingebantur conspirâsse ad opprimendos Lutheranos Principes, Joannem Saxonem & Philippum Hassiæ Landgravium. Hujus deinde fœderis confícti tabulas occultè miserat Landgravio, & hic Joanni Saxoni. Uterque fidem adhibet fallaci Packio, simúlque magnum exercitum inopinò colligit contra hostes imaginarios. Mirari mox alii Principes, quorsum iste apparatus hosticus, Propéque aberat, ut mendacium illud excrevisset in grande bellum, nisi Land-

Suffrid. Petri in append. ad Bekã in chron. Ultraject. Transisalani Cæsari se libenter submittunt *Haræus loc. cit.* Ultrajectũ à Cæsareis capitur. *Auctores suprà cit.* Carolus Gelder pacem init cũ Cæsare, & Geldriam ei clientelarem facit. *Haræus in Ann. Brab. Hortensi l. 7. rer. Ultraj.* *Suffridus Petri in append. ad Bekam.* Otto Pack, Georgii Saxoniæ Ducis Consiliarius, confingit fœd⁹ Catholicorum contra Joannem Saxonem & Philippũ Landgravium. *Cochlæus in act. Luth. Spangenb. in Chron. Mansf. Palat. in Aq. Austr. Surius in comment.* Saxo & Landgravi⁹ conscribunt ingens tem exercitum contra Catholicos. *auct. iidem.*

Landgravius apographum istius fœderis misisset Georgio socero suo, eúmque prænonuisset, ut ab hujusmodi conventione facta pedem retraheret. Tum verò Georgius mysterium falsitatis agnoscere, statímque rescribere Landgravio: *Fœdus illud esse purum putúmque mendacium: ideóque tenebrionem istum, qui id ei pro vero obtruserit aut fabricârit, habendum esse pro mortalium omnium, quos terra ferat, perditissimo. Scripturum se pariter aliis Principibus, in eodem commentitio fœdere nominatis; certúmque sibi esse, ab iis et suam et ipsorum innocentiam apertissimè demonstratum iri.* Quod cùm ab iis integerrimè fuisset præstitum; amicâ tandem compositione factâ, ab armis discessum est. Packius autem, quem interea Landgravius in captivitatem egerat, feriâ 2dâ post S. Margarethæ Virginis coram Principum accusatorum Legatis è carcere protractus, & in eorum conspectu non solùm hac in re, sed etiam in aliis quàm plurimis ità convictus est de falsimonio & scripturis adulterinis, ut ab omnibus unanimi voce conclamatum fuerit, esse hominem sceleratum, perfidum, reúmque falsi ac læsæ Majestatis. Neque deseruit eum pœna, tam enormi flagitio digna. Licèt enim Landgravius recusârit, scelestum illud caput Principibus ab eo læsis puniendum tradere; neque aliam ei pœnam irrogaverit, quàm solius proscriptionis & ejectionis è terra Hassica: octennio tamen pòst, nimirum anno 1536, propter consimilia scelera Antwerpiæ captus, menséque Februario sequentis anni abscisso capite in quatuor partes dissectus est.

Packius falsimonii convincitur, ejicitur, ac tandem diu vagus, Antwerpiæ prometitâ morte castigatur anno 1536. *Surius, Cochlæus, Pal. & alii.*

Quis non sperâsset, Lutherum, si fuisset homo bonus, gavisurum esse de restincto istius belli glíscentis incendio? Et ille tamen impudentissimâ fronte adhuc perrexit, non modò Packium excusare; sed etiam antè dictos Principes mendacissimi istius fœderis reos agere. *Fœdus* (ait in epistola* ad Wenceslaum Lincum, apostatam Augustinianum) *fœdus*, inquam, *illud Principum impiorum, quod ipsi negant, vides, quantos motus concitaverit. Sed ego Ducis Georgii frigidissimam excusationem ferè pro confessione interpretor. Negent, excusent, fingant: ego sciens scio, fœdus istud non esse merum nihil aut chimæram etc.* Calumniam hanc non poterat nec debebat ferre Georgius Dux. Et ideo, quàm primùm aliquod harum literarum exemplar nactus est, misso Norimbergam Secretario suo enixè petiit à Senatoribus, ut Wenceslaum interrogent, an epistola illa verè scripta sit à Luthero, nec ne? cùm autem & Wenceslaus id affirmâsset, & Secretarius Ducis ibidem inspexisset originales vel autographas Lutheri literas: continuò scripsit patrueli suo Joanni septemviro, ut vel istam Lutheri impudentiam severè puniat, vel saltem urgeat, ab eo veridicè comprobari, *unde*

Lutheri mendacia de isto fœdere detegúntur. *Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. & alii.* *exstat apud Chytræum in libro speciali post hist. Saxon.*

nove-

noverit fœdus istud non esse merum nihil, aut chimæram? sed neutrum ab eo impetrare potuit: fortè, ne Megalander iste, quem ipsi velut novum Evangelistam suspiciebant, in propudioso mendaciorum sacculo constrictus esse videretur. Nempe *Lupus Lupum non mordet.*

Inter hæc etiam Paderborna Lutheranis erroribus imbui, &, quod indè sequi solebat, gravissimâ seditione contra majoris Ecclesiæ Clerum commoveri cœpit. Intulerat huc novi Evangelii buccinam Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, Joanne septemviro Ducéque genitus: qui, cùm anno superiore, nuptiarum causâ, ad aulam Clivensem pergeret; Paderbornam transiens, Lutheranum præconem suum aliquoties è fenestra domûs ad plebem dicere, déque nova doctrina Saxonum perorare jusserat. Ad has deinde conciones accessêre primùm catechismi novi, Lipstadio missi; tum etiam alii monachorum apostatarum libri, è vicinis Hassorum urbibus importati. Qui, cùm avidiùs legerentur ab indocta plebe, genuerunt in animis plurium non modò falsas opiniones in rebus fidei; sed etiam ferale illud Clericorum odium, quod hoc anno tandem, *quarto* Idus Julii*, in apertas funestásque flammas erupisse legimus, agebatur eâ die in platea *à carbonibus appellata solenne convivium; ad quod præter civium gregariorum filios etiam non pauci Canonicorum Cathedralium famuli invitati erant. Post epulas potúmque liberaliorem, consurrectum est ad saltus & choreas: in quibus dum sibi primas arrogâssent aliqui è famulitio Reverendissimi Domini Joannis de Imbsen, Cathedralis Ecclesiæ Canonici Senioris; continuò à nonnullis civibus & civium filiis triste murmur obortum est. Ab eo murmure *processum ad rixas & jurgia, à jurgiis ad offensiones, ab offensionibus ad contumelias & vituperia Cleri, ab his denique ad campanæ pulsum ac tumultus publicos adversùs Clerum. Tum verò commota plebs tandem signo dato audentiùs ostentare animos, quos è libris Lutheranis hauserat. Mox enim furiarum instar ad campum Dominicum advolare, in Ecclesiam Cathedralem ruere, chori superioris ostia confringere, stalla, vel sedes Clericorum occupare, libros psalmodicos disjicere, & in opprobrium cantûs Ecclesiastici alternatim canere vulgare* illud Lutheranorum convicium: **Hastu ein Brodt / so hebbe ick twey Brodt; dan hebbe ick noch eine mehr alse du oick.** Pòst etiam Cathedralium Canonicorum domos incessere, quævis obvia dissipare, personis eorum illudere, insultare, minitari, ac demum in eas angustias & necessitates adigere, ut universum Capitulum, unà cum Decano suo & potissima aliorum Clericorum parte, urbem deserere, & primo furori

Seditio civium Paderbornensium contra Clerum. *Ex veteribus mſ. Paderborn. Item ex transactione Erici Episcopi cum urbe.*

**ex veteri mſ. Paderborn.*

**vulgò die Kollgrube.*

**ex literis transactionis in Archiv. Cath. Eccles.*

**Hamelm. in hist. Ev. renati Paderbornæ.*

cedere coactum fuerit. Dies ac mensis anni, quo hæc prima Lutheranorum seditio contigit, à Coævo majoris Ecclesiæ Clerico *brevissimè annotatus est pauculis hísce verbis: *Anno 1528, die 12. Julii, magnus tumultus civium hujus civitatis excitatus est propter anteductionem choreæ, à famulis Domini Joannis de Imbsen attentatam. Unde templum prophanatum à civibus etc.*

*ex veteribus biblicis ante Lutherum editis.

Ericus Episcopus, Padibornam bello aggressurus, mitigatur à statibus patriæ. *Ex veteribus mss.*

Acerrimè res ista pupugit Ericum Episcopum: nec procul aberat, quin extrema omnia fuissent paraturus urbi, nisi reliqui status patriæ sanguinariis ejusdem consiliis interveniissent. Metuebant hi, ne urbs rea, si acerbiùs plecteretur, vicinum Hassiæ Landgravium in suas partes advocaret: atque ideo sollicitabant, ut ea dissensio componeretur à Philippo Erici Antistitis fratre, aliísque Ordinis Equestris & urbium delegatis. Admisit consilium illud clementissimus Princeps; eúmque in finem delecti sunt ex parte Ordinis equestris, Joannes Dynasta ac Dominus de Büren, Jodocus & Rabanus de Westphalen, Wernerus de Spiegel, Franciscus ab Hôrde: ex parte verò primariarum Diœcesis urbium, deputati Warburgenses, Brakelenses, & Borgentricenses, quorum nomina in literis ea de re confectis non exprimuntur. Hi, cùm in arce Neuhusana convenissent Idibus Augusti; intrà spatium unius tridui ream urbem cum Episcopo & Capitulo perfectè reconciliârunt sub diversis legibus, quarum præcipuæ sunt: *ut urbs Episcopo in pœnam delicti solvat bis mille florenos aureos. Ut seditiosorum capita, quàm primùm designata fuerint, in jus et pœnam arbitrariam sistat. Ut, siqui ex iis aufugerint, eorum bona in fiscum redigi permittat. Ut hi, qui fundos emphyteuticos habent, post laudemium semel datum non teneantur illud ampliùs dare, quàm diu vivunt; sed tantùm singulis duodenniis Dominum suum recognoscere, dato medio quartali vini. Ut Clerici et eorum domestici mercaturam et seculares negotiationes non exerceant; onera tamen civitatis publica non ferant juxta sua privilegia. Denique ut Lutheranæ novationes puniantur et auferantur, vigore mandatorum et edictorum Papalium ac Cæsareorum:* westphalicè, **der Lutterschen Handelunge soll man upsehen hebben / darmede de gestraffet und affgestalt werden / nach Vermöge Paweslicher Hyllichkeit und Kayserlicher Majestät Mandat und Edict.** Supereст hac de re instrumentum vel recessus publicus, hoc initio & fine: *Sciendum, postea quam non multis abhinc diebus labentis anni, inter aliquos Cathedralium Canonicorum famulos, et aliquos urbis Paderbornensis cives, coortæ sunt quædam offensiones ac discordiæ, ex quibus dein secutus est campanæ pulsus ac seditio, propter quam plures Clerici, nec non Decanus et Capitulum Cathedrale ab urbe profugerunt, non sinè tædio et offensione Reverendissimi et Illustrissimi Principis, Domini Erici Episcopi - - -*

Transactio cum urbe, & civium seditiosorũ pœna. *Ex recessu vel scriptura transactionis, in arch. Cath. Eccl. Pad.*

*westphalicè tho wetten / nachdem sich ꝛc.

Nos

Nos Philippus, Dei gratiâ Dux Brunsvicensis, rogatu utriusque partis, unà cum iis, qui à Nobilitate et urbibus Diœcesanis nominati erant, nimirum Joanne Dynasta in Büren, Jodoco et Rabano Westphalen, Wernero Speigel, et Francisco de Hörde, nec non et iis, qui nomine civitatum Warburgi, Brakeliæ, et Borgentricæ, deputati erant, huic negotio manum adjecimus; adhibitóque in exæquandis singularum partium dissensionibus conatu ac labore plurimo, tandem eo modo transegimus, uti hîc sequitur etc. - - - - - Datum et actum Neuhusii, Dominicâ post assumptionis Mariæ, Anno post nativitatem Christi Domini nostri millesimo quingentesimo vicesimo octavo.*

*Jost uñ Raue Westphalen.

*hæc Dominica tunc incidebat in diem 16. Augusti, sub litera Dominicali d.

Denique & hoc anno Romæ Clemens Pontifex cum ingenti plurium animarum commodo confirmavit Ordinem PP. Capucinorum, recèns inchoatum à Venerabili Fratre Matthæo à Bascio, eximiæ sanctitatis viro. Is, cùm antea vixisset in Ordine PP. Franciscanorum de strictiore observantia, anno 1525 ex inspiratione divina cœperat priorem habitum abjicere, aliúmque paulò diversum cum barba prolixa gerere. Eadem vestimenti forma, unà cum eremitica vita, quam sectabatur, sequenti anno placere cœpit nonnullis aliis Franciscanis, ac nominatim Ludovico & Raphaëli de Foro Sempronio, duobus ex eodem observantium Ordine germanis fratribus: quibus etiam Clemens Pontifex tali modo vivendi & incedendi licentiam dedit. His deinde Illustrissima Domina Catharina de Cibo parvum cœnobiolum condidit Camerini in Umbria. Ubi dum hucusque in summo rigore ac paupertate vitam admodum religiosam peregissent; Clemens Papa tandem hoc anno laudatissimum institutum illud confirmavit: simúlq; Patribus antè dictis facultatem generalem dedit condendi nova monasteria, & alios quoscunque sive Clericos sive Laicos in eandem vitæ societatem aggregandi.

Novus Ordo Patrum Capucinorum, ante triennium inchoatus, confirmatur à Pontifice.

Spond. ad hunc ann. 1525.

Joannes de Terranova, in relatione de orig. FF. Capucinor.

Annus Christi 1529.

CLEMENTIS VII. Pontificis 6. & 7.
CAROLI V. Imperatoris. 10. & 11.
ERICI Episc. Paderb. & Osnabr. 21.

Cæso iterũ exercitu Gallicano Clemens Papa iniit pacem cum Cæsare.

TAndem hic annus bellis Italicis finem optatum attulit, posteaquam Antonius Leva, Cæsarearum copiarum Ductor, Gallicanum exercitum in Ducatu Mediolanensi novâ clade ex insidiis obtrivisset. Primus ad pacem ineundam præiit Clemens Pontifex, qui Barcinone die vicesimâ nonâ Junii cum Cæsare transegit, eâ potissimum lege: *ut*

Palat. in Aq. Aust. Haræus in ann. Brab. Spond. ad hunc ann.

Papa Cæsari in feudum tradat Regnum Neapolitanum: Cæsar verò Margaretham, filiam suam notham, despondeat Alexandro Medicæo, eúmque reducat in urbem Florentinam ceterásque dignitates, è quibus Medicæi plebejo tumultu ejecti erant. Octiduo pòst etiam in urbe Cameracensi tractari cœptum de pace cum Gallo; eáque demum post varias difficultates die quintâ Augusti in hunc modum concluſa est: *Rex Galliæ Eleonoram, viduam sororem Cæsaris, in matrimonium accipiat: pro liberatione filiorum obsidum vicies centena aureorum millia Cæsari persolvat: Regno Neapolitano ac Ducatu Mediolanensi protinus excedat: jus omne, quod in Flandriam, Arteſiam, Tornacum, Duacum, et alias provinciarum istarum urbes, quoquo modo obtendere potest, penitissimè abdicet etc.* Postremò etiam die 23 Decembris in congressu Bononiensi, Papam inter & Cæsarem ab Hispania reducem instituto, sancita est pax cum Venetis: & (quod nemo satìs mirari potuit) Ducatus Mediolanensis, pro quo tot annis dimicatum fuerat, Francisco Sfortiæ ex incredibili munificentia Cæsaris redonatus est, eâ lege, ut intrà decennium nongenta nummorum aureorum millia Cæsari persolvat. Neque jam aliud in Italia bellum supererat, quàm cum solis Florentinis, Medicæos ab urbe pulsos recipere detrectantibus. Verùm & illi tandem sequenti anno vi & armis ad obsequium Cæsaris compulsi sunt, uti suo loco referetur.

Cameraci constituitur pax inter Cæsarem & Gallum. *auct iidem & alii.*

initur etiam pax inter Cæsarē & Venetos. *Pal. & Haræus loc. cit.*

Ducatus Mediolanensis donatur Francisco Sfortiæ. *Haræus in ann. brab.*

Longè infeliciùs procedebant res gestæ Cæsaris in Germania. Indixerat ejus nomine Ferdinandus Archidux Comitia publica, mense Februario inchoanda Spiræ. Proponebantur in iis duæ res gravissimæ. Prima erat, consultare de modo componendi turbas ac dissidia novarum religionum. Jam enim ex impunita quidlibet opinandi ac docendi licentia eò deventum erat, ut non solùm Catholici colliderentur cum Acatholicis; verùm etiam ipsímet Acatholici in sectas diversas irent, & alii Lutherum, alii verò Zwinglium & Sacramentariorum placita sequerentur. Altera erat comparare protinus auxilia contra Turcas, ipsímet urbi* Viennensi obsidionem & exitium comminantes. Joannes enim Transilvaniæ Waiwoda, posteaquam anno 1527. à Ferdinando æmulo suo profligatus, Regníque Hungarici spe dejectus esset, ad Solimannum confugerat, & hic receptâ illius causâ non modò Ferdinandi Legatum è suis finibus excedere; sed etiam atrocibus* hisce verbis remitti jusserat: *Primo vere se cum exercitu suo prope Budam adfore: ibi se vel conflicturum cum Ferdinando, si compareat; aut si emanserit, inquirendi ipsius causâ Viennam usque venturum esse.* Utraque res ista erat gravissimi ponderis; & facilitas impetrandi auxilia contra Turcas maximopere dependebat à concordia Principum in rebus fidei. Hanc igitur ut acceleraret Ferdinandus Archidux & Hungariæ

Comitia Spirensia de componendis religionum dissidiis, & impetrando auxilio contra Turcas.

**Isthuanff. l. 10. de reb. Hung.*

**Isthuanff. ibidem.*

A plerisque Principib⁹ decernitur, ut usque ad adventum Cæsaris pareant omnes edicto Wormatiensi, nec

Rex,

Rex, menſe Aprili cum potiſſima procerum & civitatum Imperialium parte hoc decretum commune condidit: *Romanum Pontificem à Carolo Cæſare ſollicitandum eſſe, ut intrà unius anni ſpatium indicat concilium generale pro definiendis Catholicorum et Acatholicorum diſſidiis: aut, ſi intrà tam breve tempus id fieri nequeat, generalem Imperii conventum indici oportere, in quo Cæſar ipſe compareat, laborétque ſedulò pro bono pacis. Interea parerent omnes edicto Wormatienſi, nec permitteretur ulla novitas vel novatio in rebus fidei, præſertim circa Venerabile Sacramentum, celebrationes Miſſarum, et præſentiam Corporis Chriſti in Euchariſtia. Nullus etiam è Principibus vim alteri inferat ſub obtentu religionis; neque permittat aliquid à typographis in lucem edi, quod novitatem doctrinæ ſapiat etc.* Contra hos aliósque articulos decreti Comitialis, continuò proteſtati ſunt alii Principes urbiúmque Legati. Luthero Zwinglióve dediti; qui idcirco *Proteſtantes* appellati ſunt novo nomine, ab his Comitiis derivato. *A Pontifice*, inquiebant, *nihil remedii contra hæc diſſidia ſperari poſſe, hominum conſcientiæ non debere vim inferri, Miſſam Pontificiam divino verbo adverſari, de præſentia Chriſti in Euchariſtia alios ab aliis diſſidere, nec eorum quempiam inauditâ parte condemnandum eſſe. Proinde rogari à ſe, ut cuique Principum et Imperialium civitatum liceat, ſua dogmata et religionis libertatem retinere: alioquin à ſe nihil auxiliorum contra Turcas impetratum iri.* Quid hîc ageret Ferdinandus, ex præſenti neceſſitate malleum inter & incudem poſitus? duriſſimum illi erat, libertatem religionis permittere: at multò durius, nullis contra Turcam auxiliis adjuvari, atque ità provincias Auſtriacas præſentiſſimo perditionis periculo exponi velle. Quare tandem coactus eſt, anterius decretum retractare, conderéque novum aliud, per quod omnibus Imperii ſtatibus permitteretur, *in rebus fidei et religionis ità ſe habere vel gerere, ut exiſtiment ſe Deo et Cæſari factorum ſuorum rationem reddere poſſe.* Atque ità demum impetravit, ut communi Ordinum ſuffragio decreta fuerint illa peditum equitúmque auxilia, quæ paulò antè nullis precibus aut publicæ neceſſitatis exhibitione potuerat obtinere.

Interea Solimannus, Conſtantinopoli egreſſus properabat in Hungariam. Et quia innumeram populi multitudinem trahebat ſecum, univerſum regnum illud adventu ſuo ità perterruit, ut intra breve tempus facillimam ſibi viam aperuerit Viennam uſque. Buda vix hoſtem vidit, & admiſit. Strigonium Paulus Vardanus, loci Archiepiſcopus, tyranno venienti clavibus oblatis tradidit. Jaurinum & Altenburgum urbes penè priùs à ſuis defenſoribus deſertæ ſunt, quàm hoſtem vicinum perſentiſcerent. Atque ità factum eſt, ut univerſus Turcarum exercitus, poſtquam die nonâ

ulla novatio fiat in rebus fidei. *Palat. in Aq. Auſtr. Spond. hîc n. 10. Chytræus l. 12. Saxon.*

Contra hoc decretum proteſtantur Principes Acatholici, & ideo tunc primum dicti ſunt *Proteſtantes. Auctores iidem. Surius in comment.*

Ferdinand⁹ imperatoris frater cogitur priùs decretum immutare, & ſic tandé impetrat auxilia contra Turcas. *auct. iidem Cochlæus in actis Lutheri. Helvic. in theatr hiſt. univ.*

Solimann⁹ occupatâ celeriter Buda & aliis Hungariæ urbibus Viennam obſidet. *Iſthuanffi l. 19. rer. Hung.*

Soiter. l 1. de bello Pannon. Anonym. de obsidione Vienn. Pal. Spond. & alii.

nonâ Septembris movisset ab urbe Buda, intra octodecim dies unà cum Solimanno Imperatore suo ante Viennam steterit. Agebant hîc in præsidio duo millia equitum & sedecim millia fortissimorum peditum, quibus cum supremo imperio præerat Philippus Comes Palatinus Rheni: ceterorum verò Ducum præcipui erant Nicolaus Comes de Salm, Joannes Comes de Hardeck, Nicolaus Comes Turrianus, Guilielmus Rogendorffius, & alii viri præstantissimi, omnes cum suis militibus aut vincere, aut mori certi. Ostentabat his contrà Solimannus exercitum valentissimum, quem aliqui ducentorum, alii trecentorum aut quadringentorum *millium fuisse referunt. Neque ex omni apparatu militari quidquam aliud ipsi deerat, quàm solæ grandiores belli machinæ, quarum loco, velocioris itineris causâ, secum vexerat colubrinas leviores plurimas, verberandis prosternendísque mœnibus inidoneas. Speraverat enim, urbem hanc adhuc minùs paratam fore ad sustinendos Turcarum impetus, ideóque solâ copiarum suarum ostentatione ità perterrefactum iri, ut exemplo urbium Hungaricarum sese quàm primùm dederet. Hac autem spe delusus, convertit se ad agendos cuniculos; iisdémque murum suffodere, ac tormentarii pulveris beneficio diruere conatus est. Quod cùm ei uno alteróve in loco feliciter evenisset (ceteri enim cuniculi per contrarias fossiones à Viennensibus detecti erant) ferociissimum illic assultum fieri, & continuis novorum militum immissionibus urbem conscendi jussit. At inani prorsus labore & conatu. Nostri enim non solùm fortiter illos exceperunt; verùm etiam frequentatis tormentorum* explosionibus, gladiis, contis, hastilibus, & quovis armorum obviorum genere, tam horribilem inter eos edidêre stragem, ut cruento plurium horarum certamine delassati, ab assultu tandem desistere, & militum præsidiariorum virtuti cedere coacti sint. Infremuit hac suorum repulsâ tyrannus barbarus. Et majori conatu post dies pauculos novum à suis assultum retentari fecit: & in postremo etiam assultu, qui tertio Idus Octobris contigit, non modò suos ad pertinaciorem pugnam adhortatus est; sed etiam omnibus pedestris militiæ Ducibus severissimè* præcepit, ut, si qui audentiùs in hostem progredi aut pedem ulteriùs promovere nollent, eosdem è vestigio in ipsius urbis conspectu suis ipsi manibus contrucidarent. At neque his imperiis aliquid effectum est pro Solimanni gloria. Iterum enim atque iterum pari clade repulsi sunt Ottomanni: ideóque ad extremum (dum urgeret hinc suorum Ducum, indè verò Christianorum gladius) eò desperationis ac vecordiæ devenerunt, ut ad omnia Ducum suorum imperia velut pecudes immotæ starent, mal-

Cochlæus in actis Lutheri. Haræus in ann. Brab.

Isthuanff. & alii supr. cit.

Isthuanff loc. cit. Anonym. in hist. obsid. Vienn.

malléntque occidi ab his, quàm ab illis. Quo viſo, compertóque ſimul Ferdinandum Regem cum Friderico Palatino & ſelectis Germanorum auxiliis actutum adfore; Solimannus poſtridie, decimâ ſub noctem horâ, ſilenter abiit, alterâque die etiam totus barbarorum exercitus ea cum feſtinatione in fugam ſe abripuit, ut intrà quinque dies, decurſis triginta duobus milliaribus Germanicis, rurſum conſtiterit ante Budam. Solimann⁹, adventu noſtrorum cognito, Viennam deſerit, & celerrimâ fugâ ſe ſubducit. *auct. iidem.*

Suſpexit etiam Germania novum hoc anno genus ægritudinis, quod ſudorem Anglicum appellabant, quia ex Anglia primùm in maritimas civitates Belgii, indéque latiùs in univerſam Germaniam ſe diffudit. Morbus hic inter comedendum, ambulandum, colloquendum, repentè corripiebat homines cum ingenti angore ſudorifero, ex eóque ſequebatur* ſomnus pertinax Lethargo ſimilis. In quo, ſi permanerent, paſſim intrà viginti quatuor horas vitam ſimul animámque ſuam edormiebant: ſi autem à ſomno averterentur, aut viginti quatuor horas ægrotando ſuperarent, plerumque evadebant periculum vitæ. Unde neceſſum erat, homines eo ſudore contactos aſſiduè vellicare, trahere, pungere, aliísque modis impedire, ne in ſomnum inciderent, vel in eo remanerent. Multos malum iſtud è vivis abſtulit, priusquam ejus natura & medicandi methodus comperta eſſet. Antwerpiæ intrà ſpatium unius tridui quadringentos aut quingentos eo malo periiſſe, refert *Haræus: alibi ferè tertiam partem hominum eâ lue ſublatam eſſe, memorat* Weſthovius. In Weſtphalia verò, aut certè in Diœceſi noſtra locísque vicinioribus, pauci admodum extincti ſunt, ob remedia jam ſatis nota, ac præmaturè adhibita; utì ſcribit Henricus Abbas*Marien-Münſterenſis híſce verbis: *Hoc anno quædam infirmitas graſſabatur, quæ vocabatur ſudor Anglicus, de qua nunquam in Germania ſcivimus. In aliquibus locis multi moriebantur: ſed hîc in Weſtphalia major pars convaluit, adhibentes remedia.*

Sudor Anglicus multos in Germania in mortem præcipitat. *chron. Iremon. mſ. Spangenb. in chron. Mansf. Kerſſenb. in hiſt. anabapt. Spond Cochlæus & alii.*

**Haræus in ann. brab.* **Weſthoff. in chron. Irem. mſ.* **in Diario mſſuorum temp ad ann. 1529.*

Alio, ùt opinor, ægritudinis & infirmitatis genere, tertio Kalendas Decembris, vitam hoc anno clauſit Franciſcus Epiſcopus Mindenſis, defunctus Wolffenbuti apud Henricum fratrem, ſepultus autem Riddagshuſii, celeberrimo quondam vicinóque Ciſtercienſis Ordinis monaſterio. Vir hic erat audacis & cervicoſi ingenii; Carolo tamen Imperatori & Eccleſiæ Catholicæ ad mortem uſque fideliſſimus. Unde & eo vivente Lutherana hæreſis Mindam intrare non eſt auſa: utì contigit, quàm primùm è vivis abiit. Vacantem ipſius cathedram ſub initium ſequentis anni conſecutus eſt Franciſcus Comes de Waldeck, quem & biennio pòſt Monaſterienſi & Oſnabrugenſi mitrâ condecoratum videbimus. Franciſcus Epiſcopus Mindenſis moritur die 29. Nov. *Chytræus l. 12. Saxon. Reuſner in opere Genealog.* Succeſſit ei Franciſcus de Waldeck, electus initio ſequentis anni. *Chytræus ibidem.*

Ce-

Fridericus Episcopus Monasteriensis levi de causa urbē Wildeshusanam destruit. *Chytræus l. 12. Saxon. Hamelm. l. 1 de emort. famil. Anonymus in chron. Monaster.* Gravissimā indignationem idcirco patitur à primoribus suæ Diœcesis. *Anonymus in chron. Monast.*

Ceteri Westphaliæ Episcopi adhuc firmâ utebantur valetudine; sed inæquali tamen cum laude præerant. Nam Fridericus Monasterienſis apud omnes patriorum annalium scriptores pessimè audit, non modò propter vecordiam suam in opprimenda Lutheranorum & Anabaptistarum factione; sed etiam propter singularem in rebus agendis imprudentiam, cujus triste rursus exemplum hoc anno edidit Wildeshusii. Urbem hanc, nescio cujus existimatæ rebellionis ergô (levem certè causam fuisse memorat Hamelmannus) clancularià expeditione per noctem obruit, & miserandum in modum penitùs everti jussit. Consul Horckenbachius capitali supplicio affectus, munitiones dirutæ, turres dejectæ, aggeres complanati, muri in fossas detrusi, urbs tota denique in formam pagi redacta, & omnibus veteribus privilegiis exuta. Iniquissimis animis id accepêre omnes Ordines ac primores Diœcesis Monasterienſis: huic enim eo tempore parebat Wildeshusium. Et quia funestum illud facinus absque eorum notitia vel consensu peractum erat; id ei toties unà cum aliis rebus imprudentissimè gestis objectârunt, ut ex tædio tandem anno 1532 Episcopalem dignitatem abdicaverit, utì suo loco memorabitur.

Annus Christi 1530.

CLEMENTIS VII. Pontificis 7. & 8.
CAROLI V. Imperatoris 11. & 12.
ERICI Episc. Paderb. & Osnabr. 22.

Carol⁹ Imperator à Pontifice coronatur Bononiæ. die 24. Februarii. *Spond. ad hunc ann. n. 1. Palat. in Aq. Austr. Cornel. Agrippa in historia hujus coronat. & alii passim.*

EX congressu Bononiensi, de quo ad annum superiorem egimus, volebat Cæsar cum Pontifice Romam proficisci, ut ibidem in templo, orbis Christiani Principe, veterum Imperatorum more coronaretur. At, quia Ferdinandus frater ejus identidem exorabat, ut abruptis Italiæ curis maturaret iter in Germaniam; solennitas ista mutato consilio peracta est Bononiæ in Basilica Petroniana. Ubi Clemens Pontifex Carolo Imperatori suis ipse manibus coronam auream imposuit in festo S. Matthiæ Apostoli, quo die Cæsar huic mundo natus, & ab eo Franciscus Galliarum Rex Ticinensi prælio ante quinquennium captus erat. Aderant solenniſſimæ huic festivitati Cardinales minimùm viginti, Episcopi & Archiepiscopi quinquaginta tres, Legati Regum Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Lusitaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Venetorum, Genuensium, Lucensium, Senensium, & aliorum plurium: denique Comites, Principes, Marchiones, Ducésque innumeri; quos inter eminebant Caro-

Carolus Sabaudiæ Dux, & Philippus Comes Palatinus Rheni, à Vienna priori anno contra Turcas defensa, celebris. De reliquo coronationis istius apparatu & splendore videri potest Cornelius Agrippa in libello peculiari, ea de re conscripto. Mihi satis est, brevissimis verbis dicere cum *Palatio, coronationem hanc tanta cum majestate peractam esse, *ut ab omni retro memoria nunquam ulla major illustriórque hominum multitudo, vel in celeberrimi triumphi majestate, unius urbis mœnibus comprehensa fuerit.* *Palat loc. cit. n. 296*

Ibidem confirmat privilegia Mindensis Ecclesiæ.

Postridie coronationis confirmavit Imperator omnia Mindensis Ecclesiæ privilegia, uti constat ex ejus diplomate, quod apud Pistorium * legitur, signatúmque est *Bononiæ, die vicesimâ quintâ mensis Februarii, anno Domini MDXXX.* Reliquis verò diebus consultatum est de concedenda Equitibus Rhodiis insula Melite: utpote quæ amissâ Rhodo ad prosequendum hujus Ordinis institutum peridonea erat, & castellis validissimis adversùs omnes Turcarum incursus præmuniri poterat. Annuit & his petitis Imperator. Insulámque eam, quæ tunc ad Regnum Siciliæ pertinebat, die vicesimâ quartâ Martii prædictis Equitibus perpetuò tenendam dedit eâ lege, ut sibi quidem nullis obsequiis militaribus obstricti essent: Singulis tamen annis sibi vel Proregi suo album Falconem penderent; & quoties novum Sicilia Regem acciperet, coram eo clientelaris fundi professionem aut recognitionem exhiberi facerent. Qua in re prudentissimus Imperator non attendit parvitatem censûs annui; sed utilitates maximas, quæ ex ea concessione sibi suísque successoribus enasci poterant. Nam ab his Equitibus, qui nunc Melitenses appellari solent, paulatim hæc insula tam firmis operibus communita est, ut jam orbis universus fateri debeat, Regno Siciliæ non potuisse contra omnes Turcarum impetus murum firmiorem præstrui, quàm ubi Melita his Equitibus tradita, & ab iisdem insideri cœpta est.

apud Pistor. to. 1. rer. germ.

Melitensem seu Maltam insulam confert Equitibus Rhodiis, qui nunc Melitenses dicti. *Spond. ad hunc ann. n. 13. Baudrand. in Dictionario Geograph. V. Melita.*

Pridie Corporis Christi venit ad comitia Augustana. *Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. rer. gest. Pal. & alii.*

His peractis Imperator exeunte Martio recepit se in Germaniam, aperturus inibi comitia Augustana, à quibus & *Augustana Confessio* nomen infaustum obtinet. Advênit illuc die decimâ quintâ Junii, magnis honorum exhibitionibus in itinere detentus. Et quia sequenti die commodùm incidebat solenne festum, quod à *Corpore Christi* nomen habet; Joannem Saxonem & alios Luthero deditos iterum iterúmque per diversos nuntios rogari fecit, ut Majestatem suam veteri more comitari velint in solenni supplicatione, quâ divinissimum illud Sacramentum adorari & circumferri solet. Id ubi obstinatis animis recusâssent; postremò rursum ab iis postulavit, ut, si Christo Eucharistico id honoris exhibere nolint, saltem personæ suæ reverentiam non detrectent, sequantúrque sese

Et recusantibus Principibus Lutheranis, postridie interest solenni processioni. *Cochlaus loc. cit. Surius ibidem. Spondan. ad hunc annum. Pal & alii.*

ùt Dominum subditi, ùt Cæsarem Vasalli vel clientes. Cùm autem & hoc abnuerent, vehementer excanduit; propéque aberat, ut juberet omnes Protestantes ab his comitiis facessere, nisì id alii Principes amore pacis deprecati essent. Supplicatio nihilominus ad invidiam ipsorum solenniter educta est cum splendore & majestate maxima. præcedebat urbis Clerus, & omnium Principum Nobilitas aulica ardentibus instructa cereis. Sequebantur Ferdinandi Regis & Caroli Imperatoris tubicines & æneatores, exquisito vestium ornatu fulgidi. Post hos ante Venerabile Sacramentum ibant seculares Principes, Comites, & urbium Principúmque absentium Legati, cum facibus quadrifidis è cera candida. Thecam sanctissimi Sacramenti, quam vulgò *Monstrantiam* vocant, pientissimè deportabat Albertus Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus: quem à dextris deducebat Ferdinandus Archidux & Hungariæ Rex; à sinistris verò Joachimus Elector & Marchio Brandeburgicus. Umbellam sive *tendam*, sub qua Sanctissimum deferri solet, alternatim portabant seculares Principes. Cæsar autem ponè sequebatur in veste simplici ex nigro holoserico; ac tametsi ardentissimi calores essent, nudo semper ac detecto capite facem quadrifidam in manu gestans. Idem faciebant, qui post ipsum gradiebantur, Hermannus Archiepiscopus Colonienses, Christophorus Archiepiscopus Bremensis, aliíque Prælati Ecclesiastici, Episcopi, Abbates, & Præpositi quàm plurimi, longo ordine comitantes.

Dein die 20 Junii, in primo congressu publico, exponit scopum & finem comitiorũ. *Surius ibidem. Spondan. n. 4. & 5. Pal. & alii.*

Post hæc die 20 Junii, in prima comitiorum sessione, Carolus Imperator congressuum habendorum causas per Fridericum Palatinum hoc modo breviter exposuit: *Videre se non sinè maximo dolore cordis, quàm funestis Religionum dissidiis lacerata sit Principum concordia: quâ deficiente, Christianorum potentia decrescat, Turcarum crescat. Venisse nunc post pacata Italiæ bella, ut antiquam animorum et fidei conjunctionem quàm primùm reparet: ideóque omnibus liberam potestatem facere, opinionem fidémque suam sessione proximâ in scripto proferendi. Curaturum se, ut ea probè examinetur: nec ambigere, quin et ipsi Principes unà secum laboraturi sint, ut ea fidei ac doctrinarum diversitas feliciter extinguatur.* Quatriduo pòst in consessu proximo Joannes Elector Saxonicus epitomen doctrinæ suæ, quam deindè *Confessionem Augustanam* appellârunt, communi Principum Lutheranorum nomine Imperatori detulit: addidítque geminum exemplar, alterum latinè, alterum germanicè conscriptum, & subsignatum non modò à se & filio suo Joanne Friderico; sed etiam à Georgio Marchione Brandeburgico ex linea Onolsbacensi, Ernesto & Francisco Ducibus Luneburgicis, Philippo Hassiæ Land-

In 2do congressu præsentatur ei confessio Augustana, *auct. iidem*

gravio

gravio, Wolffgango Anhaltino, & quibusdam civitatibus Imperii. Accepit eam Cæsar pacato animo: tardéque simul & articulatè prælectam, Catholicis Doctoribus ad examinandum tradi, & ubicunque id opus fuerit, solidissimis argumentis refutari jussit. Quod cùm ab his accuratè ordinatissiméque ad singulos Augustanæ Confessionis articulos fuisset præstitum; etiam responsio illa in comitiis prælecta, eâque Cæsaris & Catholicorum Principum approbatione excepta est, ut omnes unanimiter existimârint, responso tam firmo stari, & contra omnes novorum Doctorum objectiunculas acquiesci oportere. Proinde & ceteri Principes Lutherani humanissimè rogati sunt, ut ab antiqua Majorum suorum fide pedem non retraherent, neque refutationem istam cum suis apostatis communicarent, ne eorundem frivolis frigidísque oblocutionibus desiderata Ecclesiæ pax cum æterno Germaniæ damno proteletur. Sed, cùm illi novarum doctrinarum dulcedine capti, & bonorum Ecclesiasticorum rapinis hilares, contumaciter id abnuerent; Cæsar offensus è comitiis abiit, & congressus eâ die sinè omni fructu dissolutus est.

Hæc deinde à Catholicis refutatur; & ejus refutatio approbatur à plerisque. *auct. iidem Helvic. in theatr. hist. univ.*

Tentatæ quidem postmodum plures collationes privatæ, Catholicos inter & Lutheranos permissu Cæsaris institutæ: sed, ùt Cæsar antè jam præviderat, effectu semper irrito, & nullius bonæ exspectationis capace. Lutherani enim Principes referebant omnia ad suos præcones & novatores: ab his autem, ùt apostatis & variorum Ordinum religiosorum desertoribus, quid boni & frugi sperari poterat? Quare tandem Imperator, cùm vidisset, conniventiâ bonísque verbis nihil penitùs ad revocandam fidei concordiam profici, primùm Lutheranis Principibus per literas publicas indici jussit, *ut ante medium Aprilem sequentis anni sigillatis à se literis responsum dent, num in causa fidei concordare velint cum Cæsare et aliis Principibus Catholicis; an verò non*: Deinde cum iisdem Principibus Catholicis, quales adhuc erant Electores omnes excepto Saxone, generali decreto sanxit, *ut omnes in avita Majorum suorum fide constantissimè persistant.* Postremò etiam Electores omnes exeunte hoc anno Coloniam convenire jussit, ut ibidem consulerent inter se de eligendo Romanorum Rege, qui se absente gubernaret, & rerum agendarum curam vicariam gereret.

Lutheranis Principib⁹ præfinitur tempus deliberandi. *Cochlæus in actis Lutheri. Spond. hic n. 8.*

Electores invitantur Coloniam ad electionem novi Regis Romanorum.

Interea, non exspectato comitiorum Augustensium exitu, plures Westphaliæ civitates, maximéque Minda & Herivordia, à diversis apostatis ad Lutherana dogmata seductæ sunt. Minden ses pervertit Nicolaus Cragius, *homo petulans, dissolutus*, præceps*, &, utì ab ipsómet Hamelmanno describitur, ad seditiones turbásq; pronus. Is, cùm à civibus defuncto Francisco Episcopo in urbem

Doctrina Lutherana per seditionem introducitur Mindæ. *Chytr. l. 12 Saxon. *Hamelm. in hist. ren. Evang. in urbe Minda.*

admissus fuit, repentinâ factione plebis nunc in hanc, nunc in istam Ecclesiam parochialem irruit; ibíque *animosâ audaciâ suâ* cum stentoreis clamoribus* ità detonuit in Catholicos, ut Canonici monachíque omnes, efferatæ plebis injurias veriti, urbem relinquere, domósque & monasteria sua seditiosorum direptioni permittere, coacti fuerint. Neque huic malo subvenire potuit defuncti Episcopi successor Franciscus Waldecensis; quia vires illi nervúsque deerant, quibus urbem rebellem frangeret. Similiter & Herivordienses ad defectionem incitavit Joannes Dreyerus Augustiniani Ordinis desertor: quo auctore ferè omnes monachi tam in Augustiniano, quàm in Franciscano cœnobio cucullum exuêre. His autem incentoribus confestim omnia Catholicorum sacra sus déque versa, Joannes Dreyerus in Parochiam veteris urbis intrusus, Joannes Blombergius itidem desertor monachus parochiali Ecclesiæ novæ urbis impositus, monasteriorum bona in scholarum usus conversa, multæque aliæ novationes per tumultum & audaciam popularem factæ. Oppositus se quidem his tumultibus Illustrissima Princeps Abbatissa; &, quia sola par non erat iisdem refrenandis, etiam sequenti anno imploravit opem Erici Episcopi nostri, tanquam Antistitis Diœcesani. Sed cùm Ericus eo tempore jam laboraret in obtinendo Episcopatu Monasterienſi, & eo vix adepto viam universæ carnis ingressus fuerit (utì suo loco referetur) singulare nihil contra novatores istos & iniqua ipsorum ausa effectum est.

*Hamelm. loc. cit.

Item Herivordiæ in Westphalia. *Hamelm. in Hist. Evangelii renati Herivordiæ.*

Neque hîc finis fuit Lutheranorum tumultuum in Westphalia. Nam & Lipstadienses hoc anno vetera Catholicorum sacra sustulerunt adhortantibus Augustiniani cœnobii monachis, Joanne Westermanno, & Hermanno Kothenio apostatis, de quibus jam suprà actum est ad annum 1527. Cúmque eorum conatui se opponerent Consules & Senatores aliqui; eosdem seditione popular ab officio dimoverunt, suffectis in eorum locum viris aliis, doctrinæ suæ adhærentibus. Acerrimè quidem ea de re moniti ac reprehensi sunt à Joanne Cliviorum Duce, & Simone Comite Lippiensi: quorum uterque pro dimidia parte hujus urbis Imperium obtinebat. Sed, quia ab his iterum iterúmque jussi non paruêre; tandem prædicti Domini cum auxilio vicinorum Principum, rebellem urbem incluserunt, severissimo simul præcepto edito, ne quis ex omnibus pagis locísque proximis obsonii aut frumentorum quidpiam in hanc urbem importaret. Id quod anno sequente factum esse, contra opinionem Hamelmanni clarissimè testatur Kersenbrochius, ità* scribens: *Anno 1531 ob religionis innovationem civitati Lippiensi, authoritate Episcoporum, Colonienſis,*

Et Lipstadii *Hamelm. in hist. Ev. ren. Kleinsorg. in hist. ms.*

Lipstadium à Duce Clivensi & Comite Lippiensi circumvallatur anno sequenti.

*Kersenb. *in hist. anabapt. sub initiũ c. 9. chron. Tremon. ms ad ann. 1531.*

Mo-

Monasterienſis, Paderbornenſis, Oſnabrugenſis, nec non Principis Juliacenſis et Comitis Lippiaci, itineribus publicis circumquaque obſeſſis, commeatus præcluditur. Senſêre tunc rebelles incolæ, quàm ſeverus urbium domitor & expugnator ſit quotidiani panis & ciborum defectus. Hoc enim ab hoſte victi, in feſto Aſſumptæ Virginis, poſt diuturnam inediam refractaria colla ſubdiderunt, vitam ſuam fortunásque omnes Dominorum ſuorum arbitrio* ac diſcretioni permittentes. Ingreſſi mox urbem Clivenſis & Lippienſis, cum aliis quibusdam Dominis & magnis equitum peditúmque turmis. Conquiſiti poſtridie Lutheranorum dogmatum ſeminatores monachi, poſtulati ſeditionum ac tumultuum Duces, Weſtermannus cum Kothenio & omnibus Evangelii novi præconibus ab urbe pulſi, refractarii cives diverſis pœnis ac ſuppliciis caſtigati, poſtremò etiam (utì contra Hamelmannum ſcribit Kleinſorgius) Magiſtratus populúsque Lipſtadienſis polliceri debuit, ſe in poſterum ab omni rerum novandarum ſtudio abſtenturos eſſe.

Lipſtadium capitur, ſeductores expelluntur, cives promittunt ſe manſuros in fide Catholica. *Kleinſorg. in hiſt. mſ. Hamelm. in hiſt. Ev.* *germanicè* auff gnade uñ ungnade.

Faciliori negotio compreſſa eſt Lutheranorum ſeditio in urbe Lemgovia. Nam & eam hoc anno ad Lutherum deſciviſſe, memorat Chytræus, ità* ſcribens: *Lemgoviæ in Weſtphalia, invito Comite Simone, recepta eſt ſincerior Evangelii doctrina, et ad Brunſvicenſis Eccleſiæ formam ritus inſtituti ſunt.* Auctor hujus novationis & conſequentium turbarum fuit Liborius* Rudolphi, è Paderbornenſi Minoritarum cœnobio Sacerdos profugus: ab hoc enim apoſtatarum & hominum uxoriorum genere ubique paſſim in urbibus pulſata ſunt prima rebellionis tympana. Is, ubi aliquoties auditus eſſet in quodam urbis iſtius angulo, favore plebis inſolenter auſus eſt Mauritium Piderit Paſtorem Catholicum non ſolùm ex æde primaria S. Nicolai in urbe veteri; ſed etiam è templo S. Joannis in urbe nova, per tumultum ejicere: utì docent ejuſdem ejecti literæ, Paderbornam ſcriptæ, & hoc modo* ſubnotatæ: *Mauritius Piderit, Paſtor nomine tantùm apud Lemgenſes.* Neque ſtetit hîc plebis inſanæ furor. Cùm enim Conſules & Senatores hunc tumultum premere, & Mauritium reſtituere niterentur; novis illa motibus agitata, integerrimos hóſce viros ab officio movit, in urbis curia diu conſtrictos tenuit, ac deinde tot ærumnis preſsit & afflixit, ut urbe demum excedere, novóque Magiſtratui per ſeditionem obtruſo, locum dare coacti fuerint. Qua de re Kleinſorgius, rerum in ſua patria geſtarum præceteris gnarus, ità ad hunc* annum ſcribit: *Poſtquam Herivordiæ Joannes Dreyerus et alii Lutheranam fidem introduxêre, etiam Lemgoviæ in patria mea plebi libuit, contra voluntatem ac prohibitionem Ordinarii ſui, Epiſcopi Paderbornenſis, utì etiam Domini ſui Simonis Comitis de Lippia, veterúmque Conſulum ac Sena-*

Lemgovia urbs in Comitatu Lippienſi per ſeditionem publicam recipit Lutheri dogmata.

*Chytræus l. 13. Saxon.

*Hamelm. in hiſt. Ev. ren. in urbe Lemg.

*Literæ Pideritii ad archidiaconum in archiv. Cath. Eccl. Paderb.

*Kleinſorg. in hiſt. mſ.

Senatorum urbis, novationem similem vehementi seditione et magnis intemperiis aggredi. Quo in tumultu veteres Consules, nimirum Christianus Kleinsorgius avus meus, et Conradus Flörcken senior, aliique viri senatorii ordinis, à plebe diu in urbis curia concluſi, atque in eas angustias deducti sunt, ut urbem derelinquere necessum fuerit. Horum loco plebejum vulgus alios Consules et Senatores factioni suæ deditos intrusit, quemadmodum hæc et similia seditiosa gesta à multis viris senibus accepi. Gravissimè offendebat hoc facinus non modò Simonem Comitem, sed etiam Ericum Antistitem nostrum: & uterque, veluti jam animo destinatum erat, in urbem ream severiùs animadvertisset, nisi Nobilium virorum aliqui amborum voluntates ad mitiora consilia revocâssent. Horum interventione Lemgovienses tandem eò redacti sunt, ut Antistiti Comitíque suo datâ fide polliciti fuerint, se in posterum ab hujusmodi novationibus abstituros, & in antiquis Ecclesiæ Catholicæ ritibus perstituros esse. Ità amborum jussu revocati in urbem fugitivi Consules, restitutus Catholicorum sacrorum ordo, & reductus in parochiam suam Pideritius: qui tamen haud multò pòst, Erico Episcopo è vivis evocato, Lutheranum Evangelium amplexus est, & aliorum apostatarum more uxorem duxit.

Sed paulò pòst auctoritate Comitis Lippiensis, & Erici Episc. Paderborn. ad fidem Catholicâ reducitur. *Kleinsorg. in hist. mſ.*

Satìs hæc de istis novationibus. Nunc breviter addamus ea, quæ supersunt de rebus Gallicis & Italicis. Ineunte Junio Franciscus Galliæ Rex ab Imperatore Carolo recepit obsides filios suos Franciscum & Henricum: eodémque tempore simul advenit Eleonora Cæsaris soror, & Regis futura conjux. Magnis lætitiis excepti omnes à toto populo, maximéque ab ipso Rege, qui ab urbe Burdigala iisdem obviàm progressus est, paulóque pòst Eleonoram sibi conjungi & coronari fecit. In Italia die 11 Augusti Florentina civitas, posteaquam Cæsareanis ab Octobri superioris anni pertinacissimè restitisset, ex inopia quotidiani victûs eorundem potestati se dedidit. Quo eventu Medicæi protinus ad honores pristinos revocati: nec multò pòst etiam Alexander Medicæus à Cæsare dictus & pronuntiatus est *Magnus Hetruriæ* Dux, acceptâ in Conjugem * Margaretâ ejusdem Imperatoris filiâ, quam hic ante matrimonium genuerat ex Margareta Vangestia.

Franciscus Galliæ Rex filios suos recipit à CaroloCæsare, & sororem ejus Eleonoram ducit uxorem. *Spond. hic n. 12. Surius in comment. rer. gest. Haræus in ann. Brab.*

Florentia urbs Italiæ Cæsareanis deditur Medicæi restituuntur, AlexanderMedicæus fit postea magnus Hetruriæ Dux. *Haræus in ann. brab. Surius, Spond. Pal. & alii.*

Annus Christi 1531.

CLEMENTIS VII. Pontificis 8. & 9.
CAROLI V. Imperatoris 12. & 13.
ERICI Episc. Paderb. & Osnabr. 23.

IMperator è comitiis Augustanis Coloniam attigit in festo S. Thomæ Apostoli: nec multò pòst etiam omnes Electores ibidem ad-

adfuêre, excepto solo Joanne Saxone. Qui, licèt ad electionem novi Regis humanissimè invitatus esset, non solùm obstinatè se subduxit; sed & suo & aliorum Principum Lutheranorum nomine* per Joannem Fridericum filium suum vehementer expostulavit: *Electionem hanc juxta Bullam auream non posse alio in loco fieri, quàm Francofurti; ideóque inanem et irritam fore, si secùs fieret.* At huic facilè respondit* Cæsar: *Carolum IV. ità olim statuisse, cùm Imperium totum adhuc probè Catholicum esset; nec prævidisse modernorum temporum novationes. Francofurti jam abrogata esse Catholicorum sacra, quibus ipse et ceteri Electores addicti sint excepto Saxone: urbem verò Coloniam in Catholica fide etiamnum permanere, adeóque se et reliquos Electores ibi meliùs pietati suæ et rebus Divinis vacare posse.* Deinde in primo septemvirorum congressu prudentissimus Imperator novæ hujus electionis causam eleganter exposuit* in hunc ferè modum: *constare omnibus, quàm periculoso in statu jam constitutæ sint res Germanicæ, non modò ob exorta Religionum dissidia; sed etiam ob immensam Solimanni potentiam, Germanorum cervicibus impendentem. Se quidem pro suis viribus laboraturum, ne quid mali vel à Turcis vel à Principibus Lutheranis accidat. Sed, cùm et aliis compluribus Regnis à se invicem longè disjunctis imperet, ideóque in Germania præstò esse non semper queat; indigere se Coadjutore aliquo seu Romanorum Rege, qui se absente curam imperii gerat, qui à suis consiliis non dissentiat, qui potentiâ valeat, concordiam quærat, et omnia Cæsaris præcepta majori cum auctoritate vel efficacia queat perurgere. Huic autem gerendo muneri neminem sibi magis idoneum videri, quàm Ferdinandum fratrem, Archiducem Austriæ, et Hungariæ Bohemiæque Regem: quippe qui præter insignem potentiam singulari simul industriâ polleat; et quod omnium caput est, etiam unitate vel concordiâ animorum à se minimè disjunctus sit.* Censuêre statim Electores, petitionem hanc rationibus gravissimis nixam esse: jam enim satis didicerant ab annis pluribus, quantùm ipsis nocuerit absentia capitis. Ideóque non attentâ Saxonis oppositione, sua vota contulerunt in Ferdinandum, qui ibidem pridie Epiphaniæ Romanorum Rex electus, & Aquisgrani undecimâ die Januarii solennissimè coronatus est.

Ferdinand⁹ Caroli Imperatoris frater, Coloniæ eligitur Romanorum Rex & coronatur Aquisgrani, frustra contradicente Saxone.

*Helvicus in theatr. hist. univ. Palat. in Aq. Austr. & alii.

*Palat. in Aq. Aust. Spond. his n. 1. Spangenb. in chron. Mansf.

*Auctores iidem.

Interea quoque Lutherani Principes agebant sua conventicula, maximè verò Smalcaldiæ: ubi sub exitum anni superioris, die vicesimâ secundâ Decembris, percussum est famosissimum fœdus illud Smalcaldicum, quod abhinc gravissimorum bellorum focus & follis fuit. Subscripserunt ei Joannes Dux & Elector Saxoniæ, Joannes Fridericus ejusdem Electoris filius, Georgius Marchio Brandeburgicus ex linea Onolsbacensi, Ernestus & Franciscus Duces Luneburgici, Philippus Hassiæ Landgravius, Wolffgangus Prin-

Fœdus Smalcaldicum in fine superioris anni percussum, & hoc anno confirmatū.

*Helvicus in theatr. hist. Palat. in Aq. Austr Spangenb. in chron. Mansf. Sur. & alii.

Princeps Anhaltinus, Gebhardus & Albertus Comites de Mansfeld: qui omnes vi istius fœderis quàm arctissimè se invicem obstrinxerunt, ad se suámque Religionem contra invasores quoslibet omnium bonorum suorum impendio defendendam. Idem fœdus hoc anno rursus ab iisdem Principibus confirmatum est, primò Smalcaldiæ exeunte Martio, ac deinde Francofurti mense Junio: quibus in locis etiam urbes non paucæ fœderi Smalcaldico se conjunxêre. Quòd autem suprà dicti Principes etiam contra Ferdinandi electionem se opponere, neque eum in litteris publicis Romanorum Regem appellari vel agnosci vellent; id ab urbium Legatis* reprobatum est. Inquiebant enim, *sibi satis esse, pro suarum conscientiarum et Religionis libertate stare: hanc si obtinerent, se penitus acquiescere; nec operæ pretium arbitrari, ut electionis impugnandæ causâ inutilibus jurgiis et gravissimorum bellorum periculo se involvant.*

*Helvicus, & Sur. cit.

Zwingliani in Helvetia maximopere affligunt pagos vel *Cantones* Catholicos. *Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. rer. gest. Spond. hic n. 6. Helvic. in theatr. hist.*

Longè atrociùs hoc anno contra Catholicos insurrexêre Zwingliani in Helvetia, maximéque Bernatenses ac Tigurini. Hi, cùm essent pagorum omnium Helveticorum potentissimi, diu graviter divexaverant quinque alios pagos vel *Cantones* probè Catholicos, nimirum Lucernenses, Urienses, Svitienses, Tugienses, & Unterwaldios vel subsilvanos. Dissimilârunt id primùm Catholici, quòd potentiâ & viribus inferiores essent: postremò tamen, cùm adversariorum injuriæ supra modum crescerent; quarto Nonas Octobris bellum ipsis indixêre, solenniter contestati, se ad pugnam cogi, ideóque eventum ejus Domino Deo commendare. Præcipua eorum arma fuerunt pietas & oratio. Præterquam enim, quòd in suis castris quotidie flexis genibus interessent sacrificio divino; etiam octodecim viduas constituerant, quæ durante bello in Ecclesia Mariana Einsidelensis monasterii, alternatis diu noctúque precibus, pro felici expeditione Deum exorarent. Neque fefellit eos tam sancta spes, in Deo posita. Nam intrà spatium unius mensis Bernatenses, Tigurinos, & quidquid aliorum Zwinglianorum erat, faustissimis quinque præliis ità obtriverunt, ut hi ab ipsis pacem petere coacti fuerint. In primo prælio, die undecimâ Octobris contra Tigurinos gesto, capta sunt eorum tormenta omnia, plùs quàm viginti; cæsi verò mille quingenti, intérque eos unus Abbas apostata, duo Canonici Tigurini, & ipsémet hæresiarcha Zwinglius adhuc semivivus, qui & impœnitens in ignes missus, & ultricibus flammis combustus est. In secundo prælio, die decimâ septimâ Octobris habito, rursum Catholici victores effecti sunt, & è Zwinglianorum exercitu septingenti in arena strati, quingenti in vicino fluvio submersi, reliqui omnes in indecorem fugam præcipitati sunt. In tertio prælio, quod com-

Catholici indicunt bellum Zwinglianis, etiamsi potentioribus. *auct. iidem*

Prima Zwinglianorum clades, in qua Zwinglius à Catholicis capitur & comburitur *auct. iidem*

Secunda clades.

commissum est die vicesimâ quartâ Octobris, Tigurini & Bernatenses evocatis in auxilium Schaffhusanis, Basileensibus, & Müllhusanis, volebant Catholicos longè pauciores per noctem clàm obruere. Hi autem re intellectâ (superinjectis, ut se invicem internoscerent, albis interulis) hostem intrepidè præstolati sunt; eúmque Deo adjuvante tam feliciter devicerunt, ut è Zwinglianis iterum sex millia virorum fortium amissa fuerint. In quarto prælio, die trigesimâ primâ Octobris, Catholici rursus Tigurinorum castra per noctem adorti sunt, & ejusmodi victoriam ab iis retulêre, ut occisis quinque millibus, reliqui vel in acie capti, vel in fugam aversi sint. Tum verò Zwingliani, velut avernalibus furiis agitati, omnem iracundiam suam effudêre contra Ecclesiam statuámque Marianam Einsidelensis monasterii, ubi hactenus pro Catholicis tam feliciter oratum & exoratum erat. Miserant illuc pagi seu *Cantones* Catholici imbellem populi multitudinem, nimirum senes, pueros, & feminas, ut supplicatione publicâ, vel Deo pro obtentis victoriis gratias agerent; vel, si ulteriùs pugnare necessum fuerit, novas à Deo laureas ac triumphos peterent. Id cùm ægerrimè ferrent Zwingliani, collegerunt ocyùs novum exercitum; eúmque adduxerunt versùs oppidum Einsidelense, ut illo capto, monasterii templum diruerent, & miraculosam Beatæ Virginis imaginem funestis ignibus concremarent. Sed quis unquam adversùs hujusmodi imagines impunè sæviit? Sanè Catholici, quàm primùm id subodorati sunt, continuò rursus adversùm eos in bellum processêre: & in planitie vicini montis per noctem obrutos tam insigni plagâ percusserunt, ut occisis hæreticorum quinque millibus, etiam quatuor majora labara (quorum unum Tigurinorum, alterum Basileensium, tertium Schaffhusiorum, & quartum Müllhusensium fuisse dicitur) in potestatem victorum venerint. Quare tandem Zwingliani, Deum pro Catholicis pugnare docti, perpetuam cum iis pacem inière: & ex eo tempore quinque illi pagi vel *Cantones* in Catholica Fide usque ad hodierna tempora constanter perstiterunt.

Item tertia.

Quarta.

Et quinta. *auct. iidem*

Nondum hujusmodi bella contra Catholicos movebantur à Lutheranis: hi tamen in societatem suarum novationum identidem attrahebant alias atque alias urbes; quas inter & hoc anno fuit Susatum in Westphalia. Primus ibi Lutheranum Evangelium prædicare cœperat Joannes Kelbergius in æde S. Pauli sacerdos: cui propediem se adjunxêre tres apostatæ monachi, Thomas Broickwius, Joannes Frye, & qui omnium audacissimus erat, Joannes Campius. Hic, ùt aliquantisper in privatis conventiculis plebem seduxerat; ejusdem favore & annutu die vicesimâ primâ

Susatum hoc anno per tumultus publicos doctrinam Lutheranam recipit. *Hamelm. in hist. Evren. westhoff.*

in chron. Trem. ms. Daniel Susatensis in libello Rhytmico.

Decembris, in festo S. Thomæ Apostoli, contra voluntatem concionatoris Catholici prosilivit in suggestum: simúlque, ùt erat vir linguâ promptus, audacissimâ eloquentiâ suâ vehementer detonuit in Pontificem, in Cardinales, in Clerum & monachos, in ipsum denique Magistratum Susatensem adhuc probè Catholicum. Finitâ concione jubet Magistratus comprehendi hominem seditiosum, & in urbis curia de calumniis in Ecclesia sparsis respondere. At obsistit furiosa plebs: concitóque tumultu publico pulsatur feralis campana, accurrit in forum populus, irrumpunt in curiam cives, duósque Consules, Joannem Gropperum & Albertum Grevenium, unà cum aliis quinque Senatoribus in carcerem turrésque protrahunt. Ità plebs, jam urbis Imperio potita, novat omnia pro suo & præconum Lutheranorum libitu: paulóque pòst complures flagitiosi transfugæque monachi, velut corvi ad cadaver, Susatum confluunt. Ex horum numero primus in urbe *superintendens* (utì nominant) constitutus est Joannes de Brüyn: eidem coadjutor assignatus Joannes Campius: in Ecclesia S. Pauli relictus Joannes Kelbergius: in parochiam S. Thomæ introductus Joannes Frye, in ædem S. Georgii Joannes Molnerus, in templum B. MARIÆ Virginis Thomas Broickwius, in alias Ecclesias & Sacella Joannes Sinckhusius, Jacobus Iserlonius, Henricus Velthusius, & alii id genus plures. Quinam autem & quales viri illi? Nónne omnes apostatæ & homines flagitiosi? Joannes de Brüyn, Franciscani Ordinis desertor, matrimonio conjunctus erat cum sanctimoniali, quam in Flandria vitiaverat; fuítque simul tam arrogans & libidini avaritiæque deditus, ut idcirco ab ipsísmet Susatensibus postmodum ejectus, & solum vertere coactus fuerit. Joannes Campius ejusdem Ordinis desertor, adhærebat magìs doctrinæ Zwinglii, quàm Lutheri; erátque simul homo impius, & præter corruptarum virginum sacrilegia, etiam adulteriis furtísq; infamis. Joannes Molnerus, ex oppido Bürano genitus (quem Hamelmannus **primùm Paderbornæ, postea Susati, fidelissimè et innocentissimè Evangelium docuisse* jactitat) scelerum suorum causâ Paderbornâ Susatum fugiens, feminam aliquam, necato clàm ejus marito, secum abduxit; eâque nondum satiatus, aliarum quoque mulierum libidinibus pecuino more se commiscuit. Thomas Broickwius Osnabrugensis, unâ seductâ monachâ non contentus, usque adeò se immersit luxuriæ, ut etiam post ipsa templi altaria maritatæ feminæ vim intulerit. Ceteri iisdem penè flagitiis contaminati, omnésque ex malis monachis aut sacerdotibus pejores mariti, quemadmodum singulos rectissimè descripsit author catholicus & horum omnium inspector in libello Rhytmico, qui

Primorum Præconum Susatensiũ profligatissima vita. *Daniel Susatensis loc. cit.*

Hamelm. in Hist. Evangelii renati. Huxar. pag 1087.

Da-

Danielis Susatensis titulo circumfertur. Hi nimirum sunt viri isti à Spiritu sancto illuminati, qui veram Evangelicæ doctrinæ lucem Susato intulêre! His instrumentis Deus usus est, ut nobilissimam urbem hanc ad Apostolicæ fidei puritatem revocaret!

Similes tumultus hoc anno cudebantur Monasterii in Westphalia, auctore Bernardo Rotman, qui è Sacerdote catholico primùm factus est præco Lutheranus, deinde Zwinglianus, demum etiam Anabaptista & Joannis Leidensis adjutor pessimus, utì suo loco demonstrabitur. Natus hic erat Stadtlonæ in diœcesi Monasterienſi, patre fabro ferrario: literásque humaniores didicerat Monasterii, philosophiam verò Moguntiæ, sustentatus illic ex misericordia piorum hominum. Indè redux Monasterium, recepit se ad consanguineum suum Hermannum Sibingium, Collegii Mauritiani extra muros Vicarium: cujus operâ Sacellanus ibidem factus, primùm catholicè docuit; postea verò Lutheri doctrinam, nescio quibus è libellis haustam, plebejis auribus instillavit. Id cùm viderent boni Canonici, numerato unius anni stipendio miserunt eum Coloniam Agrippinam, ut ibidem in academia probè catholica theologicis doctrinis meliùs imbueretur. At ille quorundam civium consilio pro Colonia Wittenbergam ivit; auditóque istic Luthero & Melanchthone, etiam ad alias nonnullas urbes Zwinglianis erroribus imbutas abiit. Pejor itaque reversus, quàm antè fuerat, cœpit iterum audentiùs in silvam antiquam ruere, bona opera vituperare, Ecclesiæ præcepta contemnere, Evangelicam libertatem efferre, monachorum & clericorum vitam sugillare, eâque agendi & carpendi licentiâ tam ingentem populi multitudinem ex urbe tota ad suas conciones trahere, ut Ecclesiæ Mauritianæ brevitas numerosum auditorem non caperet. Ea res cùm in apertam seditionem vergeret, neque ullus esset, qui infruniti hominis insolentiam coërceret (Episcopus enim languidiùs agebat omnia, & Canonici nihil audebant propter comminationes infrænis populi) tandem à majori Capitulo aliísque viris primariis recursum est ad Carolum Imperatorem Bruxellis in Belgio commorantem. Et ille, ùt erat catholicæ religionis propugnator acerrimus, continuò severissimè jussit Rotmannum ex Mauritiana cathedra submoveri; quemadmodum edocemur ex hísce literis ad Episcopum Senatúmque Monasterienſem datis.

Bernardus Rotman apostata pervertit cives Monasterienses. Ejusdem patria, natales, & studia. *Kerssenb. in hist. anabapt. ms. ad hunc annum.*

Carolus, Dei gratiâ Romanorum Imperator. Multùm venerande Præsul ac Princeps, dilecti piíque Domini. Certâ ad nos fide perlatum est, impiam proscriptámque à nobis Lutheri doctrinam apud vos in Collegii Mauritiani templo, quod est in suburbio, palàm proseminari, atque indè per urbem et Episcopatum latiùs diffundi. Quod equidem cùm

Carolus Imperator jubet Rotmannum ejici. *Schaten in collectan.*

sit contra Imperii decreta, atque ea, quæ in proximis comitiis Augustæ tam severis legibus cauta sunt, ne quis aut Lutheri hæresin, aut alias quascunque perditrices sectas, aut quoslibet errorum magistros publicè ferat, quibus populus ab avita Majorum nostrorum religione abducitur: tum minùs id à vobis permitti oportuit, quòd non ità pridem Consules et Magistratus Monasterienſis à nobis per literas moniti, et peculiari decreto prohibiti sint, ne quam hæresi libertatem facerent. Interea verò nonnulli præcones hæresis, et cum primis Rotmannus Vicarius ad S. Mauritium sacerdos, homo factiosus, palàm receptus est, permissúsque turbulentis suis declamationibus plebem per speciem Evangelii pervertere, mentes sacrilegis erroribus implicare, Religionem Catholicam juxtà ac Rempublicam conturbare. Non id unquam speraveramus futurum: alia nobis de Magistratûs Monasterienſis fide et sollicitudine polliciti, quando pro Imperii decretis et obedientia erga Cæsarem par erat ejusmodi sacrilegos præcones, cum damnata jam dudum Lutheri hæresi, cöercere et proscribere. Jam quidem Magistratus Monasterienſis læsæ Majestatis reus, nobísq; ad pœnas obnoxius est: sed monitione denuo, quàm severitate, priùs uti placuit. Quapropter à te, venerande Præsul, reposcimus, ut secundùm Imperii statuta et leges, contra hujusmodi falsos præcones, et cum primis contra Rotmannum agas, quo compressis aut submotis turbatoribus, populus in avita Catholica Religione conservetur. Id sin minùs per te et eos fiat, Cæsaris erit in vos animadvertere. Hæc verbis significamus, et pro munere ac imperio nostro à vobis præstari volumus. Bruxellis die 28 Decembris, anno 1531.

*Decretum illud, anno 1530 die 9. Augusti edïtum in comitiis Augustanis vide apud Kerssenbr. in hist. anabapt.

Rotmann⁹, à sacellanatu Mauritiano amotus, clanculum se recepit in urbé ad suos amicos. Kerssenbr. in hist ms. anabapt. Monast.

Acceptis hísce literis Fridericus Episcopus, nihil ampliùs connivendum vel cunctandum videns, per Satrapam Wolbecensem Rotmanno cathedram interdicit, simúlque omnem apud Mauritianos agendi & commorandi securitatem de mandato Imperatoris adimit. Quo nuntio perculsus, clanculum se recepit in ædes aliquorum civium factioni suæ adhærentium; ibíque ea fabricavit in occulto, quæ sub initium sequentis anni in apertam seditionem erupêre. Debuerat & hásce latebras impedire deses Episcopus; hominémque pernicioſissimum non solùm è suburbio, sed etiam ex urbe ac Diœcesi tota protinus excludere, ne grex totus ovium ipsi commissus unius scabie & porrigine caderet. At ille, cùm semper aliàs fuisset rerum sacrarum negligens, tum verò magìs eo tempore: quippe qui per Autumnum præsentis anni cum Erico Episcopo nostro jam convenerat de Episcopatu suo in favorem hujus dimittendo. Congressus amborum Antistitum eâ de re celebratus est in arce Iburgensi, die*vicesimâ primâ Septembris. Ubi in præsentia Legatorum Capituli Monasterienſis conclusum fuit, *ut Fridericus Episcopatu suo sponte decederet, reservatâ*

Fridericus Ep. Monast. cum Erico Episcopo Paderb. & Osnabr. transigit de Episcopatu suo dimittendo.

*chron. Osnabr. ms. *Chytræus l. 13. Saxon. ad annum 1532.

vatâ pensione quatuor millium aureorum Rhenensium: è quibus duo millia quot annis persolvantur ex Monasterienſi ærario Cameræ; reliqua verò duo millia eo tempore, quo renuntiatio fieret, ab Erico statim redimantur viginti millibus aureorum præsentis pecuniæ.* Quæ tam ampla nummorum summa cùm non illico ad manum esset, renuntiatio ista usque in Martium sequentis anni procrastinata est: interímq; Ericus Episcopus nummos istos ex Osnabrugensi & Paderbornensi Diœcesi coacervavit, eo subditorum suorum fremitu & indignatione, ut homines vulgò * dicerent, quòd *Osnabrugenses et Paderbornenses Monasterienſem Episcopatum emerint.*

* *Chytræus ibidem.*

* *Chron. Osnabr ms.*

Cetera, quæ hoc anno apud nos & in vicinis Diœcesibus contigisse legimus, breviter sic refero. Die vicesimâ septimâ Februarii, quæ tunc erat *feria 2da post Dominicam * invocavit*, Joannes Kerckman, falsator monetarum, unà cum famulo suo Osnabrugi in foro publico, propter falsarios obulos Erfurtenses in ardenti cacabo vel aheno coctus est. Die octavâ Aprilis, pridie Paschatis, ibidem Lambertus Flemming vir senex propter procusos nummos Geldricos, quos eo tempore *Schnapphahnios** appellabant, eodem supplicio vitam infaustam finiit. *Feriâ quintâ ante Servatii Episcopi*, quæ tunc erat undecima dies Maji, pagus Pômbsen prope Niehemium in Diœcesi nostra funesto incendio consumptus periit. Die vicesimâ nonâ Maji, postridie Pentecostes, Balthasar Merckelius Episcopus Hildesienſis, cùm ab urbe Treviris proficisci & equum inscendere vellet, apoplexiâ tactus exspiravit, & ibidem in tergemina S. Simeonis Ecclesia terræ mandatus est, vir Episcopatui Hildesino plurimùm profuturus, dummodo Superi longiorem ei vitam indulsissent. Successit illi Otto Comes de Schawenburg, antea Hildesienſis Ecclesiæ Præpositus, qui tamen post annos paucos matrimonium Episcopatui prætulit, uti suo loco memorabitur. Denique die decimâ quartâ Augusti, pridie Assumptæ in cœlum Virginis, apud nos versùs Occidentem apparere cœpit cometa novus, caudam erectam habens, & in nostro horizonte visus per dies quindecim; uti in diario suorum temporum annotavit Henricus Abbas in Marienmünster, vir egregius, & qui historiam nostram variis in locis non parùm illustraturus est.

* *vulgò* schnapphahnen.

Pagus Pômbsen exuritur.

Henricus Abbas Marienmünst. in diario suorum tempor.

Balthasar Merckelius Hildesienſis Episcop* moritur; cui succedit Otto Comes de Schawenberg.

Chytræus l. 13 Saxon. ad hunc annum. Brusch in Catal Ep. Hild.

Cometa per dies 15 apparens mense Aug.

An-

Annus Christi 1532.

CLEMENTIS VII. Pontificis 9. & 10.
CAROLI V. Imperatoris 13. & 14.
ERICI Episc. Paderb. & Osnabr. 24. & ultimus.

Carolus Imperator comitia celebrat Ratisbonæ. *Spond. ad hunc ann. n. 1. Cochlæus in actis Lutheri. Surius in comment. rer. gest.*

A Coronatione sui fratris Ferdinandi Romanorum Regis Carolus Imperator toto anno superiore mansit in Belgio; ibíque nihil sollicitiùs in curis habuit, quàm ut Principum Lutheranorum conspirationes prudenti consilio dissiparet. Eo fine rursus omnes Imperii Proceres conscribi fecit ad comitia, mense Martio præsentis anni Ratisbonæ celebranda. Aperuit ea Cæsar ipsémet cum fratre suo Ferdinando; aderántque & alii Principes exceptis Protestantibus, qui interea conventum peculiarem instituerant Schweinfurti in Francónia. Missi igitur Moguntinus & Palatinus Electores, ut cum iisdem agerent, non solùm de pace & concordia; sed etiam de auxiliis contra Turcam, qui cum ingenti armorum apparatu rursus adventabat. Sed nihil ab his duobus effectum est. Imò quò magìs hi extollebant periculum à Turcis imminens; eò magis illi recusabant omnem concordiam & armorum conjunctionem, nisì Imperator suæ suorúmque fœderatorum religioni plusculùm indulgeret. Durum erat Imperatori, in rebus fidei quidquam concedere. Sed quò non cogit necessitas? jam Solimannus imminebat Austriæ cum exercitu immenso, quem aliqui sexcentorum aut quingentorum millium fuisse referunt. Et, nisi Protestantium postulatis Cæsar aliquid permitteret; periculum erat, ne Germaniam ferè totam perderet. Itaque necessitati cedendum ratus, denuo Moguntinum & Palatinum Electores mittit ad Principes Protestantes, & in alio congressu Norimbergæ habito tandem cum iis convenit, *ut omnia relinquantur in eo statu, in quo jam sunt; neque Religionis causâ cuiquam aliquid molestiæ inferatur usque ad concilium proximè futurum: aut si concilium tam citò congregari nequeat, saltem eò usque pax firma stet, donec ab Ordinibus Imperii reperta fuerit alia methodus, dissidium illud componendi.* Ità demum Protestantes acquievêre, & copiosa contra Turcas auxilia polliciti sunt.

Alius congressus Norimbergæ: in quo Cæsar metu Solimanni cogitur permittere Protestantibus, ut quisque in sua religione maneat usque ad futurum concilium. *Spond. loc. cit. Helvicus in theatr. hist. univ. Soiter. l 2. de bello Pannon. Surius, Pal. & alii.*

Post hæc miles omnis congregari jussus prope Viennam Austriæ. Ubi, dum Germani unà cum Hispanis & Italis confluxisse visi, tam ingentem exercitum confecêre, ut Jovius ibidem præsens & alii Scriptores memorent, Cæsarem in unis ad Viennam castris habuisse nonaginta peditum ac triginta equitum armatorum millia:

millia: quibus ipsémet supremo cum imperio præfuturus, jam advenerat ad urbem Lincium. Interea Solimannus exercitum suum non parvo tempore fatigaverat ante Güntium, Hungariæ inferioris oppidulum. Habebat illud solùm quatuor propugnacula antiqui operis, unà cum arce parva, ad sustinendam hujusmodi obsidionem minimè idonea. Et tamen, sive gubernatoris insuperabili strenuitate, sive Deo fortunam Cæsaris mirabiliter adjuvante, non modò fortissimè se defendit; sed etiam Solimanni insultantis ferociam ità fregit, ut multis millibus amissis post dies circitèr viginti quatuor obsidionem solvere coactus fuerit. Ajunt, Solimannum illic à Cæsare ad pugnam decretoriam* chirothecâ missâ provocatum esse; ipsum verò detrectatâ hujusmodi pugnâ respondisse: *Non ego te Carole, sed fortunam tuam reformido!* Verúmne, an falsum illud sit, non ausim definire. Id autem certum est, Solimannum, cùm audìsset, Cæsarem cum auxiliaribus Germanorum copiis adventare, tam præcipiti cursu ex Hungariæ finibus aufugisse, ut identidem respectaverit, an Cæsar à tergo sequeretur? Fugâ cognitâ, Cæsar Principum Germanorum auxilia rursum à se dimisit. Suarum verò copiarum partem reliquit Ferdinando fratri, ut cum iis prosequeretur bellum in Pannonia; & aliam partem, præcipuéque Hispanos & Italos, remisit in Italiam: quò & ipse eos propediem consecutus est.

Solimann⁹ diu frustra oppugnat Güntium, tandémque cogitur obsidionem solvere. *Isthuanff. in hist. Hung. l. 11. Sotter. l. 2. de bello Pannon. Cochlæus in actis Lutheri.* *Palat. in Aq. Austr.*

Solimann⁹ cognito Cæsaris adventu, præcipiti fugâ se subducit, *Auctores supradicti.*

Ante hos eventus belli, imò inter primos ejusdem apparatus, Domum Saxonicam funestavit inopina mors Joannis Electoris: qui, postquam è Norimbergensi congressu rediisset, Schweinitii lethali morbo correptus, & extinctus est die Veneris, decimâ sextâ mensis Augusti. Fuerat ille primus, qui instigante Luthero Catholicorum sacrorum usum è suis Ecclesiis exturbari fecit. At, ubi in lectum fatalem incidit; sacratiori lumine collustratus, errorem hunc amarissimè deflevit, cum Ecclesia Catholica se reconciliavit, Sacramenta moribundis ministrari solita Pontificio ritu suscepit, filióque suo Joanni Friderico lege testamentariâ severissimè præcepit, ne ditionum Electoralium gubernationem adiret priùs, quàm corporali stipulatione sibi vivo promisisset, velle se, novationes omnes abolere, Lutherum expellere, præcones heterodoxos persequi, ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ regredi, & omnia Christiana sacra in statum florémque pristinum revocare. Quâ de re cùm apud Chytræum aliósque Scriptores Acatholicos profundissimum silentium sit; juvat hìc è Ducali tabulario Monachiensi producere ejusdem Joannis Friderici literas, ad Wilhelmum & Ludovicum Bavariæ Duces octiduo post mortem patris de ejusdem conversione datas:

Joannes Elector Saxoniæ Catholicè moritur, præcipítque filio suo Joanni Friderico, ut Catholicam religionem restituat, ejecto Luthero & aliis apostatis.

Joannes Fridericus id promittit morituro Patri, eáq; de re certiores facit Wilhelmũ & Ludovicum Bavariæ Duces.

Den

Den Hochgebohrnen Fürsten / unsern freundlichen lieben Ohaim / Herrn Wilhelmben und Herrn Ludwigen / Pfaltzgraffen bey Rein / Hertzogen in Ober- und Nieder Bayren ꝛc.

Unser freundtlich Dienst / und was wir allzeit ehren / liebs / und guets vermögen / zuvor ꝛc.

Literæ Joannis Friderici ea de re. *Ex Archivio Monachiensi.*

WIr geben Eueren beeden Lieben mit betrübten Hertzen zu erkhennen / daß der Hochgebohrne / unser gnädiger lieber Herr und Vatter / Hertzog Hanß / Churfürst zu Sachsen ꝛc. am Freytag schirst umb den neundten Seger / auff den Tag als ein Christlicher Fürst mit Tod verschiden / deß Seelen der allmächtig Vatter durch Christum unseren Herren barmhertzig seyn wölle. Derselb unser lieber Herr / und Vatter seeliger Gedechtnuß / ist hievor in seiner Schwachheit durch den Geist Gottes angeregt / und dardurch hertziglich bewegt worden / sich zu alter Christlicher Religion zu wenden / und mit der Muetter der H. Christlicher Kirchen widerumben zu verainen; hat auch darauff nach Christlicher Ordnung alle Sacrament / den Leib Christi / die heilige Beicht / und Oellung / in hitziger Lieb und Demüttigkheit angenommen und empfangen: und alsobaldt in seiner lieb Fürstenthumb ainen Truckh außgehen lassen / daß alle neugemachte Ordnung der Kürchen auffgehebt / der Luther / auch andere Prediger und Anhenger der Secten verer nicht gedult werden sollen: und in ainen zierlichen Testament uns / als seiner liebe ainigen Sohn / mit dieser Condition beladen / daß uns die Erbhüldigung der Unterthanen und Regierung des Fürstenthumbs nicht verfolgen solle / biß so lang wür mit unsern Fürstlichen Würden und Worten bestätten und zuesagen / daß wür seiner lieb letzten Christlichen Willen in allen Puncten vollziehen wöllen ꝛc. Und wür / Gott zu Ehren / und den Zusagen nach / so wür hochermelten unserm Herren und Vatter leiblichen gethan / uns des schüldig erkhennend / seint demnach in unserm Gemüth ernstlichen entschlossen / Weilland Ihrer Lieb letzten Willen alles Fleiß zu vollziehen / alle verführische Secten und Lehren (darin leider sein Lieb / wür / und unser Unterthanen / betrüglich geführt worden / und Euer Lieb und andere Christen-Menschen darab nit wenig geärgert haben) mit Wurtzel und Grund gäntzlich außzureitten / deroselben Anhänger und Lehrer zu hassen / zu verfolgen / uns gemeiner Christlichen Kirchen demüthiglich zu unterwerffen, und fürter hin mit Hilff des Allmechtigen in unserm Fürstenthumb / rechte / wahre / Christliche Religion zu erhalten. Und ob wür diesem Christlichen Werck zu schwach / und uns etwas beschwärliches darunder begegnen möchte; wöllen wür Euer Liebden / als unser angebohrne Freunt / und hochgerüemte Fürsten / Liebhaber und Fürderer alter Christlicher Religion / hiemit zum freuntlichsten ersuecht haben / uns hiezu räthlich und beyständig zu seyn / uns in der Noht nit zu verlassen / und uns in unser Jugend und unser Land und Leut in solchen Befelch haben / wie unser gar freuntlich und sonder Vertrauen zu Euer Lieb stehet. Wür wöllen uns entgegen mit all unserm Vermögen gegen Euer Liebden also beweisen / daß unsers Thäils die hochinnerlich und vertreuliche Verwantuug / so vor Jahren / wie Euer Liebden ohne Zweiffel wissen / das Hauß Bayrn und Sachsen gegen einander gehabt / wiederumben erweckt und freuntlich erhalten werde. *Datum* in unserer Statt Wüttenberg / am Sonnabent den 24 *Augusti*, 1532.

Von Gottes Gnaden Johan Friderich / Hertzog zu Sachsen / Churfürst / Landgraff in Düringen / und Marggraff zu Meissen ꝛc.

Quæ

Quæ literæ, ut ab iis pariter, qui germanicæ linguæ ignari sunt, liquidiùs intelligantur, latinè sic reddi possunt:

Illustrissimis Principibus, amicis ac perdilectis cognatis nostris, Domino Wilhelmo, ac Domino Ludovico, Comitibus Palatinis Rheni, superioris & inferioris Bavariæ Ducibus &c.

Amicissima obsequia nostra, et quidquid venerationis, amoris, ac boni possumus, in primis etc.

VEstræ amborum dilectioni mœsto corde significamus, Illustrissimum, charissimúmque Dominum ac Patrem nostrum, Joannem Ducem et Electorem Saxoniæ etc. nuperâ die Veneris, circa horam nonam, more Principis Christiani defunctum esse; cujus animæ omnipotens Pater per Christum Dominum nostrum velit esse propitius! idem ille charissimus Dominus, ac Pater noster piissimæ recordationis, paulò antè in ægritudine sua spiritu Divino tactus, et per hoc intimo corde commotus est, ut ad veterem Religionem Christianam se reciperet, seséque rursum conjungeret Matri nostræ, sanctæ Ecclesiæ Christianæ. Subinde etiam Christiano ritu omnia Sacramenta, Eucharistiæ, Pœnitentiæ, et extremæ Unctionis, ardentissimâ charitate et humilitate susceptit; simúlque in Principatu suo typis publicis evulgari fecit, novas omnes Ecclesiarum ordinationes tolli, et Lutherum unà cum aliis præconibus et sectariis in posterum tolerari amplius non debere: quin et in eleganti testamento Nos, ùt unicum suæ dilectionis filium, eâ lege et conditione prægravavit, ut subjectionis hæreditariæ sponsio regiménque Principatûs à nobis accipi non deberet, usque dum Principali verbo nostro sponderemus ac polliceremur, nos voluntatem ejus ultimam, ac verè Christianam, ad amussim executuros esse. Et Nos, ad honorem Dei, et vi promissorum nostrorum, quæ prædicto Domino et Patri nostro corporali stipulatione dedimus, obligationem hanc agnoscentes, apud animum nostrum sincerè ac seriò proposuimus, huic ultimæ voluntati ejus studiosè morem gerere, sectas omnes doctrinásque seductorias (in quas, prô dolor! et ipse, et Nos, et subditi nostri, subdolè adducti sumus; et charitati vestræ aliísque Christianis offendiculo non parvo fuimus) radicitus exstirpare, earum sectatores et magistros persequi, universali Ecclesiæ Christianæ demississimâ voluntate nos subjicere ac deinceps in Principatu nostro sinceram verámque Religionem Christianam auxiliante Deo

conſervare. Quòd ſi autem huic operi Chriſtiano eſſemus impares, aut in eo perficiendo nobis aliquid moleſtiarum obveniret; vos Dominos dilectiſſimos, tanquam amicos laudatiſſimôsque Principes, nec non antiquæ Religionis Chriſtianæ cultores ac promotores, híſce literis humaniſſimè rogamus et obteſtamur, ut hac in re conſilio nobis et auxilio ſitis, nos in tempore anguſto non deſeratis, noſtrámque juventutem unà cum ſubditis terrísque noſtris ità vobis commendatam habeatis, utì amica et ſingularis confidentia noſtra à vobis præſtolatur. Nos viciſſim pro viribus noſtris erga veſtram charitatem ità nos habebimus, ut ex parte noſtra ſyncera et intima cognatio, quam olim (utì ſcietis) Bavarica Saxonicáque Domus ad invicem habuêre, denuo reſuſcitetur, et cum omni familiaritate conſervetur. Datum in urbe noſtra Wittenberga, ſabbatho die viceſimâ quartâ Auguſti, Anno 1532.

Dei gratiâ Joannes Fridericus Saxoniæ Dux Elector, Land. gravius Thuringiæ, et Marchio Miſniæ etc.

Literæ hæ ùt ſuprà memini, adhuc aſſervantur in Electorali archivo Monachienſi, ex quo earum apographum anno 1572. Ferdinandus* Maria, Dux & Elector Bavariæ, à multis magnísque Dominis rogatus, Viennam Auſtriæ tranſmiſit. Quare fallitur Spangenbergius, quando contra Joannem Naſum Suffraganeum Brixinenſem, qui eodem ſeculo converſionem hanc evulgaverat, audacter aſſerit, *id eſſe inſolens et diabolicum figmentum.* De cetero idem ille Joannes Fridericus aliquantò pòſt, neſcio quibus vel terriculamentis vel malorum conſiliariorum perſuaſionibus, receſſit iterum ab hoc propoſito; contráque ſponſionem, tam parenti ſuo, quàm Bavaricis Principibus factam, Lutherani Evangelii defenſionem acerrimè reſumpſit. Quanquam non ſinè maxima ſupremi Numinis vindicta, ſerò quidem, at ſeriò conſecuta. Nam anno 1547 poſt infelicem pugnam ab Imperatore Carolo Electorali dignitate ſuâ cum bonis omnibus exutus eſt; & anno 1567 ejuſdem filius cognominis, in urbe Gothana captus, infelicem vitam in Cæſaris cuſtodia finiît. Sed de his uberiùs ſuo loco.

**vide eas in libello de ortu & occaſu Lutherani Evangelii, part. 1. pag. 268.*

**Spangenb. in chron. Manſf. ad hunc annũ. fol. m. 434 pag. 1.*

Joannes Fridericus mutatâ mente, denuo ad Lutheraniſmũ reſilit.

Magnus etiam hoc anno tumultus Monaſterii Weſtphalorum concitatus eſt, auctore & actore Bernardo Rotmanno, de quo ad annum ſuperiorem jam pauca prælibavimus. Is, cùm è templo Mauritiano ejectus, & à Lutheranis quibusdam civibus clanculariè receptus eſſet; continuò fabricavit apud eos novam fidei confeſſionem, in varios digeſtam articulos: quæ dein à Joanne Langermanno, Ordinis ſenatorii viro, typis publicis commendata, &

Rotmanni Apoſtata Monaſterii in Weſtphalia per ſeditionem publicam introducit

& è lingua latina in vernaculum sermonem transfusa est. Mirum! quàm avidè hæc ab hominibus indoctis pervoluta, quàm ingenti cum applausu ab iisdem approbata fuerit? Proinde non multò pòst, nimirum die vicesimâ tertiâ Februarii, Bernardus Knipperdollingius, magnâ civium seditiosorum coronâ cinctus, Rotmannum duxit ad cœmeterium Ecclesiæ Lambertinæ: ubi hic apostata in suggestu ligneo, ante ossuarium posito, de libertate Evangelica, de superstitione & idolomania Papistarum, de rebus aliis in prædicta suæ fidei confessione traditis, tam audacter mendacitérque ad plebem dixit; ut promiscuum vulgus concione peractâ in omnes Ecclesias Parochiales ruerit, Sanctorum imagines confregerit, hierothecas Divini Corporis violârit, Rotmannum Pastori Lambertino substituerit, ac demum omnia sus déque verterit, quæ ab ejus dogmatis dissentiebant. His auditis Fridericus Episcopus, comprimendo huic motui sese imparem ac inidoneum videns, Cathedralis Ecclesiæ Canonicos ad se vocavit in oppidum Wernam; atque ibi juxta ea, quæ Iburgi ante annum conventa erant, Episcopatui malè gesto renuntiavit in *Dominica Palmarum*, die vicesimâ quartâ Martii.

Lutheranismum. *Kerssenbr. in hist. anabapt. ad hunc annum.*

Fridericus de Wieda Monasteriensem Episcopatum abdicat Wernæ die 24. Martii, *Kerssenbr. in hist. anabapt. ad hunc annum.*

Subinde Præsul emeritus, quietiorem vitam acturus, Coloniam ivit. Cathedralis autem Ecclesiæ Canonici, propter seditionem urbis Monasterienſis, Lüdinghusium se recepêre: ubi* triduo pòst, pridie *Cœnæ Domini*, concordibus omnium votis ad vacantem Cathedram postulatus est Ericus Episcopus Paderbornensis & Osnabrugensis. Is, cùm & potentiâ valeret, & acerrimus Lutheranorum persecutor esset; continuò minacissimis literis (quas adducit Kerssenbrochius) Magistratum urbémque monuit, ut ejecto Rotmanno, & aliis Lutheranæ sectæ prædicatoribus, ad Catholicæ Religionis exercitium quantocyus revertantur. Id, nî ab iis propediem fieret; visurum se, quibus mediis & coactionibus, etiam invocato Cæsaris auxilio, pertinaciam ipsorum frangeret. Et certè non defuissent ei vires, ad hoc efficiendum & exequendum necessariæ, nisi præter omnem opinionem velociori morte fuisset præpeditus. Cùm enim Fürstenaviæ in Diœcesi Osnabrugensi de his & aliis Monasterienſium rebus consilia cum suis ageret; improvisâ ægritudine obrutus, vivere in terris desiit* *postridie S. Servatii*, die decimâ quartâ Maji. Corpus ejus devectum est Osnabrugum, ibíque in Cathedrali Basilica summis honoribus tumulatum *prope tumbam S. Reginæ* * *Virginis*. Fuerat ille semper, quàm diu Paderbornæ & Osnabrugi præfuit, amator pacis, justitiæ cultor, Diœcesium suarum conservator, & quod omnes laudes

In ejus locũ postulatur Ericus Ep. Paderb. & Osnabr. **Kerssenb. in hist. Anabapt. ad annũ 1532. & in catalogo Episc. Paderb.*

Moritur paulò pòst Fürstenaviæ die 14 Maji. **Henricus Abbas Marienmünst. in diar. mſ.* **chron. Osnabr. mſ.*

des alias antecellit, Catholicæ fidei * severissimus defensor. Neque aliud à nostris in eo carpitur, quàm quòd cœnobiis domibúsq; religiosis per imperatas vecturas, aliáque nova onera magno gravamini fuerit. Qua de re Henricus Abbas Marienmünsterensis in diario suo ità scribit: *Anno 1532, postridie S. Servatii obiit Ericus Episcopus Paderbornensis ---- ex Ducibus Brunsvicensibus, qui multùm gravavit Monasteria in hac Diœcesi. Ignoscat ipsi Deus!*

*Hamelm. l. 2. chron. Osnabr. pag. 572.

ANNA-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XX.

HERMANNUS

Comes de Wieda,

ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, ECCLESIÆ PADERBORNENSIS ADMINISTRATOR ET EPISCOPUS XL.

Annus Christi 1532.

CLEMENTIS VII. Pontificis 9. & 10.
CAROLI V. Imperatoris 13. & 14.
HERMANNI II. Administratoris 1.

Post Erici mortem Paderbornæ postulatur Hermann⁹ de Wieda, Archiepiscopus Colonienſis. *Ex veteribus annotatis illius temporis.*

Post mortem Erici Antistitis, die decimâ* tertiâ Junii, Paderbornæ postulatus est Hermannus de Wieda, Archiepiscopus Colonienſis; cui sub initium regiminis cum seditiosis factiosísque civibus Paderbornensibus non parùm tædii ac molestiarum fuit. Origo tumultuum erant (utì passim alibi) tres apostatæ ex Paderbornensi Minoritarum cœnobio, Joannes Polhennius, Jacobus Musingius, & Christophorus Danus, quem germanicè Dâne vocatum arbitror. Ab his commoti cives ante adventum novi Antistitis petebant

Seditio Civium Paderbornensium ante adventum novi Antistitis. *Kerssenbr. in catal. Episc. Pad. Kleinsorg. in hist. ms. Chytræus l. 13. Saxon. Hamelm. in Hist. Evangelii renati.*

tebant à Magistratu urbico, Ecclesiam aliquam sibi assignari, in qua Lutheranæ Religionis exercitio gaudere queant. Respondebant Consules & Senatores, *id esse extra suam potestatem: obstare non solùm edicta Cæsaris; verùm etiam jurata pacta, cum Erico Episcopo ante quadriennium inita.* Jubebant insuper considerari mala, in quæ sinè dubio se & urbem conjecturi sint, si ejusmodi postulata in effectum redigant. *Non Cæsarem, non Episcopum, non alios Principes, qui p[ace] que adhuc in Fide Catholica perstarent, id impunè laturos esse.* At hujusmodi sanioribus monitis nihil effectum est apud seditiosos: atque ideo, cùm Senatorum animos ad consensum inclinare non possent, suâpte audaciâ rapuerunt ad se duas Ecclesias parochiales, nimirum S. Udalrici, quæ aliàs die Gau-Kirche, & S. Pancratii, quæ aliàs die Marck-Kirche nominari solet. Priori intrusus est Joannes Polhennius, posteriori Jacobus Musingius: quibus cooperator additus Christophorus Danus (aliàs Dâne) sive is Lutherani Evangelii præconem egerit, utì vult *Chytræus; sive tantùm Lutheranæ juventutis institutorem, utì *Hamelmannus & Kerssenbrochius referunt. Hi subinde magnis ausibus occeperunt novo ritu Christiana Sacra peragere, Lutheri dogmata propalare, sub utraque specie Eucharistiam distribuere, Clerum Catholicum vituperare, Papatum contemnere. Unde mox consecutum est, ut excitati cives primùm in privatis conventiculis juramento se obstrinxerint, velle se potiùs fortunam extremam perpeti, quàm novæ Religionis libertatem deserere: tum deinde in Magistratum insurrexerint, claves urbis eidem extorserint, pluribus* diebus portas urbis occluserint, ac demum elato prælatóque vexillo novo, contra arcem Episcopalem seditiosè profecti sint, velut apertè comminantes, in posterum se Episcopi aut Papistarum legibus exsolutos fore.

*Chytræus loc. cit. *Hamelm. & Kerssenbroch. l cit.

*Ex Recessu Paderb. huj. anni.

Hermann' Administrator solenni ritu Paderbornam ingreditur, *Chytræus & Kerssenbr. loc. cit.*

Hermannus Administrator, quàm primùm audiit, hæc se absente à civibus factiosis fieri, eosdem ab his inceptis paternè dehortatus est, non modò per iteratas literas; verùm etiam per diversos Legatos, è nobilitate sua tam Colonienſi, quàm Paderbornenſi missos. Cùm autem per hæc omnia nihil profeciſſet; rebellium pœnas aliquantisper distulit usque ad solennem ingressum & inaugurationem suî, quæ splendore maximo peracta est die octavâ mensis Octobris. Pompa hujus ingressûs viâ *Regiâ ducebatur è propinqua arce Neuhusana. Indè novum Antistitem comitati sunt, Georgius Dux Brunsvicensis, Adolphus Comes de Schawenburg Colonienſis Coadjutor, Simon Comes de Lippia, Otto Comes de Ritberg, aliíque permulti Comites & Barones, cum ingenti Nobilium, tam Colonienſium, quàm Paderbornenſium coro-

*vulgò die Königsstrasse.

coronâ. Antè & retro conducebant eum cataphracti equites, quos ultra millenos fuisse refert Henricus Abbas* in Marienmünster, omnes præclarissimè obarmati, & exquisito vestium ornatu fulgidi. Quis non putâsset, seditiosorum civium coryphæos vel tunc demum ad saniora consilia fuisse reversuros? præsertim quia totus Magistratus urbicus adhuc bene catholicus erat, neque seditionis vel tumultuum præteritorum particeps. Et tamen (quid non audet animus ab apostatis & prædicatoribus heterodoxis efferatus?) cùm benignissimus Princeps cives omnes in aream Basilicæ Cathedralis, quem campum Dominicum vocant, præstandi juris jurandi causâ convocâsset: factiosorum aliqui adhuc eò temeritatis devenêre, ut ibidem cum aliis præstò esse, & consuetum obedientiæ debitæ Sacramentum dicere, tergiversati fuerint. Dissimulavit hæc Archiepiscopus. Et, ut rem istam callidiùs ageret, jussit omnes equestres copias quatriduo pòst, nimirum die duodecimâ Octobris manè ad abscessum paratas esse: cives autem universos altero die, circa horam octavam matutinam, in Abdinghoffensis monasterii pomario congregari; ut, priusquam abscederet, fidelitatis & obedientiæ Sacramentum, sibi nuper ab aliquibus denegatum, dicerent. Primo diei istius diluculo datur signum tubis campestribus, concurrunt equestres copiæ, accingunt se ad iter: cives etiam universi, à suis Consulibus persuasi, in pomarium Abdinghoffense confluunt, abituro Præsuli juramentum præstituri. Ibi dum in loco, muris undique incluso, starent; repentè post eos pomarium clauditur: simúlque signo dato jubetur equitatus omnis per urbem se dividere, portas urbis occupare, plateas obequitando percurrere, ac denique omnes aditus monasterii Abdinghoffensis ità obsidere, ut nemo civium elabi aut aliorum hominum accursu liberari posset. Quo peracto, Princeps gravi primùm oratione rebelles increpat; mox etiam præcipuos ipsorum Duces (quos *Evangelii fautores** nominat Hamelmannus) ex charta prælegi, eosdémque circitèr sedecim comprehendi, & in carcerem detrudi jubet. Indè post triduum reducti, & facinorum suorum convicti, protrahuntur longo ordine in forum urbis ante curiam senatoriam, ut ibidem ea, quæ contumaciter ac seditiosè gesserant, supplicio capitis expiarent. Stabat illic ferale pegma confectum ex asseribus, & consperssum arenâ plurimâ, quæ sanguinem occisorum biberet. Prope illud consistebant sepulchrales tumbæ, in quas projicienda erant exanima eorum corpora. Aderat non uno gladio armatus carnifex, criminalis judicii futurus executor. Forum omne spectatoribus constipatum erat, & ipse Princeps cum præcipua Nobilitate & Magistratu

Henricus Abbas in diario.

Præcipuos rebellionis præteritæ Duces comprehendi jubet eosdémque triduo pòst ad mortem condemnari. *Chytræus l. 13. Saxon. Kesenbr. in catal Episc. Pad. Recessus Paderb. de hoc anno. *Hamelm. in hist. Ev. Paderb.*

gistratu prospectabat è fenestris curiæ. Prælectâ postmodum funestæ mortis sententiâ, fiebat ingens ejulatus necandorum: cui suos quoque ejulatus repentè consociabant non modò ipsorum proles ac mulieres; verùm etiam quidquid matronarum, virginum, ac puellarum aderat. Omnes illæ, ad Hermannum Præsulem è curia prospectantem conversæ, provolutis humi genibus, manibúsque femineo ritu complicatis, pro obtinenda vitæ gratia ardentissimè precabantur. Movebant hæc protinùs benignum Principem. Cúmque & alii viri primarii, maximéque majoris Ecclesiæ Canonici, nec non & Comites, Barones, atque urbium aliarum Deputati, sua vota & intercessiones jungerent; misericordiâ victus, capitalem pœnam suspendi jussit, & reos omnes ad ulteriorem animi declarationem in suos carceres deduci.

Ad Capituli Cathedralis aliorúmq; preces, Rebellibus concedit veniã vitæ. *Ex recessu infrà citando.*

Nova deinde scriptura transactionis (quam vulgò *Recessum* vocant) urbem inter & Episcopum inita; alteràque die, nimirum decimâ sextâ Octobris, publicata est: in qua post brevem præteritorum facinorum enarrationem præscribuntur novæ leges & articuli, ad præcavendas in posterum ejusmodi turbas profuturi. Lubet eam latinè redditam hîc apponere, ut videat orbis Christianus, quàm impudenter suo more calumniatus fuerit *Hamelmannus, Præco Lutheranus; quando scribit, quòd antè dicti cives Cathedralium Canonicorum sollicitatione innocenter comprehensi, quòd falsissimis accusationibus onerati, quòd *non aliter ac olim Apostoli ad mortem condemnati, quòd in urbis foro ad supplicium pertracti sint, eo ferè modo, quo à Turcis abduci solent Christiani.* Ecce hîc *Recessum* istum, quo ad partem ejus primariam!

Receſſus transactionis, ea de re conditus inter urbẽ & Episcopum. *Ex libro Cancellariæ Pad.* **Hamelm. in hist Ev. renati Paderbornæ.*

NOs *Hermannus, Dei gratiâ sanctæ Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopus, - - - - et Ecclesiæ Paderbornensis Administrator profitemur, et cuilibet hîsce literis publicè notum facimus. Cùm hoc anno post fatalem obitum Reverendissimi, Illustrissimi, dilectissimíque in Christo fratris ac decessoris nostri, Domini Erici, Paderbornensis et Osnabrugensis Episcopi, - - - nostrámque postulationem, - - - inquilini civitatis nostræ Paderbornensis, contra omnes laudabiles et hucusque traditas Christianas ordinationes, consuetudines, et cerimonias sanctæ Ecclesiæ, - - contráque Pontificia et Cæsarea edicta ac Recessus Romani Imperii, nec non contra proprias ea in re factas* et consignatas transactiones, insolenter audacissiméque novationes aliquas Ecclesiasticas - - - instituerint, exercuerint, et usurpârint: ex quibus paulò pòst seditiones turbæque maximæ gregariorum civium adversùs Consules et Senatum veterem ac novum quantocyus consecutæ, atque eum in modum auctæ sunt, ut ipsímet gregarii cives absque præscientia et voluntate sui Magistratûs in factiosa conventicula se congregaverint, in iis fœdera et pactiones fecerint, subinde etiam*

*und gegen ihre eigene derhalben auffgerichtete und bewilligte verſiegelte Verträge.

Con-

Consulibus ac Senatui claves urbis extorserint, portas aliquot diebus occlusas retinuerint, demum elato novo labaro contra arcem nostram Neuhusanam petulanti hostilique modo profecti sint, atque seditiosè pro suo libitu contra superiores suos insurrexerint.

*Qua de causa primùm noster Satrapa Provincialis Joannes Quadt, et Nos deinde sæpius eosdem per literas nuntiosque missos clementer admonuimus, ut illicitas hujusmodi novationes abolere, et in posterum sese à seditiosis ejusmodi ausis abstinere vellent. Cúmque hæc omnia nihil proficerent, in comitiis publicis eosdem ùt refractarios incusavimus coram Ordinibus ac statibus patriæ. Quorum rogatu eos iterum*per indigenas aut conterraneos, ac deinde rursus per consiliarios nostros Rhenanos, Westphalicos* et Paderbornenses, in et ante urbem Paderbornam convenire fecimus, cum spe et fiducia præstolantes, ut benignitate et clementiâ nostrâ tandem à suis machinationibus averterentur. At hæc iterum fuerunt sinè fructu! Demum, cùm pro more consueto urbem nostram Paderbornam solenni ritu ingrederemur, et inevitabili necessitate cogeremur ejusmodi inobedientiam aut pervicaciam castigare; universam communitatem civium ante nos venire jussimus, denuo cum iis et clementer acturi de hac re: et tamen iterum nonnullos civium temere inobedientes et immorigeros experti fuimus. Quare tandem injecta nobis est necessitas, refractariorum istorum aliquos in custodiam auferendi, contráque eos judiciali-ter sic agendi et procedendi, ut seditionis incentores ad nostrorum consiliariorum accusationes, et accusatorum responsa, jure et judicio ad pœnam capitis condemnati; reliqui verò, qui suprà dicto fœderi interfuerant, ad nostram correptionem pœnámque arbitrariam remissi fuerint. Quoniam verò totus Clerus noster, major et minor, insupérque Principes, Comites, et universa Nobilitas Diœcesium nostrarum, Colonienſis et Paderbornenſis, quin et Consules, Senatores, urbium aliarum Deputati, plurimæque virgines et matronæ, devotissimè intercesserunt pro condemnatis (qui et ipsi pariter misericordiam et vitæ gratiam rogitabant) et Nos ipsi quoque, si fieri posset, clementiâ potiùs ac benignitate, quàm suppliciis et severitate juris subditos nostros in pace et concordia retinere exoptavimus: ad hujusmodi magnas valentissimásque*preces ac patrocinia, executionem hesternæ sententiæ hac vice revocavimus, et ad clementissimam rei compositionem hisce legibus vel articulis nos permoveri sivimus.*

Primò, cùm hæc seditio plebis contra Magistratum orta sit ex eo, quòd gregarii cives, contra veteres probéque traditas consuetudines Ecclesiæ Christianæ, pro suo solorum arbitrio novationes aliquas minimè permissas inceptaverint, vocando novos Evangelii Præcones; ipsíque nocentes et condemnati, ad extremum fassi et gravissimè conquesti sint, se à Prædicantibus per seditiosa ipsorum dogmata miserè seductos et abductos esse: idcirco mandamus, et seriò præcipimus Consulibus, Senatoribus, et uni-

*Und sie auff Bitt gemeiner Landschafft durch die Landsassen/ und folgends durch unsere Rheinische/ Westfälische/ uñ Paderbornische Räthe in- und vor der statt Paderborn beschickt ꝛc.

*haben wir auff solche grosse dapfere gethane Vorbitt die Vollziehung der gestrigẽ Urtheilen dißmahl fallen lassen ꝛc.

universitati civium Paderbornensium, ut in posterum sub evitatione gravissimæ indignationis nostræ pœnæque capitalis, Prædicatores omnes, à superioribus suis non constitutos, facessere jubeant, et antiquis laudatissimísque sanctæ Ecclesiæ ordinationibus morigeros se exhibeant, neque adversùs eas aliquid attentent, agant, aut agi sinant, quàm diu ordo ille ab universali Ecclesia non immutabitur. Atque ut in hac ordinatione cives nostri et inquilini urbis nostræ Paderbornensis magìs pacificè et imperturbatè persistere ac perdurare valeant; præcipimus pariter ac mandamus, ut in posterum nullus extraneus, vir aut femina, servus aut ancilla, ex urbibus locísque illis, quæ novæ doctrinæ adhæresunt, aut de ea notata aut insimulata sunt (quicunque illi fuerint) in urbe nostra Paderborna ad servitia admittantur, aut ibidem famulari vel ancillari permittantur.*

*Daß nun hinfürter kein fremder Mann/ Frauw/ Knecht/ oder Magd/ so aus den Stätten oder Flecken/ die der neuen Lehr anhängig oder damit berüchtiget zu keinen Dienstboten in unser statt Paderborn angenommen/ oder zu dienen zugelassen werden sollen.

Secundò, ut, etiamsi Consules, Senatores, et universitas civium Paderbornensium jam ante paucos dies homagium nobis aut jusjurandum solenne dixerint; denuo tamen atque iterum suam fidem nobis obstringere debeant, et jurare, se nobis, et à morte nostra Cathedrali Collegio nostro tanquam Dominis hæreditariis, usque ad adventum novi Principis, semper fidos ac morigeros fore: ac deinceps (uti subditos obedientes decet) absque omni turba vel seditione, Magistratui ac superioribus suis omnem obsequentiam præstituros et exhibituros esse.

Tertiò, cùm gregarii cives jam aliàs, nimirum anno seculi præsentis vicesimo octavo, vivente adhuc decessore nostro, seditionem aliquam excitárint, propter quam eo tempore puniti sunt; eâdemque occasione electus fuerit contractus aliquis, ab utraque parte sigillatus, qui ab illis quidem juramento firmatus, at minimè observatus est: promittent nobis iterum et jurabunt, à se deinceps utrumque Recessum, tam illum decessoris nostri, quàm hunc nostrum, quo ad omnia puncta perpetuò, firmiter, et inviolatè observatum iri.

Longum esset referre cetera, quæ in eadem scriptura vel *Recessu* continentur. Præcipui reliquorum articulorum sunt hi: *Nemo recipiatur in numerum civium, quin priùs juret in Recessum et ejus leges. Qui jam capitis damnati, et ad nostram castigationem rejecti sunt; de satisdatione nobiscum transigent, et in posterum ità se gerent, uti subditos morigeros decet. Quòd si deinceps* eorum aliquis Recessum hunc violaret; sinè omni mora vel contradictione ad nutum sui Principis, quocunque is voluerit, continuò transmittetur: quem ille pro sententia modò lata, sinè ulteriore processu criminali, punire et plectere debebit. etc.--- Datum in urbe nostra Paderborna, die decimâ sextâ Octobris, anno millesimo, quingentesimo, tricesimo secundo.* Appensa sunt sigilla plurima, nimirum Hermanni Administratoris, Capituli Cathedralis, urbis Paderbornensis, Joannis Dynastæ in Büren, Francisci ab

Hôr-

Hôrde, Rabani de Westphalen, Werneri de Spiegel Mareschalli hæreditarii, & quatuor aliarum urbium, Warburgensis, Brakelensis, Borgentricensis, & Saltzkottensis.

Interea dum ista fierent, tres illi Prædicantes ac desertores monachi, Joannes Polhennius, Jacobus Musingius, & Christophorus Danus, quorum seditiosis adhortationibus refractarii cives ad rebellionem concitati fuerant, jussu Principis etiam comprehensi, & in arcem Neuhusanam abducti erant. Indè verò post dies aliquot, severioris custodiæ causâ, rusticano curru vehebantur Arensbergam, ut ibidem in claustro castigatorio (quod ironicè dicebatur vulgò **die Fett-Kammer**) aliquantulùm servarentur usque ad reditum Hermanni Principis; qui interea Falckenhagam iverat ad componenda finium limitúmve dissidia, Schwalenbergenses inter & Pollenses orta. Neque dubium est, quin apostatas ac turbatores istos fuisset egregiè puniturus, nisi in itinere à Susatensibus intercepti, suísque vinculis exsoluti essent. Etenim cùm improvidus auriga in eorum fines nimiùm deflecteret; Lutherani cives, vel occultè moniti, vel apostatarum vociferationibus evocati, magno agmine prorumpunt portis, captivorum custodes pellunt, currum exspoliant, vincula dissolvunt, & remisso aurigâ curruque vacuo, desertores istos, quasi totidem Apostolos pro Christo passos, cum ingenti jubilo in suam urbem introducunt. Mirificè hoc Susatensium facinus commendat*Hamelmannus: *Videant hîc*, inquit, *omnes Christiani, quanto in periculo fuerint isti pii viri? quantâ rabie sint apprehensi? quomodo tanquam oves ad mactationem deducti? quámque mirabiliter illos eripuerit Dominus ex omnibus malis?* At ego nihil mirabile video hac in re: multóque minùs, cur hujusmodi captivos nominet *viros pios?* quippe qui non modò religiosi Ordinis desertores fuêre; sed etiam homines seditiosi, Magistratuum contemptores, & Susatensi hospiti suo post diuturnas epulas ingratissimi. Synceriùs de iisdem scripsit*Kerssenbrochius auctor coævus: *cùm urbem Susatensem præterirent*, inquit ipse, *cives quidam urbe eruperunt, captósque intercipiunt, et secum in urbem cum triumpho deducunt. Ubi in taberna novem hebdomadis commessantur; et, cùm impensas hospes exigeret, clanculùm se subducunt, post magnum forsan Platonis annum soluturi.* Hem! quàm pii viri?

Tres apostatæ & Prædicantes Lutherani, dum captivi abducuntur Arensbergâ, à Susatensibus intercepti sunt in via. *Chytræus 13. Saxon. Kerssenbr. in Cat. Ep. Pad.*

*Hamelm. in hist. Ev. renati Paderbornæ.

*Kerssenb. in Cat. Ep. Pad.

Ad alios duos Episcopatus, qui per obitum Erici Antistitis nostri pariter vacare cœperant, postulatus est Franciscus de Waldeck, Episcopus Mindensis, qui eodem anno Ratisbonæ comitiis publicis interfuerat. Delegerunt hunc Monasterienses in castro Lüdinghusano, die primâ Junii; Osnabrugenses autem die undecimâ: utrobique non alio fine vel intuitu, quàm quia credebant,

Monasterii & Osnabrugi in defuncti Antistitis locum postulatur Franciscus de Waldeck, Episc.

Mindensis. *Kersſenbr. in hiſt. Anabapt. Monaſt.*

Ecclesias suas conjunctis plurium Episcopatuum viribus ab eo validiùs defensum iri. Neque is primùm defuit magnæ exspectationi, de se habitæ. Cùm enim eo tempore quereretur Clerus urbis Monasterienſis, ibidem omnia pro seditiosorum arbitrio geri, Pastores legitimos amoveri, Lutheranos in eorum stationem suffici, pluráque id genus alia instigante Rotmanno fieri, quæ in extremum Catholicæ Religionis exitium vergerent, continuò severas literas in urbem dedit, his ferè verbis:

Senatum urbémque Monasterienſem per literas monet, ut ejecto Rotmanno & aliis Præconibus restituant Sacra Catholica. *Kersſenbr. ad hunc annum in hiſt. Anabapt. Monaſt.*

POstquam aspirante Deo ad Ecclesiæ Monasterienſis cathedram postulati sumus, fide dignâ plurimorum relatione comperimus, quòd aliqui Concionatores Lutherani, partim audaciâ ac temeritate propriâ, partim hominum plebejorum instigatione se in urbem vestram intromiserint, et non modò legationem ac dehortationes antecessoris nostri contempserint; verùm etiam illius edictum, quo iisdem securitas publica sublata fuit, in insignem prædicti Principis contumeliam præfractè et contumaciter violârint, parochiales urbis Ecclesias auctoritate propriâ invaserint, Pastores et Sacellanos legitimè constitutos ejecerint, et ejusmodi doctrinas in plebem divulgârint, quæ eam quotidie magis ac magis ad seditionem excitent, contra Magistratum commoveant, ordinem politicum perturbent, pacémque ac tranquillitatem funditus evertant. Certè nos ejusmodi levitatem, audaciam, et impietatem, à vobis minimè exspectavimus, quippe qui semper antea morigeri fuistis, et pietati gravitatíque plurimùm addicti. Proinde, cùm omnipotens Deus Diœcesin hanc sollicitudini nostræ jam commiserit; per ejus gratiam nihil sollicitiùs à nobis curandum esse duximus, quàm ut ex vi decreti Imperialis subditi nostri unanimi religione, pace, et obedientiâ, inter se invicem conjuncti vivant. Eámque ob causam id à vobis pro salute et utilitate vestra postulamus, ut in hoc rerum statu vos ad Augustensium comitiorum decreta componatis, ritus Ecclesiasticos atque ceremonias antiquitus institutas retineatis, Concionatores novos omnésque novationes ab iisdem introductas profligetis, ac denique plebem universam ad veterem concordiam, tranquillitatem, et obedientiam reducatis; donec vel ab Ordinibus Imperii statuatur aliquid certi in negotio Religionis, vel nos post inaugurationem nostram ad plenariam hujus Diœcesis administrationem pervenerimus. Tunc enim, si res ità postulare videbitur, operam dabimus, ut ad normam Verbi Divini componatur Ecclesia nostra, et omnis tumultuandi occasio recidatur. Interea non ambigimus, quin decretum Imperiale, et paterna admonitio nostra locum apud vos habitura sit. Quod si autem pervicaciter hæc omnia spreveritis (utì minimè confidimus) vobismet ipsis pensandum relinquimus, quid nos agere, quibúsve pœnis animadvertere in vos oporteat, ne Imperio Cæsareísque decretis, quæ nunc iterum in comitiis Ratisbonensibus executioni nostræ demandata sunt, immorigeri esse aut refragari videamur.

mur. Quænam autem hac in re sit voluntas et affectio vestra, utì etiam quid et quantum huic admonitioni nostræ tribuere velitis ; clarè à vobis, et absque ambiguis verborum involutionibus edoceri ac responderi cupimus. Datum die vicesimâ octavâ Junii.

Monasterienses acceptis hisce literis, non modò Rotmannum in templo Lambertino retinent sed etiam in alias urbis parochias intrudunt concionatores Lutheranos. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Monast.*

Senatus has Episcopi literas communicavit tribunis plebis, & hi reliquæ multitudini civium : sed exiguo cum profectu. Plebs enim, ùt primùm audîit, de Rotmanno & ejusdem sociis ejiciendis agi : non modò huic Principis postulato superbè obstitit ; verùm etiam impotenter & per summam animi obstinationem ursit, ut in alias quoque urbis parochias Lutherani Evangelii Præcones intruderentur, ejectis Pastoribus, Decanis, aut Præpositis, Catholicæ Religioni deditis. Id quod etiam haud multò pòst à Magistratu, seditiosorum hominum vociferationibus minísque territo, permissum est : atque ità in ædem Ægidianam intrusus Henricus Rullius, in Martinianam Brictius Nordanus, in Ludgerianam Petrus Wirthemius, in Transaquensem Godefridus Stralenius, in alias Parochiales Ecclesias alii, plerique homines protervi, lascivi, suísque solùm flagitiis noti. Certè Rullius & Stralenius cuilibet vento accomodabant sua vela ; ideóque postmodum è Præconibus Lutheranis facti sunt* Anabaptistæ pessimi. Rotmannus, qui ædi Lambertinæ præerat, non modò factus est Anabaptistarum dux, verùm etiam uxorem Joannis Vigerii urbis Syndici suis amoribus turpissimè infatuavit, eámque postea sibi in conjugem* adscivit, marito per venenum interempto. Brictius Nordanus, tametsi uxorem haberet in oppido Schôppingensi, iteratis nuptiis copulavit sibi insuper sororem Bernardi Rotmanni, cujus turpi consuetudine aliquamdiu usus fuerat : cúmque haud multò pòst* uxor altera unà cum prole gemina Monasterium advenîsset ; Rotmanni sororem à se dimittere compulsus est, non sinè magnis offensionibus ac dissidiis, inter Evangelistam utrumque ortis. O ! quales Evangelistæ, non è cœlo, sed potiùs ex Averno missi ?

perversa istorum Prædicantium vita. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. *Hamelm. in hist. Ev. Mon. pag. 1200. *Kerssenb. in hist Anab. Mon. ad hunc annum.

Non meliorem effectum habuêre Caroli Imperatoris literæ, de eadem re ad Franciscum Episcopum datæ, & ab hoc in urbem ad Senatores missæ, quas adducit & refert Kerssenbrochius. Jam enim plurimi consulares viri (cùm viderent omnia pro seditiosorum voluntate geri) unà cum præcipuis thesauris opibúsque suis ab urbe se retraxerant : intérque eos maximè Everwinus Droste & Wilbrandus Plônies Consules, Hermannus Schencking urbis Judex, Theodoricus Münsterman, Hermannus Heerde, Bernardus de Tinnen, aliíque non pauci viri optimè Catholici. Reliqui verò, qui in urbe manserant, adeò frigidè & extra scopum responderunt, ut liquidò apparuerit, eos vel metu ac terrore victos, vel à

Multi consulares viri turbarum causâ ex urbe migrant. *Kerssenbr. ibid.*

Rot-

Rotmanno & aliis prædicantibus in sequiorem sensum abductos esse. Quare tandem Franciscus Episcopus de mandato Cæsaris ad acerbiora media se convertere debuit. Et primò quidem ineunte Octobri mercatorum Monasterienſium boves & alia, quæ Coloniam ad autumnales nundinas mittebantur, prope Wernam oppidum arrineri fecit. Tum deinde jussit omnes ad urbem vias per equestres copias obsideri, annonam & commeatum intercludi, rebellium bona in fiscum redigi, & præcipuos factiosorum duces ad diversa extra urbem tribunalia postulari, ut ibidem facinorum suorum rationem darent. Interea multi viri nobiles, tam è Capitulo, quàm è statu seculari, nihil industriæ aut laboris omisêre, quo dissidium istud omni meliore modo complanarent. Instituti in hunc finem varii conventus: in quorum ultimo Legati urbici consensêre tandem in duos judices compromissarios, ex aliis Romani Imperii Principibus deligendos; unum videlicet ex parte Episcopi, & alterum ex parte urbis senatûs. Ægerrimè id admisit Franciscus Præsul: videbat enim, ex ejusmodi compromisso nihil boni pro re Catholica sperari posse. Indicitur congressus in oppido Telgetano: designatur ex parte Episcopi Hermannus Archiepiscopus Paderbornensis Ecclesiæ Administrator: conveniunt pariter Monasterienſis Diœcesis Proceres, cum diversis Consiliariis, Colonienſibus, Paderbornenſibus, Osnabrugenſibus, & Monasterienſibus, ad perficiendum pacificationis negotium adhibendis: mittitur in urbem nuntius, qui senatui civibúsque referat, se ad pacificandum convenisse, præstolaríque solùm, ut & ipsi pariter per suos ablegatos Telgetum veniant, aut certè per literas indicent, quem è Principibus Imperii velut compromissarium pro sua parte designaverint?

Franciscus Episcopus annonam urbi intercludit, & rebellium bona in fiscum redigit. *Kersenbr. ibid.*

Legati urbici petunt agi de pace per judices compromissarios. **Kersenb. in hist. Anabapt. Monast.*

At ecce! quàm insignis fraus ac malitia Lutheranæ plebis: Tabellarium, qui ad se missus erat in festo Natalis Domini, totâ die fraudulenter detinent, portas urbis occludi mandant, in curiam senatoriam cum tribunis & opificum Præfectis coëunt; longâque consultatione sub vesperum factâ, cives omnes mediâ nocte convenire jubent cum sclopetis, gladiis, bipennibus, & omni armorum genere. Tum delecti è civium congregatorum cœtu sexcenti viri, quibus adjungebantur trecenti milites præsidiarii, & aliquot currus, partim asseribus vectibúsque, partim nitrato pulvere & scalis levioribus pleni. Cum his nocturno tempore extra muros effusi, summo mane in festo S. Stephani Telgetum veniunt: diruptísque portis, priusquam oppidani id adverterent, non solùm omnes plateas occupant; sed etiam viros nobilissimos, pro communi pace laborantes, inaudito ac ferè ab ipsísmet barbaris

Monasterienses, ineundæ pacificationis causâ Telgetum invitati, consiliarios omnes ibidé congregatos malitiosè capiunt & abducunt. *Kersenbr. loc. cit. Kleinsorg. in hist. mſ. ad hunc annum.*

baris execrando scelere in custodiam abripere satagunt. Evadebant pauci, primis clamoribus è somno excitati, puta Alexander de Morrien majoris Ecclesiæ Præpositus, Rotgerus de Schmising Scholasticus, & Henricus de Plettenberg Canonicus, qui per Amasim fluvium glacie concretum nudis pedibus effugêre. Capti verò Philippus ab Hôrde Vice-Dominus, Melchior de Büren Cellerarius, & Adolphus de Boleschwing, majoris Ecclesiæ Canonici: ex aliis vicinorum Episcopatuum Legatis, Consiliariis, ac Nobilitate patriâ, Joannes Dynasta in Büren, & Hermannus de Mengersen, Consiliarii Paderbornenses: Gerhardus de Morrien Mareschallus Monasterienſis, Gerhardus de Reck Consiliarius Colonienſis, Joannes Merckel Cancellarius Osnabrugensis: Hermannus de Schencking, urbis Monasterienſis Prætor, Joannes de Peick, Wilhelmus de Clevorn, Franciscus de Grael, Everhardus de Buck, Everwinus & Alardus de Droste Consulis Everwini filii, Bernardus, Joannes, & Henricus à Warendorp in Evinghoff, & alii quàm plures, consulari quondam aut senatoriâ dignitate functi. Omnes istos, reorum more curribus impositos, inter innumeras vociferationes Monasterium avexêre: ubi tres Ecclesiæ majoris Canonici, aliíque viri præcipui, honestis hospitiis commissi sunt; reliqui verò, ac præsertim ii, qui in officio consulari aut senatorio fuerant, primâ nocte in hominum flagitiosorum carceres detrusi, non sinè maxima cunctorum Principum, tam Lutheranorum, quàm Catholicorum, indignatione & offensa. Certè Philippus Hassiæ Landgravius, ùt primùm audiit, hæc in ipso tractatu pacis contra omne jus gentium attentata esse: continuò die vicesimâ nonâ Decembris, senatum populúmque Monasterienſem severissimè increpavit; monuítque, ut nihil ampliùs contra ejusmodi captivos agant, pacémque bello, & quietem ac tranquillitatem publicam tumultui tam insano præferant.

Facinus hoc improbatur ab omnibus Principib⁹, etiam Acatholicis. *Kerssenbr. ibidem.*

Longè prosperiora Francisco Præsuli fuerunt initia regiminis in Diœcesi & urbe Osnabrugensi. Ibi, postquam à Pontifice confirmatus erat, solennem ingressum habuit die sextâ Decembris in festo *S. Nicolai*; neque aliud quidquam inquietudinis ibidem reperit, quàm quòd illius Diœcesis incolas hostiliter infestaret inimicus homo, cognomento **Boem-Hermen**: qui jam ante in Diœcesi nostra rapinis & incendiis plurimùm grassatus fuerat, & adhuc recenter, *Dominicâ post vincula Petri*, duas domos in vicinia cœnobii Marien-Münsterensis accenderat. Hunc ergo cùm audiisset latitare plurimùm in Diœcesi Mindensi, (quæ & ipsa Francisco suberat) primùm severissimis mandatis, ad omnes pagorum Præfectos editis, jussit ipsum unà cum sociis comprehendi, & in castro Reinenbergi-

Franciscus Episcopus inauguratur Osnabrugi. *Chron. Osnabr. ms.* Capit incendiarium eúmq; lentis ignibus comburi jubet. *Chron. Osnabr. ms. Hamelm.*

in append. Chron. Osnabr. pag. 643. & seq.

bergico sollicitè custodiri. Mox etiam intelligens, non paucos esse, qui pro eodem liberando satagere vellent; cum exquisita militum cohorte inter frigora & nives Reinenbergam venit, captivósque omnes Decembri ferè medio Iburgum abstulit. Ubi, cùm ab Osnabrugensibus & Paderbornensibus facinorum suorum accusati & legitimè convicti essent; suprà dictus **Boem-Hermen** cum suo famulo, in loco, dicto **Stalbrinck**, ad palum alligatus, lentísque ignibus exustus est: reliqui autem inter alia tormentorum genera nocentem animam exhalârunt.

Annus Christi 1533.

CLEMENTIS VII. Pontificis 10. & 11.
CAROLI V. Imperatoris 14. & 15.
HERMANNI II. Administr. Pad. 1. & 2.

Carolus Imperator, Bononiæ congressus cum Pontifice, impetrat, ut indicatur concilium generale. *Haræus in ann. brab. Surius in comment. rer. gest. Pallav. in hist concil. Trid. l. 3. c. 12 n. 2.*

SOlimanno victo, Carolus Imperator in Italiam abiens, Bononiæ sub finem anni præteriti solennem congressum habuit cum Clemente Pontifice: ibíque inter alia devotissimè petiit, ut, cùm omnes controversiæ fidei semper hactenus à Principibus Germanicis ad generale concilium rejectæ fuerint; continuò studeret, illud pro communi bono & periclitantium Ecclesiarum necessitatibus indicere. Quod ubi firmiter statutum promissúmque fuit; Cæsar indè Papiam, & hinc ulteriùs Mediolanum abiit: ubi Christianam (vel ùt alii) Christiernam, Elisabethæ sororis suæ & Christierni Regis Danorum filiam, Francisco Sfortiæ Mediolanensium Duci in matrimonium tradidit. Lætus hic tam optatis nuptiis, quærebat modis omnibus recreare Cæsarem. At ipse visendæ magìs Hispaniæ, quàm aliarum oblectationum cupidus, post dies pauculos venationi datos festinabat Genuam: ibidémque primo vere commissus pelago, non multò pòst felicibus ventis in absentis ac derelictæ diu conjugis amplexum rediit.

Francisco Sfortiæ, Duci Mediolanensi, uxoré dat, suam è sorore neptè Christiernam. *Haræus in ann. Brab.*

Interea promovendi generalis concilii causâ in Germaniam ablegati sunt Hugo de Rangonibus Orator Pontificius, & Lambertus Briardius Orator Cæsareus, Belgicíque concilii Præses. Hi, cùm ad Joannem Fridericum Saxoniæ Electorem pervenirent in urbe Wimarienſi; proposuerunt ipsi octo articulos, quibus admissis Pontifex intrà sex menses generale concilium indicere vellet.

Concilium generale Germanicis Principib⁹ indicitur eâ lege, ut ejusdem de-

I. Ut Concilium sit liberum, et celebretur juxta morem à primis Ecclesiæ seculis usitatum. II. Ut omnes promittant, se ejusdem decretis examussim parituros. III. Ut ii, qui justè excusati sunt ab accessu illius, legitimos

timos procuratores mittant. IV. Ut interea apud Germanos nihil innovetur in rebus Fidei aut Ecclesiæ. V. Ut Concilium celebretur in loco idoneo et salubri, verbi gratiâ Mantuæ, Placentiæ, vel Bononiæ: quarum singulæ capaces, et Germaniæ propinquiores sunt, quàm aliis regionibus Transalpinis. VI. Ut, si qui Principum neque per se neque per suos Procuratores venerint; synodales tamen sessiones continuentur et pergant. VII. Ut, si qui postmodum Concilii decretis non paruerint; reliqui Principes cum Imperatore conjunctis viribus contra eosdem agant, ac synodalium decretorum tuitionem in se recipiant. VIII. Ut ab indicti Concilii tempore concedatur adhuc annus integer, intrà quem domicilia pro hospitibus adornari, res ad victum necessariæ convehi, et, qui è terris longinquioribus advocantur, se ad iter comparare valeant.

cretis pareant, nec interea aliquid innovent in reb⁹ Fidei. *Pallav. in hist. concil. Trid. l. 3. c. 13. Palat. in Aq. Austr. Spond. Surius & alii.*

His auditis respondet Saxo, acturum se hac de re cum ceteris Protestantium capitibus, Schmalcaldiæ congregandis; indéque rescripturum, quid sibi ac suis visum fuerit de Concilii istius inchoatione, loco, modo, ac ordine. Tenor autem hujus responsi, quod ultimâ die Junii è Schmalcaldiensi conventu prodiit, erat hic: *Generale Concilium sæpius quidem à se suisque postulatum esse; non tamen aliud, quàm quod habendum sit in Germania: ut ibi remedium applicetur, ubi vulnus inflictum dolet. Similiter se velle, ut omnes controversiæ decidantur solùm è scriptura sacra. Neque permissuros, ut Romanus Pontifex pari cum aliis jure in suffragio gerendo gaudeat: cùm et ipse reus habeatur in rebus plurimis; et iniquum sit, eundem hominem in propria causa reum simul et Judicem agere.* Quis non videt, hæc fuisse pura putáque effugia, non ad promovendum, sed ad declinandum concilium excogitata? Concilium volebant in Germania: hoc est in loco tali, ubi Patres velut in carcere ità constricti essent, ut, si decernerent aliter, quàm Lutherani vellent; in continuo periculo versarentur, furorem plebis & Lutheranorum Principum contumelias incurrendi. Quæstiones Fidei volebant enucleari: at non à Pontifice, neque ab iis, qui doctrinis Pontificiis adhærebant; sed à clamosis quibusdam rhetoribus, qui novam bibliorum interpretationem à Luthero editam, in manibus ostentarent, nec aliud agerent, quàm vociferari & stentoreis clamoribus implere omnia. Scripturam solam volebant esse judicem: quæ tamen, cùm de sensu illius disputatur, sui ipsius interpres aut explanatrix esse non potest, uti patet ex apertissimis verbis illis: *Hoc est corpus meum.* Hæc enim cuilibet sunt ante oculos: & tamen ex iisdem solis nondum hactenus dijudicata est controversia, quæ de legitimo eorum sensu Lutheranos inter & Calvinistas agitur. Rectè igitur pronuntiavit de hac re Nicolaus *Helvicus, cùm ità scripsit: *Legatus Pontificius omnes Principes Protestantes ad concilium totics*

Principum Protestantium frigidissimæ exceptiones & effugia. *Pallav. loc. cit. Palat. in Aq. Austr. Spondan. ad hunc annum.*

Ostendunt, se nunquā voluisse concilium legitimum. *auct. iidem. Cochlæus in actis Lutheri. & plur. alii.*

Helvic. in theatr. hist. univ. ad hunc annū.

totics expetitum invitavit, atque, ut intereſſent, monuit. Sed brevi animadverſum eſt, Proteſtantes non voluiſſe concilium legitimum et conſuetum; ſed liberum, hoc eſt, tale, quod eorum genio arrideret: quod Pontificem rejiceret, et Luthero aſſenſum daret: quod ſcripturarum allegationes in ſenſu ab ipſis explicato reciperet: ac demum, quod ejuſmodi eſſet, in quo nec ſpiritualis nec civilis auctoritas aliquid valeret.

Monaſterienſes iterũ petunt compromiſſum. *Kerſſenbr. in hiſt. Anabapt. Monaſt.*

Monaſterii Weſtphaliæ ſub initium hujus anni vergebant omnia in excidium rei Catholicæ. Senatores tribuníque plebis, cùm è variis Principum diverſorum literis accepiſſent, invaſionem ſuam Telgetanam ubique oculis infeſtis aſpici; novâ fraude converterunt ſe ad patrocinia Philippi Haſſiæ Landgravii. Deinde rogant Hermannum de Mengerſen unum è captivis, ut interpoſitâ redeundi fide Bevergernam eat ad Franciſcum Epiſcopum; eíque nuntiet, cives omnes reducendæ quietis & amicitiæ causâ compromittere in arbitrarios judices, à Philippo Landgravio deſignandos: id nî & ipſe fecerit, captivos omnes totúmque Clerum ob irritatæ plebis intemperiem in extremo vitæ periculo fore. Timidiorem ſe hîc oſtendit Princeps, quàm ea res poſtularet: compromittit in pacificatores Haſſicos, Religionis Catholicæ inimicos: Mengerſenius Monaſterium revertitur: poſterâque die, quæ erat ſeptima Januarii, etiam Legati Haſſici, videlicet Jacobus à Taubenheim, Joannes Fiſcher jurium Doctor, & Georgius Nuſsbicker Licentiatus, fide publicâ in urbem veniunt, operam ſuam Landgravii ſui nomine ad procurandam pacem oblaturi. Hi, cùm non ſolùm à Senatu, ſed etiam ab Epiſcopo, velut arbitri ſequeſtrésque pacis tandem admiſſi eſſent; poſt bene longam utriusque partis conſultationem, die decimâ quartâ Februarii convenerunt in varios articulos pacis, quorum præcipui ſunt ſequentes: *Franciſcus Epiſcopus in cauſa Religionis nullam vim urbi inferet; permittétque, ut in ſex templis parochialibus, nimirum Lambertino, Ægidiano, Martiniano, Ludgeriano, Servatiano, et Mariano Trans-aquas appellato, novi Evangelii ritus et prædicatores maneant, donec aliud ſtatutum fuerit à generali concilio, vel communi Principum conſenſu. In Eccleſia Cathedrali, ceteríſque templis non Parochialibus, Catholici retinebunt ſua ſacra, donec aliter diſponent Superi. Cives in profanis politicíſque rebus Principi ſuo non minùs, ac aliarum urbium oppidani pareant: eidem pariter, et omnibus perſonis Eccleſiaſticis, vectigalia, penſiones, aliósque ipſorum reditus, prout aliàs conſuetum fuit, accuratè ſolvent. Senatores manum ſuam non injicient in Eccleſiaſtica beneficia, quæ ad aliorum collationem ab antiquis temporibus pertinuêre. Captivi omnes conſuetâ cautione præſtitâ relaxentur, cum reſtitutione omnium ablatorum, quæ in manibus ac poteſtate Senatorum fuerint. Joannem Baronem de Büren,*

Statuitur per Legatos Haſſicos fœdiſſima pax, quâ Lutheranis relinquuntur ſex tẽmpla parochialia. *Kerſſenbr. in hiſt. Anabapt. Hamelm. in Hiſt. Evangelii pag. 1195.*

Her-

Hermannum de Mengersen, et Joannem Merckel Cancellarium Osnabrugensem, levabit civitas ab omnibus expensis, durante captivitate in hospitio suo factis: reliqui verò nobiles Diœcesani suas ipsi expensas ferent etc.

Infelicissimæ hæ leges pacis (quas Episcopus & Nobilitas recipere coacti sunt, ut iniquè captos è civium indomitorum unguibus extorquerent) æternum Catholicæ Religioni exilium indixissent; nisi Anabaptismus, è licentiore vita propediem consecutus, pacem hanc & omnes concordiæ prædictæ leges iterum dissolvisset. Id autem hoc modo contigit. Publicatâ pace Lutherani cives Rotmannum, quem ùt hominem de cœlo missum venerati sunt, favore novo constituebant primum suæ urbis *Superintendentem*: neque jam aliud ipsi ad Evangelicè vivendum deerat, quàm sola uxor, quæ Lutheranæ vocationis complementum esse solet. Itaque die decimâ nonâ Februarii matrimonio sibi conjunxit relictam viduam Joannis Vigerii, urbis ejusdem Syndici; cui vivente adhuc marito Evangelicum spiritum & amorem infudisse dicitur. Auctus hoc solatio, novationem à se inceptam promovebat acriter: nec minore alacritate vesana plebs funestis ejusdem conatibus obsecundabat. Primùm igitur ejus impulsu reformatur Magistratus: ejectísque iis, qui vel probè Catholici, vel certè ad rem Catholicam benè affecti erant, substituuntur homines osores Cleri, seditionum fabri, novarum doctrinarum asseclæ, tumultuatores indomiti, contumaces, audentissimi. Deinde eâdem facilitate persuadet civibus, Eucharistiam non alio ritu ministrandam esse, quàm quo à Christo ministrata est: ideóque abolito naturalis jejunii præcepto, cœpit homines communicaturos vespertino tempore vel in templum, vel in ædes privatas convocare, particulas quasdam ex pane similagineo iisdem porrigere, & pateram vino plenam inter se dividendam tradere, nullâ habitâ attentione, utrúmne bene poti, an verò ebrii accessissent. Quòd si aliquis ægritudine vel alia de causa impeditus fuerat ab hujusmodi congressu cœnâque vespertinâ; huic frustum similaginis istius ad ædes proprias in sua manica adferebat, non sinè risu hominum sapientiorum: à quibus ideo novâ voce, à similis* aut similaginibus derivatâ, passim in urbe nominari cœpit *Bernardus similarum portitor*, sordens malæ farinæ nomen. Neque id satis erat nugarum & sordium. His enim principiis positis, etiam paulatim ex prætenso Dei verbo huc insaniæ deventum est, ut communicaturi non paterentur ampliùs, panem sacrum sibi à Rotmanno porrigi; sed suis ipsi manibus ex eo decerperent, quantum vellent, ac deinde plenis tractibus è consecrato calice se proluerent. Imò cùm Rot-

Rotmann Monasterii fit primus *superintendens* Lutheranus, & uxorem ducit. *Kerssenbr. loc. cit.*

Ejus impulsu, Catholici omnes ejiciuntur è Magistratu. *Kerssenbr. loc. cit.*

Ministrat Eucharistiã in cœtibus vespertinis. *Kerssenbr. ibid.*

Quare dictus fuerit stuten Berend. *Kerssenbr. ibidem. Hamelm. pag. 1190.* *similà vel similago westphalicè ein stute.*

Panem sacrum interit in patinas; vinoq; superfuso, dat illum cochlearibꝰ exedendũ. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Monast.*

mannus inter utramque speciem, simul aut successivè sumptam, nihil interesse duceret: novo convivii spiritualis genere interdum post consecrationem similagines suas intrivit in amplas patinas; vinóque liberali superfuso easdem suis communicantibus apposuit, ut adhibitis cochlearibus totum exederent, ac saturarentur de mensa Domini.

Hæc autem agebat homo nequam, ut paulatim vilescente Sacramento, faciliorem sibi viam aperiret ad excludendam ab eo veram ac realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi. Errorem hunc Zwinglianum jam antè hauserat in urbe Argentina; eúmque postmodum instillaverat nonnullis, qui doctrinæ & favori ejus ardentiùs inhærebant. Ex horum numero Prædicator aliquis Ludgerianus, posteaquam die vicesimâ septimâ Martii diffregisset repositorium Divinissimi Sacramenti, extractam ex eo hostiam cum ludibrio divisit in tres partes; easdémque sacrilego oris flatu coram pluribus dissipavit, inquiens: *Ecce hîc Deus vester!* similiter etiam Bernardus Knipperdollingius, die nonâ Aprilis per Basilicam Cathedralem transiens, in ea sacrificantem Presbyterum hísce verbis adortus est: *Heus! tu famelice Sacerdos: nondúmne satìs Deorum absumpsisti?* Nemo tamen impudentiùs hac in re locutus est, quàm ipse Rotmannus, istorum sceleratorum signifer. Nam, ùt Kleinsorgius & alii perhibent, die quadam sacramentum hoc risu judaico fregit, & in terram abjecit, asserens: *Videte! ubi hîc est caro et sanguis Christi? Id si esset, utique attolleret se de terra, et rursum se retraheret in altare.* Vah! impudentissimum os, nec absimile illi, quo judæi crucifixores olim vociferati sunt in morte Domini: *si filius Dei est, descendat nunc de cruce!*

Deflectit in errorem Zwinglii, & negat præsentiam Corporis Christi in Eucharistia. *Kerssenbr. loc. cit.*

Novationi huic Rotmannianæ per breve tempus intervênit solennis inauguratio Franciscì Episcopi, qui hoc anno tandem die quartâ Maji Monasterienſem urbem cum apparatu splendido ingressus est. Venientem excepêre cives, longo ordine per plateas dispositi, à porta Ludgeriana usque ad fanum S. Michaëlis. Altero mane novus Princeps, audito solenni sacro, consuetum fidelitatis & obsequii juramentum depoposcit à Senatu & Consulibus, ante propylæum Cathedralis templi congregatis. Quod cùm illi more solito præstitissent, magnificis epulis in Episcopali aula excepti sunt; ac vicissim pro die postera Antistitem suum invitârunt ad refectionem vespertinam, in urbis curia præparandam. Debuisset Princeps in hoc rerum statu ab istius convivii aditu se abstinere: præsertim, quia probè nôrat, in moderno Magistratu Senatores non alios esse, quàm homines audacissimos, osores Cleri, seditiosos, contumaces; qui adhuc recenter viros omnes Catholi-

Franciscus Episcopus Monasterii solenniter inauguratur. *Kerssenbr. loc. cit.*

cos

cos è Magistratu ejecerint, & omnium Lutheranorum tumultuum auctores fuerint. At ille non solùm epulas in urbis curia præparatas adiit; verùm etiam non modicâ noctis parte primariorum civium & matronarum choreas ibidem aspectavit. Nimirum ea tunc erant Episcoporum sensa & mores, ùt ferè nullus dolor ex eorum animis faciliùs evolaret; quàm qui ex naufragio fidei, aut ovium commissarum interitu ac perditione debuisset concipi.

Monasterio discessit Princeps ad alia ejusdem Diœcesis oppida; & interea Rotmannus, novationum suarum progressu tumidus, etiam ad errores Anabaptisticos deflectebat: sive eos didicerit ab Henrico Rullio concionatore Ægidiano (ùt aliqui voluêre) sive à Joanne Bockelsonio sartore Leidensi, qui eodem ferè tempore Monasterium venerat. Ut autem doctrinam hanc sub assumpta sanctitatis larva in hominum plebejorum animos fallaciùs instillaret; cœpit hac æstate novos omnino mores induere, levitatem omnem à se rejicere, in incessu gravis esse, in victu sobrius, in vestitu modestus, in communi sermone taciturnus. Non adire ampliùs convivia, non interesse poculis, non frequentare ludos & choreas, non admittere mulierum aut puellarum oscula. In concionibus etiam adhortari suos, ut in operibus misericordiæ sint assidui, ut inimicitias ponant, ut amore se invicem prosequantur, ut veluti fratres & sorores inter se agant, ut exemplo primorum Christianorum omnia sua bona habeant inter se communia; atque ità *peccato mortui et Christo consepulti*, vitam novam planéque spiritualem degant. Quo dicendi vivendíque genere cùm in hominum simpliciorum animis non parvam suæ sanctitatis opinionem peperisset; meditatum virus tandem effundere, & revelationes à cœlesti Patre sibi factas obtrudere cœpit, hoc modo loquens: *totum orbem post breve tempus involvendum esse horribili calamitate, quæ à nullo hominum evadenda sit, quàm à solis electis, novíque fœderis charactere insignitis. Hunc autem novi fœderis characterem, esse baptisma hominum adultorum: id est, eorum, qui jam credentes mundóque mortui, ad accipiendam S. Spiritûs illustrationem se denuo baptizari, undísque salutiferis retingi sinant.* Similia dicebant & annuntiabant alii, è Lutheranis Præconibus Anabaptistæ facti, putà Hermannus Stapreda, Joannes Clopriſius, Godefridus Stralenius, Dionysius Vinnius, & Henricus Rullius, ex Harlemiensi monacho desertor Ordinis & postea combustus Ultrajecti.

Rotmann labitur in errores Anabaptisticos: atque ut eos faciliùs in plebem fundat, novam sanctitatem exteriorem induit. *Kerssenb. in hist. Anabapt. Monast.*

Senatus ex ea doctrina periculosas consecutiones veritus, primùm eos amicè monet; ac deinde etiam in urbis curia severissimè præcipit, ut ab odiosis hujusmodi doctrinis in posterum sibi temperent, neque ea de re in suis concionibus ullam ampliùs mentionem

Senat Præconibus Anabaptisticis interdicit Cathedrâ, mo-

vêtq; eos ab officio. *Kersſenbr. in hiſt. mſ.*

nem faciant. Quod cùm illi protervè contemnerent, & jam aliquibus civium primariorum pueris baptiſmum denegâſſent: novo tandem edicto eoſdem omnes à ſacris officiis amovet; ſimúlque Franciſco Epiſcopo per legatos indicat, urbem ſuam inteſtinis diſſidiis æſtuare, doctrinam Anabaptiſticam à Rotmanno & aliis introduci, ideóque peti à ſe, ùt malum iſtud virorum literatorum præſidio quàm primùm tollat. Reſpondet ille: *mirari ſe, quòd malorum ſuorum remedia tam ſerò flagitent. Tunc illa poſtulanda fuiſſe, quando Rotmannum contra ſui Principis voluntatem in ſuis ædibus detinuêre, quando Paſtores Catholicos à ſuis Eccleſiis excluſêre, quando ſeditioſos Concionatores parochiarum ſuarum cathedris impoſuêre, iísque omnem reformandi novandíque licentiam contra antiquas Eccleſiæ conſuetudines permisêre. Nihilominus tamen viſurum ſe, ut et nunc præſenti malo ſubveniat: dummodo et ipſi pariter Epiſcopo ſuo magìs obtemperent; et Patrem Henricum Mumpertium, Ss. Theologiæ Doctorem Dominicanum, quem ab Eccleſiæ majoris cathedra contra leges pacis hucuſque præpediverant, ibidem concionari et officio ſuo perfungi ſinerent.* Mirum! quâ pervicaciâ ſenatus oppoſuerit ſe huic poſtulato Principis! quidquid literarum ea de re ad ſenatum daret (dedit autem frequentiſſimas) nullum aliud reſponſum à ſenatu obſtinato retulit; quàm in æde Cathedrali Mumpertium tolerari à ſe non poſſe nec debere, ne illius prædicatione Lutherani cives ad fidem Romano-Catholicam revocentur. Prô! quanta excæcatio!

Petit auxilium Epiſcopi contra Anabaptiſtas. *Kerſsenbr. ibid.*

Detrectat, in æde Cathedrali ferre concionatorem Catholicũ. *Kerſsenbr. ibid.*

Sed idcirco forſitan Deus permiſit hoc, ut nobiliſſima civitas illa (dum Catholicæ Religionis excidium quæreret) per invaleſcentem Anabaptiſmum, ejuſdémque extinctionem paulò pòſt conſecutam, ad Eccleſiæ Romanæ gremium reduceretur. Nam interea, dum ſenatus contra leges pacis Mumpertium recuſaret, Rotmannus factionem Anabaptiſticam clancularíis conventionibus vehementer auxit; ſimúlque novos doctrinæ hujus articulos excudi fecit, quorum præcipui ſunt: *Baptiſmum puerorum eſſe abominationem coram Deo. Sacramenta, Miſſas, Chriſma, Oleum ſacrum, et ſimilia, à Diabolo et Pontifice velut Anti-Chriſto inventa eſſe. Hoſtiam à Sacerdotibus elevari aut circumferri ſolitam, eſſe magnum Baal. Diem Sabbathi, et non ſolis, à Deo inſtitutum, et ex ejus præcepto ſervandum eſſe. Chriſtum à MARIA Virgine naturam humanam non aſſumpſiſſe. Neminem cenſeri poſſe Chriſtianum, nisi qui primùm crediderit, et poſtea baptizatus fuerit. Magiſtratui gentium, ſive eorum, qui à cœtu Anabaptiſtico ſejuncti ſunt, non eſſe parendum. Omnia bona inter Chriſtianos eſſe communia; et ideo penſiones ab iiſdem nec ſolvi, nec poſtulari oportere. etc.* Doctrinam hanc maximéque ultimum ejus articulum, quantocyus amplexi ſunt, non modò pauperes & obærati; ve-

Rotmann' factionem Anabaptiſticam vehementer auget, & novos fidei articulos in lucem edit. *Kerſsenb. in hiſt. Anab. Mon.*

verùm etiam opulentiores aliqui, fucatâ Rotmanni & sociorum sanctitate lusi. Qui, cùm omnia bona sua ad novorum Apostolorum pedes pro communi usu detulissent; incredibile dictu est, quanta hominum perditissimorum colluvies è diversis provinciis Monasterium venerit. Huc Westphali, huc Rhenani, huc Hollandi, Geldri, Frisones, & omnium ferè nationum Anabaptistæ profugi, tam ingenti numero confluxêre, ut eorum multitudo intrà breve tempus toti urbi formidabilis esset.

Anabaptistæ ex omnibus Provinciis Monasterium confluunt. *Kerssenbr. in hist. cit.*

Tum verò Senatus, diuturnam conniventiam suam serò damnans, tandem severiora media circumspicere cogitur. Et quia recenter duo novi Prædicantes nimirum Joannes Leningius & Theodorus Fabritius à Philippo Landgravio missi erant; communi decreto statuit, Rotmannum & omnes Præcones Anabaptisticos, unà cum suis asseclis & sectatoribus ab urbe ejici ac proscribi debere. At frustra jam & nimis serò; cùm enim decretum hoc die 5. Novembris publicatum fuit, continuò Lutheranos inter & Anabaptistas tam horrendus in urbe tumultus oritur, ut senatus, posteaquam utraque pars totâ nocte cum gladiis & bombardis contra sè invicem in armis constitissent, urbem omnem civili sanguine perfundendam veritus, altero mane cum Anabaptistis pacem facere cogeretur in hunc modum: *Anabaptistæ relinquent Lutheranis omnes ipsorum Ecclesias, neque publicas conciones habeant. Tolerentur tamen in hac urbe, et cujuslibet libertati permittatur eam fidem amplecti, quam sibi salutique suæ magis profuturam duxerit.* Rebellione sic pacatâ, Leningius, graviora pericula veritus, non multò pòst in Hassiam se recepit. Videbat enim, pacem hanc minimè diuturnam fore; neque alio fine ab Anabaptistis initam, quàm ut interea temporis factionem suam novis hominum accessionibus auctiorem redderent. Fabritius autem, homo audax & eloquens, qui depulso Rotmanno Lambertinam Ecclesiam occupârat, non solùm in urbe factionibus agitata mansit; verùm etiam, invito Præsule, novam Ecclesiæ ordinationem procudere cœpit: quanquam non sinè gravi sua & suorum confusione. Nam eâdem die, quâ novam hanc ordinationem promulgavit (erat autem pridie Kalendas Decembris) à Rotmanno æmulo suo, tam in templo, quàm in cœmeterio, acerbissimè invasus, & innumeris penè contumeliis laceratus est. Studuêre quidem Senatores eam Rotmanni maledicentiam intentato exilio plectere. At ille numerum suorum sectatorum brevi tempore jam ità auxerat, ut hujusmodi comminationes ac decreta flocci faceret. Proinde, cùm Senatus ei die undecimâ Decembris memoratam exilii pœnam indiceret per satellitem; eundem, honorario munere à se donatum, cum ludibrio

Senatus omnes Anabaptistas proscribit ab urbe: sed exorto civili tumultu iterum cogitur eosdem ferre. *Kerssenbr. ibid.*

Fabritius, Præco Lutheranus, novam Ecclesiæ ordinationem fabricans, multis contumeliis à Rotmanno invaditur. *Kerssenbr. ibid.*

Senatus Rotmanno indicit exilium: sed ille, suorũ auxilio fretus, ridet ejusmodi minas. *Kerssenbr. in hist. mss.*

brio remisit, inquiens: *se Dei et suorum auxilio communitum, non egere Senatorum protectione; atque ideo inanes hujusmodi minas non timere.* Quo audito, protinus Anabaptistarum plurimi ad ejusdem ædes confluxêre, unâque voce polliciti sunt, se eidem adversùs omnem Senatorum vim usque ad ultimam sanguinis sui guttulam constanter adstituros.

Alia Diœcesis Monasterienſis oppida, Lutheranismũ amplexa, coërcentur ab Episcopo.

Dum hæc aguntur Monasterii, etiam aliqua è minoribus ejusdem Diœcesis oppidis, putà Warendorpium, Cosfeldia, Dulmania, Beckemium, & Ahlena, Lutherani Evangelii causâ novationem aliquam incepêre. Sed, cùm infirmi eorum conatus à Francisco Episcopo per se suósque satrapas facillimè repressi fuerint; operæ pretium non est, in earum novationum aliqua nos detinere: præterquam in ea tantùm, quæ ex loci istius genio aliísque circumstantiis non parùm lepôris habet. Rei seriem sic paucis accipe! Die 2dâ Junii, quæ tunc erat feria 2da *Pentecostes, sollicitaverant Ahlenses, ut exemplo Monasterienſium permittatur sibi Lutheranus *Prædicans*, qui purè doceat verbum Dei. Id cùm negatum esset ab Episcopo; nihilominus ex urbe Monasterienſi duos ejusmodi Præcones petunt, instigante Gerhardo Cotio, Ahlensis oppidi Secretario simul & Ludimagistro. Mittuntur ergò insignes duo, Brictius Nordanus bigamiæ commissæ reus, & Joannes Beveranus Franciscani Ordinis Apostata: qui in duas Ecclesias Parochiales per vim intrusi, continuò cœperunt Catholicorum sacra vituperare, Evangelicam libertatem extollere, Sanctorum veneratioñem velut idololatriam reprehendere, Pastores legitimos ab officio dimovere, ac demum cives eum in modum concitare, ut in utroque templo Divorum statuas *comminuerint, repositorium Augustissimi Sacramenti fregerint, calices diripuerint, supellectilem sacram profanârint, & ab altarium candelabris ædes proprias exornaverint. His peractis, Monasterium redivit Brictius; & Ahlenæ in veteris Ecclesiæ cathedram suo loco reposuit suprà dictum Gerhardum Cotium, qui jam antè Lutheranis doctrinis Wittenbergæ institutus fuerat. Sed brevi didicit hic novus Præco, quantum periculi sit, in ejusmodi vocatione, per seditionem ac tumultum popularem facta. Etenim Franciscus Episcopus, posteaquam Ahlenses diu frustra ad restitutionem adhortatus esset, rogatu Joannis ab Harman, Capenbergensis Ecclesiæ Canonici & Ahlensis Decani (quem expulerant) negotium illud commendavit Satrapæ suo Gerhardo Reckio, Domino in Heêsen; eúmque jussit modis omnibus invigilare, ut Ahlenses vi & metu ad obsequium cogat. Nec defuit fortuna votis: Reckius enim, adjuvante Godefrido ab Harman Decani expulsi fratre, non parvam

Kerssenbr. loc. cit.

Kerssenbr. loc. cit.

Ahlense oppidum duos prædicantes Lutheranos recipit, per quos ejiciuntur Pastores Catholici.

Hamelm. in hist. Ev. oppidi Ahlensis, pag. 1304 et seq.

Kerssenb. loc. cit.

Gerhardus de Reck Domin⁹ in Heêsen, omnia Ahlensium pecora sub concione Lutherana silenter abigit.

Hamelm. loc. cit.

vam equitum peditúmque manum tacitissimè comparavit: ambóque postmodum, in festo S. Matthæi, inter crassiores nebulas ante oppidum Ahlense veniunt, & sub ipsa concione matutina omne cornutum pecus è pascuis vicinis auferunt.

Oppidani Ahlenses, maximéq; feminæ, ambos prædicantes ad necem postulant. *Hamelm. ibid. pag. 1306. & seq.*

Id cùm oppidani comperissent, dici non potest, quo furore contra Gerhardum Cotium, velut mutatæ Religionis auctorem insurrexerint. Ante alios iratæ feminæ, cùm dolerent sua pascua lactiferis vaccis & bobus vacua, confestim ad ædes Cotii fremitu insano currere, flere, gemere, ejulari, intérque mille diras eundem cum socio Beverano poscere. Pars etiam tentare januam, valvas diffringere, scalas apportare, fenestras inscendere, extrema omnia seductoribus comminari. Mille in angustiis tunc erat uterque *Prædicans*: neque salvis capitibus evasissent, nisi inter hujusmodi fremitus latibulum invenissent. Beveranus enim occuluit se sub acervo aridorum fruticum vel ramusculorum; ibíque in diem tertium delitescens, tandem è mœnibus beneficio noctis elapsus est. Cotius autem sub muliebri veste clàm erumpens, abscondit se in vicina domo sub acervo straminum: ubi novus mulier per quinque dies in summis angoribus tam diu jacuit, usque dum sedato plebis tumultu silenter eductus, & Monasterium avectus fuerit. Sed nec ibi à ludibriis hominum immunis mansit. Quocunque enim per plateas iret; non modò Catholicorum, sed etiam Anabaptistarum digitis monstrabatur, audiebátque passim de se dici: *Ecce istum, qui Lutheranâ prædicatione suâ Ahlensem populum suis vaccis et bobus exuit.* Ità demum Ahlenæ res Catholica postliminio restituta est, & Joannes ab Harman Pastoratui ac Decanatui suo redditus.

Ægerrimè tandem elabuntur, oppidúmq; redit ad religionem Catholicã. *Hamelm. ibid. p. 1308 & seq.*

Lutheranismus recipitur Huxariæ, & contra voluntatem senatûs introducitur à Joanne Winnenstedio, Apostata Augustiniano. *Chytræus l. 13. Saxon. Hamelm. in hist. Ev. Erbenº in chron. Huxar. Kleinsorg. in hist. ms.*

Longè tristius excidium Religio nostra hoc anno passa est in urbe Huxariensi. Convenerant illuc mense Januario Philippus Hassiæ Landgravius, Ernestus Dux Luneburgicus, multíque Comites & Barones, compo.uri lites aliquas inter Jodocum Comitem Hojanum & Franciscum de Halle Ordinis equestris virum. Aderat Landgravio Lutheranus Prædicans, qui omni mane in ejusdem ædibus concionabatur, priusquam Domini congregati procederent ad examen causæ. Hunc ubi sæpius dicentem audivissent gregarii cives; novâ ejus eloquentiâ fascinati, senatum adeunt, postulántque, ut ejusdem Evangelii præcones aliquos in urbem advocet. Respondit senatus, *rem istam non esse positam in sua potestate: formidandum quoque, ne ex eo sequantur magna urbis incommoda; ideóque exspectandum esse usque ad concilium generale, proximè indicendum.* At illi nihilominus obstinatè perstant in suis postulatis: ac demum auctoritate propriâ in urbem ducunt Joannem Win-

Winnenstedium, ex monasterio S. Joannis prope Halberstadium sacerdotem profugum. Is cùm aliquoties concionatus esset in privato loco, seditiosâ audaciâ suâ civium plurimorum animos ità concitavit, ut non modò violenter ipsum intruserint in Ecclesiam parochialem S. Kiliani; verùm etiam eâdem pervicaciâ involârint in Ecclesiam Collegiatam S. Petri, eámque præcipuis ornamentis suis turpissimè dispoliârint. Qua de re in veteribus monumentis Ecclesiæ Petrinæ ità legitur: *cùm anno 1533 Joannes Winnistadius, Ordinis S. Augustini Canonicorum Regularium ex monasterio S. Joannis prope Halberstadium Sacerdos Apostata, Huxariæ disseminavit Lutheri dogmata; cives hac peste imbuti, in Ecclesiam S. Petri turmatim irruerunt, eversis unâ die sex altaribus, combustis imaginibus, ablatâ pretiosissimâ supellectile, ità ut Canonici tunc temporis damnum illatum computaverint ad octo millia Imperialium.* Ægerrimè quidem id ferebant, non solùm Canonici, sed etiam Senatores. Ast quid agerent contra tumultuatores istos? cùm ex una parte Philippus Landgravius pro tuendo civium Lutheranismo staret; & ex altera parte Corbejensis Princeps imbecillior esset, quàm ut urbem Huxariensem ad obsequium cogeret. Quare tandem anno 1536 Canonici Petrini, agente eodem Landgravio, adacti sunt ad fœdissimam transactionem, sibi suóque Capitulo maximè exitialem; de qua in prædictis monumentis Ecclesiæ Petrinæ ità legitur: *Mediante Landgravio Hassiæ, transactio inter Canonicos et cives Lutheranos facta est, quâ ægre permissi sunt Canonici, horas Canonicas in choro legere et cantare; Missam verò et aquam benedictam Lutherani excluserunt. Eximde Canonici, ad hæresin deflectentes, cœperunt curias Canonicales vendere, et ex ædibus viginti octo remanserunt quinque tantùm, quibus Senatus concessit libertatem.*

Eodem ferè tempore Lutheranismus in Comitatum Tecklenburgensem ingressus est per Mechtildem Hassicam, Philippi Landgravii patruelem. Hæc primam ætatem suam Deo consecravevit in monasterio * Kauffungensi Ordinis S. Benedicti: quod olim à S. Cunegunde conditum, & ab ea post mortem S. Henrici Imperatoris inhabitatum erat. Cùm autem Philippus Landgravius Parthenonem hunc everteret; Mechtildem istam, & cum ea pariter Evangelium Lutheranum, tradidit Conrado Comiti Tecklenburgico. Qui ex eo tempore Schmalcaldicum fœdus amplexus est; atque, ut Clericorum ac Religiosorum bona ad se raperet, doctrinam Lutheranam in Comitatum suum introduxit.

**Kleinsorg. in hist. ms. ad annum 1532.*

An-

Annus Christi 1534.

CLEMENTIS VII. Pontificis *11.
PAULI III. Pontificis *1.
CAROLI V. Imperatoris 15. & 16.
HERMANNI II. Adminiſtr. Pad. 2. & 3.

*obiit die 25. Sept.
*electus die 12. Octobr. coronatus die 3. Nov.

HOc anno Hariadenus Barbaroſſa, Solimanni Turcarum Imperatoris Archithalaſſus, Italici maris oram cum triginta biremibus & ſexaginta triremibus infeſtare cœpit: expilatísque aliquot oppidis, è quibus multi in ſervitutem abducti ſunt, ejuſmodi terrorem injecit Italis, ut etiam in urbe Roma ac Neapoli trepidatum fuerit. Indè rurſus incredibili celeritate vela vertit in litus Africæ: ibíque Muleaſſem Tuneti Regem, ad arma penitùs imparatum, repentinâ invaſione de throno movit, univerſo ipſius regno in poteſtatem Solimanni tradito. Neque ſatìs id erat homini victoriis tumido. Mox enim pro arroganti genio ſuo majorem aliam apparabat claſſem, cum qua iterum fines Chriſtianorum aggredi, eoſdémque penitùs obterere vel debellare poſſet. Id cùm audiſſet Imperator (qui tunc agebat in Hiſpania) viderétque ſimul, quot & quanta pericula ſibi ſuísque terris imminere queant ex iſtis Barbaroſſæ molitionibus: continuò cœpit adornare claſſem numeroſiſſimam ſeptingentarum (ùt ajunt) navium, putà Melitenſium, Genuenſium, Papalium, Luſitanarum, & Hiſpanicarum. Cum his in Africam anno * ſequente navigans, Barbaroſſam è regno Tunetano eâdem facilitate, quâ illud occupaverat, rurſum ejecit. Ac deinde Muleaſſem in thronum regni ſui repoſuit ſub faventiſſimis conditionibus, quarum præcipuæ ſunt: *ut arcem Guletanam, cum agris per duo milliaria circumfuſis, in Caroli Imperatoris et ſuorum Succeſſorum poteſtatem perpetuò transferat. Ut Chriſtianis permittat, in regno Tunetano degere, negotiari, domicilium figere, et, ubi ſuas ædes ac poſſeſſiones habituri ſunt, etiam Eccleſias vel cœnobia ſtruere. Ut in omnibus Tunetani regni provinciis Chriſtiani omnes, in captivitate vel ſervitute conſtituti, cujuscunque ſexûs, ætatis, vel nationis fuerint, libertati ſuæ reſtituantur, etiam addito viatico, ſi cui forſan hoc opus fuerit etc.*

Hariaden* Barbaroſſa, Turcarum Archithalaſſus, regnum Tunetanum occupat, depulſo Rege Muleaſſe. *Etropius in diario expedit. Tunet. Surius, Spondan. Pal. & alii.* Gravia mala minatur Hiſpaniæ & Italiæ: ſed anno ſequente Carolus V. eũ rurſus è regno Tunetano ejicit, & Muleaſſem reſtituit faventiſſimis conditionibus. *Etropius loc. cit. Spond. ad hunc ann. Surius in comment. rer. geſt. Palat. in Aq. Auſtr.*

Novum aliud hoc anno regnum in urbe Monaſterienſi erexerunt Anabaptiſtæ, elevato in regni ſolium Joanne Bockelſonio ſartore Leydenſi, quem vulgò nominant: *Johan van Leyden.* Is, cùm eſſet ingenio ſatìs vivido, ſcripturámque ſacram occaſione novarum hæreſum ſtudiosè pervolviſſet; præcedente anno lautio-

anno 1535 Joannes Bockelſoni (aliàs

Johan van Leyden) alterâ vice Monasteriũ redit cum Joanne Matthisonio Anabaptistarũ duce. *Kersenbr. in hist. Anabapt. Monast. ad hunc annum.*

ris fortunæ desiderio Monasterium venerat, ut Rotmanni famosissimam doctrinam attentiùs pervideret. Cum eo collocutus, ipsiúsque sensa de puerorum baptismo percontatus, post unum alterúmve mensem revolavit in Hollandiam: ubi plura conferens cum Joanne Matthisonio, præcipuo Anabaptistarum duce, non modò sacrilegis undis se retingi fecit; sed etiam sectæ istius fundamenta tam exactè combibit, ut brevi inter primarios Anabaptistarum Doctores reputatus fuerit. Primùm igitur de augendo suorum numero sollicitus, Amstelodamum, Roterodamum, Alcmariam, & alias Hollandiæ urbes cursim peragravit, & ubique multos pestilenti huic Anabaptistarum cœtui adscripsit. Indè sub initium hujus anni, die decimâ tertiâ Januarii, unà cum Joanne Matthisonio Monasterium rediit: ubi hi duo novi Prophetæ (quorum alter Elias, & alter Enoch videri voluit) incredibili suorum plausu excepti, & apud Knipperdollingium in hospitio collocati sunt. Uterque peregrino & insueto habitu amictus erat: uterque, ut plebem falleret, singularem fucatámque sanctitatem in gestu & moribus præferebat: uterque spiritu Prophetico vaticinabatur, novum inibi Sionis regnum propediem erigendum esse, deletis omnibus doctrinæ suæ non adhærentibus. Id autem ut efficerent, primò per comminationes ac tumultus intestinos Magistratum adegerunt, ut permitteret cuilibet, non solùm credere; sed etiam docere, prout in conscientia sua docendum vel credendum duceret. Deinde Henricus Rullius, velut enthusiasmo correptus, die octavâ Februarii per plateas urbis cursitabat, horrendis clamoribus insonans: *pœnitentiam agite, qui nondum rebaptizati estis! ne ultionem Patris provocetis in capita vestra. Pœnitentiam agite! adest enim dies Domini: dies, quâ Dominus purgabit aream suam, ac delebit impios de domo sua.* Idem faciebat post ipsum Bernardus Knipperdollingius, & Joannes de Leyden, dictus aliàs Bockelsonius: quorum uterque nudo capite, oculísque in cœlum fixis, attonitam urbem oberrabat. His autem clamore nimio cursúque delassatis, iterum succedebant plures alii, non solùm viri; sed etiam feminæ, Baccharum aut Mænadum instar in omnes plateas fusæ: quorum alii addebant, Regem Sionis è cœlo descensurum ad erigendam Jerusalem novam: alii fingebant, cœlestem Patrem à se videri in nubibus coruscantem: alii denique mentiebantur à se conspici multas Angelorum centurias, qui Catholicis & Lutheranis minitentur extrema omnia. Hoc autem insaniendi genere (quod iisdem à Rotmanno infusum referunt per potionem aliquam, è lagena lignea* propinatam) cives adeò conterriti sunt, ut eorum non pauci, deserto Luthero, ad Anabaptistarum partes accesserint, unà cum Tilbeckio Consule, & tota ejus familia. Tum

Simulant se esse duos Prophetas à Deo missos. *Kersenbr. ibidem.*

Magistratũ urbicum per tumultus intestinos adigunt ad permittendam omnẽ libertatem credendi vel docendi. *Kersenbr. ibid.*

Multi cives horrendis Anabaptistarum clamoribus territi, ad eorum sectam accedunt. *Kersenbr. ibid.*

**Hamelm. in hist. Ev. Mon. pag. 1206. Kersenbr. loc. cit.*

Tum verò Cathedralium Canonicorum plures, & cum iis plerique boni viri, non sinè lacrymis ab urbe recesserunt. Anabaptistæ autem horum abitu gavisi, continuò vocârunt ad se alios doctrinarum suarum assecias, in vicinis urbibus occultatos; misérúntque illis hujusmodi literas, à Bernardo*Rotmanno scriptas: *Monasterium à Deo Patre jam ablegatos esse duos Prophetas, insigni pietate ac vitæ sanctimoniâ præditos, qui Dei verbum singulari suavitate doceant sinè ulla admixtione legum humanarum. Proinde, si saluti suæ consultum velint, cum uxoribus liberísque suis quàm primùm veniant ad se, et instaurari secum faciant novam Jerusalem; in qua præter thesauros cœlicos etiam satìs opum terrestrium reperturi sint.* Nec multò pòst, nimirum die vicesimâ primâ Februarii, etiam in Hollandiam Frisiam, totúmque Belgium emissus est Henricus Rullius, ut ab omnibus Anabaptistarum ducibus pro instauranda nova Hierosolyma novas hominum suppetias peteret. In quo tamen legationis officio perquam infelix fuit, utpote non procul ab urbe Ultrajectina captus, & funestis*ignibus concrematus. Ità Rullii legatio non sinè magno suorum dolore incassum cecidit. Ex aliis verò locis, quò Rotmanni literæ pervenerunt, nimirum Cosfeldiâ, Warendorpio, Schoppingâ, pluribúsque oppidis viciniorìbus, tanta plebejorum hominum civiúmque multitudo Monasterium allapsa est, ut intrà dies paucos Anabaptistarum numerus Lutheranos Catholicósque reliquos longissimè superaret. Itaque jam ad plenum urbis imperium aspirantes, primùm die vicesimâ quartâ Februarii novos Consules elegerunt Bernardum Knipperdolling, & Gerhardum Kibbenbroick, Anabaptisticæ doctrinæ fautores pessimos: quorum præsidio statim omnia sacra, & quid quid in templis ac bibliothecis, vel antiquitate rarum, vel artificio celebre, vel cultu & religione venerandum, reperiri potuit; confractum, ablatum, exustum, vel alio modo pessundatum est. Triduo pòst, nimirum die 27. Februarii, jubentur Anabaptistæ omnes bene obarmati in forum urbis convenire, ut istic audiant, quid Pater velit de illis fieri, qui nondum rebaptizati fuerint. Ibi Matthisonius Propheta, postquam iterum urbe totâ pœnitentiam inclamâsset, in medio armatorum hominum se prono corpore in terram projicit; totâque multitudine simul humi procumbente, post breve spatium velut è quadam extasi ad se reversus: *Hoc est*, inquit, *mandatum Patris, ut omnes impii, nî quantocyus retingi velint, ejiciantur ex hac urbe, ne Dei populus contaminetur eorundem commercio et cohabitatione. Quare agite ô socii mei! ostendite vos esse viros, et expellite filios Esau. Locus enim hic et civitas sancta debetur filiis Jacob verísque Israëlitis.* His auditis, continuò sese fundunt per totam urbem:

Anabaptistæ plura suorũ sectariorum auxilia in urbem advocant.

*Kersenb. in hist. Anabapt. Monast. ad hunc ann.

*Kersenbr. ibid.

Crescente suorum numero, novũ è suis Magistratum eligunt.

*Kersenbr. loc. cit. Haræus in ann. Brab. ad hunc annũ pag. 595.

Omnes doctrinæ suæ non adhærentes, ab urbe pellunt, dicente Matthisonio Prophetâ, hoc esse mandatum Patris.

*Kersenbr. ad hunc annum.

Hamelm. in Hist. Evang. Monast. p. 1216 & seq.

urbem: & horrendis vociferationibus homines omnes Anabaptismum recusantes, viros ac mulieres, juvenes ac senes, Ecclesiasticos & seculares, è suis domibus ejiciunt & urbe extrudunt, non permittentes, ab iisdem vel unum obolum efferri secum pro victu necessario; uti refert Kerssenbrochius, testis oculatus, & una simul cum aliis ab urbe pulsus. Factum hoc, tametsi barbarum & prorsus inhumanum esset, inter suæ gentis miracula adscriptum voluit Rotmannus, dum in epistola invitatoria ad Henricum Schlachtscapium & alios Anabaptistarum Præsides, in Hollandia commorantes, hoc modo * scripsit: *Bernardus JESU CHRISTI in Ecclesia sua, quæ est Monasterii, Minister, Henrico Schlachtscapio fratri suo. Gratia Domini in fortitudine spiritûs tecum et cum omnibus fidelibus. Tanta et tam magna Dei mirabilia sunt hîc, mi frater, ut, si haberem centum linguas, ea tamen exprimere non possem. Dominus magnificè operatus est nobiscum. Liberavit enim nos de manibus inimicorum nostrorum: et non solùm liberavit nos; sed etiam ejecit inimicos nostros, qui ab urbe turmatim diffluunt, percussi timore, nescio quo? Dominus testificatus est nobis per suos Prophetas, fore, ut in hac civitate congregentur Sancti Dei: et ideo jusserunt me tibi scribere, ut tuo ductu huc ocyùs properent fratres omnes; et, quæ in promptu habent, videlicet pecuniam, aurum, et argentum secum afferant. Videte diligenter, ut spiritum Dei sequamini, et valete in Domino.*

Rotmanni ejectionem hanc refert inter miracula suæ sectæ.

Kerssenb. in hist. Anab. Mon. ad hunc annum.

Eodem ferè tempore Franciscus Episcopus jam accinxerat se ad inchoandam urbis obsidionem, habebátque in exercitu suo Saxones, Clivenses, Geldros, Colonienses, Juliacenses, & alios Principum diversorum populos: quibus è Diœcesi Paderbornensi accedebant generosissimi duces, Joannes Dynasta in Büren, & Hermannus * de Mengersen, cum aliquot centuriis & potissima parte Nobilitatis nostræ. Cum his pridie Kalendas Martii circa vesperum propiùs ad urbem accessum est; eadémque nocte in parandis fossis & aggeribus ità laboratum, ut altero mane septena Principum fœderatorum castra ante urbem starent. Quo intellecto, Knipperdollingius Consul oppidanos omnes, hoc eventu non parùm territos, convocari jussit: longâque oratione eos non solùm excitavit ad agendum fortiter; sed etiam adpromisit, Patrem cœlestem pro iis veluti charissimis filiis pugnaturum esse, neque ullatenus permissurum, ut hæc sancta civitas in manus inimicorum suorum * veniat, modò & ipsi vicissim probent se viros esse, neque rem suam desidiâ vel torpore negligant. Ad hæc verba, tanquam ex tripode fusa, novos animos resumunt incolæ, distribuunt se in centurias & manipulos, eligunt militiæ præfectos & centuriones, disponunt nocturnas diurnásque vigilias. Ac, ne quid hominum

Franciscus Episcopus inchoat obsidionem urbis, cui è Paderbornensib⁹ interfuêre generosissimi duces, Joannes de Büren, & Hermann⁹ de Mengersen.

Hamelm. in hist Ev. Mon. pag. 1220. & Chron. Osnabr. ms. item Kerssenb. variis in locis.

Knipperdollingius Consul cives obsessos animat, & iisdem promittit auxilium Patris

Kerssenb. in hist. Anabapt. Monast. ad hunc annũ.

minum in obsidione longa necessariorum desit; ad alios Anabaptistas, per Hollandiam Frisiámque sparsos, clanculario latore mittunt hâsce novas monitorias: *Charissimi fratres et sorores: Certiores vos facimus, à Deo nobis patefactum et injunctum esse, ut singuli vestrûm sese comparent ad profectionem versùs novam electámque à Deo Jerusalem. Tumultus enim horribilis imminet universo terrarum orbi, de qua locutus est Jeremias c. 51. fugiat è Babylone, qui animam suam salvam cupit. Plura non dico; sed Dei nomine præcipio, ut obediatis, et opportunum tempus elabi non patiamini. - - - Nullâ re vos onerate, præterquam auro, argento, panno lineo, veste unâ, et commeatu, quo per exiguum tempus egebitis in itinere. Curate autem, ut vicesimâ quartâ Martii circa meridiem, et neque priùs vel posteriùs, conveniatis prope Hasseletum in Transisalania. Si qui sint, qui venire neglexerint; ab eorum sanguine innocens esse volo. Emmanuel.* Vulgatis hujusmodi literis, Mônnikendami in Hollandia septentrionali convenerunt unâ die plùs quàm triginta naves onerariæ, plenæ hominibus, Hasseletum per mare Austrium profecturis. Erátque tanta illorum cæcitas, ut etiam, quò tenderent, aut ubi hæc nova Jerusalem esset, nemo ipsorum sciret præter solos navium singularum Præsides: quippe qui postea confessi sunt, se Hasseletum inter & Zwollam fuisse exscensuros, indéque à Prophetarum aliquo armatâ manu Monasterium deducendos. At brevi didicerunt vesani homines, quàm fluxa & infirma sit Monasterienſium Prophetarum fides! etenim Transisalani, posteaquam variis è locis de eorum adventu præmoniti essent, vicesimâ tertiâ Martii contra novos advenas cum ingenti armatorum turba profecti sunt; eósque jam in litus expositos, & adhuc inermes, facili negotio in suam potestatem accepêre. Inventa in eorum navibus magna auri & argenti copia, apparatus belli multus, tympana quatuor, signa militaria quatuor, pulveris tormentarii plura vascula, lancearum, gladiorum, & sclopetorum aliquot millia. Nautæ postmodum, quòd ignorârint, qua de causa conducti fuerint, cum suis navibus dimissi: Anabaptistarum Præsides, utpote rerum gerendarum conscii, variè torti, ac demum capite plexi: de reliqua multitudine populi, quæ teste Kerssenbrochio ad sedecim millia creditur ascendisse, rescriptum est à Maria gubernatrice Belgii, omnes illos, qui nefariam sectam ejurare nollent, gladio trucidandos; qui verò eam ejurarent, & ad meliorem frugem reverti vellent, ad sua domicilia rebus omnibus ablatis remittendos esse.

Mittuntur novæ literæ mandatoriæ ad alios Anabaptistas aliarũ urbium ac locorum. *Kerssenbr. loc cit Hæreus in ann. Brab. ad hunc annum à pag. 593.*

Multa Anabaptistarũ millia, Monasterium cogitantia, detinentur & capiuntur à Transisalanis. *Hæreus in ann. brab. Kerssenbr. loc cit. ad hunc annum.*

Pergebant nihilominus in suis nugacissimis vaticiniis Monasterienses Prophetæ; maximéque Matthisonius, ex Harmelensi pistore Propheta factus. Jubebat is ex voluntate Patris (utì asserebat)

Matthisonius Propheta jubet omnia civium bona

ac thesauros convehi iisdémq; distribuendis præficit septem Diaconos. *Kerssenbr. in hist. ms. Hamelm. in hist. Ev. pag. 1221.*

bat) in ædes à se designatas comportari omnia civium ejectorum bona. Horum distributioni, ex eodem instinctu commentitio, præficiebat septem Diaconos; eósque, suo modo ordinandos, mittebat ad Julium Frisium, quem fœdissimæ gentis Episcopum in hac urbe constituerat. Id cùm ei feliciter evenisset; etiam non multò pòst in urbe tota sub pœna gravissima præcepit, ut incolarum quilibet omne aurum & argentum, omnes annulos, inaures, torques, crateres, & quidquid ei nummorum esset, in usum communem adferat: *sic enim fieri oportere inter veros Christianos, apud quos omnia ex mandato Patris debeant esse communia.* Durissimum id erat opulentioribus. Et tamen eorum nemo vel minimùm audebat mutire contrà, quoniam terrebat omnes exemplum tragicum Ruperti Ruscheri, qui de similibus Matthisonii nugis ante dies non paucos dixerat: *Quid homo iste, recenter è pistrino veniens, tam repentè se Prophetam jactitat? stercoreum ego hunc Prophetam esse arbitror, quem oracula sua jam sæpius fefellerunt.* Quæ verba, cùm ad aures Matthisonii perlata sunt, jussit illico vinciri hominem, convocatâque populi multitudine: *Ecce!* ait, *vir iste ausus est insurgere in Prophetam Domini, statuenda hîc pœna est: eradicandus est ex numero filiorum Israel. Scriptum est enim: justitia et judicium in domo ejus.* Paulóque pòst, adstipulante Symprophetâ suo Joanne Leydensi, Rupertum frustra supplicantem ante suos pedes hastili per ventrem intruso confoderat; &, quod reliquum vitæ adhuc supererat, sclopeto manuario in caput explosо crudeliter exturbaverat. Eo rerum successu, Propheta stultus in tantam animi cæcitatem incidit, ut, quidquid ei Dæmon suggerebat, sibi à Deo Patre inspiratum esse crederet. Novo igitur Enthusiasmo percitus, octiduo circitèr ante pascha per urbem prædicat, se Patris æterni monitu ante urbem abiturum, cúmque paucis commilitonibus profligaturum esse inimicos omnes, qui urbem obsiderent. Simul etiam bipenni raptâ, egreditur portâ Ludgerianâ; multísque civibus è superiore vallo inspectantibus, audacissimè in hostem vadit: sed infausto ac funesto rei exitu. Obsidentes enim continuò è castris in ipsum ruere, pugnare, persequi, circumcingere, frustráque in auxilio Patris confidentem non modò sternere; sed etiam suis gladiis minutatim concidere. Tum verò dubitare plurimi de suorum Prophetarum veracitate; imò & tacitè iisdem applicare illud Ezechielis c. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident!* Quod ubi animadvertit Joannes Bockelsonius (vulgò dictus Joannes Leydensis) convocatâ plebis multitudine, *desinite*, inquiebat, *feralem hujus Prophetæ casum demirari! Nam etsi Deus jusserit eum hoc modo vincere; voluit*

Rupertum Ruscherũ, sibi contradicentem, condemnat & contrucidat. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Monast. ad hunc ann.*

Occiditur, dum prodigiosè vult hostes depellere ab urbis obsidione. *Kerssenbr. loc. cit. Hamelm. in hist. Ev. Monast.*

Joannes Leydensis novo mendacio extollit se in

voluit tamen, ut hac in re non quæreret gloriam ſuam, ſed ſolius Dei: neque ut ſtatim cæco modo in hoſtem rueret, ſed ut priùs exemplo Judith univerſum populum excitaret ad pœnitentiam, jejunium, et orationem. Id autem cùm neglexerit, mirum non eſt, quod à Patre derelictus, et ab hoſtibus interemptus fuerit. Ego certè hunc ejus caſum jam ante octiduum à Deo didici, quando ante ſomnum adhuc paululùm meditabar in lege Domini. Tunc enim in viſu mihi exhibitus eſt Matthiſonius, militari gladio transfoſſus. Cúmque ſupra modum terrerer eo viſo, reſponſum eſt mihi cælitus: ne metuas, vir Dei! ſed vocationi tuæ diligenter inſiſte: non enim tua, ſed Matthiſonii vita juſto Dei judicio petitur. Ego autem cucurri ſtatim ad Knipperdollingium hoſpitem meum, eique viſionem hanc aperui, ut, ubi id fieret, haberem teſtem rei viſæ et veritatis. Quo tam inſigni mendacio, rurſum populus conquievit; recepítque pro uno Propheta mendace, alium æquè mendacem, nimirum pro Matthiſonio Bockelſonium, pro Piſtore Sartorem, pro Harlemenſi Leydenſem, pro Batavo Batavum.

locum occiſi Matthiſonii. *Kerſsenbr. in hiſt. Anabapt. Monaſt.*

Exinde jam apertiùs ad Regni ſolium graſſari niſus eſt Bockelſonius, ideóque primùm abrogare Magiſtratum urbicum. Quod, ut faciliùs ac ſinè turbis fieret; paulò pòſt nocturno tempore nudus per urbem curſitat, horribili voce clamans: *Viri Iſraelitæ, qui ſanctam hanc urbem incolitis, timete Patrem! Propè eſt, ut veniat Rex Sion cum multis Angelorum millibus, et voluntatem ſuam vobis aperiat.* Ab his clamoribus domum rediens, rogatúsque ab accurrentibus, quid rei ſit, aut quidnam ſibi velint clamores iſti? repentè ſe mutum ſimulat, poſtulatóque pugillari ſcripſit: *ſibi os et linguam à cæleſti Patre conſtrictam eſſe uſque in diem tertium: tunc autem reſoluto oris vinculo dicturum ſe coram omni populo, quid Pater velit.* Congregatur ergo populus in illum diem; & Bockelſonius in medium procedens inquit, velle Patrem, ex populo ſuo tolli poteſtatem ſenatoriam, ejuſdémque loco nominari duodecim Judices, veluti ſeniores populi Iſraelitici: penes quos imperii poteſtas & omne judicium ſit, cum jure gladii in vitam & mortem. Quæ nova regiminis forma cùm à Rotmanno è ſuggeſtu ſacro ſummopere dilaudata eſſet; Bockelſonius prælegit publicè iſtorum Seniorum, Judicúmque nomina, ſibi, ùt aſſerebat à Deo tradita: ſingulísque ad ſe vocatis gladium evaginatum tradidit híſce verbis: *Accipe jus gladii, tibi à Deo Patre per me commiſſum, eóque utere juxta mandatum Dei.* Supereſt adhuc exemplum epiſtolæ, ab iiſdem Senioribus conſcriptæ, cujus finis eſt: *ſcripta ſunt hæc Monaſterii in civitate Dei Altiſſimi, anno poſt Chriſtum natum 1534, octavâ die Aprilis. Seniores, totáque communitas et conſociatio Chriſti, Monaſterii congregata.*

Ex confícto mandato Patris abrogat ſenatú, & loco ejus conſtituit duodecim judices novi Iſraëlis. *Kerſsenbr. ad hunc annum. Hamelm. in hiſt. Ev. Mon. pag. 1229.*

Interea urbis obſidio jam eò promota erat, ut proximè tentan-

Tentatur urbis expugnatio; sed eventu improspero ex culpa militum Geldricorum.

Kerssenb. in hist. Anabapt. Hamelm. in Hist. Evang. Monast.

da esset ejusdem expugnatio. Muri igitur & propugnacula gravioribus tormentis verberari cœpta; & assultus generalis constitutus in feriam tertiam Pentecostes, quæ tunc erat vicesima sexta Maji. Sed eventum prosperum fefellêre Geldri, quorum statio fuerat haud procul à porta judefeldica. Hi enim, posteaquam die præcedenti liberaliore potu se proluerant; sole in occasum declinante, crapulâque nondum edormitâ, invasionem cras futuram cæco impetu anteverterunt: ideóque & alii, eorum clamoribus territi, improviso in hostem ruere, & periclitantibus opem ferre coacti sunt. Quanquam eventu admodum infelici. Cùm enim hæc aggressio tota solùm tumultuariè, & sinè lege, sinè ordine, sinè certo rerum necessariarum apparatu fieret; etiam temerarii invasores ab hoc assultu nihil aliud, quàm ingentem suorum cladem & cruenta capita retulêre. Tum verò Anabaptistæ, hoc rerum successu hilares, non modò protinus reparârunt mœnia, ab ictibus tormentorum lacera; sed etiam alias atque alias invenêre fraudes, quibus & obsidentium castra fatigarent, & Franciscum Episcopum à continuandæ obsidionis consilio dimoverent.

Mulier Frisica, mœnibus emissa, necem parat Francisco Episcopo; sed ab alio prôditur, & capite mulctatur.

Kerssenbr. ad hunc annum.

Has inter fraus nulla periculosior, quàm quâ ipsius Episcopi vita petebatur à muliere Frisica, cui nomen Hilla. Hæc, ubi audiêrat, qualiter olim Holofernes à Juditha muliere ante urbem Bethuliam interemptus fuerit; eodem spiritu se impulsam rata, Bockelsonium & Knipperdollingium adiit, ut consilia sua cum iis conferat. Ab his in proposito suo confirmata, pulcherrimè se totam comit: atque ut haberet, quod offerret adeundo Principi, parvo simul fasciculo includit rarum opus muliebre, nempe indusium è lino subtilissimo; sed imbutum simul veneno pessimo, ad ejus necem præparato. Urbem dein egreditur die decimâ sextâ Junii, statímque à militibus deprehensa Telgetum ducitur; ubi à Theodorico Merveldio, satrapâ Wolbecensi, Præsulis accessum postulat mendaci hoc alloquio: *se haud ità pridem cum viro suo religionis causâ Monasterium advenisse; nunc autem visis Anabaptistarum erroribus ab eorum cœtu retrocedere. Maritum suum propediem secuturum, petiisséque, ut ipsa præeat; et ante pedes Antistitis demissè provoluta, sibi vitæ gratiam exoret. Eum esse è præcipuis Proceribus urbis, audire ac nosse arcana omnia, neque dubium fore, quin is optima potiundæ urbis consilia queat suggerere.* Perditissima tunc fuisset Episcopi vita; nisi priùs, quàm hæc mulier ad ejus colloquium admitteretur, civis aliquis perhonestus, nomine Hermannus Ramers, ex urbe clanculum elapsus, dolosámque mulierem insecutus esset. Captus hic à militibus, & ad supremos belli præsides deductus, confestim aperit: *se venire ad salvandam vitam Francisci Principis. Periclitari*

eam

eam à muliere, ante biduum ex urbe missa. Munus, quod ipsa velit offerre Principi, exitiale esse et morte plenum. Quo audito civis ille celerrimè Telgetum ducitur, examen causæ instituitur, ferale crimen detegitur, Hermanni fidelitas laudatur, dolosáque mulier Bevergernam vecta, amputato priùs capite, in rotam agitur, sinè omni prævio pœnitentiæ Christianæ signo.

Videbat hinc iterum Bockelsonius, quàm falso agantur spiritu, qui Anabaptisticis inspirationibus se abduci sinunt. Et tamen homo nequam non solùm in incepto perstitit; sed etiam haud multò pòst ad priora scelera sua Polygamiam adjicere cœpit. Id autem hoc modo factum. Miles aliquis, è castris Episcopalibus ad Knipperdollingium profugus, viderat Bockelsonium Prophetam nocturno tempore de lecto surgere, & ad stratum famulæ clanculum se conferre. Miratus illud fieri ab homine tam sancto & conjugato, nonnullis aliis facinus tam fœdum detegit. Quod ubi subodoratus est Bockelsonius; famæ suæ naufragium veritus, Rotmannum & alios Prædicantes in commune concilium vocat, & ab iis percontatur, quid ipsi judicent de Polygamia? an ea populo huic sancto permittenda sit, nec ne? Affirmant illi, eodem luxuriæ spiritu incitati: allegant exemplum Davidis, Abrahami, & aliorum Patrum testamenti veteris: jubent, urgente Bockelsonio, doctrinam hanc toto triduo è suggestu sacro in Ecclesiis explicari. Dubius exinde motus in urbe nascitur. Peregrini & advenæ doctrinam approbant: civium verò multi eam detestantur ac rejiciunt. Horum ducenti, cùm ad ejiciendam hujusmodi pestem constituissent, urbem ab istis novatoribus oppressam Episcopo suo tradere; octiduo pòst nocturno tempore ad arma convolant, præcipuos Polygamiæ suasores impetunt, Bockelsonium, Knipperdollingium, Rotmannũ, Vinnium, Klopriſium, Schlachtscapium, & alios ejusdem furfuris Præcones capiunt, eosdémque improvisis vinculis constrictos in carcerem detrudunt. His peractis oportuisset eos protinus in aliquam urbis portam irruere, januas aperire, obsidentium partem intromittere, captivósque suprà dictos eorum potestati tradere. Sed quia ab iis, nescio quâ animi cæcitate, neglectum fuit; ab adversæ partis multitudine tandem superati, nihil aliud ab his ausis retulêre, quàm acerba ludibria, captivitatem, carceres, mortémque immanissimam. Certè viginti quinque ex illis postridie in campo Dominico ad tiliam alligati, & novorum Polygamorum telis barbarè trajecti sunt. Alii sexaginta sex gladio perire jussi, in quorum resecandis capitibus egregiè per plures dies exercuerunt se Bockelsonius & Knipperdolling. Ceteri post innumera convicia, carceres, ac dira verbera,

Joannes Leydensis, in adulterio deprehensus, introducit Polygamiam. *Kerssenbr. loc. cit. Hamelm. & alii.*

Multi civiũ doctrinam illam detestati, student urbem Episcopo tradere: sed quia portas non aperuerant, ab aliis vincuntur, & crudelissimè necantur. *Kerssenbr. ibid. Hamelm. à pag. 1234.*

bera, tandem dimissi ac vitæ gratiâ donati sunt. Ità Bockelsonius, jam ab omni metu liber, brevi tempore trium feminarum fit maritus, æmulantur id ipsum alii, rejicitur pudor, exuitur verecundia, ac demum per verba illa turpissima: *spiritus meus appetit carnem tuam*, tam bruto modo in venerem ruitur; ut, quæ ab istis pecoribus gesta sunt, silentio magis præterire juvet, quàm castis auribus explicare.

Abrogatur iterum potestas duodecim judicum & seniorum populi.

At inter hæc omnia nihil magis ridiculum, quàm quâ ratione Leydensis ille sartor Bockelsonius, amotâ rursus duodecim seniorum sive judicum potestate, in thronum regni se extulerit. Affectârat hoc pridem vir nequissimus, ac tandem effecit per Joannem Dusentschürium, quem in fine Julii ex Warendorpiensi aurifabro Prophetam renuntiaverat. Is, cùm universam populi multitudinem in forum urbis convocâsset, ut audirent verbum Domini, quod ad se factum esse mentiebatur; superiore loco stans: *Audi*, inquiebat, *Israël! Hæc dicit Dominus Deus tuus: Elegi mihi Regem de medio tuî, Joannem Bockelsonium Leydensem, virum sanctum et Propheten: ipse occupabit sceptrum et sedem David Patris sui, et dominabitur universo terrarum orbi.* Quo dicto à duodecim senioribus nuperrimè constitutis repoposcit gladium, eúmque Leydensi porrigens: *accipe*, inquiebat, *gladium justitiæ, et cum eo potestatem super omnes populos terræ!* Deinde caput ejus oleo perfudit, inquiens: *Ego ex imperio Patris inungo te, et pronuntio Regem novæ Sionis, ac totius populi Dei.* Ad quæ verba novus Rex profundissimè in terram provolutus: *O mi Pater!* exclamabat, *Ego servus tuus, cùm nec ingenio me, nec sapientiâ tali instructum videam, quæ sufferendis Regni oneribus parem se inveniat, ad tuam immensam bonitatem supplex confugio. Da mihi ergo, O Pater, sedium tuarum assistricem sapientiam! Mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit, et sciam, quid acceptum sit coram te!* Mox iterum de terra surgens, & ad populum conversus, ait: *Fratres charissimi! Deus, qui Davidem ex humili loco ad Regni solium vocavit per Prophetam Samuel, etiam hodie vocavit me per Prophetam Dusentschürium. Ego quidem ex revelatione Patris id pridem scivi: nolui tamen per memetipsum id vobis aperire, sed alterius Prophetæ vaticinium exspectare, ne viderer inter vos dignitatem Regiam affectâsse.* Post hæc fanaticus Rex, qui hucusque hospitatus fuerat in domo Knipperdollingii, pro palatio delegit sibi curiam Domini Melchioris de Büren, Cathedralis Ecclesiæ Cellerarii pridem expulsi. Disponuntur etiam ab eo functiones palatinæ cum Regalis aulæ ministerio: Vicarius Regis constituitur Knipperdollingius, Orator Regis Rotmannus, Magister aulæ Tilbeckius, Cancellarius Henricus Krechtingius, Consiliarii intimi Bernardus Krechtingius

Dusentschürius, Propheta novus, Joannem Leydensem creat & ungit Regem. *Kerssenb. in hist. Anab. Mon. Hamelm. & alii.*

Novi Regis aula, Proceres, & gynæceum. *Auctores iidem.*

tingius & alii tres. His additi ephebi, cubicularii, ciborum prægustatores, pocillatores, & quidquid ministrorum ad aulam Regiam desiderari potest. Neque minor majestas erat Regi in decore cultúque corporis. Vestitus ejus pretiosissimus, ex aureis argenteísque templorum ornamentis consarcinatus. Caput ejus integebat corona aurea, gemmis ac margaritis interstincta: quarum una erat Regia, & solùm aliquibus turriculis fastigiata; altera verò Cæsarea, signóque crucis aureo supernè rutilans. E collo defluebat gemmeus torques, ex quo pependit insigne Regium, scilicet aureus mundi globus, duobus gladiis transfixus, & in medio gladiorum aurea crux cum hac epigraphe: *unus Rex* justitiæ super omnes.* Per humeros partémque superiorem pectoris decurrebat catena longior, totáque aurea, & in orbem sæpius Regali corpori circumducta. Sinistrum latus decorabat gladius pretiosissimus, cujus manubrium sive capulus auro & gemmis undique inclusus. In manu dextera fulgebat sceptrum tribus aureis circulis incinctum. In digitis radiabant complures annuli, intérque eos unus annulus major, qui signatorius erat, habebátque insculptum insigne Regium cum his verbis: *Rex in novo templo gerit hoc*pro exemplo.* Denique Regale solium stabat in medio fori, tribus à terra gradibus elevatum, ac modò aureis, modò purpureis peristromatis in adventu Regis insterni solitum. Sed inter hæc omnia nihil fœdius in hoc hirco Batavico, quàm ejus execranda muliero-sitas. Nam præter conjugem relictam*Leydæ (quæ & ibi propter Anabaptismum capite plexa est) adhuc sedecim alias adoptavit, quarum præcipua & velut omnium caput erat Regina *Divara*, Matthisonii Prophetæ relicta vidua. His aulam separatam adornabat in vicina Cathedralis Præpositi curia, ad quam dejectâ muri parte fiebat aditus è palatio. Omnes luxu Regio procedebant; &, quæ per noctem placitura erat, infixo bacillo notabatur in tabella, nominibus omnium inscripta.

*germanicè, ein König der Gerechtigkeit/ über alle.

*Westphalicè, de König in dem nyē Tempel föert dit vor ein exempel.

*aliàs Lugdunum Batavorum.

Hæc & alia id genus plura cùm à transfugis didicisset Franciscus Episcopus; novum urbis assultum tentaturus, die vicesimâ quartâ Augusti in castra suorum venit. Aderant eodem ferè tempore Hermannus Ecclesiæ nostræ Administrator, Philippus Dux Brunsvicensis in Grubenhagen, Philippus Comes de Waldeck Franciscí Episcopi frater cum duobus filiis Volrado & Ottone, aliíque non pauci tam Comites, quàm Barones ac viri Nobiles: quorum consilio iterata urbis impressio decreta est in diem tricesimam primam Augusti. Sed iterum eventu irrito. Licèt enim ab obsidentibus acerrimè incursum fuerit à primo istius diei crepusculo usque in vesperum; non minore tamen alacritate, vel potiùs despe-

Novus in urbem assultus tentatur; sed iterum eventu irrito & magnâ obsidentiũ clade. *Kersenbr. ad hunc annum. Hamelm. pag. 1245. & seq.*

desperatione, depugnatum est ab Anabaptistis: quorum alii saxa ingentia in incurrentes detrudebant, alii trabes quercinas in eorum corpora è murorum hiatibus devolvebant, alii ardentes coronas piceas aut calcem fervidam, à mulieribus comportatam, in eorum vertices defundebant, alii denique sclòpis, bipennibus, & omni armorum genere, ità sæviebant in obvios quosque, ut eorum pauci sinè cæde aut vulnere retrocederent. Quare tandem Episcopus militem revocare; & obsidionem hanc, sumptibus parcendi causâ, in circumvallationem diuturnam vertere coactus est. Id autem ut majori cum effectu fieret, nec interea quidquam alimentorum in urbem inferri posset; erecta sunt primùm ante singulas urbis portas castella singula, sufficiente militum præsidio communita. Deinde in spatiis intermediis ab uno castello ad aliud educti aggeres & fossæ profundiores, quæ viam & commeatum intercluderent. Postremò etiam trecenti equites constituti, qui die totâ contra omnes hostium egressus vigilent, & urbem obequitent.

Urbis obsidio mutatur in circumvallationem, erectis ante urbem septem castellis.

auct. iidem

Formidabat hinc Bockelsonius, thronum Regni sui adhuc fulcro admodum infirmo niti, nisì aliarum urbium auxilio fulciretur. Sed hunc metum rursus absterfit promotor ejus, Propheta Dusentschürius, homo stultus, & in vaticinando miris deliriis agitatus. Adiit ille Regem die duodecimâ Octobris, eúmque monuit, *nunc esse tempus, quo Deus Apostolos à se electos in omnes mundi plagas emitti jusserit. Priusquam verò id fiat, Patrem velle, ut in monte Sion* (intellige campum Dominicum) *instruatur cœna magna pro Christianis fratribus et sororibus.* Annuit Rex, jubétque statim apparari omnia in diem proximum. Altero mane sub horam nonam Dusentschürius Propheta per urbem ubique cursitat; lituísq; præcinentibus, homines omnes (præterquam eos, qui in excubiis occupati erant) invitat ad cœnam magnam in monte Sion. Accurrit illico frequens multitudo populi, scilicet viri mille sexcenti, pueri quadringenti, & mulierum quinque millia: quos omnes Tilbeckius Magister aulæ disponebat per singulas mensas ac sedilia. Considentibus ministrat ipse Rex cum suis aulicis; apponítque primùm carnes recentes cum rapis coctas, deinde pernas & carnes infumatas, postremò carnes assatas cum largo potu cerevisiæ. Succedit postea novum convivium spirituale & mysticum. Afferuntur in canistro panes triticei, quos ipse Rex manu frangit, singulísque frustillum aliquod ori imponit, inquiens: *accipite, comedite, et mortem Domini annuntiate.* Similiter etiam Regina *Divara* pateram vino plenam iisdem porrigit, dicens: *bibite ex hoc omnes, et mortem Domini annuntiate.* Quo peracto Rex

Joannes Rex, novos Apostolos emissurus, jubet institui cœnam magnam: quâ finitâ, Rex præbet singulis frustũ panis triticei, Regina verò calicem cum vino.

Hamelm. in hist. Ev. Kerssenbr. ad hunc annum.

omnes

omnes in unum congregatos palàm interrogat, utrúmne velint parere verbo Dei? cúmque id omnes unâ voce conclamarent; Duſentſchürius Propheta conſcenſo editiore loco inquit: *Pater cæleſtis nominavit mihi viginti ſeptem Apoſtolos, qui ſe conferant in quatuor mundi plagas, ibíque prædicent doctrinam noſtram de Regno Dei.* Subinde nomina ſingulorum de ſcheda recitat, ità pergens: *Pater cæleſtis vult ubique vos protegere, nec permittet, ut vel unicus capillus pereat de capite veſtro. Ite igitur! annuntiate in civitatibus verbum Dei: et ſicubi Magiſtratus urbicus locum dare nolit prædicationi veſtræ, relinquite illic nummum aureum* (à Rege novo ſignari juſſum) *et excuſſo pedum veſtrorum pulvere ad alia loca demigrate!* Nec mora, omnes iſti viginti ſeptem, inter quos & ipſe Duſentſchürius erat, eâdem nocte portis emiſſi; &, quia circumvallationis foſſæ nondum penitùs abſolutæ erant, inter denſiores tenebras feliciter elapſi ſunt: nimirum octo ex iis Cosfeldiam in occidentem, octo Suſatum in meridiem, quinque Warendorpium in orientem, & ſex Oſnabrugum in ſeptentrionem.

Duſentſchürius Propheta mendax, nominat 27 Apoſtolos, intérque eos etiam ſe ipſum. *Kerſſenbr. & Hamelman. ibid.*

At hi omnes pro nugaci miſſione ſua mortem admodum luctuoſam experti ſunt; ſuóque damno didicerunt, veriſſimè de ſuis Prophetis dici poſſe illud Ezechielis 13. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur Spiritum ſuum, et nihil vident! ---- Vident vana, et divinant mendacium, dicentes: ait Dominus; cùm Dominus non miſerit eos!* In primis enim octo illi, qui Cosfeldiam ablegati erant, ibidem comprehenſi, atque ad plurium terrorem in diverſis locis viciniorибus, nimirum Cosfeldiæ, Horſtmariæ, Borckenæ, Bucholdiæ, Vredenæ præciſis capitibus in rotam acti ſunt. Similiter & octo illi, qui Suſatum iêrant, cùm in urbe ſeditionem accendere vellent; poſt brevem carcerem, reſectione capitis infelicem animam exſpuêre: mirúmque eſt, Duſentſchürium Prophetam, qui, inter eos erat, adhuc in loco ſupplicii tam ſtultum fuiſſe, ut putaverit, caput ſuum nullo carnificis enſe dejectum iri. Quod attinet ad urbem Warendorpienſem, recepit ea quidem Apoſtolos ad ſe miſſos, decrevítque pro Monaſterienſium Anabaptiſtarum doctrina ſtare: ſed magno ſuo malo. Nam paulò pòſt, nimirum die viceſimâ primâ Novembris, Franciſcus Epiſcopus cum ingenti apparatu bellico cœpit urbem incingere: fuiſsétque fortuna civium occiſiſſima, niſi hortatu ſtrenuiſſimorum ducum, Joannis Dynaſtæ in Büren & Hermanni de Mengerſen Paderbornenſium, deditione præmaturâ iracundiam ſui Principis mitigâſſent. Comprehenſi tunc ſtatim quinque illi pſeudo-Apoſtoli, unà cum tribus civibus Anabaptiſtarum primipilis, qui omnes excepto Joanne Klopriſio, die viceſimâ quartâ Octobris in publico urbis foro decol-

Octo ex illis Cosfeldiam, & octo alii ad Suſatenſes miſſi, plectuntur capite. *Auctores iidem.* Quinque alii recipiuntur à Warendorpienſibus: at paulò pòſt, urbe deditâ, traduntur ac decollantur excepto Klopriſio; qui Colonienſi Archiepiſcopo miſſus, & ſequenti anno Brülæ combuſtus eſt. *Kerſſenbr. Hamelm. & alii.*

decollati sunt. Civium deinde corpora tumulata in cœmeterio; Apostolorum verò quaterna cadavera ante quatuor urbis portas rotæ imposita. Klopriſius denique, ex Lutherano Prædicante factus Anabaptista & pseudo-Apostolus, pro xenio missus est Hermanno Archiepiscopo Colonienſi: qui virum nequissimum, & jam olim ex ejus carcere elapsum, sequenti anno die primâ Februarii Brülæ condemnari, & ferali rogo vivum exuri jussit. Reliqui sex Apostoli Osnabrugum destinati, cùm in urbis foro seditiosas conciones agerent, à Magistratu apprehensi, paulóque pòst è mandato Franciſci Præsulis Iburgum abducti sunt. Ibi quatuor ipsorum in loco **Staelbrinck** appellato gladium & rotam in sui Apostolatûs præmium acceperunt. Quintus, nimirum Godefridus Stralenius olim Præco Lutheranus, priusquam ad supplicii locum educeretur, nocentem animam exhalavit in carcere. Sextus & ultimus, Henricus Grasius antea Borckenſis Ludimagister, ob detecta Monasterienſium consilia vitæ gratiam impetravit eâ lege, ut in urbem redux adhuc ampliùs indagaret omnia, quæ ubique in locis aliis, vel pro liberando Monasterio, vel pro firmando Anabaptistarum imperio fierent. Id quod ubi fideliſſimè addixisset; silenti nocte compedibus manicísque vinctus ad locum urbi vicinum vehitur: ubi altero mane à civibus inventus, ac deinde cum incredibili ipsorum gaudio in urbem reportatus est. Illic vir callidissimus ante conspectum Regis lamentabili voce exposuit, quo furore hominum impiorum Osnabrugi captus, indè verò Iburgum traductus fuerit unà cum ceteris Apostolis Monasterio missis. *Et hi quidem*, inquiebat, *in Apostolatu suo mortui atque ab impiis occisi sunt: ego autem, ne pari morte cum iis caderem, singulari prodigio à cæleſti Patre servatus fui. Nam superiori nocte, dum in Iburgenſi carcere jacerem vinctus mortíque destinatus, descendit ad me Angelus Domini, multo lumine circumfusus, apprehensâque manu meâ, corporéque secum per aërem tracto, deposuit me ante hanc urbem. Ecce testes hujus rei compedes manicásque ferreas! Quas idcirco non dissolvit idem Angelus, ut Dominus meus Rex totúsque populus Israëlis videat, quàm certò possit ac velit Pater, etiam occisis tot Apostolis, urbem hanc sanctam contra omnes impiorum assultus tegere et custodire.*

Mirificè hoc mendacio delectatus est Rex & omnis populus, concipitur nova spes liberandæ urbis, Henricus Grasius unanimi voce declaratur Propheta, atque ùt homo, spiritu divino plenus, admittitur ad arcana omnia Regis consilia. Hinc ille apertiùs dicit, quot & quales pro Regno Anabaptistarum faciant in urbe Wesalienſi? quid rerum Amstelodami cogitet Jacobus Campenſis, ante dies paucos Monasterio illuc missus? quos tumultus ac seditio-

Sex alii capiuntur Osnabrugi.

Horum unus in carcere moritur: quatuor plectuntur capite: sextus, Henricus Grasius, promittit omnia Anabaptistarũ consilia prodere, acceptâ vitæ gratiâ. *Kerssenbr. ad hunc annum.*

Hamelm. in hist. Ev. Monast.

Grasius dimittitur, & Monasterium redux, astutissimè fallit Anabaptistas. *Auctores iidem.*

Grasius declaratur Propheta, & à Rege discit arcana omnia. *Kerssenb. & Hamelman.*

ditiones pro Monasterienſium auxilio cudant alii in Friſia, totóque Belgio. Hæc autem omnia ut celerrimè perferret ad Franciſcum Epiſcopum; paulò pòſt quaſi novo enthuſiaſmo percitus, vociferatur coram Rege: ſibi à Patre imperatum eſſe, ut urbis liberandæ gratiâ Weſaliæ, Daventriæ, Amſtelodami, & alibi, Chriſtianos fratres in unum exercitum colligat: omnes illos ubilibet ad ſuccurrendum paratos eſſe, dummodo Regis imperium ex ejuſdem literis & ſigillo Regio perſpectum habeant. Quo audito, Rex ei protinus ingentem pecuniæ vim numerari jubet, ſimúlque expediri literas novæ hujus miſſionis teſtes, in hunc modum: *Nos Joannes Rex juſtus novi templi, et Miniſter Dei Altiſſimi, omnibus et ſingulis fratribus, fœderi noſtro conſociatis, præſenti ſcripto votum facimus, quòd latorem ejus Henricum Graês, Prophetam inſpiratione Patris illuſtratum, auctoritate noſtra ablegaverimus, ut fratres noſtros, hinc indè per Germaniam diſperſos, in Regni noſtri augmentum colligat, et mandata reliqua, ſibi à Deo et nobis impoſita, fideliter exequatur. Rogamus itaque, ut huic non aliter ac nobis ipſis, in rebus omnibus, quæ ad cauſam noſtram pertinent, indubiam certiſſimámque fidem habeatis. Scriptum Monaſterii in civitate Dei, et ſigno noſtro corroboratum anno ætatis noſtræ viceſimo ſexto, Regni verò noſtri primo, ſecundo die primi* menſis, poſt incarnationem JESU Chriſti filii Dei anno 1534.* Quid autem porrò effecerit Graſius, poſteaquam hujuſmodi mandatorias acceperat à Rege ſuo, prolixiùs dicetur ad initium anni ſequentis.

Fingit, ſibi à Deo mandatum eſſe, ut alibi omnes Anabaptiſtas ad urbem liberandam colligat. *Kerſsenbr. ad hunc annum.*

Accipit à Rege literas, fidei ſuæ teſtes, & abit. *Kerſsenbr. ibidem.*

* *id eſt, die 2. Januarii*

Hæc inter Eccleſia Catholica novo lumine colluſtrari cœpit à novo Ordine Societatis JESU, cujus primi Patres hoc anno, in feſto Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis, præeunte S. Ignatio fundatore, pro ſalute proximi ſe totos devoverunt in Monte Martyrum prope urbem Pariſios. Diem hanc Societas iſta etiamnum celebrat velut Natalem ſui Ordinis; factíque hujus memoriam ſempiternam prædictæ Eccleſiæ ac Parthenonis Mater & Præſes literato marmori poſtmodum incidi* fecit híſce verbis: *D. O. M. Siſte ſpectator, atque in hoc Martyrum ſepulchro probati Ordinis cunas lege! Societas JESU, quæ S. Ignatium Loyolam patrem agnoſcit, Lutetiam matrem; anno ſalutis MDXXXIV, Auguſti XV. die, hìc nata eſt: cùm Ignatius et ſocii, votis ſub ſacram ſynaxin religiosè conceptis, ſe Deo in perpetuum conſecrârunt ad majorem Dei gloriam.* Præerat eo tempore ſedi Pontificiæ Clemens VII: qui tamen oriens illud lumen vix primis oculis aſpicere, nedum ejus progreſſum intueri potuit, utpote paulò pòſt mortali vitâ exutus die XXV. Septembris. Succeſſit illi Paulus III, dictus antè Alexander Farneſius, electus die XII. Octobris, coronatus die III. Novembris. Symbolum ejus fuit: *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis*: videtúrque digni-

Initium Societatis JESU.

* *Pinius to. 7. Ss. Julii, in comm. vitæ S. Ignatii §. 18. n. 181.*

Moritur Clemens VII Papa: ſuccedit Paulus III. electus die 12 Octobr. *Spondan. Papebroch. & alii.*

tatem eam sibimet ipsi præcinuisse, cùm pridem antè consuêsset dicere: *confectum senio melior fortuna sequetur.*

Annus Christi 1535.

PAULI III. Pontificis 1. & 2.
CAROLI V. Imperatoris 16. & 17.
HERMANNI II. Adminiſtr. Pad. 3. & 4.

Carolus V, è bello Tunetano redux Neapolim, Alexandro Medicæo conjugem tradit Margaretam, filiâ suâ notham

FInito bello Tunetano (de cujus origine prosperóque exitu ad annum superiorem egimus) Carolus Imperator cum sua classe navigavit in Siciliam, indéque Novembri mense præsentis anni Neapolim venit: ubi ex pacto, ante quinquennium inito, Margaretam filiam suam illegitimam Alexandro Medicæo in thalami consortem dedit. In hoc itinere citra omnem exspectationem audiit, Franciscum Sfortiam Insubriæ Ducem, suæ neptis Christiernæ conjugem, die vicesimâ quartâ Octobris nullâ prole relictâ mortuum; seséque ab eo hæredem totius Insubriæ seu Ducatûs Mediolanensis postremis testamenti tabulis renuntiatum esse. Luctuosissimus certè casus! imò talis, qui rursus Imperatorem Galliæque Regem funestissimo bello inter se collisit, non sinè magno Lutheranorum ac Protestantium aliorum gaudio. Franciscus enim Galliarum Rex Insubriæ Ducatum repetebat, ut hæreditatem ad se revolutam à proavia sua Valentina Mediolanensi: contrà verò Carolus Imperator petebat illum non modò ex testamento Sfortiæ; sed etiam ex jure belli, quo eundem ex infestis Francorum manibus eripuerat, & ex mera gratia sua redonaverat Sfortiæ, per injuriam à Gallis pulso. Qua de re plura dicenda sunt ad annos proximè secuturos.

Franciscus Sfortia Mediolanensium Dux moritur, & sui Ducatûs hæredem scribit Carolum V: unde nova bella inter hunc & Regem Galliæ. *Palat. in Aq. Austr. Ripam l. 17 hist. Mediolan. Spond. Sanius & alii*

Ego interim ad Monasterienſium Anabaptistarum gesta me recipio, & in primis quidem ad ea, quæ de Henrico Grasio me dicturum appromiseram. Hic, ubi à Rege suo consecutus erat literas illas (quas ad annum præcedentem retuli) sub initium hujus anni urbem egressus est; atque, ut securiùs fugeret, præmissi sunt armatorum virorum plurimi, qui castellum portæ oppositum continuis velitationibus tam diu incesserent ac irritarent, donec ipse inobservatus præterîsset. Lætus eo successu Joannes Rex fausta omnia sibi promittebat ab egressu Grasii; ideóque paulò pòst, novam Dei revelationem fingens, edicebat populo: *Verbum Domini hodie ad me factum est circa horam tertiam ante solis ortum. Dixitq; Dominus ad me: tu mihi excitabis populum innumerabilem ad honorem et gloriam nominis mei. Quandónam verò, et quo anni tempore id futurum*

Grasius, Monasterio egressus, Iburgum venit, & Francisco Episcopo deregit omnia Anabaptistarũ consilia. *Kerssenbr. ad hunc annum. Chytræus l. 14 Saxon.*

turum sit, revelabo posteà. Tu autem interea cautè ambula, et hæc annuntia reliquiis populi mei, ut exspectent auxilium Domini cum patientia. At longè aliter evenit res, quàm sibi imaginatus fuerat Rex fanaticus. Grasius enim, derisis Anabaptistarum ineptiis, pridie Epiphaniæ Iburgum rediit ad Franciscum Episcopum: ostensóque diplomate Regio, quo donatus erat ad colligenda fratrum auxilia, narravit eidem omnes Monasterienſium Anabaptistarum res & spes. Nominatim verò, quinam illis consociati sint in urbe Wesalienſi? quænam arcanæ eorum tesseræ? quid in Geldria, quid in Frisia, quid in Hollandia & aliis in locis agant pro liberando Monasterio? quas etiam cædes & civium suorum interfectiones aliis in urbibus cogitent; ut occisis Magistratibus, venereum illud novæ Sionis Regnum celeriori auxilio fulciant? Exhorruit adista Præsul: statímque die octavâ Januarii Ducem Clivenſem, & alios Principes, eâ de re certiores facit, enixè rogans, ut in hujusmodi sectarios acerrimè inquirant; & si quem inter eos deprehenderint, qui vocetur Henricus Graês, eundem velut hominem sibi fidum, atque ad alios detegendos missum, ab interitu servent. Exinde Grasius jubente Præsule Wesaliam profectus, accedebat clanculum ad cives varios, quos Anabaptismo infectos noverat: ostensóque novi Regis diplomate ab iisdem petiit, ut attentâ sociorum necessitate, quàm citò possent, ad solvendam Regalis urbis obsidionem se accingerent. Quòd cùm illi non solùm appromitterent; sed etiam varia armorum genera ex eodem fine in ædes aliquas comportarent: à Grasio repentè prodíti, jussúque sui Principis in diversos carceres abrepti sunt. Subinde sex eorum, velut præcipui seditiosorum duces, die decimâ tertiâ Aprilis pœnam capitis dedêre: ceteri verò non pauci vitæ gratiam consecuti, & in Ecclesiæ Romanæ gremium eâ lege recepti sunt, ut in lustratione publica linteis albis involuti, ardentémque cereum in manibus tenentes, cœmeterium templi circumirent, & in eodem habitu divinis officiis interessent.

Mittitur Wesaliam, ubi ipsius proditione plures Anabaptistæ capiuntur, & puniuntur. *Kerssenb. in hist Anab. Mon. ad hunc annum.*

Pari felicitate etiam in toto Belgio flagitiosum id genus hominum ubivis repressum est. In urbe Leyda, fanatici Regis patria, multitudo magna eorum (quæ die vicesimâ quartâ Januarii ad hanc urbem occupandam se accinxerat) re maturiùs patefactâ in manus civium armatorum venit, ferróque postmodum & igne periit. Quo in motu etiam Bockelsonii Regis prima uxor, quæ ibidem hucusque manserat, infami gladio percussa est: quod non modò Anabaptistis conjunctissima; sed etiam eorundem assidua receptrix fuerit. In Geldria tres hujusmodi sectariorum naves, multis armis, hominibus, & vario commeatu plenæ, à Carolo Geldrorum Du-

Eorundem perversæ machinationes reprimuntur in urbe Leyda. *Kerssenbr. loc. cit. Hæus in ann. Brab.* In Ducatu Geldriæ, *Kerssenbr. ibid.*

ce attineri jussæ, nullâque vitæ servandæ gratiâ in Isalam demersæ sunt. In Frisia Georgius Schenckius, Gubernator Cæsareus, ingentem eorundem sceleratorum turmam (quæ cœnobium vetus, vulgò dictum **Oude-Kloister**/ Snekam inter & Bolswerdam occupaverat, illúdque variis aggeribus ac fossis contra hostilem impetum communire cœperat) militari manu aggressus est; eósque demum, post impressionem octiduanam, die septimâ Aprilis munimentis omnibus feliciter ejecit, plerisque ipsorum vel in pugna cæsis, vel in expugnatione captis, posteáque vario pœnarum genere trucidatis. At nullibi Christianæ res ab Anabaptistarum seditione in majori periculo versatæ sunt, quàm Amstelodami in Hollandia. Præcipui malorum istorum architecti erant Jacobus Campensis, & Joannes Gelius: quorum hic sub initium hujus anni; ille verò sub exitum anni præcedentis Monasterio missus, & à Joanne Rege Amstelodamensis urbis Episcopus constitutus fuerat. Posterior horum Joannes Gelius (dictus aliàs **Johan van Geel**) posteaquam in Frisia concitârat eam populi multitudinem, quam suprà diximus à Georgio Schenckio devictam & oppressam esse; novum suo sceleri velamen obducturus, confugit ad Mariam Gubernatricem Belgii: simulatâque facinorum suorum pœnitentiâ, eidem pollicitus est, curaturum se, ut urbs Monasterienſis in Caroli Imperatoris potestatem veniat, dummodo vitæ gratiam consecutus, & aliquo militum generosorum auxilio suffultus fuerit. Credit illa huic nequam homini, dat ei diploma gratiæ munitum sigillo Regio, addit etiam pecunias, quibus militem auctoraret, & ad urbem occupandam se accingeret. Exinde Gelius, nequitiarum suarum successu hilaris, festinatis itineribus Amstelodamum properat, literas gratiæ sibi datas exhibet, Monasterii liberandi causâ se ibidem commorari jactitat, indéque tantam existimationem sibi conciliat, ut in urbe tota libere versari, civium ædes introire, & quidquid ei libuit, pro voluntate sua gerere, citra omnem doli suspicionem posset. Sed, eheu! quàm ingenti urbis & Hollandiæ totius periculo? Hoc enim obtectus clypeo, factionem Anabaptisticam, à Jacobo Campensi jam antea concitatam, vehementer auxit; ac tandem eò rem deduxit, ut Anabaptistæ mense Majo, nocte mediâ inter diem decimam & undecimam totius urbis dominium ad se rapere conati fuerint. Neque dubium est, quin id iis feliciter evenisset, nisi hæc eorum consilia eâdem nocte civibus patefacta essent, priusquam seditiosi omnes accepto campanæ signo in unum convenissent. Et jam pars eorum, expansis progressa labaris, occupaverat urbis curiam ductore Gelio: solúmque exspectabat, ut & reliqua Anabaptistarum turba in vicino aggere

Et in Frisia occidentali *Kerssenbr. Haræus & Surius in comment. rer. gest.*

Maximè verò Amstelodami: ubi horrenda eorum conspiratio cœpta est à duobus Anabaptistis, Monasterio missis. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Haræus in ann. brab. Historia Amstelod. Belgicè.*

Anabaptistæ nituntur occupare urbem Amstelodamensem. *Auctores iidem.*

aggere se conjungeret. Sed quia cives alii de malignis eorum consiliis jam edocti erant; ad impediendam hanc eorum conjunctionem, incredibili celeritate occluserunt vias omnes, per quas ad curiam & aggerem vicinum accedi poterat. Ità quidem eâ nocte nihil ampliùs effectum; sed in armis tantùm ab utraque parte vigilatum est usque in primam alterius diei lucem. Hac autem appetente, continuò fit impressio in urbis curiam & Anabaptistas eandem insidentes, laxantur in eos tormenta bellica, disjiciuntur postes cum repagulis, franguntur ostia, concurritur, pugnatur, vincitur, occisis Anabaptistarum plurimis; quos inter etiam Joannes Gelius glande plumbeâ transfossus jacuit. Horum scelerata corpora eodem die in furcas acta & è pedibus suspensa sunt. In alios verò, nefandæ hujus conspirationis participes, per dies proximè sequentes ulteriùs inquisitum, variisque pœnis animadversum est. Ex his duodecim viri, qui in assultu capti erant, revulsis è corpore adhuc vivo cordibus in faciem percussi, ac deinde in quatuor partes dissecti fuêre: tres alii quadripartito corpore rotis implexi, tres ad gladium condemnati, quatuor mulieres ante ædes proprias suspensæ, septem in aquis suffocatæ, septem in ignes missæ & infamibus flammis concrematæ. Omnes autem, utì magnitudine scelerum, ità etiam diritate suppliciorum anteivit Jacobus Campensis, Amstelodamensium Episcopus à Bockelsonio Rege designatus. Hic è carcere protractus in theatrum ante curiam, ponebatur in editiore cathedra, gerens in capite Episcopalem infulam ex lamellis ferreis & stanno illitis fabricatam, cujus anteriori parti impressa erant Amstelodamensis urbis insignia. In eo apparatu primùm sedere debuit per horam integram, atque interim à plebe circumfusa innumeras derisiones, opprobria, & subsannationes ferre. Post hæc eidem à carnifice excisa est lingua impia, quâ doctrinam Anabaptisticam evulgaverat: dein abscissa ac detruncata manus dextera, quâ suos assectas rebaptizaverat: tum lanionio cultro à cervice resectum caput, cui mitram Episcopalem sacrilegè imposuerat: postremò cadaver mutilum flammis absumptum; caput autem, unà cum infula resectáque manu, ad portam, quæ Harlemensis dicitur, palo infixum est.

Sed ab aliis civibus, maturè prænonitis tandem vincuntur; puniuntúrque diverso pœnarum genere. *Historia Amstelodam.*

Horrenda mors ac supplicium Jacobi Campensis, Amstelodamensium Episcopi à Joanne Rege constituti. *Historia Amstelodam. Surius in comment. rer. gest.*

Interea urbs Monasterienſis propter castella & aggeres circumductos arctissimè claudebatur: veluti sub finem anni superioris decretum erat, primùm in Essendiensi Principum conventu mense Novembri; deinde rursus in comitiis Confluentinis medio Decembri habitis, quibus interfuêre Legati, Colonienses, Moguntini, Trevirenses, Palatini, Saxonici, Clivenses, & aliorum ordinum circuli Westphalici & Rhenani. Horum voluntate & consensu copiis

Urbs Monasterienſis tenebatur arctissimè clausa. *Kerssenb. in hist. Anabapt. Monast. ad ann. prac.*

Hamelm. in Hist. Evang. Monast. Brower. in annal. Trevir.

copiis omnibus, toti urbi circumfusis, cum supremo imperio præfectus est Wiricus à Daun Comes de Oberstein: pro stipendiis verò militaribus, quæ solus Monasterienſis ferre non poterat, in singulos dimidii unius anni menses decreta sunt quindena florenorum aureorum millia, ab omnibus istorum Circulorum Principibus conjunctim exsolvenda. Neque ab ea communi Principum contributione immunis aut libera fuit Paderbornensis Diœcesis nostra. Nam & in ea non modò Laici; sed etiam Clerici & Religiosi, pecuniarium subsidium ad hoc bellum contulêre, uti annotavit Henricus Schrôder* Abbas in Marien-Münster, de suo monasterio ità scribens: *Anno 1535 dedimus Hermanno Administratori Paderbornensi quinquaginta florenos Rhenenses, pro exstirpanda hæresi Anabaptistarum in civitate Monasterienſi.* Ità factum est, uthi, qui urbem includebant, rebus omnibus ad vitam necessariis abundarent: contrà verò in urbe, quæ jam initio præsentis anni penuriam victûs experiri cœperat, acerba fames quotidie magìs magísque ingravescèret. Qua ex re cùm Joannes Rex popularem tumultum pertimescèret; primùm è numero fortissimorum civium delegit sibi duodecim duces, quorum uni Saxoniam, alteri Ducatum Brunsvicensem, huic Brabantiam, aliis regiones alias cum Ducali titulo promittebat, si muneri quisque suo diligenter satisfaceret, & omnem quiritantis populi tumultum coërceret. Deinde etiam universæ multitudini imaginario suo Prophetico spiritu prædicebat, adhuc paululùm divino jussu exspectandum esse usque in proximum Pascha: tunc enim à suis emissariis, Henrico Grasio & Joanne Gelio, urbem hanc à diuturna circumvallatione certissimè liberatum iri. Tacuit his auditis populus. At, ubi postmodum advenisset Pascha, eóque præterlapso adhuc nulla spes relevandæ urbis alluceſceret; adeò recruduerunt plebis jejunæ murmura, ut nullâ ampliùs territatione vel supplicio capitis potuerint coërceri. Neque id mirum sanè. Jam enim totâ urbe tam acerba fames invaluerat, ut plerumque vulgus hominum, excepto Rege & ejus aulâ, intrà dies plurimos ne vel unicum panis frustulum degustârit, multóque minùs cibos alios humano corpori necessarios. Post equos, cattos, canes, & alia id genus animalia sinè pane commesta, etiam ranæ, mures, glires, & recentia hominum occisorum cadavera, in deliciis esse præ inedia cœperant. Imò non paucæ matres, ut indomitam ventris esuriem compescerent, ausæ sunt in cibum vertere suósmet liberos, quorum salitæ carnes post urbem expugnatam variis in locis adhuc inventæ sunt. Quid autem ad ista Rex, potu cibóque satur? *Per me licet*, inquiebat, *ut hi, qui in fide magìs infirmi sunt, urbem nostram et Regnum deserant, modò secum nihil*

**Henricus Schrôder, Abbas Marien-münster. in diario.*

Joannes Leydensis Rex, ex ingruenti fame tumultum verit⁹, creat duodecim duces; promittítq; urbem circa Pascha liberandam esse ab obsidione.

Kerssenbr. ad hunc annum. Spond. ad hunc ann. n. 18. Chytræus l. 14. Saxon. ad annum 1534.

Horrenda fames in urbe.

auct. idem Surius ad ann. 1534. Kerssenb. Hamelm. & alii.

nihil pretiosum efferant, et vulgari solùm veste contenti fuerint. Ego interim, licèt omnes abscedere vellent, cœlesti fretus auxilio persistam et manebo hîc. Pater enim non deseret me, nec meam plebem; sed hac inediâ solùm vult periclitari nostram constantiam. Per quæ verba cùm abire liceret omnibus, quicunque vellent; continuò plurimi viri ac mulieres (quos nongentos aut ampliùs fuisse memorant) urbem hanc & Regnum sartoris deseruêre: omnes inediâ confecti, pallidi, emaciati, & cadaveri magìs quàm homini adhuc vivo & spiranti similes. Ex iis multi primo impetu ab obsessoribus trucidati: alii verò ab his repulsi, cùm in urbem redire nollent aut non auderent; per dies quatuordecim aut paulò ampliùs, urbem inter & hostium castra more pecudum victitârunt; nihil aliud habentes, unde corpus exsangue pascerent, quàm sola gramina. Id quod ubi Francisco Episcopo nuntiatum est: hujusmodi vitam omni morte acerbiorem esse ratus, jussit ipsos in locum vicinum colligi, ibíque magìs reos pœnâ capitis condemnari; ceteros verò usque ad urbis expugnationem variis in locis reservari.

Multi ob famem dimittuntur ab urbe: quorum alii à militibus occisi, alii usque ad urbis expugnationẽ custoditi variis in locis. *Kerssenbr. Hamelm. & alii.*

Eodem ferè tempore, nimirum die quartâ Aprilis (quæ tunc erat octava Paschatis) ad infringendas Monasterienſium Anabaptistarum obluctationes nova imperii comitia celebrata sunt Wormatiæ: in quibus Principum Legati, præter stipendia militaria, quæ mense Decembri decreta erant, adhuc alia viginti millium aureorum stipendia in singulos quinque reliquos æstatis & Autumni menses decreverunt. Imò, si interea forsan hæc obsidio non esset visura finem; novus alius Principum conventus in diem decimam tertiam Julii constitutus est, in quo decernerentur cetera ad edomandam urbem necessaria. Sed (quæ Deo sint immortales gratiæ) ante hujus ultimi congressûs initia civitas Monasterienſis feliciter expugnata est, præeunte juvantéque Joanne Langenstratio, quem à brevi statura corporis appellabant Hansulum aut Hensulum, vulgò **Hänßken von Langenstraten.** Hic è castris Episcopalibus anno superiore in urbem fugerat: & quia jam nullum ampliùs videbat modum, quo afflicta urbs ab annonæ deficientis penuria sublevari posset; quæsitâ elabendi viâ, statuit urbem Francisco Antistiti prodere, si ab eo vitæ gratiam impetraret. Abit igitur silenti nocte: deductúsque ad præcipuos militiæ Duces, modum aperit, quo prædicta civitas trecentorum ferè militum auxilio capi, & in Franciſci Præsulis potestatem sinè magna suorum clade compelli queat. Audiunt hæc illi cum ingenti gaudio, probant omnia Joannelli vel Hensuli consilia, traditísque immunitatis & gratiæ signatæ literis, adjungunt ei Wilckinum Stedingium, pedestris militiæ ducem, cum quadringentis pugnatoribus ex omni

Nova Imperii comitia, Wormatiæ habita, in causa Anabaptistarum Monasterienſium *Kerssenb. & Hamelman.*

Joannes Langenstratius, miles transfuga, aperit ac declarat modum capiendi urbem. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Chytræus l. 14. Saxon. Hamelm. & alii.*

Wilckin⁹ Stedingius, præeunte Langenſtratio, cum quadringentis militibus vallũ tranſcendit & urbem intrat: ſed per incuriã negligit aperire portam urbis. *Kerſſenbr. Hamelm. & alii.*

mni caſtrorum flore delectis. Hi igitur nocte illâ, quæ S. Joannis Baptiſtæ natalem ſequitur, inter ventorum fulminumque murmura clanculum accedunt ad portam Crucis: Henſulóque monſtrante locum, ubi foſſa minùs lata, & inops aquarum erat, per injectos virgulteos faſces emergunt in vallum urbis. Indè per obliquos tramites tacitiſſimè adrepunt ad ſudes præpilatas: evulsâque earum unâ vel alterâ, quam Henſulus jam antè nôrat leviori brachio removeri poſſe, ſinè magna difficultate veniunt in propugnaculum exteriori portæ impoſitum. Indè rurſus, occiſis omnibus, qui ibidem excubabant, celerrimè deſcendunt in viam ſaxeam inter duas portas intermediam: rurſũmque interfectis omnibus excubitoribus, ponticulum ad ſe attrahunt, per quem ad portam interiorem ſimul & in urbem itur. Debuiſſent hîc ſtatim effringere portam exteriorem; & aliquem è ſuis mittere, qui per eam nonnulla alia conſodalium ſuorum auxilia in urbem jam apertam evocaret. At illi nimiâ feſtinatione rem adeò neceſſariam negligentes, viâ rectâ properârunt ocyùs in planitiem campi Dominici; occupatísque tormentis bellicis, quæ ibidem erant, contra advolantes Anabaptiſtarum copias in apertam aciem ſe compoſuêre. Certatum exinde fortiter ab utraque parte: ac tandem Epiſcopales (neſcio an ab hoſte preſſi, an autem novo ſtratagemate hoſtem oppreſſuri) retraxerunt ſe in angiportum, propè ſacellum S. Margaretæ. Ubi dum eorum pars ex viæ anguſtæ faucibus egregiè depugnaret; altera pars effractis ædium vicinarum oſtiis, elabitur in plateam Ægidianam: indéque in campum Dominicum redux, tam ardenter irruit in Anabaptiſtarum terga, ut antè ſimul ac retro ab hoſtium ſuorum gladiis proſtrati caderent; ideóque demum ulterioris lanienæ impatientes, ex area Cathedralis templi in vicinum urbis forum ſe retraherent.

Certatur acriter in campo Dominico; ac tandem Anabaptiſtæ ſe ex eo retrahunt in forum urbis. *Kerſſenbr. in hiſt. mſ.*

Joannes de Twickel à Stedingio mittitur, ut ex urbis vallo nova in urbem auxilia convocet. *Kerſſenb. loc. cit.*

Joannes Rex, eâ ſuorum clade non parùm territus, poſt horam ſecundam noctis ad Stedingium Legatos ex foro mittit, qui utrimque breves inducias & paciferum colloquium poſtulent. Annuit Stedingius (nam & ejus miles, pugnando & cædendo feſſus, quiete modicâ indigebat) hoſtibúsque interim non advertentibus, Joannem de Twickel ſigniferum ſecretò in vallum deſtinat ad expetenda ſuorum commilitonum auxilia. Abit ille cum tribus aliis, purpurante jam aurorâ. Cúmque urbis vallum jam ab omni Anabaptiſtarum præſidio vacuum inveniret; explicato vexillo ſuo, edictâque ſimul militari teſſerâ (quæ erat *Waldeck*) acclamat ſociis ante urbem præſtolantibus: *adhuc omnia ſatìs feliciter geri à noſtris: eos tamen pugnando et cædendo non parùm delaſſatos eſſe; ideóque deſiderare, ut et ipſi quâcunque meliore viâ quantocyus in urbem veniant, et fati-*

fatigatis auxilium præstent. Intrà vallum et portas nihil ampliùs periculi fore, cùm ea defensoribus jam destituta sint; ac belli totius vis nunc tantùm hæreat in campo Dominico, vicinóque urbis foro. Interea Stedingio & sociis ejus per Legatos proposuerat Joannes Rex, parciturum se ipsorum sanguini, dummodo relictis armis vexillísque militaribus vellent urbem derelinquere. Quod, cùm ipsi recusarent, malléntque mori potiùs, quàm regressu tam probroso sui nominis gloriam obfuscare, commodùm è vallo redit Joannes Twickelius, nuntiátque Stedingio & sociis ejus, jam à castris in urbem accurri, intráque breve tempus eorum auxilia præstò fore. Tum verò Stedingius, dimissis Legatis Regiis, jubet iterum dari signum pugnæ: dúmque ab ambabus partibus acerrimè certaretur; ecce tibi! copiarum Episcopalium numerosa turma, per valla, per fossas, per effracta portarum repagula in urbem ruens, fatigatam suorum aciem ità corroborat, ut Anabaptistæ, diuturniorem cædem non ferentes, dissolutis ordinibus in fugam se conjicerent. Ex his alii in terras subterraneas, alii in turres, alii in evastata Religiosorum domicilia, alii in alios angulos & latibula se abstruserunt, ut mortem capitibus suis imminentem fugerent. Soli, adhuc ducenti circitèr, ad munitiones in foro excitatas convolaverant, atque ex iis cum horrisono tormentorum fremitu ità in adversarios detonuêre, ut nemo ex his in forum progredi sinè cæde vel sanguine posset. Sed & hæc tempestas brevi rursus deferbuit. Nam, ùt primùm iis oblata est vitæ gratia, si relictis omnibus extra urbem securè duci, ac dimitti cuperent, conditionem hanc perlubenter amplexi, & impunè urbem egressi sunt. Ità demum nobilissima civitas, post unius anni pluriúmque mensium obsidionem, die vicesimâ quintâ Junii in sui Præsulis potestatem rediit, non sinè magno omnium Principum Christianorum gaudio.

Stedingius prælium redintegrat, & castrorũ accurrentiũ auxilio urbem capit, Anabaptistis partim occisis, partim fugatis. *Kerssenb. Hamelm. & Hæus in annal. brabant.*

Victoriæ nuntius eodem die sub horam sextam matutinam à Stedingio missus est ad oppidum Wolbecense, ubi tunc agebat Franciscus Episcopus. Priusquam verò hic in urbem adveniret; omnes omnium domorum ac turrium anguli sollicitè perquisiti, & ex occultis eorum latibulis hominum sceleratorum plurimi ad varia pœnarum genera protracti sunt: ità tamen, ùt longè mitiùs ageretur cum feminis, quàm cum viris. Illæ enim solo exilio castigatæ, exceptâ Reginâ Divarâ & paucis aliis, quæ supplicio capitis nefariam vitam conclusêre: viri autem è diverso vel è turribus in terram deturbati, vel hastilibus transfixi, vel gladiis & mucronibus obtruncati fuêre. Soli ex omnibus ad enormia supplicia servabantur Joannes Bockelsonius Rex, Bernardus Knipperdollingius

Joannes de Leyda, Knipperdollingius, & Krechtingius capiuntur, Regina Divara capite plectitur, Rotmann in acie cecidit. *Kerssenb. Hamelm. Hæus & alii.*

gius Regis Vicarius, & Bernardus Krechtingius novi Regni consiliarius. Horum primus in superiore tabulato portæ Ægidianæ deprehensus erat, catenam auream è collo defluentem gerens, quæ hodie adhuc asservatur à perillustri familia Dominorum de Merveld. Alter apud portam Novipontanam latuit, proditúsque est à quadam femina, quæ idcirco impunitatem obtinuit. Postremus in Ægidiano cœnobio se occultaverat, pœnámque singularem vel ex eo meruit, quòd antea sacerdos & Pastor Gillhusanus fuerit. His adjungi debuisset Bernardus Rotmannus, malorum omnium fax & incentor primus. At ille, dum acerrimus ambarum partium conflictus esset, in medias hostium phalanges militari sub veste irruens, ex accepto vulnere sceleratam animam jam antè evomuerat. Mirificè gavisus est Episcopus de trium istorum captivitate; magis autem de recuperatione urbis: ad quam videndam triduo pòst, nimirum die 28. Junii, ex oppido Wolbecensi Monasterium venit. Accedenti procedebat obviàm Wilckinus Stedingius cum octingentis militibus, eidémque non solùm obtulit claves urbis; verùm etiam Regis captivi sceptrum, coronam, gladium, & calcaria ex auro fusa. Lætus hoc donario Princeps, cum ingenti solatio in urbem ducitur, ibíque in gazophylacio Regis adhuc centum aureorum millia in auro & argento reperit. Cetera autem curiosis oculis contemplans, nihil aliud in urbe desolata vidit, nisi turres fastigiatis cacuminibus denudatas, Ecclesias tecto plumbeo exutas, profanata altaria, desertas domos, dispersa cadavera, plateas recenti sanguine adhuc madentes. Quare vix ultra biduum hîc moratus, Iburgum abiit; eóque pariter Joannem Regem in vinculis adduci jussit, aliis duobus alibi tantisper custoditis. Ibi Princeps audacissimum hominem primo intuitu sic adortus est: *Scelerate nebulo! in quæ damna me meósque conjecisti?* Ad quæ verba Rex fronte imperterritâ: *Sacrificule*! quid nocui tibi? urbem reliqui tibi, non modò amplam ac spatiosam, sed etiam validissimè præmunitam. Si quid amplius damnorum à me reparatum velis; jube fieri pro me corbem ferreum, undique contectum corio: huic me inclusum toto orbe circumducito, novæ Sionis Regem hîc esse proclamato, et à quolibet meî videndi cupido nummum*album tibi dari facito. Sanè eo modo plus nummorum recipies, quàm bello contra nos gesto consumpsisti. Bene est*, reponebat Præsul: *circumducam Te, et ab hominibus viderì faciam; corbem verò servabo tibi in tempus aliud. Sed heus tu! quâ auctoritate ausus es arrogare tibi jus in meam urbem et populum?* Reponebat ille vicissim & interrogabat: *Quis tibi, Sacrificule, jus istud in urbem contulit?* Cúmque responderet Præsul, se à Canonicis legitimè electum, atque à Pontifice & Imperatore confirmatum esse: *Ego autem*, edicebat,

Stedingius Episcopo ad urbem venienti offert captivi Regis coronam, sceptrum, & alia Regis insignia *Kerssenb. & Hamelman.*

Joannes Rex Iburgi ad Episcopum ducitur, & protervè respondet ipsi. *Kerssenbr. Spond. ad hunc ann. n. 19 & alii.*

**germanicè*, Pfaff: **monetæ genus, germanicè* ein weiß pfenning

bat, *non ab homine, sed ab ipso Deo per ejus Prophetam ad hujus urbis imperium vocatus sum.* Ità fanaticus homo etiam in vinculis insanire non desiit. At brevi didicit, non impunè ludi cum Principibus. Nam paulò pòst unà cum duobus aliis, Knipperdollingio scilicet ac Krechtingio, spectaculi causâ per diversas urbes & oppida circumductus, ibíque à diversis Principibus, Comitibus, Nobilibus, populóque universo, non solùm visus; sed etiam derisus ac subsannatus est, non sinè magno spectatorum & auditorum gaudio. Demum verò, cùm abunde cum iis lusum esset, Joannes Rex custodiæ arctioris causâ Bevergernam vehitur; Knipperdollingius autem & Krechtingius Horstmariam in diversos carceres abducuntur: ex quibus illos principio sequentis anni in ferale pegma vel theatrum proferemus.

Knipperdollingius, & Krechtingius, cũ Rege suo ludibrii causâ per varias urbes deducuntur: ac demum retruduntur in diversos carceres. *Kerssenbr. Hamelm. Suri⁹ Spondan. & alii.*

Ceterùm inter eas Monasterienſium Anabaptistarum turbas, longè gravius detrimentum Ecclesia passa est in Regno Angliæ, propter divortium Regis & Reginæ. Series totius rei ità habet: Catharina, Caroli V. Imperatoris matertera, sub initium hujus seculi nupserat Arthuro, Henrici VII. Regis Angliæ filio natu maximo. Hoc autem post quinque menses decedente, cùm adhuc virgo & ob morbum conjugis intacta esset; rursum ad nuptias expetita est pro Henrico VIII, defuncti Arthuri fratre, qui tunc agebat annum ætatis duodecimum. Quæsita postmodum dispensatio Pontificia; eâque post longas consultationes impetratâ, demum anno 1509 die 3. Junii Henricus *eam sibi in conjugem adscivit, ac die vicesimâ quartâ Junii unà secum in Westmünster coronâ Regiâ decorari fecit. Exinde per octodecim annos nemo fuit, qui valorem istius matrimonii in dubium traheret, usque ad annum istius seculi vicesimum septimum. Quo tempore Thomas Volsæus Cardinalis & Regni Cancellarius, cùm videret, castissimos Reginæ mores lascivo Regi nonnihil displicere; primus omnium suggessit ipsi, valorem præsentis matrimonii sibi valde suspectum esse, multísque de causis fieri posse, ut illud iterum declaretur fuisse irritum. At brevi didicit assentator ille, quàm vera sit vetus illa & vulgaris paroemia: *malum consilium consultori suo pessimum.* Cùm enim res illa postmodum deduceretur ad examen Pontificium, ibíque difficultates multò plures inveniret; quàm putâsset Rex, jam proclinatus in amores Annæ Bolenæ, admodum salacis & levitate ipsâ levioris feminæ: Thomas Volsæus, consiliorum istorum auctor, in gravissimam Regis offensam incidit. Ac primò quidem anno 1529 à conspectu Regis facessere jussus, dein die 18 Octobris Cancellarii dignitate exutus, demum etiam gravissimarum accusationum causâ in ærumnas varias detrusus est. Quas inter

Origo schismatis Anglicani ab anno 1527 usque ad annum 1535. *Sander. de schism. Angl. l. 1. Spond. ad ann. 1528. Palat. in Aq. Austr. ad eundem annum.*

**tunc ingressus annum 18 vũ.* Henricus VIII. consilio Thomæ Volsæi petit, matrimoniũ suũ cum Catharina declarari irritum *Spond. ad ann. 1528. Sander. l. 1. de orig. Schism. Angl. Palat. in Aq. Austr.* Thomas Volsæus, in Regis of-

fensam incidit; eíque in dignitate Cancellarii sufficitur Thomas Morus anno 1529. *Spondan. ad ann. 1529. Sanderus loc. cit. Vita Thomæ Mori c. 14.*

inter, dum anno subsequente ad dicendam læsæ Majestatis causam Londinum abduceretur; fatali morbo in itinere correptus obiit mense Octobri anno 1530. Huic in officio Cancellarii post octiduum suffectus est Thomas Morus, vir sapientissimus, & jam antè in variis legationibus cum egregia laude versatus: cui Henricus Rex eandem sui divortii causam examinandam ac discutiendam tradidit. At ille, post bene longam istius causæ discussionem, seposito respectu humano respondit Regi: *se quidem, Deo ante oculos habito, stare non posse pro divortio: si tamen alii contrarium sentiant, id à se non iniquè ferendum esse; nec unquam fore, ut idcirco eos malitiæ vel erroris arguat.* Audiebat hæc Rex moderato, uti exteriùs præ se ferebat, animo: sciebat enim, se antea dixisse Moro, ut in hoc negotio nihil aliud agat vel respondeat, quàm quod ejus conscientia dicendum vel agendum suadeat. Re ipsâ tamen ab hujusmodi viro sententiam aliam libidini suæ magis faventem exspectaverat: ideóque postea semper alios atque alios divortii sui patronos auro ac muneribus conquirebat, non quieturus, donec per fas aut nefas ad optatas nuptias perveniret. Quod cùm videret Morus, turbarum indè nasciturarum præscius; anno 1532, die 15 Maji, cum bona Regis Henrici venia Cancellarii munere se abdicavit. Nec multò pòst etiam Rex, novarum nuptiarum avidus, invenit virum suis desideriis obsequentissimum, nempe Thomam Cranmerum profligatæ conscientiæ virum, quem eodem anno ad Archi-Episcopatum Cantuariensem evexerat, in locum Guilielmi Warami mense Augusto mortui. Is, cùm Annæ Bolenæ addictissimus, totúsque ad assentationem Regis fictus & factus esset; continuò sinè lege, sinè ordine, sinè jure & judiciaria potestate, sententiam pronuntiavit pro divortio: simúlque permisit Regi, ut non exspectato Romanæ Sedis judicio ad concupitas nuptias procederet. Initæ sunt hæ mense Octobri vel Novembri anno 1532; sed admodum occultè paucísq; conscíis: volebat enim Rex aliquot mensibus exspectare favorem summi Pontificis. Sed cùm interea nihil ex ejus voto Roma decerneret, tandem anno sequente omnem Apostolicæ sedis reverentiam exuit, matrimonium à se initum publicavit, Annam Bolenam velut Angliæ Reginam coronari fecit, & eodem anno, die septimâ Septembris, ex ea suscepit Elisabetham filiam, Catholicæ Religionis flagellum pessimum.

Thomas Morus divortium à Rege cogitatum improbat; & anno 1532 Cancellarii officium suâ sponte abdicat. *Sand. l. 1. de schism. Anglic.*

Thomas Cranmerus anno 1532 creatus Archiepiscop. Cantuariensis, sententiam fert pro Rege Henrico; permittítq; eum conjungi cum Anna Bolena. *Spond. ad ann. 1533. Sand. l. 1. de orig. schism. Angl.*

Clemens VII. Papa, ùt primùm ista per nuntios didicit, Henricum Regem non semel paternè cohortatus est, ut ab illicitis hujusmodi nuptiis quantocyus resiliret. Cùm autem per hæc omnia nihil profeciisset; ad acriora tandem progressus, mense Martio anni millesimi quingentesimi tricesimi quarti, Majoris excommuni-

Henricus VIII. anno 1634 à Clemente VII Pontifice

municationis ſententiam in Henricum Regem fulminavit: eâ tamen moderatione, ut cenſuræ hujus declaratio adhuc toto ſemeſtri ſpatio ſuſpenderetur; &, ſi interea Henricus reſipiſceret, excommunicatio effectum non haberet. At ille jam eò flagitiorum venerat, ut non modò amores illicitos non coërceret; ſed etiam quotidie magìs ac magìs in Catharinam à ſe rejectam & in Pontificem Romanum fureret. Nam eodem anno, cum aſſenſu Thomæ Cranmeri Cantuarienſis Archiepiſcopi, novam duplicis juramenti formulam adinvenit, unam, quâ jurarent omnes, conſentire ſe in ſucceſſionem Eliſabethæ filiæ jam recèns natæ, cum excluſione Mariæ ex matrimonio priori genitæ: alteram, quâ jurarent, ſe Romano Pontifici renuntiare, nullúmque aliud Anglicanæ Eccleſiæ caput à ſe agnoſci, quàm ſolum Regem. Utrumque illud juramentum offerebatur toti Clero Londinenſi, ad Archiepiſcopale palatium convocato; utì etiam Thomæ Moro, qui ſolus è ſtatu Laicali præſtò erat, & ante omnes alios juramentum hoc edicere juſſus eſt. Reſpondit ille, id à ſe jurari non poſſe, nisì ſe ſuámque animam æternæ damnationis periculo objectam vellet. Simile reſponſum dedit Joannes Fiſcherus, Epiſcopus*Roffenſis: reliquus verò ſecularis Clerus, minùs Deum, quàm Regem timens, juramentum illud metu pœnarum edidit. Morus igitur & Fiſcherus, velut homines Regi ſuo rebelles, auctoritate Regiâ comprehenſi, & in carceres abducti; nec multò pòſt etiam varii variorum Ordinum Religioſi ob eandem cauſam in vincula & compedes pertracti ſunt. Ex horum numero, ſequenti anno 1535, primi omnium glorioſâ morte procubuêre tres Carthuſianorum *Priores*, unà cum Reginaldo Brigittini Ordinis Theologo, & alio ſacerdote ſeculari: omnes craſſiori fune in furcam attracti, dein ſemivivo corpore ex ea rurſum demiſſi, ac demum detruncato capite in quatuor partes diſſecti. Hos iterum die decimâ octavâ Junii ad glorioſam necem conſectati ſunt alii tres Carthuſiani ex Londinenſi monaſterio: quos non modò pari morte affectos referunt; ſed etiam paulò antè in fœtentiſſimo carcere tam immaniter conſtrictos, ut debuerint ſemper erecti ſtare, ne quidem permiſsâ (quod ait Surius) purgandi corporis facultate. Quatriduo pòſt, nimirum die 22. Junii, ſenile caput crudeli ferro ſubjicere debuit Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, vir ſummæ probitatis & religionis: in cujus theſauris à ſatellitibus Regiis nihil aliud inventum eſt, Sandero teſte, quàm cilicium & flagellum. Ad ſupplicii locum deductus, eundémque jam eminus videns, abjecto ſtatim ſenili baculo: *Eja*, inquit, *pedes mei! adhuc brevi tempore* * *veſtrum officium facite: adhuc parùm itineris reſtat.* Conſcenſo demum ferali pegma-

excommunicatur. *Spondan. ad ann. 1533. Haræus in annal. brab. Sander. l. 1. ſchiſm. Anglic.*

Exigit à ſuis impiiſſimũ duplex juramentum. *Spond. ad ann. 1534. n. 6. Pal. & alii.*

**Roffa, Anglicè Rocheſter, urbs Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi.*

Thomas Morus, Joannes Fiſcherus Epiſcopus Roffenſis, & alii juramentum illud recuſantes, in carcerem detruduntur aõ 1534 *Spond. ad ann. 1534. & ſeq.*

Fiſcher⁹ & alii trucidantur anno 1535. *Spond. ad ann. 1535. Sander. l. 1. ſchiſm. Anglic.*

**Chytræ⁹ l. 14. Saxon.*

pegmate, sublevatis in cœlum oculis, oravit hymnum Ambrosianum; eóque recitato fatalem ictum lætus excepit.

Acerbè ingemuit Morus, cùm audivit, sanctissimum illud caput ad necem rapi; se verò nondum coronæ talis participem fieri. *Confiteor* tibi Domine, inquiebat, *quòd non merear tam illustrem gloriam; non enim sum adeò sanctus, utì Roffensis tuus. Attamen, si fieri potest, fiam et ego particeps calicis tui Domine!* Placuêre cœlo tam beata suspiria: Die primâ Julii Morus iterum è Londinensi carcere ad Regium tribunal ducitur. Ubi diu multúmque exagitatus, cùm nec Annæ Bolenæ nuptias approbare, nec Regem ùt Ecclesiæ Anglicanæ caput agnoscere vellet; suæ mortis sententiam à supremo Regni Cancellario pronuntiatum audiît in hæc verba: *Visum est nobis, Thomam Morum ab hoc loco in carcerem turris Londinensis reduci oportere: indè verò post dies aliquos per mediam urbem ad furcas Tyburtinas trahi, ibidem suspendi, adhuc spirantem è furca relaxari, pectus eviscerari, viscera comburi, caput abscecari, corpus in quatuor partes diffindi, postremò singulas partes unà cum resecto capite in iis locis affigi, in quibus Rex voluerit.* Sed hæc sententia paulò pòst ab Henrico Rege mitigata est, conversáque in solum abscissionem capitis. Morus interim à satellitibus reducitur in suum carcerem, occurrentibus inter viam Joanne Moro filio ipsius unico, & Margaretâ filiâ præ ceteris dilectâ. Ille, tametsi jam vir maturus & matrimonio ligatus foret, coram patre in genua provolutus, benedictionem ab eo supremam petiît, & osculo impresso abiît. Illa verò in patris amplexum ruens, nihil aliud loqui præ dolore potuit, quàm hæc pauca verba: *Ah! mi pater!* Quibus dictis cùm oscularetur patrem, respondit hic: *se, quæcunque jam pateretur, Dei voluntate* et permissu pati: proinde opus esse, ut et ipsa divinæ voluntati se accommodet, patrisque sui casum patienter ferat.* Subinde redux in carcerem, per dies reliquos ad Martyrium perferendum pientissimè se dispositi, usque ad diem sextam Julii, glorioso ejus Martyrio designatam. Educebatur eâ die vilissimo indutus habitu, manibúsque ferens*crucem, è cujus amplexu frequenter oculos in cœlum sustulit. Vinum, quod ei transeunti offerebatur à quadam femina, modestè recusabat, inquiens: *Christum in morte sua non vino, sed amaro felle potatum esse.* Ad locum supplicii veniens, ac theatrum ibi positum conscensurus, manum alicujus adstantis petebat hísce verbis: *juva me, * quæso, ad hunc ascensum: in descensu, ut quis me juvet, nemini molestus ero.* In ferali pegmate jam constitutus, prohibitúsque ad plebem loqui, brevissimè ad omnes dixit: *Ego, fratres, contestor apud vos, me et fidelem Regi, et servum Dei mei, et in fide Catholica* mori.* Tum utroque genu flexo clarâ voce recita-

*Sander. l. 1. schism. Angl. Thomas Morus ad mortem condemnatur & moritur.

*Vita Mori c. 19.

*Vita Mori c. 20.

*Vita Mori ibid. Sander. l. 1. schism. Angl. *Vita Mori ibid.

citavit psalmum: *Miserere meî Deus.* Quo finito, glorioſum caput ferali trunco impoſuit, eôque recisô abeuntem animam felici tranſitu ad cœlos miſit.

Necem Mori initio ſequentis anni conſecuta eſt beata piáque mors Reginæ Catharinæ: quæ, tametſi à cæde & ferro intacta manſerit, ab Anna tamen Bolena tot ærumnis & injuriis preſſa eſt, ut inter eas vitam longiorem agere vix potuerit. Paulò ante mortem Henrico Regi pientiſſimè valedixit hac epiſtolâ, uni famularum ſuarum ad calamum dictatâ: *Domine mi Rex, et Marite mihi ſemper chariſſime. Jam adventat hora mortis meæ. In quo temporis articulo jubet amor meus, quo te ſemper proſecuta fui, ut paucis admoneam te de æterna ſalute animæ tuæ, univerſis mundi rebus et bonis anteferenda. Ego tibi libenter ignoſco omnia; precórque, ut eadem condonet tibi Deus. Quod reliquum eſt, commendo tibi Mariam, communem filiam noſtram, ut ei præſtes officium patris. - - - Poſtremò id unum teſtor, quòd oculi mei te ſolùm è rebus mortalibus adhuc ſemel videre deſiderent. Vale.* Non potuit ſibi Rex à lachrymis temperare, cùm hujuſmodi literas perlegiſſet: ſtatímque remiſit aliquem è ſuis, qui eidem ſuo nomine plurimam ſalutem diceret. Sed illa jam ante adventum hujus in cœlum iêrat, defuncta Kimbaltonii in Huntingtonia, die ſextâ Januarii anno 1536. Subinde præcepit Rex, ùt Aula tota lugubrem veſtitum ſumeret: & quis non putâſſet, etiam Annam Bolenam, publici honoris causâ, huic decreto Regio parituram fuiſſe. At illa (turpe dictu!) non ſolùm ei non paruit; ſed ex adverſo, quaſi in ſignum ſuæ lætitiæ, ſe ſuásque famulas ac miniſtras flavi coloris veſtibus amiciri juſſit. Imò cùm aſſentatores quidam gratularentur ei de ſecuritate per hunc obitum acquiſita, reſpondit* ſcelerata mulier: *equidem gaudere ſe de illius obitu; dolere tamen, quòd obiêrit morte tam honeſtâ.* Per quæ verba quid aliud indicatum voluit, quàm ſibi gratius fuiſſe, ut gladio carnificis percuſſa caderet? ſed non videbat coronata pellex, malum iſtud, quod Catharinæ innocenti voluit, ſuómet ſcelerato capiti propediem impendêre. Menſe enim quarto poſt illius obitum, nimirum die decimâ nonâ Maji, propter adulteria & inceſtum cum ſuómet fratre commiſſum infami gladio percuſſa eſt; & quidem in eodem loco, in quo eâdem inſtigante Thomas Morus ante annum paſſus erat propter innocentiam & ſanctitatem. Adeò verum eſt illud Poëtæ: *rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.*

Satìs hæc de ſchiſmate Anglicano, cujus originem & progreſſum paucis attingere neceſſum fuit. Nunc ad ea me recipio, quæ hoc anno geſta ſunt in negotio convocandi generalis concilii. Paulus III Papa, cùm per Octobrem anni ſuperioris ad ſummi Pontificatus

Catharina Regina piè moritur anno 1536. die 6. Januarii. *Spond. ad ann. 1536. Sander. l. 1. ſchiſm. Angl. & plures alii.*

Regis Henrici mœror, & Annæ gaudium de hac morte. *Auctores iidem.*

**Sander. l. 1. ſchiſm. Angl.*

Anna Bolena eodem anno ſecuri percutitur ob inceſtũ & varia adulteria. *Sander. loc. cit. Spondan. loc. cit. Chytræus l. 14 Saxon.* Vergerius Legat⁹ Pontificius, à Paulo III,

ad Principes Germaniæ mittitur, ut cum iis agat de concilio celebrando Mantuæ. *Pallav. in hist. concil. Trid. l. 3. c. 18. Spond. ad ann. 1535. Surius in comment. rer gest.* *vide eas suprà ad annũ. 1533.

ficatûs apicem provectus esset; inter primas officii sui curas nihil impensiùs habuit, quàm ut in bonum nationis Germanicæ tandem aliquod concilii generalis initium pro componendis Religionum discordiis fieret. Ea de causa Petrum Paulum Vegerium, antea Nuntium Viennensem, hoc anno misit in Germaniam, ut ea de re cum Principibus, tam Protestantibus, quàm Catholicis ageret, omissis omnibus conditionibus, ante biennium*à Clemente VII præscriptis. De loco autem futuri concilii nihil aliud suo nomine proponi jussit, quàm leniissima hæc verba: *cogitâsse quidem se de urbe Mantua, utpote quæ ad Imperii Germanici clientelam pertineret: ex paterna tamen benevolentia et affectu singulari se iis nihil de hac urbe designanda præscribere; sed priùs velle, eorundem consensum et voluntatem explorare.* His auditis, Catholici ferè omnes, & ex Lutheranis etiam Georgius Marchio Brandenburgensis, acquievêre tam benignæ moderatæque propositioni summi Pontificis. Reliqui verò Principes Lutherani, maximéque Saxo & Hassus, responsionem suam rejecêre ad conventum Schmalcaldicum, Decembri mense inchoandum. Indè postmodum rescribebant: *recusare se concilium in Italia: nec unquam permissuros, ut Romanus Pontifex concilio futuro præsit; aut ut ea, quæ in antiquioribus conciliis definita sunt, habeantur in rebus veris et certis. Solam scripturam sacram à se agnosci ùt regulam indubitatam fidei: atque ideò ad componenda Religionum dissidia satis fore, si à Cæsare et aliis Principibus deligantur ab utraque parte viri idonei, qui ex puro Dei verbo res credendas tenendásque definiant.* Deus bone! quàm imprudens & inepta methodus procedendi in rebus fidei? Certè si olim tempore Arianorum, Nestorianorum, aliorúmque id genus hæreticorum veterum, hoc modo actum, & cum iisdem processum esset; quis unquam speràsset, fore ut ejusmodi hæreses in Ecclesia Christi finem acciperent? Nonne & illarum sectatores potuissent dicere, se conciliorum definitiones ùt infallibiles non recipere? se Romanum Pontificem ùt synodalium congressionum Præsidem recusare? se tantùm velle, ut Imperator & alii Principes, è Provinciis eâdem hæresi aspersis, *viros idoneos* deligant, qui è solo Dei verbo de suarum doctrinarum veritate aut falsitate arbitrium ferant? Præterea, qui & quales debebant esse *illi viri idonei*, à Protestantibus deligendi? si volebant Lutherum, si Melanchthonem, si Bucerum & alios id genus Apostatas: quis eorum decisioni majorem certitudinem attribuere poterat, quàm definitioni tot sanctissimorum Patrum, qui veteribus conciliis interfuêre? Aut quis Italos, Hispanos, Gallos, Polonos, reliquúmque orbem Christianum obligare poterat ad amplectendum ea, quæ à paucis Germanis in conventu nationali decre-

Respons. Principum Protestantium ad eâ Legati Propositionem *Palavic. Spond. & Surius, loc. cit.*

Imprudentia & inanitas hujus responsionis.

decreta essent in materiis ad universalem Ecclesiam pertinentibus? Ridicula sunt hæc; imò talia, quæ apertè indicant, Protestantes illos ad nihil aliud collimâsse, quàm ut Ecclesiam universalem scinderent, & ab ejusdem unitate se retraherent: id quod proprium hæreticorum & schismaticorum est.

Annus Christi 1536.

PAULI III. Pontificis 2. & 3.
CAROLI V. Imperatoris 17. & 18.
HERMANNI II. Administr. Pad. 4. & 5.

Carol⁹ Imperator venit Romam & agit cum Pontifice de concilio indicendo Mantuæ. *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 3. c. 19.*

CArolus Imperator, cùm apud Neapolitanos per hiemem versatus esset, die quintâ Aprilis Romam venit: ubi cum Paulo III Pontifice multa conferens, tandem eò rem deduxit, ut è Principum Catholicorum voto generale concilium in urbe Mantua indictum fuerit. Interea Franciscus Galliæ Rex, intellecto Ducis Mediolanensis obitu, cum ingenti exercitu processerat in Sabaudiam; eâque occupatâ, etiam urbe Taurinensi & magnâ Pedemontii parte potitus erat. Quo audito Cæsar vehementer excanduit in Regem Galliæ: tum quòd Sabaudus affinitate maximâ sibi conjunctus esset; tum quòd apprime nôsset, invasionem istam non alio consilio susceptam esse, quàm ut Gallus ex eo latere in Insubriam se infunderet, rursúsque Mediolanensem Ducatum è suis manibus extorqueret. Itaque primùm ea de re coram Pontifice & Patribus purpuratis gravissimè conquestus est: deinde verò sequenti die, nimirum decimâ octavâ Aprilis, quàm ocyssimè abiit in Insubriam, ubi ad nova bella florentissimum exercitum coire jusserat. Potuisset hîc illustrem victoriam consequi, si Taurinum priùs invasisset; eóque recuperato, Sabaudiam totam ab hostili milite repurgâsset, utì suadebat Alphonsus Davalus, & alii plerique Duces. At ille consilio solius Antonii Levæ, qui Mediolano gubernator præerat, statim in ipsa Galliæ viscera transgressus est; relictóque Turino & Sabaudiâ, castra sua posuit ante Masiliam. Quod, quàm improspere eidem cesserit, funestus eventus docuit. Cùm enim Galli (videntes, quò Cæsar vellet) ibidem omnes frumentarias molas unà cum furnis & pistrinis evertissent; brevi tempore florentissimum Cæsaris exercitum, necessario pane destitutum, feréque solis uvis & fructibus victitantem, tam acerba ventris profluvia invaserunt, ut multa armatorum millia in tumulum dejecta fuerint. Ità demum Imperator, nullo tantæ expeditionis fructu, receptui canere; & unà

Ibidem acerrimè questus est de Rege Galliæ, qui Mediolani recuperandi causâ, magnam Sabaudiæ partem occupârat. *Pallav. ib. Palat. in Aq. Austr. Spond. Surius & alii*

Pessimo consilio exercitum suũ transfert in Galliam. *auct. iidem Hæreus in ann. brab. Chytræus l. 14 Saxon.*

cum exercitûs lacerati reliquiis, eâdem viâ, quâ venerat, in Liguriam reverti debuit, amisso interim Antonio Leva consiliorum istorum auctore.

Carol⁹ Gelder occultè rursus fœderatur Gallo: Dani ejus consilio Dammum occupant, & agrum Grôningensem infestant. *Haræus in ann. Brab. Chytræus l. 14. Saxon.*

Prosperiùs fortuna Cæsaris procedebat in dominio Grôningano, contra detentorem ejus Carolum Geldrum. Hic, tametsi anno 1528. societatem Gallicam ejurâsset (utì suo loco diximus) auro tamen Gallico invitatus, rursum se intromiserat in fœdus interdictum. Ut autem facinus tam iniquum tegeret, neque adhuc apertè videretur contra Cæsarem, fidémque ei datam agere; Christiernum Daniæ Regem hostémque Cæsaris invitârat ad invadendam Omlandiam: promittens ei, se, qui Omlandiam* possidebat solùm pro diebus vitæ, externè simulaturum, quasi hæc invasio se invito fieret; postea verò, cùm occasio tulerit, conjunctis armis contra Cæsarem iturum ad occupandam vicinam Frisiam. Rebus in hunc modum adornatis, copiæ Danicæ, Meinardo & Hackefordio Ducibus in Omlandiam irruunt, Dammum agri Grôningensis oppidum Christierno subigunt, eóque festinatis operibus præmunito, per totam latè viciniam prædas non parvas agunt. Grôningani fraudis istius inscii recurrunt ocyùs ad Carolum Geldrum, cui ex pacto *Gorcomienses etiamnum suberant. Rescribit ille, invasionem hanc se invito factam esse: visurum tamen, ut iis opem ferat, dummodo sibi permittere velint, ut in urbe Grôningensi castellum erigat, receptúmque Dammense oppidum validioribus munimentis pro suo libitu circumcingat. At illi timentes vulpem (quam gerebat in pectore) conversis repentè animis confugiunt ad Mariam Gubernatricem Belgii; fratríque ejus, Carolo Imperatori, subjectionem suam offerunt, si in rebus afflictis auxilium ferat. Mittuntur ocyùs mandata Regia, cum selectis Belgarum copiis, ad Baronem Schenckium gubernatorem Frisiæ. Et hic celerrimè Groningam tempore nocturno veniens, alterâ die (quæ erat octava Junii) Caroli Imperatoris nomine juramentum fidelitatis à civibus Grôninganis recipit. Indè verò cum acceptis militibus in hostem prodiens, Delfzielam occupat, Dammum oppidum incingit, muros ejus majoribus tormentis verberat, ac demum tria millia Danorum & Geldrorum, qui ad obsidionem dissolvendam adventabant, sexto Idus Augusti, prælio tam fausto profligavit, ut captis belli ducibus, reliqui omnes vel in pugna cæsi, aut in fugam compulsi fuerint. Quo peracto Schenckius, in obsidione cœpta perseverans, tandem Idibus Septembris oppidum in deditionem accepit, non aliâ conditione, quàm ut Meinardus & Hackefordius captivi fiant; ceteri autem relictis omnibus impedimentis cum solo scipione albo è portis emigrent. Deje-

*Omlandia regio circumfusa urbi Grôningensi, atque ad ejus dominium pertinens.

*vide illud ad ann. 1528.

Grôningenses, rejecto Carolo Geldro, se submittunt Imperatori; ejúsque nomine fidem jurant Georgio Schenckio. *Chytræus & Haræus loc. cit.*

Schenckius devicto Geldro, Dammóq; occupato, Covordiã, Bronckhorstium, & alias urbes Geldro eripit. *Chytræ⁹ & Haræ⁹ ibid.*

ctæ

ctæ mox omnes munitiones oppidi, eversa cum portis mœnia, complanati aggeres, æquatæ fossæ, locus totus in formam patentis pagi redactus est, qualis hodierno tempore etiamnum visitur. Neque hîc bellandi finem faciebat Schenckius; sed eodem victoriæ cursu occupabat etiam Covordiam, Bronckhorstium, aliásque urbes & oppida non pauca: quibus amissis Gelder tandem à bello malè cœpto abstitit, pacémque petere coactus est. Leges illius pacis, exeunte hoc anno Bruxellis publicatæ, potissimùm fuerunt hæ: *Dominum Gröningense, cum locis omnibus hoc bello acquisitis, maneant in potestate Caroli Imperatoris. Quo ad Geldriam verò et Zutphaniam serventur ea, quæ in Gorcomiensi transactione anno 1528 conventa fuerant: nimirum ut hæc utraque Provincia, si Gelder sinè prole masculâ decedat, ad Carolum V. ejúsque legitimos hæredes transeat.*

Gelder ad pacem cogitur, eâ lege, ut, si moriatur sinè prole masculâ, tota Geldria recidat ad Carolũ V. *Hæræus & Chytræus ibid.*

Interea Monasterienſium Anabaptistarum Duces, Joannes de Leyda, Bernardus Knipperdollingius, & Bernardus Krechtingius, ineunte hoc anno Monasterium reducti sunt, ut suorum facinorum pœnas eo in loco darent, ubi Regni scelestissimi sedem ac solium fixerant. Pridie, quàm ad supplicium educerentur, omnes interrogati sunt, num aliquem sacerdotem cuperent, cum quo devotè & confidenter agerent de rebus animæ? Recusârunt id Knipperdollingius & Krechtingius, desperatæ salutis homines: Leydensis verò, tametsi Joannem Siburgium Francisci Principis Capellanum ad se poposcerit, & coram eo crudelitatem & impudicitiam suam acerbè deplorârit; nullis tamen adhortationibus huc adduci voluit, ut recantaret errores suos de puerorum baptismo & humanitate Christi, quam è Virgine MARIA assumptam esse pernegabat. Itaque omnes impœnitentes altero mane, quæ erat vicesima 2da Januarii, post horam octavam protrahuntur ad supplicium, in primario urbis foro præparatum. Stabat ibi ferale theatrum, in cujus medio palus ligneus cum brevi scamno, & numellis vinculísque ferreis, quibus nocentium colla manúsque adstringerentur. Circùm aspiciebantur funestæ sartagines, carbonibus ignitis plenæ, cum horrendis forcipibus eidem igni impositis. Ex adverso in æde proxima considebat Franciscus Episcopus cum diversis aliorum Principum oratoribus. Ante reos pro tribunali sedebat in theatro Joannes Wesselingus, urbis Judex cum duobus Assessoribus; altâque voce prælegebat ipsorum crimina, & inferendæ mortis sententiam. Quâ auditâ, prior omnium in pœnam trahitur, qui dignitate & honoribus prior fuerat, Joannes Leydensis, dictus aliàs Bockelsonius. Hic, ubi vestibus exutus ac toto corpore denudatus erat, imponitur scamno ad palum fixo, constringitur vinculis, includitur numellis, laceratur ignitis forcipi-

Supplicium Anabaptistarum. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Spond. ad hunc annũ. n. 19. Hamelm. Kleinsorg. & alii.*

cipibus ad omnes partes carnosas corporis, ac demum ad guttur ipsum: testísque est *Hamelmannus, tenuisse hoc supplicium per horam integram, aut paulò amplius. Simili modo processum est cum Bernardo Knipperdollingio, & Krechtingio: quorum prior, cùm è scamno se retrahere & collari circulo sibi guttur infringere vellet; reste per os tractâ eum in modum constringi debuit, ut nullum accelerandæ mortis remedium inveniret. Nonnulli*Monasterienſium Annales referunt, eosdem, adhuc vivo corpore, ferratis corbibus inclusos, & è turri Lambertina suspensos fuisse. Contrà verò Hamelmannus & Kerssenbrochius perhibent, eos postmodum adacto in pectus gladio trucidatos, ac deinde in ferratis corbibus inclusos, è Lambertina turri pependisse. Id quod etiam Antonius Corvinus, ejusdem supplicii spectator, indicat in epistola*ad Georgium Spalatinum scripta. Monumenta rei gestæ adhuc visuntur Monasterii, ubi singulorum forcipes etiamnum pendent ante urbis curiam; corbes autem ante turrim suprà dictam: ità tamen, ut Joannes Rex paulò altiùs pependerit in medio; Knipperdollingius verò paulò depressiùs ad Regis dexteram, & Krechtingius ad sinistram.

*Hamelm. in hist Ev. Mon. pag. 1296.

*Annal. Monast. ms.

*vide hanc to. 2. rer. gestar. sub Carolo V.

Catholica Religio Monasterii restituitur.

Prima subinde cura Francisco Antistiti fuit, ut in urbe recuperata quantocyus restitueret antiquam fidem ac Religionem Romano-Catholicam: quam & Ferdinandus Romanorum Rex ibidem recipi, & unicè*conservari statuit in comitiis Wormatiensibus, per anni superioris Novembrem habitis. Opponebant se quidem hac in re fœderati Schmalkaldienses, maximéque Saxo & Hassus, cupientes illuc iterum introduci doctrinam Lutheranam: quippe quæ, priusquam Anabaptistæ ibidem nidulari cœperant, in omnibus*templis parochialibus recepta fuerat. Sed hæc eorum consilia facillimè difluxerunt è sola voluntate civium, ab invalescentibus Anabaptistis ejectorum. Hi enim præcipua ex parte adhuc probè Catholici erant: ceteri verò, qui jam antè Luthero se adjunxerant, nunquam ampliùs adduci potuêre, ut ab Ecclesiæ Romanæ gremio se retraherent; utpote semper veriti, ne, si rursus in eandem silvam irent, rursus in errores alios & miseriam antè habitam se devolverent. Ità vel ex ipsis adversariis nostris clarissimè fatetur Antonius Corvinus, è Cistertiensi monacho Lutheranus Præco, dum in epistola, ad Georgium Spalatinum hoc anno scripta, in hunc modum loquitur: *de Evangelico negotio, quod tu forsan in ea ditione procedere arbitraris, nihil est. Imò tantò Anabaptistis iniquior sum, quantò certiùs comperi, illorum malitiâ ac perfidiâ factum esse, ut vix mutire nunc audeant, qui antea veritati* (Lutherano scilicet Evangelio) *erant addictissimi: nimirum iis, penès quos rerum*

*Kerssenb. in hist. Anabapt. ad ann. 1535.

Hamelm. in hist Ev. pag. 1288.

*Vide dicta ad annum 1533.

Cives, etiâ ii, qui Luthero olim se adjunxerant, urbe receptâ Lutheranam doctrinam respuunt, nec ad eam revocari volunt.

Hamelm. in hist. Ev. pag. 1297.

rum summa est, semper timentibus, ne illud doctrinæ genus, quod profitemur nos, ab Anabaptistarum dogmatis diversum non sit. Quis hîc non adoret admirabilem supremi Numinis providentiam, quæ sic elicuit ex malo bonum, attulítque *salutem ex inimicis nostris?*

Ne autem in posterum novæ civium rebelliones quoquo modo suboriri possent; primùm in septentrionali urbis angulo propugnaculum vetus, quod ad portam Novipontanam erat, firmiori opere communitum; fossâque, versùs urbem circumductâ, roboratum est. Ex altera verò urbis parte, in loco dicto **Bischpinckhoff** (ubi antiquis temporibus curiam Episcopalem stetisse ferunt) erecta est arx prævalida, muris, aggeribus, fossis, aliísque munitionibus fortissimè cincta, quam Engelburgum appellavêre: forsitan ad imitationem istius castelli, quod Romæ intrà urbem visitur, dicitúrque *Castellum S. Angeli.* In hanc arcem illata sunt plurima tormenta bellica, ab Anabaptistis obtenta; primúsque illius gubernator omnium Ordinum consensu designatus est Dominus Bernardus ab Ohr, egregiæ nobilitatis, fortitudinis, & auctoritatis miles. Ad hunc omni vespere debebant afferri claves urbis & portarum, neque ampliùs asservari apud aliquem è Consulibus vel ex Magistratu urbico, penès quem antea portarum & urbis custodia fuerat.

Construitur in urbe novum castellum, nomine **Engelburg**, ad refrenandas civium seditiones. *Kerssenbr. in hist. Anabapt.*

Plura alia, quæ ad reformationem Cleri Monasterienſis, & ad rectam Christiani populi institutionem requiri videbantur, eodem hoc anno pulcherrimè ordinata sunt in provinciali synodo Colonienſi: cui præter Hermannum Archiepiscopum etiam alii Episcopi, Colonienſi Metropolitano subditi, videlicet Leodienſis, Ultrajectenſis, Monasterienſis, Osnabrugenſis, & Mindenſis, per suos Oratores & Legatos interfuêre. Præcipui impulsores ad hanc synodum inchoandam fuêre tres egregii viri, Adolphus Comes de Schawenburg Archiepiscopi Coadjutor, Quirinus à Vilich Archi-Episcopi Suffraganeus, & Joannes Gropperus ad S. Gereonem Canonicus, patriâ Susatenſis, & in sacrarum literarum studio versatissimus. His autem indefessam operam in pertractandis concilii negotiis præstitêre plures alii Colonienſis Academiæ Doctores; quorum industriâ & integritate facillimè suppletum est, quidquid scientiæ aut fervoris deerat Hermanno Archiepiscopo, homini minùs literato, magísque venationum, quàm Ecclesiasticarum sanctionum studioso. Decreta synodalia, quæ à Joanne Groppero in quatuordecim partes ordinatissimè digesta sunt, in tomis*conciliorum generalium videri possunt; facilíque methodo complectuntur omnia, quæ ad rectam Cleri populíque disciplinam inducendam pertinent. Unde etiam synodus illa, teste Cardinale

Quæ ad reformationē Cleri & morum attinent, pulchrè hoc anno constituta sunt in provinciali synodo Colonienſi. *Acta concilii Colonienſis. Spond. ad hunc annū. n 16. Kleinsorg. in hist. mſ. & alii.*

*apud Labbæum & Cossart. to. 14.

*Palla-

*Pallavic. in hist concil. Trid. l. 4 c 14. n 2.

*Pallavicino, non minori plausu excepta est in Germania, quàm octennio antè Senonensis in Gallia.

Simon Comes de Lippia, vir pientissimus & probè catholicus, hoc anno moritur die 26 Septembris.

Inter hæc fausta Religionis promovendæ studia, rursus Ecclesia Catholica stragem non parvam retulit ex immatura morte Simonis V. Comitis Lippiensis: utpote quo defuncto Lippiacæ ditiones ab avita majorum suorum fide ad Lutheranismum abstractæ sunt. Annum ac diem obitûs, in quo Hamelmannus*ac Piderítius exerrârunt, clarissimè nobis indicat necrologium vetus monasterii Falckenhagensis, hoc modo scribens: *VI. Kalendas Octobris* (hoc est, die vicesimâ sextâ Septembris) *Anno Domini 1536 obiit quondam Nobilis, dum vixit, Comes et Dominus Simon de Lippia, piissimus amicus et protector omnium Religiosorum, et potissimùm hujus Conventûs.*

*Hamelm. in hist Ev. pag. 811. Piderit. in chron. Lipp. *aõ 1523.

Primis ille nuptiis copulaverat sibi Walburgem Bronckhorstianam. Hac autem sinè liberis relictis mortuâ, novo matrimonio*sibi junxerat Magdalenam, Gebhardi Comitis Mansfeldiensis filiam: ex qua annis vitæ posterioribus genuit Bernardum successorem, Hermannum Simonem, postea Comitem Spiegelbergicum, & quatuor filias, nempe*Margaretam, Annam, Agnetem, & Magdalenam. Tutores horum ob ætatem adhuc teneram constituti sunt Adolphus, è Comite Schawenburgensi Metropolitanæ Colonienſis Præpositus, & Coadjutor Archiepiscopi, Jodocus Comes de Hoya, & Philippus Hassiæ Landgravius: quorum primus quidem bene Catholicus; reliqui autem Lutheranorum dogmatum tenacissimi erant, magno totius Comitatûs & nostræ Diœcesis damno. Landgravius enim, ùt erat turbulenti & quælibet audentis animi, frustra obnitente Adolpho Schawenburgico, primùm impuberes filios Bernardum & Hermannum Simonem è gremio matris confestim abripuit, eosdémque in aula sua Cassellensi Lutheranis doctrinis institui jussit. Postmodum verò, sequenti*anno, *Dominicâ post vincula Petri*, Procancellarium suum Georgium Nussbickerum cum duobus Lutheranis præconibus Lemgoviam misit, Proceribus vel Deputatis Lippiacis proposituros: Landgravii mandatum esse, ut novam illic ordinationem Ecclesiasticam procudant, eámque in omnes Lippiacæ ditionis parochias introduci faciant. Restitêre quidem his conatibus Deputati patriæ, juréque merito causati sunt, hujusmodi novationem permitti à se non posse sinè consensu primarii tutoris, & Hermanni Administratoris Paderbornensis; cujus Ecclesiasticam jurisdictionem per hujusmodi reformationes violari compertum erat. Sed quia neuter horum vim vi opponere, & iniquas ejusmodi machinationes æquali potentiâ reprimere poterat; importunis tandem impulsionibus eò rem deduxit Landgravius, ut reformatio, seu potiùs deformatio

*Hamelm. de Comit. Lipp. pag. 400.

Philippus Hassiæ Landgravi juniores Comites abducit Cassellas, ibiq; eos educari facit in Lutheranismo.

Piderit. in chron. Lip. Kleinsorg. in hist. mss. *aõ 1537.

Lippiacas ditiones aõ 1737 ad Lutherum pertrahere nititur, ac tandem eas ad illum pertrahit aõ sequenti.

Kleinsorg. in hist. mss.

matio Lutherana, anno proximo recepta, & contra omne jus Diœcesanum in toto Comitatu promulgata fuerit. Ità unus ille his temporibus versabat omnia pro suo libitu; neque ullus Catholicorum Principum in vicinis Provinciis adeò cordatus, vel potens erat, ut ejus iniquissimo novandi & reformandi studio se opponere vellet vel auderet.

Joannes de Susato, Abbas Abdinghoffensis, Paderbornæ cum fama sanctitatis moritur.

Cetera, quæ de rebus ad hunc annum pertinent, brevissimè sunt hæc. Die octavâ mensis Aprilis, Paderbornæ in Abdinghoffensi monasterio cum fama sanctitatis obiit Venerabilis Dominus Joannes de Susato Abbas, vir egregiæ pietatis, & omnium virtutum laude conspicuus; de quo Bucelinus* ad hunc annum ità scribit: *In Germania insigne iterum sidus extinguitur beatæ memoriæ Joannes de Susato, Abdinghoffensis Abbas in civitate Paderbornensi, Monachicæ reformationis promotor, Henrici de Peynis viri non minùs sancti successor dignissimus, zelique religiosi et omnium virtutum ex asse hæres: ad cujus tumulum energumena mirè liberata est. Migravit ex hac vita sexto Iduum Aprilis, non absque opinione sanctitatis absolutissimæ.*

*Bucelin. in Benedicto redivivo.

Successor ei datus est Theodoricus de Roremunde, eodem anno benedictus die 1. Augusti.

Præfuit huic monasterio annis quadraginta quinque; habuítque successorem Theodoricum Ruremundensem, virum non impari sanctitate, & admirabili simul doctrinâ præditum: qui eodem anno, die primâ Augusti, consuetis Ecclesiæ cerimoniis in Abdinghofensi Ecclesia* benedictus est, assistentibus Domino Reinero Abbate Bursfeldiensi, & Domino Henrico Schrôder Abbate in Marien-Münster. Die sextâ Maji, in festo S. Joannis ante portam latinam, oppidulum Gerdense funesto rursus incendio in cineres redactum est, salvo tantùm Parthenone, seu monasterio Virginum Ordinis S. Benedicti, è quarum fundis oppidani potissimùm vivunt. Atque hoc infortunium vel idcirco magis miserandum fuit, quòd viginti abhinc annis locus iste simili incendio conflagraverit; neque ab eo tempore satis respirare, & infortunii prioris damna resarcire potuerit. Denique & hoc anno in vicinia cœnobii Marien-Münsterensis ædificari cœpta est arx Grevenburgum, conditore Arnoldo ab Oynhusen, prædicti monasterii non exiguo inimico. Qua de re Henricus Abbas in diario suo ità scribit: *Anno 1536. Arnoldus ab Oynhausen incepit ædificare domum, dictam Grevenborg, circa piscinam nostram, quæ vocatur piscina comitis, vulgò* **Greuendieck.** *Hermannus Administrator noster die decimâ quintâ Septembris fuit præsens in Steinheim; cum quo cœnavi, et querelas deposui contra Arnoldum ab Oynhausen.*

*Henric° Abbas Marien-münster. in diario ad hunc annũ.

Oppidum Gerdense rursus hoc anno conflagrat, salvo tamen cœnobio Virginum, *Idem.*

Grevenburgum, domus nobilis Dominorum de Oynhausen hoc anno conditur, *Idem.*

An-

Annus Christi 1537.

PAULI III. Pontificis 3. & 4.
CAROLI V. Imperatoris. 18. & 19.
HERMANNI Admin. Paderb. 5. & 6.

Alexander Medicæus, primus Hetruriæ Dux, occiditur à Laurentio Medicæo, cognato suo.

Gratianus in casibus viror. Illustr. Spond. ad hunc annū. n. 2. Palat. in Aq. Austr. Surius in comment. rer. gest. & alii.

INitium hujus anni tristissimum fuit ab immani cæde Alexandri Medicæi, primi Hetruriæ ducis; quem exeunte anno 1535 cum Margareta, Caroli V. filia notha, matrimoniali vinculo conjunctum esse retuli. Erat is homo juvenis annorum viginti sex, civibúsque Florentinis comitate & facilitate suâ non parùm gratus: at immodicè simul concitatus in Venerem, ut conjugali toro non contentus, plerumque vagâ pasceretur libidine, & ab alienis etiam thalamis non abstineret. Fovebant hanc ejus intemperantiam Laurentius Medices cognatus ejus, homo fallax, & qui jam sæpius apud alios gloriatus fuerat, Alexandri necem à se curatum iri, ut sic iterum Florentina respublica in libertatem veterem se attolleret. Quod cùm occultè renuntiatum esset Alexandro, respondit homo vafer, id à se tantùm simulatè, nec alia de causa dictum esse; quàm ut penitiùs exploraret, quomodo Florentini erga suum Ducem affecti sint, & an aliquid sinistri in vitam ejus molirentur? credidit Alexander huic mendacio; virúmque perfidum tam singulari amicitiâ complexus est, ut huic uni aperiret, quidquid arcani sub corde gereret. Interea contigit, ut mulierosus Princeps matronam aliquam, genere formâque nobilem, in suos amplexus posceret. Quæ cùm diu frustra in facinus pellecta esset; Laurentius, tandem sanguinarium animi propositum executurus, finxit apud Alexandrum, feminam hanc diuturnis demum blanditiis à se persuasam esse, noctéque proximâ apud se in domo sua comparituram. Lætus ille post cœnam abiit ad Laurentii ædes, ducali palatio proximas; dimissísque famulis componit se in lecto, dormiturus aliquantulum, donec promissa mulier sub medium noctis adveniret. Ibi dum oborto somno quietem caperet, Laurentius cum duobus satellitibus cubiculum ingreditur; adactóque per costas gladio, eundem adhuc restitantem tam diu à sociis confodi ac perforari jubet, donec multo vulnere confectus infelicem animam ejectâsset. Peracto scelere nefarius latro Bononiam primùm, indéque Venetias abiit, præstolaturus inibi, num Florentini hac occasione sese in libertatem pristinam erecturi sint. Sed cùm ea spes eundem falleret, audissétque, à successore ejus Cosmo Medicæo septem millia aureorum con-

constituta esse in præmium istius, qui Laurentium interficeret; nullibi se tutò consistere videns, Constantinopolim fugit ad Solimannum. Hîc autem pariter nullum patrocinium inveniens, intellecto suæ traditionis periculo Venetias reversus est: ubi non multò pòst à duobus occisi Ducis militibus trucidatus, condignam flagitii sui mercedem retulit.

Cosmus Medicæus ei succedit: Laurentius haud multò pòst interficitur. *Auctores idem.*

Non minori scelere, ac totius Christiani orbis offendiculo, Franciscus Galliarum Rex Legatos hoc anno misit in Turciam, qui Solimannum Imperatorem instigarent ad invadendum litus Italiæ. Argumentum nefariæ legationis erat: Carolum Cæsarem, bello ante annum improspere gesto, non modicè enervatum esse; neque parem hoc anno fore, qui sibi & Solimanno simul geminatis exercitibus queat occurrere: *itaque se æstate proximâ cum ingentibus Gallorum copiis ruiturum in Insubriam; unáque petere, ut eodem tempore Solimannus navali expeditione rem suam agat, et in extrema Regni Neapolitani litora exscensionem faciat.* Indignum profectò facinus; atque ejusmodi, per quod æternam suo nomini ignominiam peperit! certè Spondanus, scriptor Gallicus, non modò legationem istam vehementer improbat; verùm etiam patheticè hîc* interrogat: *hoccine est, esse Christianissimum, capitales christianitatis hostes in perniciem Christianorum evocare?* Deo tamen disponente contigit, ut illa Turcarum expeditio Christianæ reipublicæ nocumento non magno fuerit. Nam egregiæ Belgarum copiæ in Artesia continuis decertationibus ità distinebant Regem Galliæ, ut ante Octobrem hujus anni cum exercitu suo in Italiam ascendere non potuerit. Atque ideo Hariadenus Barbarossa, qui æstate primâ cum ingenti Turcarum classe in fines Apuliæ venerat, à Francisco Rege se deceptum videns, post aliquam Hydruntini litoris expilationem, ad Solimannum rebus infectis rediit.

Franciscus Galliæ Rex, Turcarum Imperatorē incitat ad invadendas oras Italiæ. *Spond. ad hunc annū. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 3. c. 19. Palat. in Aq. Aust. n. 355.* *Spond. loc. cit. n° 5.* Classis Turcica recedit ab Italico litore, cùm Galli constituto tempore non adessent. *Spond. ad hunc annū, n. 5. & 6.*

Interea Carolus Imperator agebat in Hispania, quò sub anni prioris finem ex Italia profectus erat cum Carolo Sabaudiæ Duce, ejusdémque uxore & filio. Priùs verò, quàm huic itineri se committeret, accesserant ad eum Legati fœderatorum Schmalkaldiensium; nuntiarántque ipsorum nomine: *se constanter hactenus perstitisse in fide Cæsaris, tametsi adversùs eum à Gallo et Anglo magnis pollicitationibus crebrò sollicitati sint. Proinde à se, tanquam à fidelibus subditis vicissim peti, ut in sua suorúmque sociorum causa aboleatur omne judicium Imperialis Cameræ: simúlque beneficium pacificationis Norimbergicæ extendatur amplius ad eos omnes, qui interea temporis, desertâ Religione Catholicâ, Schmalkaldico fœderi se conjunxissent.* Audax postulatio! Norimbergensi pacto sancitum erat anno 1532, ut omnes Imperii status ubique permanerent in ea Religione, in qua tunc

Carolus V. ad Principū Lutheranorum postulata, exeunte anno superiore proposita, spondet se proximè responsurum esse per Matthiam Heldium, Pro-Cancellarium suum. *Surius in comment. rer. gest.*

erant; neque deinceps aliquid novi tentaretur ab utraque parte, donec vel in concilio generali aliud ſtatueretur, vel ſaltem in comitiis generalibus inveniretur alia methodus ad componenda Religionis diſſidia. Hoc autem non attento, multæ urbes magníque Principes ab eo tempore ſe adjunxerant Lutheranis dogmatis, plurimáque monaſteriorum & Eccleſiarum bona violentis auſibus in ſuos uſus ac poteſtatem abripuerant. Ea de re cùm in cameræ Imperialis judicio conventi, & ad reſtitutionem condemnati eſſent; volebant, hujuſmodi actiones judiciales abrogari, & eos, qui Lutherum poſtea ſecuti, vel in poſterum adhuc ſecuturi erant, ſuprà dictæ pacificationis beneficio ſecurè & integre frui & gaudere poſſe. Id autem quid aliud erat, quàm ab eo poſcere, ut iniquitatem foveat, permittátque ipſis Religionem veterem exſcindere, monaſteria deſtruere, Eccleſiarum bona invadere, patrimonium Chriſti expilare, juſtitiam proſcribere, Catholicos opprimere, Schmalkaldicum fœdus quotidianis acceſſibus adaugere, ac demum ipſimet Imperatori vires omnes adimere, per quas iniquis Lutheranorum conatibus ſe opponere temporibus futuris poſſit? Advertebat id facilè prudentiſſimus Imperator, ideóque Proteſtantium Legatis breviſſimè reſpondit, properare ſe ad iter Hiſpanicum: mandaturum verò Pro-Cancellario ſuo Matthiæ Heltio, ut ad ipſorum poſtulata reſponſum perferat, ſimúlque etiam de futuro generali concilio cum iis conferat.

Heltius in conventu Schmalkaldienſi oſtendit Principibus Lutheranis, iniquiſſimũ fore, ſi actiones judicii Cameralis in ipſorum cauſis abolean-tur.

Menſe poſtmodum Februario Lutherani Principes & urbium fœderatorum Legati Schmalkaldiam convenêre: nec multò pòſt etiam ibidem adfuit Matthias Heltius, à Cæſare abſente miſſus. Is, cùm in Schmalkaldienſem conventum introiſſet, primùm gravi oratione declaravit Principibus congregatis, quàm iniqua ſint eorum poſtulata, abituro Cæſari propoſita. Palàm eſſe, quàm innumeræ querelæ ad Cæſarem perferantur adversùs Principes, Lutheranis erroribus accedentes? Quomodo adhuc in ſingulos ferè dies pergant, alios Imperii Proceres ad ſe attrahere, Catholicam doctrinam perſequi, veteris Eccleſiæ ritus proſcribere, religioſos è ſuis monaſteriis expellere, in eorum bona vultureis unguibus involare, antiquas proavorum ſuorum fundationes intervertere, & alia non pauca inſolenter agere contra clariſſima pacta & conventa pacificationis Norimbergicæ? Has autem querimonias & earum diſcuſſionem quò tandem remittat Cæſar; niſi ad judicium Imperialis Cameræ, velut à Majoribus unicè inſtitutum ad tribuendum unicuique ſuum jus? Certè ſi id non faciat, & hujuſmodi actiones interdicat; Cæſarem apertæ injuſtitiæ manifeſtum fore: & perinde facturum, ac ſi permittat, aliorum bona violenter diripi, nec tamen

Helvicus & Surius loc. cit. Chytræus l. 15. Saxon. Spond. hic n. 10.

men velit illis remedium aliquod supereſſe, quo contra invaſores jus ſuum proſequi, & juſtitiam obtinere valeant. Quocirca Cæſarem juſtiſſimè cupere, ut ab ejuſmodi poſtulatis deſiſtant; &, cùm illud Camerale judicium planè conſonet Evangelio (ad quod ipſi tam crebrò provocant) ejuſdem deciſioni absque omni repugnantia ſe ſubmittant. Quis non dicat, æquiſſima fuiſſe ea Cæſaris reſponſa? Et tamen in hoc Principum Lutheranorum Areopago benevolam aurem non invenêre: quòd ibidem agerentur omnia conſilio Lutheri, Melanchthonis, Pomerani, Buceri, & aliorum id genus Apoſtatarum, quos adduxerant.

Exponit etiam voluntatem Cæſaris de concilio celebrando Mantuæ. *Pallav. in hiſt. conc. Trid. l. 4. c. 2. Spond. hic n. 9. Surius, & alii.*

Alteram ſuæ legationis partem, quæ erat de futuro generali concilio, non minori facundiâ proponebat Heltius: nempe *Cæſarem anno ſuperiore, cùm in urbe Roma verſaretur, egiſſe cum Paulo III. Pontifice de accelerando generali concilio, ad quod poſtea Lutherus, et alii ſectatores ejus, ferè in omnibus Imperii comitiis appellâſſent. Inchoandum illud proximè, et jam indictum eſſe in urbe Mantua, ſinè ulla rerum agendarum exceptione. Urbem iſtam nemini Teutonicorum ſuſpectam videri poſſe, cùm ſit urbs Imperio ſubdita, ſive talis, quæ teneatur ab Imperii clientе ſeu vaſallo. Hiſpaniam, Galliam, Poloniam, Italiam, et plerosque Germaniæ Principes, in hanc urbem conſentire; nec ambigere, quin ibidem omnia, quæ ad reducendam univerſalis Eccleſiæ pacem ac tranquillitatem pertinent, pro more veterum conciliorum diligenter examinanda ac dijudicanda ſint. Quapropter et Cæſarem cupere, ut Proteſtantes in hoc negotio ad aliarum nationum vota ſe conform[illegible]; atque ità unanimi ſtudio collaborent pro inſtauranda Eccleſiarum un[illegible]te, innumeris penè diſſidiis lacerata.* Movit hæc oratio nonnullos Principes & Oratores urbium. Ceteri verò, maximéque Saxo & Haſſus, conſilio cum præconibus Lutheranis communicato, Cæſareis admonitionibus pertinaciter obſtitêre; nullum aliud concilium admiſſuri, quàm quod œcumenicum non ſit, ac potiſſimùm è clamoſo quorundam Prædicantium ſeu Magiſtrorum Lutheranorum cœtu coaleſcat. Ità & hîc iterum nihil actum eſt ex voto aut voluntate Cæſaris: pergebántque Lutherani Principes non modò ſocietatem ſui fœderis adaugere; verùm etiam Cameralis judicii decreta contemnere, & eos, qui acceptarum injuriarum causâ ad Imperiale tribunal querimonias ſuas detulerant, graviſſimis comminationibus inſectari.

[illegible] hæc Cæſaris propoſitiones Lutheranis Principibus diſplicuêre. *Pallav. Spondan. Surius & alii.*

Hiſtoria diſturbati Monaſterii Confugienſis in Haſſia; utì & malorũ

Senſit id hoc anno Diœceſis noſtra, occaſione monaſterii Confugienſis (vulgò Kauffungen) quod olim à beata Cunegunde, S. Henrici Imperatoris conjuge, non procul ab urbe Caſſellenſi conditum; nunc autem, anno ſeculi hujus triceſimo primo vel ſecundo, per novationum Lutheranarum turbines miſerrimè deturbatum

quæ per eã occasionẽ intentata sunt Episcopatui Paderbornensi.

batum est. Floruerat illic olim perfecta regularis vitæ sanctitas: quam & ipsa Cunegundis exemplo suo non parùm auxerat, quando ab obitu sui conjugis monasticam in eo vitam complexa est. At ubi postea sub initium hodierni seculi primævus ille pietatis fervor paulatim visus est refrixisse; Wilhelmus Landgravius, religiosarum domuum singularis cultor, ex florentissimo Diœcesis nostræ monasterio in Gerden*evocârat illuc moniales aliquas probè institutas, quæ labentem inibi disciplinam è congregationis Bursfeldiensis instituto corrigerent ac reformarent. Perlubenter hujusmodi postulatis annuerant Gerdensis monasterii præsides: atque ideo volente simul ac perurgente Episcopatûs nostri Administratore Hermanno de Hassia, Wilhelmi prædicti patruo, Confugium sive Kauffungam destinatæ sunt religiosissimæ virgines Anna de Borch, Alferadis de Borch, Helena Fresken, & aliæ complures. Ex earum numero primam istius monasterii reformatricem & Abbatissam egit religiosissima, & apud nos perillustri Nobilium Borchiorum sanguine prognata virgo Anna de Borch; cujus obitus (non addito illius anno) in Ecclesiæ Gerdensis necrologio annotatus est hisce verbis: *VII. Kalendas Decembris obiit piæ memoriæ venerabilis et perdilecta Domina Anna de Borch, Abbatissa reformatrix monasterii S. Salvatoris in Confugio, quæ fuit ex nostra congregatione.* Huic deinde successit ibidem altera post reformationem Abbatissa Alferadis de Borch, olim ex eodem Gerdensi monasterio Confugium* deducta. Quæ, cùm aliquot annos parthenonem hunc laudatissimè gubernâsset; postremò tamen, unà cum toto virginum sacrarum cœtu, in gravissimas persecutiones ac molestias incidit sub Philippo Landgravio, pientissimi patris Wilhelmi dissimillimo filio. Hic enim abjectâ Religione veteri, non modò celeberrimum illud ac regale monasterium unà cum plurimis aliis iniquissimè*disturbavit: sed etiam virgines omnes Deo sacras, instigante Lutheро, vel ad matrimonium ineundum compulit; vel, si constanter id recusarent, saltem omni divinorum officiorum usu penitùs interdixit. In his rerum angustiis Alferadis Abbatissa & aliæ sanctimoniales, quæ cum ea venerant, derelicto Confugio receperunt se ad monasterium Gerdense, velut ad locum primæve suæ professionis: tum ut ibi consuetæ pietatis & monasticarum exercitationum studiis vacare pergerent; tum ut etiam commodiùs in eo loco præstolari possent mitiora tempora, quæ sperabant.

Ex veteribus mss.

**ex antiquis mss.*

Dilich. in chron. Hassiæ indicat id esse factum anno 1506.

**vulgò* Kauffungen *vel* Koffungen.

**factum est hoc circa annum 1531 vel aõ sequente.*

Alferadis Abbatissa, Confugio pulsa, cum aliis monialibus olim Gerdæ professis, recipit se ad monasteriũ Gerdense: ubi & moritur.

Interea tertio exulationis anno, videlicet anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die 27 Aprilis mortem oppetebat Alferadis Abbatissa. In cujus locum reliquæ sanctimoniales, quæ supererant, octavo Idus Julii per viam compromissi delegerunt

gerunt religiosam devotissimámque virginem Helenam Fresken: simúlque ab Eminentissimo Domino, D. Alberto Cardinale & Archiepiscopo Moguntino humillimè petiêrunt, ut electionem istam potestate ordinariâ confirmare, ipsámque electam per se vel alium benedicere non dedignetur, quemadmodum elucet ex hoc earum *libello supplice:

In ejus locum deligitur Gerdæ Helena Fresken.

*habetur in chartulario monasterii Gerdensis.

Reverendissimo in Christo Patri et Domino, D. Alberto titulo S. Petri ad vincula Cardinali, *Moguntinensi et Magdeburgensi Archiepiscopo, Principi Electori, Primati etc. aut in spiritualibus Vicario ejus generali, Priorissa et conventus desolati monasterii S. Salvatoris in Coffungen propter tyrannicam expulsionem prô dolor! exules, et jam in Gerden Diœcesis Paderbornensis residentes, vestræ Reverendissimæ Paternitatis humiles et devotæ filiæ, cum omni reverentia orationum nostrarum suffragia, et infrà scriptorum agnoscere veritatem. Quia propter vocationem diuturnam monasteria, pastoralibus solatiis destituta, gravissima in spiritualibus et temporalibus dispendia patiuntur; idcirco anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo quarto, die lunæ 27 mensis Aprilis, defunctâ bonæ memoriæ Dominâ Alverade* von der Borch *Abbatissâ novissimâ monasterii præfati, et ipsius corpore cum devotione et reverentia tradito ecclesiasticæ sepulturæ (ne ipsum monasterium, si in locum pristinum, ùt Deo volente speramus, restitutum fuerit, viduitatis suæ incommoda diutiùs deploraret) fuit à nobis dies Mercurii, qui fuit octavus mensis Julii, ad electionem futuræ Abbatissæ celebrandam concorditer assignatus. Convocatis igitur secundùm statuta nostra venerabilibus Patribus et Dominis, Francisco Abbate Corbejensi præcipuo nostro Commissario, et Joanne Abbate Abdinghovensi tanquam assumpto et Collega, Paderbornensis Diœcesis; et convenientibus in termino suprà dicto in capitulari loco Gerdensi, quem ad hoc elegimus (ad proprium enim nostrum capitularem locum accessum habere non potuimus) omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt commodè interesse, post invocationem S. Spiritûs per devotam Missæ celebrationem, aliisque juxta sacri Basileensis concilii decreta ritè peractis, maturâ deliberatione præhabitâ, placuit nobis omnibus et singulis adhuc præsentibus et vitam monasticam profitentibus, per formam et viam compromissi dicto nostro monasterio providere. Unde Reverendissimum Dominum Abbatem Corbejensem, nostrum Commissarium, ac venerabilem Dominam Annam* von der Borch *Priorissam Gerdensis monasterii, in compromissarios concorditer assumendos duximus. Qui potestatem sibi à nobis traditam acceptantes, et in partem secedentes, tandem post tractatus inter se habitos, et vota singularum personarum inquisita (prout ipsi nobis postea retulerunt) unanimiter in Helenam Fresken sororem nostram et professam in Coffungen concordârunt, providam et utilem illi monasterio prædicto, vitâ et moribus commendandam etc.--- Quam idem*

Abbas

Abbas compromissarius vice suâ et Dominæ Priorissæ Gerdensis compromissariæ, ac totius conventûs, elegit solemniter, et publicè pronuntiavit sub hac verborum forma: In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Ego Franciscus Abbas monasterii in Corbeja, & Domina Anna Priorissa in Gerden, quibus est à toto conventu monasterii in Coffunga de Abbatissa providendi commissa potestas, de sorore Helena Fresken provideo monasterio præfato, vice meâ, & venerabilis Dominæ Priorissæ præfatæ, & aliarum præsentium jus in electionem habentium: eámque etiam his scriptis in Abbatissam eligo. *Quâ electione sic rite celebratâ, --- consensum ipsius flagitantes, post humilem insufficientiæ suæ allegationem, tandem divinæ nolens resistere voluntati, annuit votis nostris, electioni de se factæ consentiens. Ea propter Reverendissimæ paternitati vestræ, tam devotè, quàm humiliter, unà cum dicta Electa supplicamus, quatenus electionem eandem, sic Canonicè et solemniter celebratam confirmare, ac eidem Electæ munus benedictionis favorabiliter impertiri, aliásque, pro ut opus fuerit, opportunè providere dignemini etc. --- Acta sunt hæc et data in monasterio sanctorum Petri et Pauli in Gerden sub anno Domini milleſimo quingenteſimo trigeſimo quarto indictione 7mâ, die Mercurii, octavâ mensis Julii, Pontificatûs sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, Domini Clementis divinâ providentiâ Papæ 7mi anno undecimo. In quorum omnium et singulorum fidem etc.*

Quæ ex judicio Cameræ Imperialis contra Landgraviũ impetrat mandatum pœnale de restituendo

Confirmatione acceptâ, cùm adhuc Landgravius detrectaret Confugiense monasterium virginibus iniquè pulsis restituere, Abbatissa nova litem illi intentavit in judicio Imperialis Cameræ: eámque demum ità ursit ac perursit, ut hoc anno, Christi Domini nostri milleſimo quingenteſimo triceſimo ſeptimo, graviſſimæ ſententiæ contra Philippum Landgravium, veluti pacis publicæ violatorem, ex eadem Imperiali Camera fulminatæ fuerint. Quibus

Landgravio accepto graviſſimas comminationes intentat Episcopatui Paderbornensi.

ille auditis, etiamsi factum ipsum sive expulsionem sacrarum virginum negare non potuerit, irritatâ bile haud aliter infremuit, ac leo saucius à telo venatoris. Móxque etiam ad Paderbornense Capitulum & alios Ordines Diœcesis nostræ dari jussit acerrimas comminatorias, quibus universo Episcopatui, nisi virginum prædictarum audentiam comprimat, horribiles terrores à se & toto corpore Evangelico denuntiat. Ecce hîc literas illas è germanico latinè redditas:

ex archiv. Cath. Eccl. Paderb.

*ein peinlich mandat auf die peen des Landfriedens meldend.

NOn possumus non aperire vobis, quòd intrà aies paucos, rogatu ac sollicitatione quarundam sanctimonialium, quæ se nominant Abbatissam et conventum cœnobii Confugiensis, ex judicio Cameræ Imperialis acceperimus pœnale mandatum, violatæ*pacis publicæ mentionem faciens: cujus genuinum apographum vobis transmittimus. Cùm autem penitiùs

jam

jam edocti simus, personas illas (quæ hujusmodi nomen sibi vendicant, et nos unà cum subditis ministrísque nostris aggrediuntur) commorari in monasterio Gerdensi Diœcesis vestræ Paderbornensis; et hæc machinatio ipsarum sit ejusmodi negotium, quod nobis ac nostris propè tanti esse debet, quanti salus corporis ac bonorum; neque etiam recordemur, nos Diœcesi Paderbornensi aliquam ad ista causam præbuisse: idcirco vobis, tanquam iis, qui hæreditariam totius Diœcesis præfecturam gerunt, et in ea res fortunásque suas possident, hæc illarum sanctimonialium ausa voluimus aperire. Simúlque propter bonam vicinitatem, quam hucusque diu coluimus, et, quantum in nobis est, adhuc ulteriùs colere et conservare parati sumus, indubiè nobis pollicemur fore, ut moniales antè dictas, quæ Confugiense monasterium nostrum sibi hoc modo arrogant, utì et earundem receptrices monasterii Gerdensis virgines, non solùm severè corripiatis; verùm etiam instigetis ac permoveatis, ut à temerariis hujusmodi postulatis quantocyus desistant, paritérque nos de hac sua desistendi voluntate, sub literis et sigillo vestro, certiores faciant: præsertim cùm vobis cognitum ac satìs exploratum sit, quo in loco jam versentur Evangelicorum et Papistarum res et spes. Quòd si ista non feceritis, ac subinde nobis plus molestiarum aut gravaminum ea ex re nasciturum sit (cùm hîc agatur de negotio communi totius corporis Evangelici) benignè et gratiosè præmonitos vos esse volumus, quòd fœderati nostri Evangelici, et nos, vexationem* et afflictationem hanc suo tempore vindicaturi; neque alibi ultionem nostram quæsituri simus, quàm apud vos, in terris et agris, in personis et subditis, in prædiis et possessionibus vestris. Quod sanè ut nullatenus eveniret, ex parte nostra perlubenter vobiscum hoc negotium* composuissemus; neque dubium nobis est, quin et alii status Evangelici ulteriorem discordiam evitari malint. Hæc vobis omnibus ac singulis, erga quos de cetero gratiosè ac benevolè affecti sumus, propenso animo significamus; ac vicissim à vobis ea de re aliquid responsi petimus. Datum Cassellis die jovis post Jubilate, anno 1537.*

*als denen die erbliche vorsiehung des gantzen Stiffts zusiehet.

*daß unsere Evangelische Verwanten/ uñ wir/ solche Beschwärung bey niemand/ dan bey euch/ emren Landē/ Leuten/ Personen/ Haab und gütern/ sämptlich und sonderlich zu suchen wissen.

*welches wir vor uns in warheit lieber vertragen hätten: glauben auch/ daß die gemelte Evangelische Verständnüß desselben auch lieber übrig stünde.

Acceptis hísce literis vehementer exterriti sunt Cathedralis Ecclesiæ Canonici. Statímque rescripserunt Landgravio, *Diœcesanos Ordines jam abesse: curaturos tamen se, ut proximè conveniant, et his de rebus consilium capiant. De accusationibus, à Confugiensi Abbatissa factis, nullam sibi ante has literas notitiam fuisse; multóque minùs hanc à se inductam esse, ut in ea causa Landgravio se opponat. Amicitiæ bonæque vicinitatis conservationem à se unicè exoptari: ideóque et operam se daturos, ut Abbatissa Confugiensis, si adhuc moretur aut morari cogitet in Gerdensi monasterio, ab omni Camerali actione quantocyus absistat.* Interea verò, dum Ecclesiæ majoris Canonici prædicta scriberent & agitarent inter se; Abbatissa Confugiensis, nescio quo rumore vel monitore docta, aliorsum se proripuit. Atque ideo status

Responsa Capituli cathedralis ad hujusmodi minas ac territationes. *Ex literis Archivii Paderb.*

nostri

nostri Diœcesani, posteaquam omnia diligenter investigâssent, è congregatis patriæ comitiis ad prædictas Landgravii literas in hunc ferè modum responderunt:

Illustrissime Princeps, clementissime Domine.

IN causa Abbatissæ Confugiensis, Deputatos nostros è Capitulo, Nobilitate, et urbibus Diœcesanis, ad monasterium Gerdense misimus; maximâque animi sinceritate mandavimus, ut eadem Abbatissa à suis accusationibus et omni actione Cameralipenitùs absistat, si in Diœcesi nostra ulteriùs degere et commorari velit. His autem Deputatis nostris responsum est à Domina et conventu Gerdensi, prædictam Abbatissam jam abesse in quintam hebdomadem; neque sciri à se, in quod et quale monasterium fugerit. De actionibus Landgravio intentatis sibi nihil constare. Si redeat Gerdam, polliceri se, quòd in posterum eam recepturæ non sint priùs, quàm per sigillatas literas, aliâque sufficienti cautione præstitâ, sibi fidem indubiam fecerit, Landgravii desiderio ac petitioni satisfactum iri. Quòd autem paulò antè receperint eam; id sibi vitio duci nullatenus posse. Etenim personam hanc monasterii Gerdensis professam esse; indéque olim à Wilhelmo hodierni Landgravii patre ad Confugiense monasterium unà cum aliis nonnullis evocatam. Proinde cùm in eo loco, ob interdictum Catholicæ Religionis et monastici concentûs exercitium, remanere in posterum non licuerit; eidem et sociis ejus, ad locum suæ professionis revertentibus, alimoniam et receptum denegari non potuisse, quàm diu de aliis ipsarum excessibus non constabat. Quæ cùm ità se habeant, Illustrissime Princeps ac Domine; officii nostri duximus, ea propensissimo in te animo fideliter significare per præsentes: quæ sub nostris, Capituli, Nobilitatis, et urbium sigillis, datæ sunt Paderbornæ, die lunæ post S. Bonifacii, anno 1537.*

*es sey dan/ dat se erst siegel und breve geve/ und genochsame borghe stelle/ der Sachen und Forderunge genoich to doen.

Non acquievit quidem Landgravius huic statuum responso. Imò novis comminatoriis eosdem incusavit, quòd sæpe dictam Abbatissam è potestate manibúsque suis tam improvidè elabi siverint, uti constat ex aliis ejusdem literis, *Zapfenburgi* datis, die Mercurii post S. Viti.* At ubi postmodum Hermannus, Ecclesiæ nostræ Administrator, Poppelsdorffio scripsit, se brevi Paderbornam abiturum, atque inibi cum Ordinibus patriæ ea de causa deliberaturum esse; videtur hoc dissidium sinè graviore Diœcesis nostræ incommodo ad concordiam rediisse, Abbatissâ forsan à suis juribus propter quietem publicam desistente. Certè eam postea ad Gerdense monasterium reversam, & in eo tandem pientissimè defunctam esse, non obscurè colligi videtur ex Gerdensi necrologio, in quo ad diem vicesimam primam Martii ità legitur: *XII Kalendas Aprilis obiit venerabilis Helena Fresken, Domina electa ad monasterium sancti Salvatoris in Confugio, monacha nostræ congregationis.* Ità demum hic illustris Parthenon, posteaquam à sanctorum Imperatorum

Tandem controversia pacatur per coactam desertionem istius litis.

*Zapfenburg/aliàs Sabbaburg. *Castellum Hassiæ in silva Reinhardiana.*

rum Henrici & Cunegundis ævo per annos quingentos & ampliùs constitisset, infelicissimo tandem hoc seculo penitùs abolitus ac disturbatus est à Philippo Landgravio, Principe Lutherano. *Qui*, ùt ait Adolphus* Overham, *geminam Kauffungam cum aliis pagis et prædiis, huic monasterio subditis, ditioni suæ adjunxit, convertítque in præfecturam secularem, quæ nunc vulgò* das Ampt Kauffungen *appellatur.*

*Overham *in notis ad vitam B. Meinwerci Episcopi Paderb. pag. 394.*

Felicibus interim auspiciis procedebant omnia in urbe Monasterienſi, quæ post ejectos Anabaptistas, incredibili civium & Canonicorum Cathedralium studio, penè in urbem aliam & longè ornatiorem abiit. *Urbs ista*, ait Hamelmannus coævus auctor, *est ità sub annis sedecim reædificata, templa ità exornata, ædes ità exstructæ, et vallis undique munita civitas, ut nunc sit longè* splendidior, firmior, et potentior, quàm ante obsidionem.* Prima omnium Ecclesiarum restaurari cœperat Ecclesia Cathedralis, quæ ab Anabaptistis non solùm tecto; sed etiam fenestris, altaribus, organis, & omni ornatu vel apparatu sacro fœdissimè exuta fuerat. Hanc Episcopus & Capitulum intrà unius biennii spatium festinatis operibus ità reparârunt, ut hoc anno rursus ad omnimodam perfectionem deducta; & *in Dominica prima Adventûs* à Joanne* Bischopingio, Franciſci Episcopi, suffraganeo solennissimè consecrata sit. Quanti verò hic labor steterit, facilius est dicere, quàm divinare. Sola ligna ad hoc opus necessaria devorârunt* quercus mille & octoginta: reliqui sumptus & expensæ, præter fenestras & imagines, excurrerunt ultra septem florenorum aureorum millia & nongentos, utì refert Kerssenbrochius. Alia denique ornamenta sacra, nempe calices, thuribula, vestésque Sacerdotales & Leviticæ, magnam partem accepta sunt ex directo Hudensi* monasterio; è cujus spoliis adhuc supereſt amplissimus calix vetusti artificii, cum hac inscriptione veteribus literis inarata: *Hic est Calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Robertus Abbas in Huda* me formari fecit, anno Domini M.CCC.XCVII.* Monasterium hoc Ordinis Cistertiensis jacebat in comitatu Delmenhorstensi; erátque his temporibus adeò corruptum ac depravatum, ut plerique monachi, desertâ Religione Catholicâ, ad Lutheri & aliorum Apostatarum castra prosilierint. Neque melioris farinæ erat eorundem Abbas, Liborius Lipkenius. Nam & hic, dissipato monasterii nobilissimi patrimonio, Lutherana dogmata complexus erat; & cum uxore seu pellice sua privatam curiam incolebat in civitate Brema. Quæ omnia cùm ad Franciscum Episcopum, cui tunc parebat comitatus Delmenhorstanus, per literas querelásque plurimas delata essent; residuum templi apparatum, omniáque vasa

Urbs Monasterienſis egregiè restauratur:

*Hamelm. *in hist. Ev. Mon. pag. 1296.*

*Kerssenb. *in hist Anab. Mon. ad hunc annum.*

Calices & alia ornamenta sacra inferuntur ex monasterio Hudensi:

*Kerssenb. *ibid.*

Chytræus l. 15. Saxon. ad an 1538.

*Huda, *vulgò* Hude.

Cujus monachi cum Abbate suo transiêrant ad Lutheranismum.

Ità refertur in querelis ad Franciscũ Ep. datis.

& ornamenta sacra Monasterium abduci jussit: longè sanctius ac Deo gratius esse ducens, thesaurum hunc ad sacerdotum Catholicorum servitia conservari; quàm à desertoribus monachis vel in usus profanos distrahi, vel inter meretrices & prostibula sacrilegis impurísque manibus contrectari. Unde patet, quàm iniquè scripserit* Hamelmannus, historiarum sui temporis corruptor famosissimus: *Monasterienses, qui volunt videri Catholici, et sancti cultores Romanæ doctrinæ, destruxerunt cœnobium amplissimum in Hude, monachósque dissipárunt. Hi erant talium Episcoporum et Canonicorum fructus!* Quantò meliùs potuisset ac debuisset scribere? *Hi sunt fructus Evangelii Lutherani! Hæ monachorum ab eo seductorum pœnæ!*

*Hamelm. in hist Ev. Delmenh. pag. 792.

Otto Episcopus Hildesiensis exauctoratur à Paulo III Pontifice. *Chytræus l. 15. Saxon. Brusch. in Catal. Ep. Hild & alii.*

Episcopatui Hildesiensi tunc in annum jam sextum præerat, aut potiùs præesse visus est, Otto Comes de Schawenburg, Adolphi Colonienſis Præpositi & Coadjutoris frater: homo juvenis & ob ætatem juvenilem adeò sui aut rerum suarum negligens, ut intrà sexennium illud non modò se abstinuerit à sacrorum Ordinum susceptione; sed etiam à Romana sede confirmationem suæ electionis & Episcopatûs non petierit. Quare tandem hoc anno Romanus Pontifex Ottonem Episcopum ab officio movit, severè mandans Canonicis majoribus, ut vel intrà sex menses virum alium eligerent, vel alium à sede Apostolica nominandum ac designandum exspectarent. His auditis recessit Otto, factus postea melior maritus, quàm Episcopus. In ejus verò locum, die primâ Octobris, communibus omnium suffragiis delectus est Valentinus à Teutleben, Sacrosanctæ Theologiæ ac Canonum Doctor, Cathedralium Ecclesiarum Hildesii, Moguntiæ, & Magdeburgi Canonicus, uti etiam Collegiatæ Francofurtensis ad S. Bartholomæum Præpositus meritissimus. Is, ùt erat in rebus agendis alacer, continuò perrexit Romam ad Paulum III Pontificem; Cúmque ab eo sub initium anni sequentis non solùm confirmatus, verùm etiam solenni ritu consecratus esset; non multò pòst in Germaniam reversus, & Hildesii, die vicesimâ octavâ Maji, magno Ordinum omnium applausu ac gratulatione susceptus est.

In cujus locum eligitur Valentinus à Teutleben, vir magnæ eruditionis. *Auctores iidem.*

Annus Christi 1538.

PAULI III. Pontificis 4. & 5.
CAROLI V. Imperatoris. 19. & 20.
HERMANNI Admin. Paderb. 6. & 7.

*Spond. ad ann. 1537. n. 3. Pallav. l. 4 conc. Trid. c. 5. n. 2.

SUb finem anni præcedentis duæ sorores Cæsaris, nimirum Eleonora Regina Galliæ, & Maria* Gubernatrix Belgii, collatis inter se consiliis id effecerant, ut Cæsarem inter & Gallum de trimestribus armorum indu-

induciis conventum fuerit. Hæ induciæ mox ad aliud* ſemeſtre ſpatium prolongatæ ſunt: & interea ſtrenuè laborabatur à Paulo III. Pontifice, ut inter duos maximos orbis Chriſtiani Principes tandem ſincera firmáque pax coaleſceret. Eo fine Cæſar, Gallus, & Pontifex, menſe Majo convenerunt propè Nicæam ſive Niciam in Ducatu Pedemontano: ſummáque rei Chriſtianæ felicitas dependebat ab adventu hujus pacis; quod ab ortu Lutheranæ hæreſis, duarum iſtarum domuum diſſidia fuerint exitium Catholicæ Religionis in Germania. Verùm, quidquid ibidem ageret ac laboraret Pontifex; haud aliud tamen quàm decennales armorum inducias impetravit: quæ & publicis tabulis, die decimâ octavâ Junii, utrimque conſignatæ ſunt. His peractis, Imperator cum Pontifice diſceſſit Genuam: ubi Margaretam, occiſi Ducis Alexandri Medicæi viduam, deſpondit Octavio Farneſio Pontificis cognato. Indè verò in Hiſpaniam reverſurus, prope Aquas Mortuas* Franciſco Regi, in illius urbis vicinia demoranti, per Legatos indicavit, ſibi in votis eſſe, eundem hîc amplecti & ſalutare. Lætus eo nuntio Rex (nam apud Nicæam à congreſſu mutuo certis de cauſis abſtinuerant) conſcensâ protinus naviculâ ad ejus quadriremem accurrit, ſolúsque ibi cum ſolo per horam integram locutus eſt. Poſterâ die Cæſar viciſſim ad Regem adiit, procedente obviàm ſorore ſuâ Eleonorâ Franciæ Reginâ, magnóq; Procerum comitatu. Ab his ad aulam deductus, familiariſſimè cum Rege prandit, cœnavit, pernoctavit; ac demum poſtridie, ſumpto prandio, inter amicas collocutiones & amplexus ad claſſem rediit ac diſceſſit.

Ex eo congreſſu plurima bona ſibi invicem ominabantur Principum amborum ſubditi. Sed, quæ temporum iſtorum infelicitas fuit, propè nulla aut pauca admodum ſecuta ſunt propter alios eventus improſperos. Nam in primis eodem anno, die 2dâ Julii, nullâ prole legitimâ relictâ è vivis abiit Carolus Egmondanus, Dux Geldriæ: & quia perpetuus Caroli Imperatoris ac Burgundorum inimicus fuerat, contra omnia præcedentium annorum pacta Wilhelmum Clivenſem Geldriæ Zutphaniæque hæredem ſcripſit. Quæ tam iniqua res quadriennio pòſt iterum novo calamitoſóque bello materiam præbuit, Cæſare, quod ſuum erat, repetente; Clivenſi autem ad Gallorum auxilia confugiente. Sed & aliam hoc anno tempeſtatem Cæſari & Principibus Catholicis minitari cœperant fœderati Schmalkaldienſes, maximéque præcipui eorum duces, Joannes Fridericus Elector Saxoniæ, & Philippus Haſſiæ Landgravius. Convenerant hi rurſus ineunte Martio in urbem Brunsvicenſem, haud alio (ùt opinor) conſilio, quàm ut Cameræ Impe-

Haræus in ann. brab. ad an. 1537 Pontifex, Cæſar, & Rex Galliæ conveniunt apud Nicæam, ubi decennales inducie feriuntur inter Cæſarem & Regem.

Haræus in ann. brab. Sur. in com. rer. geſt. Pall. in hiſt. C. Trid. l. 4.

**urbs Languedociæ, gallice dicta Aigues-Mortes.*

Poſtea Cæſar & Rex amiciſſimè ſe invicem complectuntur apud Aquas mortuas.

auct. iidem. Spondan. & alii.

Carol° Geldriæ Dux moritur, & hæredem ſcribit wilhelmum Clivenſem: unde iterũ nova bella.

Haræus in ann. brab. Sur. ad hunc ann. in fine.

Fœderati Schmalkaldienſes conveniunt Brunsvici, ibíq; fœdus augent.

Chytraus l. 5. Saxon. Dilich. in chron. haſſia

Imperialis judicio audenter se opponerent, fœdúsque suum novis aliorum Principum receptionibus adaugerent: quemadmodum & Christianus Daniæ Rex, quà Holsatiæ Dux, ibidem Schmalkaldiano fœderi adjunctus est. Initium conventui tam nocivo datum die vicesimâ septimâ Februarii, sicut in diario Henrici Schrôder Abbatis Marienmünsterensis annotatum legitur hísce verbis: *Anno 1538, feriâ quartâ *post Petri ad Cathedram servata est magna dieta in Brunsswick, à Principibus et Comitibus, qui dicuntur Evangelici, et à civitatibus eisdem adhærentibus.* Has adeò frequentes iteratásque Lutheranorum conventiones meritò suspectas habebat Ferdinandus Romanorum Rex cum Principibus Catholicis: ideóque & ipsi agente Heltio, Cæsaris Pro-Cancellario, cogitare cœperunt de adverso fœdere, quod etiam *fœdus sanctum* appellari voluêre. Percussum id Norimbergæ die decimâ Junii: póstque Cæsarem & Ferdinandum Regem in illud recepti sunt: Albertus Elector Moguntinus, Matthæus Archiepiscopus Salisburgensis, Georgius Saxoniæ Dux, Wilhelmus & Ludovicus Bavariæ Duces, Ericus & Henricus Brunsvici Duces, cum quibusdam aliis; è quorum numero supremus armorum ductor constitutus est Henricus Brunsvicensis, bellicosus eo tempore Princeps, & Cæsari cum primis fidus. Ea res acerbè pupugit adversarios. Atque ideo primò in diem vicesimam quartam Julii novum conventum indixerunt Isenaci: in quo à Ferdinando Romanorum Rege ausi sunt petere, ut Henricus Brunsvicensis ab insectandis Goslariensium Lutheranorum ausibus juberetur abstinere; cùm tamen è diverso ipsímet Lutherani Principes finem propè nullum facerent, Catholicos persequendi, & antiquas proavorum suorum fundationes evertendi. Nec longè pòst, nimirum die tricesimâ Decembris, Philippus Hassiæ Landgravius Henrici Brunsvicensis Secretarium, cum arcanis literis ad Moguntinum Heltiúmque missis, propè Cassellas intercipi, & in custodiam detrudi jussit. Quâ ex re non parùm aucta sunt partium ambarum odia, paucorum annorum spatio in apertas belli flammas eruptura.

*litera Dominicalis erat F. Catholici contra eos percutiunt aliud fœd⁹, quod appellârunt *fœd⁹ sanctũ. Chytræus loc. cit. Spondan. ad an. 1537 n. 16 Hanſiz. in hiſt. Archi-Ep. Salisb. pag. 601. Pallav. in hiſt. conc. Trid. l. 4. c. 8, n. 10.*

Lutherani Principes iterũ conveniunt Isenaci. *Surius in comment. rer. geſt. ad hunc ann. Paullin. in annal. Iſenac. & alii.*

Accedebat his aliud malum ab adventu Joannis Calvini, qui hoc anno pariter irrepsit in Germaniam, posteáque magnam illius partem à Lutheri erroribus ad suos transtulit. Natus hic erat Noviomi in Gallia anno 1509, die decimâ Julii, patre Gerhardo Cauvino: cujus ille nomen latinè in Calvinum, & aliquando etiam transpositis literis in *Alcuinum* vertit; quasi magno illi Alcuino, Caroli Magni præceptori, se parem ferret. Post decursa humaniorum literarum studia Philosophiam Parisiis, Jus Canonicum apud Bituriges audiit: ubi tunc etiam à Melchiore Wolmario,

Calvinus Genevâ pulsus, hoc anno venit Argentoratum in Germaniã. Ejus Natales, studia, Clericatus, exilium, & fuga in Italiã. *Spond. ad ann. 1534.*

rio, homine Germano, qui stipendiis Margaritæ Biturigum Ducis alebatur, Lutheranæ hæreseos venenum combibit. Inde Noviomum reversus, clericali vitæ se addixit, nactus ibidem duo beneficia Ecclesiastica, quæ Gerardus pater ei procuraverat. Sed in his possidendis inquietus homo demorari diu non potuit. Cùm enim suas hæreses & novarum opinionum venena luculenter hinc indè proderet; propter eas in exilium actus, & (utì Bolsecus* addit) etiam perpetratæ sodomiæ causâ nigro lilio ad humeros inustus est. Quapropter utroque Sacerdotio vendito, acceptâque certarum *pecuniarum summâ primò in Germaniam ad præcipuos novarum doctrinarum fabros, indéque rursus ad Pictavos in Galliam se recepit: ubi famosos illos institutionum suarum libros ex diversis, cùm veterum, tum novorum sectariorum chartis infeliciter consarcinavit; & eos, qui contenta in iis dogmata in plebem disseminarent, *Ministros** appellari voluit. Ex horum deinde numero tres in Gallia reliquit: ipse verò, ne fortè cogeretur pro fide sua martyrium ferre, securitatis obtinendæ causâ in Italiam ivit. Fidem Catholicam tunc abjecerat urbs Geneva, Zwinglianis erroribus imbui ac deformari cœpta anno seculi præsentis *tricesimo quinto. Illuc igitur anno sequenti veniens, & inter verbi Ministros cooptatus, non modò gnaviter suarum doctrinarum semina in plebem sparsit; sed etiam haud multò pòst Guilielmum Farellum, Genevensium seductorem, aliósque verbi Ministros inclinavit, ut in odium Catholicæ Religionis Cœnam Dominicam non ampliùs* in pane azymo sed tantùm in fermentato porrigere vellent. Cúmque huic novitati senatus populúsque Genevensis audenter se opponeret; nihilo minùs nequissimi seductores illi tam perditè & obstinatè perstiterunt in proposito, ut hoc anno, seculi præsentis tricesimo octavo, in festo solenni* Paschatis, per omnes totius urbis Ecclesias nulli hominum Eucharistiam seu Communionem sacram distribuerint. Ea res gravissimè offendit populum: atque ideo statim alterâ die, quæ erat vicesima secunda Aprilis, novatores isti ab urbe pulsi, & in exilium ejecti sunt. Ità demum Calvinus, nec Genevæ ampliùs, nec in Gallia securus, in Germaniam *profugit, ac tandem Argentorati hoc anno à senatu Zwingliano cathedram consecutus est. Ex qua tamen triennio pòst *Genevam rediit, ut ibidem pestilentis doctrinæ suæ principatum stabiliret.

Ceterùm & hic annus non omnino immunis fuit à bello, saltem prædatorio. Nam in mense Majo Antonius & Christophorus Comites Oldenburgici, nullâ hostilitatis denuntiatione prævià (utì refert Kersenbrochius) in Diœcesin Monasterienſem irruperunt:

*Bolsec. in vita Calvini c. 5. & alii.

*Spondan. ibid. n. 10. in fine. Bolsec. loc. cit.

*Spondan. ibid. n. 13.

*Spond. ad ann. 1535. n. 3.

*Spond. ad ann. 1538. n. 12. Bolsec. in vita Calvini c. 6. & seq.

*Pascha ao 1538. incidebat in die 21. Aprilis, sub litera Dominicali F.

*Spond. ad hunc ann. loc. cit. Bolsec. in vita Calvini c. 10.

*Spond. ad ann. 1541. n. 4.

Anton. & Christoph. Comites Oldenburgici invadunt ac populantur Diœcesin Monaster. *Kerssenbr. in hist. Anabapt. Chytræus l. 15 Saxon. Hamelm. in chron. Oldenburg. à pag. 366.*

runt: eâ quidem prætextâ causâ, quòd Franciscus Episcopus Hudense monasterium per decursum anni superioris iniquè diripuerit; re verâ tamen, ut ab Ecclesia monasterii præfecturam arcémque Delmenhorstensem, à majoribus suis possessam, vi & armis recuperarent. Prima eorum impressio tentata est in arcem hanc, de qua nunc dixi. At eo conatu propter fortitudinem præsidiariorum frustrati, subjectum oppidum exspoliant & incendunt. Indè latiùs progressi, Wildeshusium, Vechtam, Haselünnam, Meppenam, Harpstadium, Kloppenburgum, & alia regionis istius castra vel oppida capiunt; magnámque pecuniæ vim è vicinis ad Amasim pagis extortam auferunt. Sed brevis hic furor fuit, & instabile gaudium. Nam, ubi haud multò pòst Franciscus Episcopus è triplici Diœcesi sua, videlicet Monasterienſi, Osnabrugensi, & Mindensi, magnas equitum peditúmque turmas adunaverat sub Joanne Raêsfeldio, supremo militum Præfecto: Oldenburgici Comites, incenso post se Vechtensi castro & oppido, quantocyus regressi sunt; omniáque loca occupata non minori celeritate rursus amisêre, quàm ea priùs ab æmulo nondum parato ceperant. Mox etiam Monasterienses, ut cladem cladi ac damna damnis reponerent, in comitatum Oldenburgensem vicissim irruunt, pagos diripiunt, oppida incendunt, ac demum ipsimet urbi Oldenburgensi, velut primariæ Comitum prædictorum sedi, obsidionem admovent. At his eorum conatibus repentè intervenerunt Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, Ecclesiæ nostræ Administrator, & Joannes Clivensium Dux; quorum uterque duos Legatos, pro tractando pacificationis negotio, ad partes dissidentes misit. Horum arbitratu & suasionibus primùm constitutæ sunt induciæ; deinde verò Wildeshusii, die tricesimâ Julii, eâ lege pax composita, ut utraque pars in judicio Imperiali experiatur suum jus, & interea suis quisque rebus ac possessionibus contentus vivat, uti refert* Hamelmannus. Immitiùs tamen, quàm Christiana repressio ferret, in eo ultionis genere à Monasterienſibus processum est Wardenburgi, loco olim devotis peregrinorum supplicationibus haud parum claro. Templum enim, quod ibidem satis elegans cupreisque laminis intectum erat, Monasterienſis miles fœdissimè incendit, campanis Bremam abductis; & in urbe, Lutheranis erroribus jam addicta, venditis. Auctor hujus facinoris fuisse legitur Henricus de Schade Satrapa Wildeshusanus: qui idcirco (uti refert Hamelmannus) repentè in eam amentiam ac phrenesim lapsus est, ut eundem currui imponi, vinculisque adstrictum, in suas ædes reportari necessum fuerit.

Franciscus Episcopus eosdem rursus expellit, & evastat Comitatum Oldenburgicum. *Auctores iidem.*

Hermann. Archiepiscopus Colon. & Joannes Dux Clivensis, pacē inter eos restituunt. *auct. iidem*

**Hamelm. in chron. Oldenb. pag. 368.*

Pœna Henrici de Schade, incendentis Ecclesiam in Wardenburg. *Hamelm. ibid. pag. 367.*

Eâdem

Eâdem occasione Paderbornensis Diœcesis nostra non parùm nocumenti, velut ex obliquo, pertulit. Nam, ùt Hamelmannus in chronico*Oldenburgensi refert, Philippus Hassiæ Landgravius in bellum istud nonnulla equitum peditúmque auxilia Francisco Episcopo suppetias misit. Hos autem per Diœcesin nostram eò traductos esse, non obscurè constat ex diario Henrici Schrôder Abbatis Marienmünsterensis, qui ad hunc annum ità scribit: *In vigilia Pentecostes venerunt ad monasterium nostrum viginti et centum armati equestres ex curia Principis Hassiæ, ex promotione Arnoldi* ab Oynhausen inimici nostri. Manserunt per unam noctem, et in recessu acceperunt quatuor boves. Damnum nostrum fuit ad quadraginta florenos aureos.* Neque dubito, quin adhuc majorem, vel certè non minorem jacturam tulerit monasterium Gerdense virginum; cui Landgravius jam ab anno priore plurimùm infensus erat propter Abbatissam & conventum cœnobii Confugiensis, de quo alio in loco* memini. Hæc autem & plura alia dissimulabat Hermannus Ecclesiæ nostræ Administrator; neque vel minimùm ausus est mutire contrà, utpote homo languidus, & jam paulatim Lutherano magis, quàm Principi Catholico similis. Imò & in ceteris rebus, purè civilibus, ferè nihil agebat, nisi per suos Ministros: quorum opera Paderbornenses inter & Colonienses hoc anno complanata est eorundem controversia de jurisdictione in Westerkotten & Erwite; uti constat ex tabulis publicis, eade re conscriptis, datísque *Neuhusii die decimâ Octobris, anno 1538.*

* *Hamelm. loc. cit. pag. 367.*

* *Oynhausē in Grevenborg.*

* *ad annum 1537.*

Hermann* Administrator inter Colonienses & Paderborn. componit litem de jurisdictione in Erwite & Westerenkotten *Ex literis cancellariæ Paderb.*

Annus Christi 1539.

PAULI III. Pontificis 5. & 6.
CAROLI V. Imperatoris 20. & 21.
HERMANNI II. Administr. Pad. 7. & 8.

ANnus hic fuit quidem à bellis vacuus; sed ab intestinis Religionum discordiis Catholicos inter & Protestantes non parùm turbidus. Mense Februario institutus erat Francofurti conventus Principum, pro tentanda Catholicorum & Lutheranorum concordia. Sinè hac enim, neque bella inter ipsos, propter contraria partium ambarum fœdera, devitari diu poterant; neque ab Imperii Proceribus obtineri subsidia bellica, per quæ Ferdinandus Romanorum Rex Hungariæ sceptrum in suis & Archiducum Austriacorum manibus contra Turcarum insultus firmari satagebat. Aderat ex parte Cæsaris Joannes Wesalius, olim Archiepiscopus*Lundensis in Dania: prætérq; eum

Catholici & Acatholici Principes conveniunt Francofurti pro tentanda concordia, *Spond. ad hunc annū. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 4. c. 8. n. 10.*

* *Spond. ib. n. 3.*

eum duo pacificatores ab utraque parte acceptati, nimirum Ludovicus Palatinus, & Joachimus II. Brandeburgicus, Electores: quorum posterior ad Lutherana dogmata jam plurimùm propendebat. Hi cùm in eo conventu reliquos Principes patheticâ oratione ad pacem & concordiam hortati essent, responderunt pro more suo Lutherani: pacem utique sibi maximopere in votis esse: eam tamen haud aliter à se admitti posse; quàm ut vi illius etiam Cæsareum tribunal Cameræ in posterum, usque ad futurum concilium, abstineret à causis & quæstionibus in Ecclesiasticorum bonorum direptores hucusque exercitis. Conditionem hanc, velut summè pernicioſam, rejecit Orator Cæsareus, aliíque Principes Catholici. Videbant enim à Protestantibus hoc modo nil aliud quæri, quàm ùt interea temporis opulentiora Ecclesiasticorum prædia, urbes, & oppida, citra omnem Cameralis judicii metum occuparent: neque postea spem ullam fore, hujusmodi bona è vultureis eorum unguibus recipiendi; quandoquidem ab iis concilii futuri nomine haud aliud intelligeretur, quàm suorum Præconum & Apostatarum synagoga. Quare iterum ad alias consultationes itum; ac tandem die decimâ nonâ Aprilis, post bene longas, acrésq; disceptationes, unanimi voto concluſum est: *utrique parti concedantur induciæ quindecim mensium. Interea Norimbergæ conveniant sex Theologi Catholici totidémque Lutherani, qui excluſo Pontifice ibidem inter se conferant de Religione et rebus fidei. Eodem illo tempore ſuſpendantur omnes actiones Camerales propter damna, monaſteriis, templísque Catholicis hactenus inflicta: ità tamen, ut interea Proteſtantibus non liceat, ullum amplius intrà Schmalkaldicum fœdus admittere; aut Catholicis, corúmve Eccleſiis adhuc ſalvis nova damna vel injurias inferre.*

Mirum est, quòd Archiepiscopus Lundensis (quem Pallavicinus *Londenſem* ex errore nominat) non adverterit illico, paucorum hujusmodi Doctorum conventionem, non solùm Apostolicæ sedi & ejusdem juribus maximopere fatalem fore; sed etiam innumeris animarum ac fidei periculis expositam? Quomodo enim à Theologis tam paucis confici vel absolvi poterat ea rerum quæstionúmq; moles, quæ totius œcumenici concilii robur & sapientiam deposcebat? aut quomodo ex hujusmodi congressu vel minimum spei bonæ sublucere poterat, in quo nec ipsis Catholicis, eò destinandis, omnimodè confidi poterat: cùm & ipsi interdum vel occultè foverent hæresin, quam celabant; vel etiam conscientiam quandoque suam utilitati propriæ posthaberent? Quare Carolo Imperatori (in cujus arbitrio relictum erat, concordiam suprà dictam* intrà sex menses approbare aut rejicere) continuò dissuasit Pontifex, ne pernicioſis ejusmodi pactis comprobationem vel assensum daret.

Post longas partium disceptationes feriuntur induciæ quindecim mensium: intrà quos controversiæ fidei utrimque à Theologis discutiantur, si id Cæsar approbet. *Spond. hic n. 2. Pallav loc. cit. n. 12.*

Induciæ illæ, & congressus Theologorum, dissuaſu Pontificis reprobantur à Cæsare. **Spond. hic. n 3. Pallav. ib. 6. 9. n. 1.*

**Spondan. hic n 2. Pallav. loc. cit.*

daret. Id quod etiam Imperator pro bono Religionis lubenter præstitit: quanquam non sinè magno Principum Acatholicorum offendiculo. Quippe qui ideirco novam conventionem die decimâ nonâ Novembris instituerunt Arnstadii in Thuringia: ubi iterum ab iis deliberatum de augendo fœdere Schmalkaldico, rebúsq; aliis, ad mutuam suî & sociorum suorum defensionem necessariis.

Lutherani Principes novâ conventionem celebrant Arnstadii, ad augendũ suum fœd⁹. *Spond. hic n. 3.*

Catholicorum interea fœdus, quod *sanctum* appellaverant, immedicabile vulnus accepit ex inopino obitu Georgii Saxoniæ Ducis, viri (si quisquam alius) usque ad mortem probè Catholici, ideóque etiam à Luthero scriptis & maledictis dirum in modum divexati. Excessit hic è vivis Dresdæ die decimâ septimâ Aprilis; &, quod maximè luctuosum erat, cum eo simul in ipsius terris contumulata est Catholica Religio, quæ eo stante ibidem stetit, & eo cadente concidit. Habuerat quidem antea duos filios, paternæ constantiæ ac pietatis æmulos, Joannem & Fridericum. Sed (quæ inscrutabilis fuit permissio Dei) prior horum Joannes, triginta sex annorum Princeps, biennio ante* patrem extinctus erat, posteaquam ex Elisabetha Hassica uxore sua prolem nullam suscepisset: posterior autem Fridericus, cùm in Januario præsentis anni matrimonium iniviſſet cum Elisabetha Mansfeldica, Ernesti Comitis bene Catholici filia; paulò pòst in lectum fatalem* decidit, ac die vicesimâ sextâ Februarii è vivis emigravit. Acerrimè id afligebat Georgium, sexaginta & octo annorum senem: augebátque dolorem hunc apostasia Henrici fratris, qui à fide Catholica jam desciverat, & ante biennium Schmalkaldico fœderi se associaverat. Itaque, ne antiqua fides detrimenti aliquid pateretur à morte sua, quam timebat; continuò testamentum condidit, in eóque statuit, ut Henricus frater unà cum duobus filiis, Mauritio & Augusto, eâ duntaxat lege bonorum terrarúmque suarum hæredes fierent, si ad fidem Romano-Catholicam se reversuros promitterent: sin minùs; tota suarum ditionum portio transferretur in potestatem Cæsaris & Ferdinandi Regis, atque ab iis tam diu teneretur, donec vel Henricus frater suus, vel ejusdem filii, vel alius è consanguineis proximis voluntatem suam adimplere, & Catholicam Religionem in suis terris protegere vellet. Sed illa tam salutaris præcautio turbatissimis hisce temporibus nihil profuit. Henricus enim, Protestantium auxilio fretus, non modò statim fraternæ ditionis possessionem adiit: verùm etiam ad ejiciendam indè Religionem Catholicam repentè ea cum festinatione grassatus est, ut, cùm in festo Paschatis adhuc ubique sacra omnia ritu antiquo fierent; in sequenti festo Pentecostes Lutherani concionatores Dresdæ ac Lipsiæ in cathedris templorum starent. Ne verò simplicior populus

Georgius Saxoniæ Dux, Catholicæ fidei retinentissimus, hoc anno moritur. *Spond. ad hunc an. n. 6 Chytræus l. 15. Saxon. Spangenb. in chron. Mansfeld. & alii.*

**hist. Ducũ Saxoniæ.*

**hist. Ducũ Saxoniæ. Spangenb. & Chytræus loc. cit.*

Henricum Fratrem, ejúsq; filios, à successione suarum ditionum excludit, nisi ad fidem Catholicã revertantur *Spond. ad hunc an. n. 6 Spangenb. in chron. Mansfeld. Sur. & alii.*

At ille, Protestantium auxilio fretus, non modò succedit; sed etiam fidem Catholicã è terris ejicit. *Chytræus, Spond. &c.*

pulus animadverteret, eo modo defraudari se, privaríque divino sacrificio; Lutherani reformatores, à Joanne Friderico Saxoniæ septemviro missi, veteres omnes missarum solennium ritus (excepto *Canone) in Ecclesiis Misnienſibus retinuêre, putà: *introitum, Kyrie eleison, orationes, lectiones Epistolarum et Evangeliorum, symbolum Nicænum, præfationem, vestitum sacerdotalem, cereos accensos, et* (quod summopere demirandum est) *etiam elevationem* *Divini Corporis, quam sæpe aliàs velut idololatriam condemnaverant. Adeò verum est, quod antè dictus Dux Georgius de versatili Lutheranorum Doctorum fide persæpe dixerat: *Scire se, quid hodie credant Lutherani; quid autem cras credituri sint, ne ab ipsis quidem sciri: quòd apud eos penè annua menstruáque sint fidei dogmata*; uti olim de veteribus hæreticis dixit S. Hilarius.

*Chytræus l. 15 Saxon.

*Chytræus ibid.

Joachimus II, Elector Brandeburgicus, Lutheranam doctrinam recipit; sed ità, ut plerique missarum ritus in Ecclesiis retenti fuerint.

Sub eodem fraudulento retinendorum rituum Catholicorum prætextu, seductus & circumventus est Joachimus Brandeburgicus, Joachimi I. Electoris, viri semper Catholici, filius & successor. Nam & is hoc anno Lutherana sacra in suas terras introduxit, retentis plerísque cerimoniis veteribus, etiam iis, quæ Prædicantium Lutheranorum judicio superstitionem sapere videbantur. Id quod idcirco à novis illis Theologis permissum esse, refert Chytræus, *ut in prima illa Religionis mutatione minùs offenderentur Pontificii:* quasi verò devitandæ offensionis causâ permitti queat, superstitionem colere. Caro tamen res illa stetit Joachimi subditis. Non enim priùs novationem hanc ad assiduas iteratásque eorum preces indulgere voluit, quàm ingentem æris* alieni molem, ipsius nomine persolvendam, in se reciperent. Similia scribit Chytræus de Alberto Moguntino, Joachimi patruo. Ait enim, quòd & hic in Diœcesibus suis Magdeburgensi & Halberstadiensi hoc anno publicum Lutheranæ doctrinæ exercitium permiserit; acceptâ priùs ingenti pecuniarum summâ, quam ab istorum locorum subditis efflagitaverat. Id quod ego tamen, cum bona Chytræi venia, non eo modo factum intelligo, quasi Catholicam Religionem utilitati vel necessitati propriæ posthabuerit; sed quòd animo jam prospexerit, Lutheranæ doctrinæ exercitium, etiam se invito ac repugnante, per vim & seditionem publicam intrudendam esse. De cetero enim Albertus hic antiquæ fidei Catholicæ retinentissimus fuit (uti summopere commendat Pallavicinus) atque ideo, cùm exercitium Lutheranum Halberstadiensibus & Magdeburgensibus permittere coactus est; simul disertè & expressè cavit, ut omnia seu Canonicorum collegia, seu Religiosorum *monasteria, per utramque Diœcesin illam in statu pristino relinquantur.

*Chytræus loc. cit.

Albert° Elector Moguntinus Lutheranâ doctrinam permittere cogitur in Archiepiscopatu Magdeburgensi & Ep. Halberstad. salvis tamen Ecclesiis Canonicorum, & monasteriis

Chytræus l. 15. Saxon.

Pallav. in hist. conc. Trid. l. 5.

Chytræus loc. cit.

E re-

E reliquis Germaniæ Principibus, maximéque iis, qui ad circulum Westphaliæ pertinent, vitam hoc anno posuit Joannes III, Cliviæ, Juliæ, & Montium Dux, inopinâ morte præventus die sextâ Februarii, cùm animi causâ* ad abacum lusorium consideret. Fuit ille quidem Catholicæ Religionis cultor usque ad extremum vitæ halitum: sed admodum languidè ac remissè. Tametsi enim Lutheranorum civium novationes Lipstadii ac Susati sub initium compresserit; postea tamen sequioris doctrinæ libertatem iisdem indulsit: sive quòd hac in re nonnihil se accomodaret in favorem generi sui, Joannis Friderici Saxoniæ septemviri; sive quòd in aula sua viros Catholicæ Religioni non admodum addictos aleret. Fœderi Schmalkaldico, adversùs Catholicos & Carolum Imperatorem inito, nunquam adscribi voluit: imò & est, qui de eo scribat, quòd, priusquam è vivis emigraret, Wilhelmum filium suum & hæredem unicum sincerè prænonuerit, ut Cæsarem* officiosè colat, & externas aliorum Regum aut Principum amicitias non inquirat. Quæ verba si Wilhelmus Dux attentè in animum demisisset; juvenili impetu nunquam in eas miserias vel in eam Cæsaris offensam incidisset, quàm triennio pòst flexis genibus ab eo deprecari debuit.

Joannes III, Clivensium Dux, inopinò moritur die 6. Febr. *Teschenm. in annal. Cliv.*

**Chron. ms. Dominicanorum Tremon.*

**Cratepol. in Catal. Archiep. Colon. apud Gualterii pag. 1353.*

De rebus Diœcesis nostræ nihil aliud hoc anno memorandum reperi, quàm quòd in ejus principio, nimirum die sextâ Januarii, ubique apud nos inaudita aquarum eluvio fuerit; uti Henricus Schrôder, Abbas Marienmünsterensis, in diario suo retulit hisce verbis: *Anno 1539, in die Epiphaniæ et sequenti, fuit maxima abundantia aquarum, ità ut nullus hominum tunc viventium tale diluvium viderit, quod multis locis et civitatibus grande damnum intulit.* Eadem asserunt chartæ nostræ Falckenhagenses: & addunt, fluvium Ambram* propè oppidum Lügdam* eum in modum exundâsse, ut aquæ, ripis egressæ, non modò urbem intraverint; sed etiam cœmeterii muros transcenderint, ædes omnes percursârint, pecora multa absorbuerint, coëgerintque populum universum in superioribus domuum suarum tabulis degere: atque hæc eadem contigisse pariter Brakeliæ, Steinhemii, Huxariæ, & aliis in locis. Inundationem hanc non multò pòst consecuta est ingens annonæ caritas, quæ in Diœcesi nostra frumentorum pretia supra modum auxit; in aliis verò ad Visurgim locis, uti etiam in vicina Hassia, tam acerbam necessitatem induxit, ut ex urbe Brema fruges Polonicas per Visurgim advehi necessum fuerit. At nullibi fere major penuria vel necessitas fuit, quàm in urbe Tremonia locisque finitimis: ubi magna pars hominum debuisset ex inedia mori, nisi providi cives ad avertendum commune malum Daventriâ & Amstelodamo pere-

Magnæ aquarum inundationes in principio hujus anni.

**Ambra fluvius, vulgò die Emmer.*

**Lügda vulgò Lügde aut Lüde, oppidum Paderbornense, non procul à Pyrmonto.*

Magna annonæ caritas in Diœcesi nostra & alibi. *Ex Diario Henrici Schröder Abbatis in Marienm. item ex literis Falckenhagens.*

*chron. Trem. mſ.

peregrinas fruges importâſſent. Veniebat illuc ingens *multitudo pauperum ac famelicorum hominum, qui per miſericordiam Dei inſtantiſſimè flagitabant panem ante urbis portas: iíque non ſolùm erant vulgares mendici, corrogandis oſtiatim panibus aſſuefacti; verùm etiam perſonæ honeſtiores, famuli, ancillæ, opifices, mercenarii, qui perlubenter, etiam pro ſolo pane lucrando famulitium & laborem præſtitiſſent. Ceterùm huic inopiæ ſatìs maturè Deus medelam attulit. Nam, ùt literæ Falckenhagenſes perhibent, fruges hoc anno viſæ ſunt ſolitò velociùs matureſcere: ità ut *Falckenhagæ, loco aliàs perfrigido, die octavâ Julii ſiligo meti cœperit; & in feſto S. Jacobi Apoſtoli jam penitùs demeſſa, imò & maximam ſuî partem granariis illata fuerit.

Meſſis præmatura.

literæ Falckenhag.

**Falckenhaga, monaſterium vetus in comitatu Swalenb.*

Annus Chriſti 1540.

PAULI III. Pontificis 6. & 7.
CAROLI V. Imperatoris 21. & 22.
HERMANNI II. Adminiſtr. Pad. 8. & 9.

Carol⁹ Imperator, initio hujus anni, ex Hiſpania in Belgium redit.

CArolus Imperator, poſteaquam anno ſuperiore Eliſabetham conjugem in partu amiſiſſet, ſub initium præſentis anni ex Hiſpania rediit, evocatus inde per tumultus ac rebellionem Gandavenſium. Inſtituerat iter iſtud per terras Galliæ, Rege ipſo Regiísque filiis eum deducentibus uſque ad ingreſſum Belgii; ubi à provinciarum iſtarum Proceribus cum ingenti ſplendore exceptus fuit. Annum exinde totum conſumpſit Cæſar in Belgio: tum quòd exortæ Gandavenſium turbæ vicinam ejus præſentiam popoſcêre; tum quòd in terras Imperii priùs ire non vellet; quàm vidiſſet, quò ſe rerum Germanicarum turbæ verterent. Ibi fœderatorum Schmalkaldienſium Legati Februario menſe ad Cæſarem acceſsêre, ſimulatâ animorum ſubmiſſione obſecrantes: *primùm ne in eos vi et inopino aggreſſu* rueret; deinde verò, ut omnes Imperialis judicii actiones, quæ contra bonorum Eccleſiaſticorum direptores inſtitutæ fuerant, penitùs aboleri ſineret: ex his enim omnia Germanicorum Principum diſſidia profluxiſſe, et ſine earum abolitione priſtinam Germaniæ quietem reſtitui non poſſe.* Reſpondit Cæſar, ſe deliberaturum* hac de re. Nec multò pòſt ad conventum Schmalkaldienſem (ubi fœderati Principes rurſum congregari cœperant ineunte Martio) legationis causâ miſit Wilhelmum Comitem de Neuenar, verbo ac literis per eundem indicans, in Germaniam ſe non veniſſe animo hoſtili; ſed ut Religionis concordiam æquo modo reſarciret: ideóque ſe ab iis petere, quid Ca-

Haræus in ann. Brab. Spond. ad hunc annũ. & alii plures.

**Helvicus in theatro hiſt. univ. ad hunc annum,*

**Surius in comment. rer. geſt.*

Mittit Legatum ad Principes Proteſtantes, Schmalkaldiæ congregatos.

**Chytræus l.15. Saxon.*

Catholicis concedere, quídve demum contra eos tueri ac defendere velint? Qua de re posteaquam diu multúmque deliberâssent cum Theologis suis Melanchthone, Bucero, & aliis Apostatis; tandem responderunt Neuenario Legato: *studium concordiæ sibi maximè cordi esse: cavendum verò, ne per eam intelligatur* * *ulla rejectio doctrinæ, in Augustana confessione vel ejusdem apologia quondam exhibitæ: in hac enim sese mordicus persistere velle; Solúmque petere, ut illius fundamenta in comitiis publicis per viros idoneos discutiantur.* *Chytræus ibid.

Finito conventu (in quo & Wilhelmus Cliviæ Dux, magnâ Catholicorum offensione, Schmalkaldico* fœderi, ùt petiêrat, adscriptus est) Carolus Imperator, concordiæ tentandæ causâ, nova Principum comitia in diem vicesimam tertiam Maji conscribi fecit in urbe Spira: quæ tamen paulò pòst, cùm ibidem grassaretur pestis, Hagenoam translata sunt, menséque Junio celebrari cœpta. Aderat hic è Catholicis Ferdinandus Romanorum Rex cum diversis Principibus virísque doctis: è Lutheranis verò propè nulli comparuêre præter Legatos Principum & aliquos eorum Theologos, cum quibus de reducenda rerum credendarum concordia diligenter agi cœptum. Sed, quia Protestantes, ex decreto conventiculi Schmalkaldiensis, nihil de articulis in Augustana confessione porrectis remittere constituerant, ideóque de iisdem singulis * colloquium aliquod institui petiêre; tandem, abruptis comitiis, colloquium illud permissum, & in urbe Wormatiensi die vicesimâ quintâ * Novembris inchoatum est, præsente Campegio Legato Pontificis, Granvellano Legato Cæsaris, multísque ambarum partium Theologis ac Principum Legatis. Magna spes concordiæ & conciliationis credebatur fore ex eo colloquio, præsertim cùm in ejus ingressu per Campegium Oratorem suum sponderet Pontifex, facturum se, quidquid divinæ gloriæ sinceræque * Religionis studium sibi permitteret. Sed ea spes iterum inani cassâque operâ diffluxit. Cùm enim Eckius & * Melanchthon, ille Catholicorum, hic verò Protestantium Theologorum primipilus, de peccato originario per dies aliquos disceptássent; Carolus Imperator, se absente nihil perficiendum esse arbitratus, congressum hunc rursus abrumpi, & nova comitia, quibus ipsémet interesse vellet, Ratisbonæ in annum proximè sequentem indici jussit.

*Chronic. Dominic. Tremon. Varii congress° Principum, pro tentanda eorum concordia, Hagenoæ & wormatiæ sinè fructu habiti. Chytræus l. 15. Saxon. Brower. in ann. Trev. *Helvic. in theatr. hist. univers. *Pallav. in hist. conc. Trid l. 4 c. 12 n. 1. & seq. *Pallav. ibid. n. 4. *Pallav. ibid. n. 12. Cochlæ° in actis Luth. Chytræus l. 15. Saxon.

Dum autem hoc modo laboratum est pro bono Religionis, novum Ecclesia Catholica vulnus accepit in comitiis Hagenoæ habitis. Illic enim, die vicesimâ sextâ Junii, ex malo dysenterico extinctus est Ericus Dux Brunsvicensis, cognomento senior, Princeps per omnem vitam Catholicus, & ob egregia belli facinora Carolo Imperatori apprime charus. Nullum ille filium suscéperat ex

Eric° senior Dux Brunsvicensis probè Catholicus, in comitiis Hagenoensibus moritur. Chytræus l. 15. Saxon.

ex primo thoro: è secundo autem adeptus erat Ericum juniorem, tunc adhuc duodecim annorum juvenem. Qui cùm ob ætatem puerilem adhuc inidoneus esset ad regendum; Hannoverani Ordines omne regimen paulisper commiserunt ejus matri *Elisabethæ, Joachimi I. Brandeburgici Electoris filiæ. At illa, regiminis profani limites egressa, etiam ad altare manum applicuit; veterémque fidem Catholicam è suis terris ejici & proscribi fecit, evocato in hunc finem Antonio Corvino Apostatâ, monachóque sceleratissimo, qui per id tempus Witzenhusii, in vicino Hassiæ inferioris ad Werram oppido, Lutherana dogmata propalabat. Hunc deinde generalem, uti vocant, superintendentem constituit, datâ simul potestate novandi & immutandi veteres Ecclesiarum Brunsvicensium ordinationes, pro ùt ipsi utilius visum fuerit. Quâ potestate acceptâ, Corvinus omnem illam provinciam peragravit, templa, cathedras, monasteria, scholas, novis errorum magistris adimplevit, ac demum etiam novam Ecclesiarum ordinationem ad Lutheranarum doctrinarum formam fabricavit; quæ triennio pòst in lucem* publicam evulgata est. Oppositi se quidem huic feminæ machinationi Henricus Dux Brunsvicensis, cognomento junior, & alii Catholici. Sed, cùm & ipse eo tempore plurimùm exagitaretur à Philippo Hassiæ Landgravio, qui pro tuendis viduæ suprà dictæ ausibus defensorem se objiciebat: consultius erat, aliquantisper hæc dissimulare, & eventum hujus rei interea tempori commendare; quàm eam ob causam novo bellorum periculo se exponere. Ceterùm hic applausus Lutheranorum, quem ex illo viduæ matris facinore conceperunt, minimè diuturnus fuit. Nam, ubi postea Ericus filius, ex Imperatoris aula redux, Principatum paternum adiit, non modò Lutheranos præcones iterum ejecit, restitutâ Fide Catholicâ; sed etiam Corvinum Apostatam, suprà dictæ novationis auctorem, in arce sua Calenbergica diuturno carceri mancipavit. Ità miser homo, qui Religiosi Ordinis rigorem ferre non potuerat, ejus loco molesti carceris duritiem perferre debuit.

Mortem Erici Ducis propediem consecuta est nova alia Brunsvicensis familiæ plaga: nimirum promulgatio sententiæ Papalis, quâ Ericus jam defunctus, & Henricus junior ejusdem ex fratre nepos, Dux Brunsvicensis adhuc superstes, jubebantur Valentino Episcopo Hildesiensi restituere omnes satrapias, urbes, oppida, pagos & castra, Joanni quondam Antistiti in bello erepta. Justissima quidem erat Papalis illa sententia; sed huic tempori minimè conveniens. Eò enim jam dilapsæ erant res Germanicæ, ut Catholicæ religionis erigendæ spes in Henrico Brunsvicensi non minimâ

*Kleinsorg. in hist. mss. Hamelm. in hist. Evang. *Reusner. in opere genealog. & alii.* Elisabetha, relicta ipsi° vidua, totâ provinciam traducit ad Lutherum. *Chytræus, Kleinsorg. et Hamelm. loc. cit.*

**Hamelm. in hist. Ev. sufer. Duc. Brunsvic. Chytræus loc. cit.*

Eric° junior Erici defuncti fili°, post paucos annos rem Catholicâ restituit, Corvino superintendente in carcerem dejecto. *Hamelm. loc. cit. Chytræus l. 15. Saxon.* Valentinus Ep. Hildes. sententiam restitutionis obtinet contra nenricum Brunsvicensem. *Chytræus l. 15. Saxon. Demonstratio tripartita Hildes. p. 40. & 242.*

nimâ parte conquieſceret: utpote qui & bello ſtrenuus, & Catholici fœderis primarius Dux ante biennium conſtitutus. Quare etiam Carolus Imperator (cujus aſſenſu & imperio Diœceſis Hildeſienſis viginti abhinc annis eum in modum lacerata ac mutilata fuerat) exequendæ huic ſententiæ tam potenter ſe oppoſuit, ut Valentinus Epiſcopus, quidquid in adverſum niteretur, Imperatoris voluntati cedere, & effectum iſtius cauſæ uſque in alia mitiora tempora differre coactus fuerit.

Sed hujus executio ob injurias temporum impeditur à Carolo Cæſare. *Catalogus recentior Epiſc. Hildeſ.*

Novos interea fructus Evangelium Lutheranum hoc anno protulit in primario illius defenſore, Philippo Haſſiæ Landgravio. Conjugem is habebat Chriſtinam, Georgii Saxoniæ Ducis Catholici filiam, numerosâ jam prole fecundam: & tamen huic viventi, ac gignenti ſimul, alteram conjugem ſuperinduxit Margaretam de Sala, quam hoc anno, die tertiâ Martii, ſibi inſuper adjungi & conjugari fecit. Pudendum hoc, & inter Chriſtianos hactenus inauditum facinus, à Chytræo, Dilichio, Hartmanno, & aliis rerum Haſſiacarum ſcriptoribus, tacitiſſimè præteritur; ne cuilibet ſtatim in oculos incurreret, qualem & quantum habuerit Lutherana Eccleſia defenſorem. Imhoffius autem (cùm id omittere non poſſet propter materiam rerum tractandarum) huic turpitudini aliquem honeſtatis colorem allinit; excuſátque, id factum eſſe *urgentibus cauſis* ſecretis, et re cum Theologis communicatâ.* Candidiùs forſan dixiſſet cum Joanne Cochlæo, ſcriptore Catholico, Landgravium ad hoc audendum proceſſiſſe *conſilio* et approbatione Lutheri, et quorundam complicum ejus.* Hi enim ex nova Theologia ſua declarârunt, id fieri poſſe: & eâdem, ùt opinor, conſcientiâ, quâ Rotmannus & alii Doctores Anabaptiſtici, rogatu Joannis Leydenſis, ante ſexennium* declaraverant, Polygamiam novo populo ſuo permitti poſſe.

Philippus Haſſiæ Landgravi legitimæ conjugi ſuæ adhuc alteram ſuperinducit, conſentiente Luthero. *Imhoff. in notitia Procerum Rom. Imp. l. 4. c. 7. n. 8. Cochlæus in act. Luth. ad hunc annũ.*

* *Imhof. loc. cit.*

* *Cochlæus loc. cit.*

* *vide dicta ad ann. 1534*

Non minorem audendi licentiam idem Landgravius hoc anno prodidit in invadendis rapiendísque bonis monaſterii Helmershuſani, quod ab antiquiſſimis temporibus ad jurisdictionem & inſpectionem Paderbornenſis Diœceſis pertinuerat. Abbas ultimus ibidem fuerat Georgius à Marnholtz, homo peſſimæ vitæ & exempli. Qui, poſtquam ab Erico Epiſcopo noſtro perſæpe monitus, atque ad ſeveriorem vivendi methodum ex congregationis Burſfeldienſis inſtituto adigendus fuerat; ſanctioris diſciplinæ impatiens, anno præſéntis ſeculi viceſimo ſexto* monaſterium deſeruerat, & ex recente Lutheranorum doctrina maluerat eſſe maritus, quàm monachus. Exinde per annos ferè decem in Haſſia vicina vixerat ex direptis* monaſterii theſauris: &, quia interea temporis etiam omnes monachi in eandem Apoſtaſiam aliáque ſcelera pro-

Idem hoc anno invadit bona monaſterii Helmershuſani, à deſertore Abbate ſibi iniquiſſimè venditi.

* *vide dicta ad ann. 1526*

* *ex veterib⁹ manuſcript.*

prolapsi fuerant; monasterium totum à nostris Episcopis occupatum erat. At, ubi postmodum fugitivus Abbas indigere cœpisset cum sua pellice, neque ullam spem videret accipiendi plura de prædiis Helmershusiensibus; tandem hoc anno* monasterium illud cum omnibus bonis & juribus Philippo Landgravio per summam injuriam vendidit. Lætus hic tam pingui bolo, repentè se immisit in omnia prædicti monasterii bona. Ac tametsi Diœcesis nostra contra invasionem hanc, in territorio alieno factam, continuò protestata fuerit; nihilo tamen seciùs, tum ob ejusdem Landgravii potentiam, tum ob alias istorum temporum injurias, haud aliud obtinere* potuit; quàm exiguam aliquam proventuum partem, quæ jam olim nostris Episcopis vendita, & in perpetuum transcripta fuerat.

*ex iisdem manuscr.

*ex iisdem mss.

Huic damno Diœcesis nostræ accedebant & alia duo mala: unum à peste, & alterum ab exustione oppidi Vôrdensis. De priore malo Henricus Abbas Marienmünsterensis in diario suo ità scribit: *Anno 1540 pestilentia hîc grassabatur circumquaque, etiam in curia et familia nostra.* De altero idem Abbas hoc modo refert: *Decimâ quintâ Maji, in vigilia Pentecostes, oppidum Vörden ex toto comburebatur, et non remansit, nisi una parva et vilis domuncula; sed castrum cum suis ædificiis mansit illæsum.* Erat hoc in eo seculo jam tertium incendium istius oppidi: nam & anno 1511, & anno 1516, totum oppidum, unà cum castro, funestis ignibus in cineres diffluxerat, quemadmodum ab eodem Abbate annotatum legitur. At longè funestius incendium hoc anno exortum est haud procul à Diœcesi nostra in urbe Eimbecensi, quæ prædicto oppidulo nostro longè amplior, ac duobus Canonicorum collegiis decorata erat. *Anno 1540*, ajunt veteres chartæ Falckenhagenses, *in die S. Annæ viduæ insurgebat incendium grande circa horam quintam vespertinam in civitate Eimbecensi, per quod omnes Ecclesiæ turres, ac domus, unà cum urbis curia, ità funditus combustæ sunt, ut nihil ex iis remanserit, nisi sola vestigia: id quod nunquam in his regionibus auditum aut visum est.* Eo simul infortunio periit magna multitudo hominum, partim suffocata fumo & flammis, partim* oppressa lignis & lapidibus, quæ ex ædibus, templis, ac turribus accensis copiosè decidebant: nec ferè quisquam fuit, qui vel minimum de suis rebus aut pecuniis ferali huic incendio subtrahere, aut ab interitu servare potuerit. Hamelmannus, scriptor nugacissimus, autumat, infortunium hoc urbi accidisse Deo vindicante, quòd novis Præconibus Lutheranis* nimìs tenue stipendium assignârit. At cur non alius pari modo potuisset opinari, pœnam hanc urbi inflictam esse, quòd ante paucos annos Religionem veterem abjecerit, & bina Canonicorum

Pestis in Diœcesi Paderbornensi grassari cœpit.

Oppidum Vôrde exuritur, castro illæso.

Eimbeca, urbs Ducatûs Brunsvicensis, tristissimû incendium patitur.

*Hamelm. in hist. Ev. urbis Eimbec. p. 918.

*Hamelm. loc. cit.

rum collegia ex Lutheri instituto per Nicolaum Amsdorffium reformari fecerit?

Franciscus Ep. monast. Osnabr. & Mindens. majores Ordines & consecrationem Episcopalem suscipit. *Kerssenbr. in hist. Anab. Mon. ad hunc annum.*

In Diœcesi Monasterienſi, post oppressos Anabaptistas, adhuc omnia quieta erant & pacifica. Quâ tranquillitate feliciter usus Franciscus Episcopus, tandem hoc anno animum adjecit ad accipiendos majores Ordines; è quorum numero, si subdiaconatum exceperis, nullum hactenus obtinuerat. Itaque primùm die vicesimâ octavâ Decembris, festo Sanctorum Innocentium, in Ecclesia monasterii Iburgensis à Joanne Bischopingio suffraganeo suo creatus est Diaconus, & postridie Presbyter. Deinde verò sub initium sequentis anni, in solenni festo Circumcisionis, in cœnobio Marienfeldensi Episcopus consecratus est ab Antistite Leodiensi, & duobus suffraganeis, Monasterienſi scilicet ac Paderbornensi: quibus in solenni officio per modum Diaconi & Subdiaconi adstitêre Arnoldus Abbas in Marienfeld, & Bernardus Abbas in Iburg.

Wilhelm* Dux Clivensis, Geldriæ retinendæ causâ convertit se ad Schmalkaldiense fœd* & ad amicitiam Regis Galliæ. **Chronic. Dominic. Tremon. *chron. Trem. cit. Haræus in ann. Brab. Teschenm. in annal. Cliv. *Teschenm. ibid.*

Quis ex eo Franciſci facto non sperâsset plurimum boni pro conservanda in suis Diœcesibus re Catholicâ? Et tamen haud multò pòst, rejectâ fide Catholicâ, Schmalkaldico Principum Lutheranorum fœderi se adjunxit. Id quod etiam hoc anno fecit Wilhelmus*Cliviæ Dux, nullo alio impulsu ductus, quàm ut eo fœdere Ducatum Geldriæ, quem à morte Caroli Geldri occupaverat, in Clivensi familia stabiliret. Accesserat ille priùs mense Martio Carolum Imperatorem, Gandavi in Belgio commorantem, transacturus cum eo*de Ducatu suprà dicto, cujus hæredem se à demortuo Carolo Geldro designatum ac declaratum esse dictitabat. Ast, ubi Cæsar vicissim ostendit, Geldriam non uno pacis tractatu sibi adscriptam, ideóque nulli dispositioni testamentariæ obnoxiam fuisse: Wilhelmus Dux, re infectâ domum rediens, primò ad Schmalkaldicum fœdus transgressus est; ac paulò pòst ad Franciſci Galliarum Regis amicitiam juvenili animo se convertit. Lætus hic tam desideratâ armorum societate (jam enim occultè*circumspiciebat occasionem, quâ decennales inducias, ante biennium cum Cæsare conventas, rumperet) continuò suam addicit operam: atque ut hominem, adhuc in primo juventutis ardore constitutum, sibi arctiùs obligaret; neptem suam Joannam, Henrici Navarræ Regis, & Margaretæ*sororis suæ filiam, eidem in sponsam offert. Qua ex re biennio pòst nova belli seges prognata est.

Teschenm. ibid. Novus Ordo Religiosorum Societatis JESU à Paulo III. Pontifice confirmatur.

Felicior hic annus fuit ab incepto novo Ordine Clericorum Regularium Societatis JESU, qui ante sex annos Lutetiæ Parisiorum natus, & hoc anno Romæ à Paulo III. Pontifice, die vicesimâ septimâ Septembris, approbatus & confirmatus est, cum innumerabili plurimarum animarum ac totius orbis Christiani fru-

*Spond. ad hunc annū. n. 14. Orlandin. in hist. Soc. & alii.

ctu. Laudes hujus sanctæ societatis, in qua & ego Deo vocante vivo, multæ admodum & magnæ sunt. Sed, cùm æterna veritas per Salomonem*dicat: *laudet te alienus, et non os tuum; extraneus, et non labia tua:* malim ego hujusmodi laudes ore alieno cani, quàm meo. Id autem copiosè præstitit*Spondanus, hísce verbis: *cladem hanc* (à sectariis inflictam) *reparavit Deus institutione florentissimæ Societatis, quæ terrori esset inferno, consolationi orbi, directioni animis, fulcimento fidei, firmamento Ecclesiæ. Et quî posset aliter, cùm sit Societas JESU, in quo est omnis plenitudo gratiæ? Panegyrin non agimus. Nota sunt ejus opera, labores, sollicitudines, studia. Ex fructibus ejus, juxta Magistri verbum, cognoscere licet, quantum mundo emolumentum attulerit, in conversione gentium, institutione populorum, extirpatione vitiorum, confusione hæresum.* Unde etiam, teste Romano Breviario in vita S. Ignatii fundatoris nostri, *constans fuit omnium sensus, Deum, sicut alios aliis temporibus viros sanctos; ità Luthero ejusdémque temporis hæreticis Ignatium et institutam ab eo Societatem objecisse*: uti è sequentium annorum decursu manifestiùs eluceset.

*proverb. 27. n. 2.
*Spond. ad ann. 1539. n. 9.

Annus Christi 1541.

PAULI III. Pontificis 7. & 8.
CAROLI V. Imperatoris 22. & 23.
HERMANNI II. Adminístr. Pad. 9. & 10.

Comitia Cæsaris, Ratisbonæ habita pro tentanda concordia Religionis, *Surius in comment. rer. gest. Spond. ad hunc annū. Cochlæus in actis Luth. & alii.*

AD comitia Ratisbonæ indicta satìs maturè advenit Cæsar, utì & Legatus Pontificius Gaspar Contarenus; alii verò plerique Principes haud multò tardiùs. Præcipuus comitiorum scopus erat concordia Religionis: quâ obtentâ faciliùs foret inclinare Principum animos ad mittendum auxilium contra Ottomannos. Delecti igitur ab utraque parte tres Theologi, nimirum Joannes Eckius, Julius Pflugius, & Joannes Gropperus, Doctores Catholici; Philippus Melanchthon, Martinus Bucerus, & Joannes Pistorius, Doctores Lutherani: quibus injunctum est, ut de rebus controversis modestè ac nervosè inter se conferrent, sinè omni acrimonia vel æstu invidiosæ disputationis. Tres item ab utraque parte adjuncti testes, qui audirent omnia, testaríque possent, quid utrimque à Theologis actum vel conventum fuerit. Postremò etiam constituti duo istius colloquii vel collationis Præsides, nimirum Granvellanus*administer Cæsaris, & Fridericus Palatinus Electoris frater; qui huic tractatui præessent, suîque reverentiâ Theologorum dissidentium linguas aut furorem literarium cohiberent. Sed, eheu!

*Pallav. & Spond. loc. cit.

etiam

etiam in eo Theologorum colloquio singulare nihil, quod ad concordiam reducendam faceret, effectum est. Licèt enim Theologi suprà dicti, post laborem unius mensis & paulò *amplius, tandem in quibusdam articulis de justificatione, de baptismo, de Episcopis, de bonis operibus, concordaverint inter se; in aliis tamen articulis principalioribus, maximéque de Sacramento Eucharistiæ & ejusdem adoratione, nullam concordiæ viam invenêre. Quare tandem Imperator, communi Principum consensu, acta hujus colloquii ad generale concilium remisit: simúlque pollicitus est curaturum se, ut hujusmodi concilium intrà breve tempus indicatur; aut, si id aliis de causis impediendum esset, saltem aliquod concilium nationale convocetur, in quo omnes fidei ac religionis controversiæ coram Legato Pontificio componantur. Ne autem interea temporis Catholica Religio plus nocumenti acciperet, pari Principum consensu decretum est: *Primò, ut ante concilium proximè futurum nemo aliquid in posterum doceat contra articulos, à Theologis utriusque partis unanimiter admissos. 2dò, ut omnes actiones et processus Camerales, qui hucusque adversùs Ordinum Protestantium ausa in tribunali Cæsareo instituti vel agitati fuerant, conservandæ pacis causa usque ad idem concilium suspendantur. 3tiò, ut inconcussè ac firmiter in posterum observetur pacificatio Norimbergensis de anno 1532: ideóque nulli Principum ante finem concilii prædicti liceat, alium Principem bello aggredi, infestare, premere, vel despoliare, non solùm ex causâ diversæ Religionis, verùm etiam ex alia qualicunque. Sin verò aliter à quoquam actum vel attentatum fuerit; liceat oppressæ parti ad Camerale tribunal se recipere, et ab eo justitiam ac pœnalia mandata contra hujusmodi invasorem petere.* Hæc & alia istius generis non solùm à Carolo Imperatore, sed etiam ab omnibus *Principibus eorúmque Legatis constituta, recepta, & consignata sunt Ratisbonæ die vicesimâ nonâ Julii, anno seculi præsentis quadragesimo primo. Quî autem & qualiter ab iis observata sint, posteaquam Cæsar in Italiam, & indè in bellum Africanum abiit; manifestiùs edocebunt gesta sequentis anni.

Evocaverat huc etiam Cæsar Wilhelmum Cliviæ Ducem, ut cum eo de Geldriæ Zutphaniæque rebus ageret. At ille satìs habuit, suos istuc Legatos mittere: interímque occultis itineribus abiit ad Franciscum Galliæ Regem, cujus amicitiam præcedente anno jam aucupatus fuerat. Lætus hoc adventu Rex, continuò nuntiat Margaretæ sorori suæ, ejúsque conjugi Henrico Navarræ Regi, ut quantocyus ad se adducant Joannam filiam, Wilhelmo Duci desponsandam. Ægerrimè quidem id ferebant parentes ejus, tum quòd puella nondum in undecimo ætatis *anno constituta

*Cochlæus in actis Luth. ad hunc annum. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 4. c. 14. n. 5. & seq.

Concordiâ non obtentâ, controversiæ Religionis remittuntur ad concilium; interímque statuitur, ut omnes relinquantur in ea Religione, in qua tunc erant.

Recessus Imperii, conditus Ratisbonæ.

*vide Recessum Imperii de hac re.

Wilhelmus Cliviæ Dux conjungit se Regi Galliæ, & filiâ sororis ejus in sponsam accipit.

Teschenm. in annal. Cliv. Haræus in ann. brab. Spond. & alii.

*Spond. ad hunc ann.

esset; tum quòd ipsímet vererentur, eam asperiori Germaniæ solo assuefieri difficulter posse. Vicit tamen Franciſci Regis auctoritas; ac licèt Wilhelmus Dux teneram ſponſulam eo tempore adhuc relinquerit in ſinu matris, donec viro maturior foret; ſolennis tamen amborum deſponſatio die decimâ tertiâ Junii cum honore & ſplendore maximo peracta eſt in caſtro *Heraldi, Pictavorum urbe. Id cùm audiſſet Imperator, facilè ſuſpicatus eſt, quorſum iſta Wilhelmi Ducis conſilia tenderent: nimirum ut ope Gallicâ ſe in uſurpato Geldriæ Ducatu ſtabiliret, non ſinè periculo novi belli, ex ea orituri. Itaque die tertiâ Julii, Ratisbonæ in comitiis & conſeſſu Principum, gravi oratione palàm conqueſtus eſt, Wilhelmum Cliviæ Ducem nullo jure in Geldriam involâſſe: Ducatum hunc ſibi deberi, non ſolùm titulo emptionis factæ à proavo ſuo Carolo Burgundo; ſed etiam è diverſis tractatibus pacis, cum Carolo Geldro* jam pridem initis: nuntiatum eſſe à ſe Wilhelmo Duci, ut ea de causa Ratisbonam veniat ad comitia; illum verò in aliud iter ſe dediſſe, adiiſſéque ad Franciſcum Galliæ Regem, forſan ut eundem novarum nuptiarum vinculo in bellum pertrahat. Excuſabant hæc multis verborum coloribus Wilhelmi Ducis Oratores, ac ſubinde etiam conati ſunt exhibere ejuſdem jus in occupanda Geldria. At, cùm ea in re ſuos arcus nimiùm intenderent; Carolus Imperator, ſeu tædio, ſeu indignatione victus, è comitiis conſurrexit & abiit. Oratores, hoc viſo territi, confugerunt ad aliorum patrocinia: ac tandem, die viceſimâ primâ Julii, Principes Ordinésque omnes ad Cæſarem acceſsêre, unanimi voce deprecantes, ut amicæ tractationi cauſam iſtam permittat; vel, ſi eo modo componi nequeat, per viam juris, quod ſuum eſt, à Clivenſi repetat. Cæſar autem, his offenſus, præclariſſimè reſpondit: mirari ſe, quòd in hac cauſa privata, ſibíque ſoli propria, tam unanimi voto inter ſe conſentiant omnes Ordines, Principésque totius Imperii. *Sæpe aliàs*, inquiebat, *de ſummis graviſſimísque reipublicæ negotiis quàm plurimos in Germania conventus egi: nec tamen unquam potui tot Principes ſimul ad ullam conſultationem publicam in unum conventum cogere. Nunc autem, cùm de corio meo agitur, quanto numero congregati eſtis contra me? Comitia hæc indicta ſunt ad revocandam concordiam pacémque publicam; non autem, ut à vobis dijudicetur causa hæc privata, quæ inter me et ſolum Clivenſem vertitur.* Quo audito Principes controverſiam hanc voluntati Cæſaris permisêre.

Cæſar autem octiduo pòſt, ſolutis Principum comitiis, feſtinato itinere diſceſſit in Italiam. Ubi, poſtquam inter alia negotia, etiam cum Paulo III. Pontifice in urbe Luca familiariter congreſſus, déque inchoando generali concilio per dies aliquot collocutus eſſet; tan-

*caſtrum Heraldi, vulgò Chaſtelleraud, urbs Pictavíæ.

Cæſar hac de re graviſſimè conqueritur in comitiis. *Teſchenm. loc. cit. pag. m. 310.

*Vide dicta ad an 1536 & alibi.

Reſponſũ Cæſaris ad Principes, unanimiter pro Clivenſi deprecantes. *Teſchenm. in annal. Cliv. pag. m. 311.*

Cæſar ſolutis comitiis in Italiam diſcedens, agit cum Pontifice

tandem adulto jam Octobri cum ingenti classe, quam apparaverat, in Africam trajecit, expugnaturus Algeriam urbem, à piraticis excursionibus famosam, & Hispaniæ Italiæque plurimùm infestam. Sed ea res, tametsi gloriosè instituta fuerit, longè aliter evenit, quàm ab ullo hominum potuisset exspectari. Cùm enim Cæsar, ad litus Africanum veniens, circitèr viginti millia peditum cum præcipua equorum ac tormentorum parte in terram exposuisset; derepente tantus ventorum ac procellarum turbo in Africano mari exortus est, ut intrà paucas horas, inspectante gementéque exercitu, centum ac triginta naves collabefactæ fuerint, unà cum triremibus aliquot, & magnâ omnis commeatûs vel annonæ copiâ. Gravitatem hujus infortunii ità postmodum exaggeravit mendax fama, ut Europam communis *rumor pervaserit, ne unum quidem asserem è classe tota servatum, Cæsarémque ipsum vel undis obrutum, vel inter collisarum navium fragmenta contritum esse. At ista magis cupiebant inimici Cæsaris, quàm ejusdem protector Deus. Nam exeunte Novembri salvus ipse in Hispaniam rediit, & paulò antè militum Cæsareorum potissima pars in diversos Italiæ portus feliciter perducta est: quòd severè Cæsar edixisset, velle se potiùs, equos* omnes, & quidquid pretiosum erat, in mare dejici; quàm vel unum hominem è navigiis excludi, & à barbaris in servitutem accipi.

de inchoando concilio. *Haræus in ann. brab. Spond. ad hunc ann. n. 7. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 4. c. 16. n. 1.* Indè in Africam trajiciens ad expugnandam Algeriam, horrendo ventorum turbine ab inceptis impeditur. *Haræus & Spond. l. c. Villagagn. de expedit. Alger. *Pallav. loc. cit.*

Interea pestis, quam anno superiore Diœcesi nostræ infusam diximus, adhuc perrexit in ea plurimùm divagari, uti scriptor coævus* retulit hisce verbis: *Anno 1541. pestilentia hic grassabatur circumcirca, maximè in Brakel, Niehem, Steinheim, Driburg, et per totam Diœcesin Paderbornensem.* At longè diriùs hoc malum sæviit in urbe Colonia: ubi, teste *Chronico Tremoniensi, ampliùs triginta hominum millia per æstatem hujus anni peste sublata sunt.

*Pallav. & Haræus ibid. Pestilentia grassatur apud nos & Colon. *Henricus Abbas Marienmünst. in suo diar. *Chron. Trem. ms.*

Annus Christi 1542.

PAULI III. Pontificis 8. & 9.
CAROLI V. Imperatoris. 23. & 24.
HERMANNI Admin. Paderb. 10. & 11.

ABsente Cæsare, nova Imperii comitia ineunte Februario cœpta sunt in urbe Spira: ubi coram Ferdinando Romanorum Rege consultatum est, non solùm de mittendis auxiliis contra Turcas; verùm etiam de inchoando generali concilio, cujus maturationem Carolus Imperator præcedente Autumno vehementer urserat in congressu habito cum Pontifice. Quod ad pri-

Comitia celebrata Spiræ. Decernuntur in iis auxilia contra Turcas, frustra obnitente Legato Galliæ.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 4. c. 17. n. 7. Spond. hic n. 1.

primam hujus deliberationis partem attinet, Legatus Gallicus die 14. Februarii* orationem satis prolixam habuit, quâ Imperii Principes turpissimè dehortatus est, ne quid auxiliorum nationi Hungaricæ in Turcas mitterent. Sed hæc ejus oratio pessimè accepta est à Principibus universis: ideóque non attento cantu Gallicano, magnæ militum Germanicorum suppetiæ in Hungariam destinatæ sunt; etiamsi fructum, expeditioni tantæ consentaneum, diuturnæ cunctationis causâ non retulerint. Longè gratior Principibus fuit oratio Legati Pontificii. Is enim non modò suasit, Regnum illud*Germaniæ vicinum non oportere in manibus Turcarum deferi; sed etiam tria militum præstantissimorum millia, stipendiis Papalibus alenda, in hoc bellum obtulit. Quâ tam liberali promissione ità animos cunctorum affecit, ut in altera Spirensium deliberationum parte, quæ ad concilii futuri locum pertinebat, faciliores plurimorum aures invenerit. Proponebat ille nomine Pontificis urbem Tridentinam, Germaniæ conterminam: hanc enim, inquiebat, & Germanici juris esse, & Romano Pontifici velut homini jam decrepito viciniorem. Quod cùm omnes Catholici Principes acceptarent, eodem anno concilium à Paulo III. Pontifice in urbe Tridentina indictum est, promulgatúmque, ut in festo omnium Sanctorum, die primâ Novembris, initium illius fieret. Sed huic inchoationi propositæ rursus triennalem remoram injecit funesta belli fax, quæ hoc anno inter duos potentissimos orbis Christiani Principes accensa est.

*Pallav. ib. Spond. n. 1. Legat. Pontificius pro futuro concilio proponit urbē Tridentinā.

Assentiuntur Principes catholici, & concilii Tridentinum indicitur.

Pallav. ib. n. 8. & 9. Haræus in annal. brab. Spond. hic n. 10.

Sed iterum triennio suspenditur ob nova bella.

Enim verò Franciscus Galliarum Rex, cùm Imperatorem Algeriensi infortunio fractum esse crederet, ruptis iterum decennalibus induciis in eundem irruit, quasi fortunæ ipsius agonizanti telum ultimum infixurus. Eum in finem quinque simul exercitus in Cæsareas terras infundit: unum in Italiam ad fines Pedemontii, alterum in Hispaniam versùs Perpinianum, tertium in Artesiam & agros Atrebatensium, quartum in Ducatum Luxenburgicum, quintum (cui Dux Clivensis magnas equitum peditúmque turmas conjunxerat) in Brabantiam reliquúmque Belgium. Actum videbatur de Cæsare, nisi Deus omnem hanc belli molem feliciter enervâsset. Nam qui in Hispaniam à Rege missi erant, à Ferdinando Duce de Alba fortissimè repulsi, & re infectâ domum redire coacti sunt. In Italia eventu vario decertatum est ab utraque parte. In Artesia nihil singulare gestum præter agrorum direptiones & spolia. Ducatus Luxenburgensis à Gallis quidem occupatus unà cum urbe Luxenburgo; sed eodem Autumno à Cæsareis recuperatus, Duce Reinero Nassovio Arausionum Principe. In Brabantia denique Martinus Rossemius cum Gallicis Clivicis-

Franciscus Galliæ Rex, inducias decennales rumpens, unà cum Wilhelmo Cliviæ Duce invadit Cæsarem, in eúmque mittit quinque exercitus.

Surius in comm. rer. gest.

Sed nihil singulare ab iisdem exercitibus effectum est præter

vicísque copiis fœdissimè quidem grassatus est, ubique in pagis & oppidis incendiorum & evastationum suarum vestigia post se relinquens. At, ubi postmodum in Octobri Reinerus Nassovius à recuperato Luxenburgo rediit, etiam ipse Wilhelmo Clivio tallionem redditurus, in Ducatum Juliacensem vicissim irruit; occupatóque Marcoduro, Juliaco, Sittardiâ, Heinsbergâ, Süsterenâ, & Linichio, Rosemianam expeditionem incendiis & pecuniarum exactione severissimè vindicavit.

spolia & agrorum urbiúmque evastationes mutuas. *Auctores idem.*

Ità demum hoc toto bello nihil aliud effectum est, quàm quòd Cæsar & Gallus diuturnâ armorum suorum collisione se invicem fatigârint cum ingenti Catholicæ Religionis & Ecclesiæ damno. Interea namque, dum Cæsar in Gallos & Ferdinandus Romanorum Rex in Turcas ageret, Joannes Fridericus Elector Saxoniæ & Philippus Hassiæ Landgravius nova bella concitârunt adversùs Henricum Brunsvicensem, qui ferè solus è Principum Saxonicorum numero Catholicam Religionem sustinebat. Causa illius invadendi præcipuè petita est ab urbe Goslariensi, Lutheranis erroribus dedita, fœderíque Schmalkaldico jam pridem illigata. Cives illius urbis anno 1527*ausi fuerant vicinum in Monte S. Georgii monasterium (quod modò longiùs remotum est, conditúmque in Grauhoff) armatâ manu impetere, despoliare, diruere: binas etiam Henrici Ducis officinas, in quibus argentum liquefit, violentâ manu occupare, & quos ibidem invenerant, prædicti Ducis ministros obtruncare. Qua de causa cùm à judicio Cameræ Imperialis post diuturna multorum annorum examina condemnati essent; Henricus Dux eosdem commerciis omnibus excluśit, & interdicto commeatu publico ad satisfactionem congruam adigere conatus est. Cives hoc modo pressi confugerunt ad prædictos Principes, velut præcipua Schmalkaldicæ conjunctionis capita: & hi tandem anno superiore in comitiis Ratisbonensibus eò rem suam deduxêre, ut omnes hujusmodi processus Camerales retinendæ concordiæ causâ usque ad concilii secuturi exitum suspensi fuerint. Paruit quidem huic decreto Henricus Dux; at quia nondum penitùs abstinebat à vindicanda injuria suis ministris irrogata; Saxo & Landgravius cum suis fœderatis (inter quos etiam, prô dolor! erat Franciscus *Episcopus Monasterienśis) per æstatem hujus anni Ducatum ejus invadunt, monasterium*Riddagshusanum diripiunt, arcem Wolffenbutanam obsidione feroci domant, ac demum oppida castelláque omnia in suam potestatem adigunt, Henrico Duce cum Philippo & Carolo filiis ad Wilhelmum Bavariæ Ducem confugiente.

Henricus Dux Brunsvicensis, probè Catholicus, à principibus protestantibus bello premitur, omnibúsq; ferè provinciis suis exuitur. *historia belli Schmalkald. contra Henricum Ducem. Chytræus l. 15. Saxon. Surius & alii.* **Hist. belli prædicti. Chytræus l. 15. ad ann. 1541.*

**Annal. Monast. mſ.* **Chytræus l. 15 ad hunc annum.*

Aper-

Apertissimè hîc læsa erat, non solùm pax & concordia publica; sed etiam suprema Cæsaris auctoritas. Quippe qui in Recessu vel edicto publico, ante annum Ratisbonæ condito, severè* caverat, *ut nulli Principum ante finem concilii secuturi liceat, alium Principem bello aggredi, infestare, premere, despoliare, non solùm ex causa diversæ Religionis; verùm etiam ex alia qualicunque.* Et tamen his injuriis nondum contenti, Canonicos omnes Brunsvicensi ex urbe pellunt, Religiosos è monasteriis ejiciunt, sacerdotes Catholicos de suis parochiis deturbant, & institutiones Lutheranas ubique per oppida & pagos introducunt. Evocati ad hanc rem Antonius Corvinus, Martinus Gorlitius, & Joannes Bugenhagius, quem alio nomine Pomeranum vocant. Ab his per Octobrem hujus anni visitatæ omnes Ecclesiæ, sacra Catholicorum abrogata, Præcones impositi cathedris, demum res omnes Ecclesiasticæ eum in modum innovatæ, ut nullam ampliùs antiquæ fidei & orthodoxi cultûs imaginem præ se ferrent. Conquestus quidem hac de re Henricus Dux, effecítque, ut in hujusmodi violatores pacis varia mandata pœnalia è judicio Cameræ Imperialis evibrata fuerint; proùt in comitiis Ratisbonensibus anni superioris contra novos aliorum Principum invasores decretum erat. At illi, citati & accusati, non modò non comparuêre; sed etiam scripto edito judicium illud velut iniquum in suis suorúmque fœderatorum causis recusârunt: non secùs, ac si nullam ampliùs justitiam in terris colerent, solíque in posterum supra Cæsarem, & extra omnium Episcoporum potestatem, constituti forent. Ità nimirum volebant omnia licere sibi, & aliis nihil.

**vide dicta ad ann. præced.*

Saxo, & Landgravi Lutheranas doctrinas in omnes terras fugitivi Ducis introduducunt.

Chytræus l. 15. Saxon. ad hunc annum. Hamelm. in hist. Ev. Ducat. Brunsvic. pag. 892. & seq.

Et sententiâ Cameræ Imperialis, contra se latam, contemnunt.

Auctores iidem. & alii.

Neque Diœcesis nostra ab ejusdem belli incommodis prorsus illæsa mansit: quippe quæ per varios militum Hassicorum accessus & regressus plurimum nocumenti in oppidis pagísque pertulit. Argumento nobis esse possunt ea, quæ Henricus Abbas monasterii B. MARIÆ (vulgò Marien-münster) hac de re annotavit in diario suorum temporum. Ubi postquam de bello suprà dicto breviter egisset, ità subjicit: *Damna, quæ monasterium nostrum indè accepit, sunt sequentia: Primâ vice venerunt ad monasterium hoc viginti duo, quos cibavimus. 2dâ vice, in vigilia S. Jacobi venerunt octoginta pedites, et quindecim equestres, et manserunt apud nos in quintum diem. 3tiâ vice, sabbatho post Jacobi, venerunt duo millia peditum, et quinquaginta vel ampliùs equestres cum diversis curribus. Quanta damna et molestias monasterium hoc pauperrimum ab iis sustinuerit, notum est Deo. Consumpserunt, fregerunt, et secum abstulerunt plurima, quæ nescio ad quantum damni computanda sint. Die quartâ Augusti adhuc duodecim sequebantur: omnes ad culinam nostram!* Quæ cùm verissima sint,

Diœcesis Paderbornensis eodé bello non parùm patitur.

mss. cœnobii in Marienmünster.

sint, nulli dubium esse potest, quin & alia Diœcesis nostræ cœnobia & pagi eâdem occasione plurimum detrimenti perpessa sint: etiamsi nemo ibidem fuerit, qui talia perennibus chartis & posteritati commendaverit. At longè gravior procella Diœcesi nostræ imminebat ab ejusdem Administratore, Hermanno* Colonienſi Archiepiscopo. Qui, cùm per hujus anni quadragesimam Paderbornæ versatus, & adhuc nullius hæreseos labe notatus esset (uti verisimile est ex ejusdem contractu cum Augustinianis Dalheimensibus inito, signatóque *Neuhusii* * *die Mercurii post Dominicam Palmarum*) nihilo minùs exeunte hoc anno Lutheranam hæresin amplexus est, seducente Martino Bucero, impostore pessimo; de quo plura videbimus ad annum proximè sequentem.

Hermann* Archiepiscopus Colonienſis, Ecclesiæ nostræ Administrator fidem Catholicam deserit, seductus à Bucero.

*Literæ Archivii Cath. Eccl. Paderb.

Huic lamentabili Apostasiæ videtur ostium aperuisse deplorabilis ejusdem languor & socordia in conservandis Ecclesiæ suæ juribus: quam, uti persæpe aliàs, ità etiam hoc anno rursus apertissimè prodidit, quando Schildecensis Ecclesiæ Præposituram, hactenus uni è Majoribus Canonicis nostris conferri solitam, laicali potestate penitùs extingui; ejusdémque præcipuos reditus ad Wilhelmum Cliviæ Ducem, veluti Ravensbergæ Dominum transferri passus est. Rem hanc, uti gesta est, narrare lubet ex Adolpho Overhamo, qui literas ea de re conscriptas vidit olim in aula Ferdinandi Fürstenbergii, Antistitis nostri. *Anno*, inquit, *millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, die 2dâ Julii, convenit inter Decanam ceterásque Collegii Schildecensis Vestales, et inter Wilhelmum Juliæ, Cliviæ, ac Montium Ducem, Ravensbergæ Comitem, ut post mortem Georgii ab Hatzfeld Præpositi nullus deinceps huic successor daretur; sed domicilium Schildecensis Præpositi cum ea proventuum parte, quam Coloni Ducis olim soliti fuerant Præposito pendere, exinde cederent Duci, velut hæreditario Schildecensis Collegii Patrono seu Advocato: reliquos Præpositi reditus inter se partirentur ex æquo Vestales, quarum hodie potior pars Romanos ritus et sacra colit; pars Lutheri Calviníque placita sectatur. Schildece (vulgò Schildse) intra primum lapidem abest ab oppido Bilefeldia. Ab aliquot seculis Abbatia esse desiit, regitúrque hodie Collegium à Præposita et Decana.*

Schildecensis Ecclesiæ Præpositura, Diœcesis nostræ in Comitatu Ravensbergensi, iniquè extinguitur; ejúsdémq; reditus præcipui transcribuntur Wilhelmo Cliviæ Duci.

Ex literis Schildec.

Overham in notis ad vitam B. Meinwerci pag. 381. & seq.

Annus Christi 1543.

PAULI III. Pontificis	9. & 10.
CAROLI V. Imperatoris.	24. & 25.
HERMANNI Admin. Paderb.	11. & 12.

BEllum, anno superiore cœptum, ardentissimè continuârant Gallus & Clivius, instigato simul in Cæsarem Solimanno per Antonium Polinum, Francisci* Regis Legatum. Contra Turcas Fer-

Turcæ magno Christianorum damno irrumpunt in

Hungariam & maritimas oras Italiæ.

Ferdinandus Romanorum Rex, dum Cæsar adhuc abesset, auxilia Principum flagitavit in comitiis, exeunte Januario Norimbergæ cœptis. At, quia fœderati Schmalkaldienses opem omnem detrectabant, nisi ab officio dimoverentur judices *Imperialis Cameræ, qui pro Henrici Brunsvicensis & omnium ejus provinciarum restitutione stabant; à paucis, qui adhuc supererant, Principibus Catholicis paucæ admodum suppetiæ contra valentissimum hostem impetratæ sunt. Eò furiosiùs igitur Solimannus in Hungariam se effudit; occupatâque *Alba Regali, Strigonio, Valpoviâ, & aliis urbibus oppidisque, universum Regnum illud miserrimè depopulatus est. Simul etiam Hariadenus Barbarossa, Turcarum Archithalassus, cum ingenti classe in fretum Siciliæ procurrit; captâque ibidem urbe Rhegio, componit se ante ostia *Tiberina, tanto Romanorum terrore, ut plerique fugam circumspicere visi sint. Indè post aquationem triduanam, Hetruriæ Liguriæque oras perlegens, Gallicanæ classi prope Massiliam se conjungit: quanquam nullâ aliâ re effectâ, quàm quòd urbs Nicæa, salvo tamen illius castro, à copiis istis expugnata, direpta, & incensa fuerit. Multi interim Christiani, intérque eos ducentæ *virgines Deo sacræ, hac navali expeditione in Ottomannicam servitutem abducti sunt: quos tamen haud multò pòst, cùm in quatuor navigiis ad Solimannum præmitterentur, Neapolitana classis feliciter intercepit, & unà cum ereptis navibus non sinè summo ipsorum gaudio Messanam perduxit.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 5.
*Surius in comment.
Cochlæ° in actis Luth.
*Spondan. hic n. 1.
Surius l. c.
*Surius in comment.
Haræus in ann. brab.
*Surius in comment.

Galli & Clivii Cæsarē adoriuntur in Belgio.

Non minore animorum æstu contra Cæsarem in Belgio decertabant, hinc Clivius, indè Gallus. Hic in Hannoniam progressus, Landrecium *occupat, illúdque brevi tempore festinatis operibus egregiè firmat. Ille verò (posteaquam in fine anni præcedentis, Hasiorum & Saxonum auxilio, ferè omnia Ducatûs Juliacensis oppida, præter *Heinsbergam, recepisset) Belgarum copias à commeatu Heinsbergam deducto reduces, die vicesimâ quartâ Martii prope Sittardiam adoritur: longóque tandem certamine victos in fugam *abigit, occisis eorundem ferè tribus millibus, plurimísque captis, unà cum tormentis & impedimentis omnibus. Tum verò Clivius victoriâ tam opimâ tumidus, adhuc altiùs attollere cornua, in Ducatum Limburgensem se injicere, Falckenburgensem ac Dalemensem ditionem invadere, ferro & flammis *desævire: in fines etiam Brabantinos incurrere, Helmontium & Endhoviam occupare, è locis omnibus ingentem prædam avehere. Cùm autem hæc omnia non sufficerent ad exsolvenda militum suorum stipendia (non enim gratis & sinè pretio militare volebant Saxones & Hassi, in auxilium ipsius missi) exemplo nunquam hactenus hîc audi-

*Haræus in ann. brab.
Surius ad hunc annū.
*Haræ° ad ann. 1542.
*Haræ° ad ann. 1543.
Surius in comment.
Teschenm. in annal. Juliæ.
*Haræus in ann. brab.

Wilhelm° Cliviæ Dux è suarum provinciarū

audito ad exactiones planè novas & insolentes converti cœpit. Nam, ùt chronicon Tremonienſe perhibet, menſe Iunio ex omnibus ditionum ſuarum parochiis, monaſteriis, Capitulis, templis, & ſacellis, omnes pretioſos calices, ciboria, monſtrantias, candelabra argentea, & quidquid auri vel argenti in ſacris vaſis vel hierothecis reperiri poterat, pecuniæ conflandæ causâ auferri juſſit: neque in ſingulis Eccleſiis plus reliquit, quàm unum duntaxat calicem pro divino ſacrificio; nisi forſan è ceteris vaſis aliquid redimere vellent, & pro qualibet argenti uncia unum imperialem ſolvere.

Eccleſiis omne argentum diripit, pecuniæ conflandæ causâ. *Chronic. Dominic. Tremon.*

Cæſar, hanc belli flammam oppreſſurus, è portu Barcinonenſi properabat in Italiam, & indè pariter acceleratis itineribus in Germaniam. Venienti Spiram occurrebat Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, & varii Proteſtantium Legati. Prior horum, cùm intercederet pro Duce Clivio, breve hoc reſponſum retulit: *fruſtra*pro eodem agi, quàm diu à Principatu Geldriæ non decederet.* Poſterioribus verò, cùm ab Imperatore peterent, ut amoverentur judices Cameræ Imperialis, neque decernerent aliquid pro reſtituendo Henrico Brunsvicenſi, paucis reſponſum eſt: *Cameræ judices*inauditâ causâ removeri, nefas eſſe; et, ſi Henricum Brunsvicenſem reſtituere nolint, viam Cæſari non defuturam, quâ eum reſtituere queat.* Interea Cæſareus miles partim itinere terreſtri, partim ſecundo Rheno confluebat Bonnam: quò & Cæſar propediem conſecutus eſt. Ibi dum exercitum ſuum recenſeret, invenit equitum*octo millia, peditum Germanicorum quatuordecim millia, Belgarum, qui acceſſerant, duodecim millia, Hiſpanorum & Italorum decem millia, univerſim verò millia militum quadraginta quatuor. Cum his die 22. Auguſti Marcodurum* adveniens, eodem veſpere deditionem à civibus ac præſidiariis expoſcebat. Eâ verò non impetratâ, altero mane urbem hanc quadraginta majoribus tormentis verberari juſſit; ac, tametſi foſsâ duplici muróque lateritio munita eſſet, quinto demum aſſultu feliciter*expugnavit die 24 Auguſti, in feſto S. Bartholomæi Apoſtoli. Triſte erat viſu, quàm acerbè hîc deſævierit inimicus miles, quaternâ commilitonum ſuorum depulſione irritatus! Oppletæ hoſtibus plateæ, vaſtatæ ædes, direpta bona, excuſſi omnes theſaurorum ſecretiorum loculi, & quidquid hominum primo impetu occurrebat, ſub gladio victore cecidit: ità ut ex inquilinis plùs quàm*duo millia & quingenti crudeliter occiſi; nec ferè alii à præſenti morte ſervati fuerint, quàm qui cum imbelli puerorum ac mulierum manu ad Divorum templa ſe receperant.

Cæſar ex Hiſpania per terras Italicas venit Spiram. *Haræus in ann. Brab. Surius in comment. rer. geſt. *Haræ⁹ & Surius ib. Teſchenm. in annal. Jul. Cliv. *Sur. loc. c.*

Exercitu ſuo prope Bonnam luſtrato pergit Marcodurum, & urbē hanc intrà biduū expugnat. **Haræus in ann. brab. *Marcodurum, vulgò Dûren/ urbs Ducatûs Juliac. *Haræus loc. cit. Surius l. c. Chron. Dominic. Tremon. *Haræus in ann. brab.*

Marcoduren-sium exitio territæ dedunt se reliquæ urbes Juliæ & Geldriæ.

Hoc funesto Durensium excidio eum in modum exterritæ sunt omnes aliæ Juliacensis ac Geldrienſis Ducatûs urbes, ut uno ferme consensu victori Cæsari, vel suarum portarum claves obtulerint, vel adventanti ejusdem exercitui deditionem præmaturam fecerint. Quin & ipse Wilhelmus Dux non multò pòst, cùm in castris prope Venlonam consideret Cæsar, ad ejusdem clementissimos pedes humillimè provolutus est; orantibusque pro se Henrico Brunsvicensium Duce, Reinero Nassovio Arausionum Principe, & aliis quibusdam viris non parvi nominis, culpæ suæ veniam demisse flagitavit, inquiens: *patere, clementissime*Cæsar, ut adolescentia mea, magnificis ingentibúsque Francorum promissis decepta, apud te veniæ locum inveniat! Errata mea in posterum virilis ætas constanti erga te fide sarciet ac emendabit.* Subinde etiam prædicti Ducis Cancellarius (qui simul cum primariis octo Proceribus, pullâ veste indutis, ad Augusti pedes procumbebat) oratione*submissâ addidit: *Augustissime Imperator! quascunque pacis et amicitiæ leges Duci meo præscripseris, æquo animo à te accipiet, et servabit fidelissimè.* Cæsar, ut hæc audivit, composito ad gravitatem vultu supplicantem intuitus, ne vel unico*verbo responsum dedit: Nassovio tamen & Granvellano, ut leges deditionis & concordiæ scriberent, mandavit & abiit. Leges autem ab iisdem scriptæ ac propositæ sic habent: *Wilhelmus Dux ab Ecclesia Catholica et ejus ritibus non discedat; et quidquid ea in re jam innovatum aut mutatum est, in priorem statum restituat. Cæsari et Imperio se morigerum et obsequentem præbeat. Federi Gallico renuntiet; nec ullum aliud cum aliis ineat contra Cæsarem, et ejus ac Ferdinandi fratris hæredes. A Ducatu Geldriæ et Comitatu Zutphanienſi protinus decedat; Juliacensem verò provinciam, à Cæsareis occupatam, recipiat exceptâ Heinsbergâ et Sittardiâ: quæ tam diu manebunt in potestate Cæsaris, donec ei fides Wilhelmi Ducis abunde cognita, et comprobata sit.* Quæ omnia cùm libenter acceptaret & amplecteretur Clivius, Imperatoris gratiam penitissimè recepit, eíque postmodum in omni vita conjunctissimus fuit, non solùm constanti fidelitate; sed etiam Religione & Fide Catholicâ, quam exinde in suis terris restitui ac retineri jussit.

Haræus in ann. brab. Surius in comment. Teschenm. in annal. Jul. Cliv.

Wilhelm⁹ Cliviæ Dux Imperatori ad pedes accidit, ab eóq; veniã petit & impetrat.

**Vernulæ⁹ in virtut. Austr. l. 2. c. 4 n. 4. Haræus loc. cit.*

**Vernul. & Haræus ib.*

**Auctores iidem.*

Leges pacis inter Cæsarem & Wilhelmũ Cliviæ Ducem.

Surius, Haræus Teschenm. loc. cit.

Hildesium urbs à Catholica Religione deficit.

Sed, eheu! dum ibidem Romana fides revirescit, Hildesii florem omnem ac virorem perdidit. Steterat in hac urbe Religionis avitæ fervor, quàm diu stetit fortuna vicini Ducis, Henrici Brunsvicensis. Atque ideò Martinus Listrius Præco Lutheranus, cùm ante annos tres quorundam civium depravatorum consilio se in suggestum* publicum extulisset, mercedem suorum ausuum tam acerbam retulit, ut à Magistratu civibúsque Catholicis non solùm ex ambone sacro depulsus; verùm etiam cum omnibus, qui eidem

**Hamelm. in hist. Ev. Hildes. pag. 938. Chytræus l. 15. Saxon.*

dem faverant, in exilium ejectus fuerit. At, ubi postmodum à Saxone & Hasso fortuna Ducis eversa, & hæresis Lutherana in omnes illius terras per eandem violentiam introducta est (quemadmodum anno præcedente vidimus) etiam Hildesiensis * civitas in præsentissimum amittendæ Religionis periculum delapsa est. Nam paulò pòst idem Saxo & Landgravius Magistratum populúmque Hildesiensem* per literas adhortati sunt, ut & ipsi tandem novi Evangelii lucem, quæ jam ferè Saxoniam totam pervasisset, in urbem suam infundi sinerent. Quod cùm illi, vel minis vel potentiâ amborum vicinâ territi, in suæ salutis exitium consentirent; repentè istuc velut corvi ad cadaver hoc anno convolârunt Antonius* Corvinus, & Joannes Bugenhagius, duo Apostatæ, jam à Brunsvicensium terrarum deformatione celebres. His auctoribus nova Ecclesiæ Hildesiensis ordinatio fabricata, & in templis, Andreano, Michaëlitico, Jacobæo, Georgiano, Martiniano, ac Paulino, infelicissimè recepta est, constitutis ibidem Prædicatoribus Lutheranis, & eorum primo superintendente Jodoco Isermanno; quorum insano tumultu etiam Ecclesia* Cathedralis per summam injuriam occlusa est.

*Hamelm. loc. cit.

*Chytræus loc. cit.

*Hamelm. & Chytræ ibid.

*Chytræus loc. cit.

At longè tristiùs hoc anno in Catholicam Ecclesiam insurgere cœpit Hermannus Archiepiscopus Colonensis, & Ecclesiæ nostræ Administrator. In ejus amicitiam jam ab aliquot annis furtivè ingressus erat Martinus Bucerus, Dominicani Ordinis desertor monachus. Et, quia primo statim affatu reperit, esse Principem naturâ cereum, simúlque in literis ac fidei dogmatis minimè versatum; seductoriâ blandiloquentiâ suâ eidem facilè persuasit, Catholicos inter & Lutheranos vix aliud interesse, quàm quòd hi aliquos Romanorum abusus detestentur, qui tamen prudentis moderatíque reformatoris operâ haud ægre sustolli possent. Idem suo Principi identidem oggerebant nonnulli Aulici, Lutheranæ* hæreseos fermento jam corrupti: quorum consilio sub exitum prioris anni Martinus Bucerus Argentorato Bonnam accersitus, & ibidem à deliro Archiepiscopo in apertam primariæ* Ecclesiæ cathedram evectus est. Conquesti sunt statim hac de re Metropolitanæ Ecclesiæ Canonici, simúlque monuerunt Archiepiscopum, ut hujusmodi impostorem quantocyus * ab se dimitteret: fas illi non esse, contra sacros canones, contra juramentum Ecclesiæ præstitum, contra Cæsaris & Imperii decreta, in rebus sacris aliquid immutare, donec aliud à concilio œcumenico statutum fuerit. At ille, jam à Bucero suo dementatus, non solùm in incepto perstitit; sed etiam haud multò pòst eâdem insaniâ evocavit ad se Philippum *Melanchthonem, Erasmum Sarcerium, Casparum Hediònem,

Hermann⁹ Archiepiscopus Colon. & Ecclesiæ Paderb. Administrator à Martino Bucero seductus, Catholicam Religionē deserit. Surius in comment. Chytræus l. 15. Saxon. Spond. ad hunc annū. Kleinsorg. & alii in chron. mſ. *Spond. hic n. 5. *Surius loc. cit. *Surius ib. *Surius & Spond. l. c. Kleinsorg. in hist. mſ.

Joan-

Joannem Pistorium, & alios id genus Apostatas: qui accepto novationum faciendarum odore, celerrimè Bonnam advolârunt, veluti ad prædam vultures. Hi deinde collatis in unum consiliis procudêre librum *Reformationis*, in quo omnia novæ *Ecclesiæ dogmata, unà cum ritibus Diœcesi totâ observandis, complexi sunt: eâ tamen calliditate & astutiâ, ut evitandæ offensionis causâ, simul omnia* secularium Capitulorum jura, dignitates, immunitates, ac privilegia retineri vellent. Librum hunc Archiepiscopus continuò misit Collegio Metropolitano; jussítque, ut eundem Academiæ Colonienſi aliisque viris doctis probandum vel refutandum offerant: alioquin *fore, ut Ordines Diœcesanos convocet, & unà cum iis reformationem inibi præscriptam quantocyus auspicetur. His auditis, Theologi Colonienses intrà tertiam hebdomadam pestilenti huic libro oppositerunt alium, *Antididagma** appellatum. Et hunc vicissim Clerus Major Archiepiscopo seducto misit, rogavítque, ut in eo omnes novorum dogmatistarum errores dilucidè refutatos legeret: simul etiam expenderet, quæ conturbatio sacrorum, quæ offensiones Ordinum, quæ bella ac seditiones cum æterno ipsius dedecore secutura essent, si primus ipse post tot egregios sanctósque Præsules hæresim introduci, ac prætensæ reformationis librum evulgari sineret.

*Surius, Spondan. Chytræus.

*Chytræus l.16 Saxon.

*Surius in comment.

*Surius ib.

Caroli Imperatoris monitione Præcones Lutheranos à se dimittit sed paulò pòst eosdé revocat.

Commodùm his intervenit Carolus Imperator, è superiore Germania descendens in Belgium, ad infringendos conatus armorum hostilium. Is, cùm in urbe Bonna per triduum subsisteret mense Augusto, novationum hujusmodi non ignarus, monuit Archiepiscopum, ne seditiosos istos pravorum dogmatum seminatores apud aulam suam diutiùs retineret. Paruit illico *Hermannus Præsul. quid enim negaret Cæsari, cum armato exercitu apud urbem stanti? Statímque Bucerum, Sarcerium, Hedionem, ac Pistorium (nam Philippus Melanchthon jam antè, metu Cæsaris adventantis, Wittenbergam se receperat) honestè à se dimisit, impetrato etiam securitatis publicæ commeatu, ne ab Hispano milite necarentur. Sed hæc eorum dimissio minimè sincera fuit Episcopo, Bucerianis erroribus capto. Siquidem haud multò pòst, ubi Cæsarem bello Gallico adhuc satis impeditum & implexum audiit, non modò seductores istos è suis latebris revocari jussit; verùm etiam reformationis ab iisdem conscriptæ librum typis publicis evulgari, pérque totam *Diœcesin suam dispergi fecit, non sinè magno Lutheranorum plausu, & Catholicorum ignominiâ. Neque satis id fuit extremæ ejus insaniæ: Nam & impulsu Buceri, à quo velut puer à pædagogo regebatur, Bonnensibus monachis plenissimam è suis claustris exeundi libertatem dedit. Quâ acceptâ

*Auctores iidem, & alii Annales mſ.

*Surius in comment. rer. gest.

*Roværus & alii Annales mſ.

ceptâ, inter alios Joannes Meinershagius, ex ordine S. Franciſci Presbyter ac Theologiæ Lector, novationi Bucerianæ ſe conjunxit; celebratísque ſacrilegis nuptiis, peſtilentem librum ſub falſo titulo *Enchiridii Chriſtiani* edidit, calumniis in Pontificem, Clerum, & omnes Catholicos refertiſſimum.

Franciſcus Epiſcopus Monaſter. doctrinam Lutheranã introducere ſtudet in Diœceſin Monaſterienſem. *Chron. Tremon. Patrum Dominic. ad hunc annum.*

Exemplum hoc ſui Archiepiſcopi velut ex condicto ſecutus eſt Franciſcus Epiſcopus Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, & Mindenſis, trium Diœceſium Præſul; ſed jam lupo magis, quàm ſyncero Paſtori ſimilis. Convocârat is hoc anno in Epiſcopatu Monaſterienſi comitia publica ſuorum ſtatuum, in quibus ante alia potiſſimùm propoſuit hæc duo capita: Primum erat, cogitare ſe, non ſolùm urbi Monaſterienſi, ſed etiam aliis quibuſdam oppidis reſtituere vetera privilegia & libertates, Anabaptiſtico tumultu perditas; quemadmodum frequenter & inſtantiſſimè id ab iis flagitari viderat. Alterum & longè inſolentius erat, cupere ſe, Monaſterienſem Eccleſiam ſuam reformari juxta normam *Confeſſionis Auguſtanæ*: hanc enim jam à Principibus per univerſam ferè Saxoniam recipi, ſeſéque pariter ad eam ſuſcipiendam vehementer propendere. Mirari hîc Ordines Patriæ, oculísque ad ſe invicem converſis obſtupeſcere, quomodo tam inopinatò ſe Lutheranum oſtendat, qui paulò antè ritu Catholico ſacerdos & Epiſcopus conſecratus fuerat. Ut autem in re tanta nihil per tumultum agerent, proceſſerunt ſeorſim in conſilium; juſtâque deliberatione habitâ reſponderunt Principi: *Si vetera privilegia ac libertates urbi Monaſterienſi aliísque oppidis reſtituere velit, acquieſcere ſe, neque id ægriùs laturos eſſe. Quod autem ad propoſitam Eccleſiæ reformationem attinet; recordari velit clementiſſimus Princeps, quàm ingentia damna non ſolùm urbi, ſed etiam Diœceſi ſuæ adhuc recenter enata fuerint ex mutata ſemel religione Catholica? Eapropter communi ſtatuum conſenſu firmatum eſſe, ne deinceps in ea fide, quam à ſuis progenitoribus accepiſſent, ulla unquam novatio aut immutatio fieret. Proinde rogare ſe, ut Celſitudo ſua dignetur ab ejuſmodi conatibus animum abſtinere, unáque ſecum præſtolari et acquieſcere uſque ad concilium univerſale, cujus initia propediem ſecutura ſint.* Irritatus eo reſponſo Princeps paulò immoderatiùs efferveſcebat animo. Jam enim à Philippo Haſſiæ Landgravio in ſocietatem fœderis Schmalkaldici pertractus erat; ideóque minabatur Ordinibus patriæ, viſurum ſe, ut, niſi ſponte velint ad Auguſtanam confeſſionem accedere, eoſdem vi ac violentiâ ad ſuæ voluntatis arbitrium cogat. Quæ verba cùm inſolentiùs dicta eſſent, quàm cauſæ iſtius æquitas pateretur; etiam Ordines Diœceſani in offenſam acti, cervicoſo Principi frontem oſtendere, minásque minis reponentes edixerunt: *ſe quidem ei tanquam Domino ſuo obtempera-*

Status Diœceſani huic ejus voluntati ac ſtudio acerrimè ſe opponunt. *Chron. Tremon. ſuprà cit.*

Epiſcopus minatur, ſe vi acturũ, niſi ſponte conſenſerint ſtatus Diœceſani. *Chron. ſuprà citat.*

Status Diœceſani viciſſim ei mi-

nantur deposition. ab Episcopatu, si quid attentet contra fidem Catholicam. *Chron. Tremon. PP. Dominican.*

peraturos, quàm diu juberet ea, quæ licita sint et honesta; secùs verò, si illicita, et suarum conscientiarum rectitudini adversantia. De cetero se iniquas hujusmodi minas non magni facere. Quidquid enim dominii aut jurisdictionis obtineret in hoc Principatu, id ei non esse congenitum ab ortu suo vel natalibus Waldeckianis; sed unicè provenire à libera electione Capituli, à confirmatione sedis Pontificiæ, et à legitima justáque statuum acceptatione, quæ prædictam electionem et confirmationem sequitur. Proinde jam in ejus arbitrio stare, an ipsorum Episcopus et legitimus Princeps manere velit, nec ne? mansurum certè, si à minis ac novationibus hujusmodi se abstineat: si autem secùs fecerit, vel attentârit, in sua vel suorum potestate fore, ut è Domino servus aut nihil fiat. His dictis conticuit Princeps, & è comitiis utrimque discessum est cum indignatione maxima. Ne quid autem ulteriùs hac in re tentari posset ab Episcopo; iidem Ordines, maximéque Nobilitas & Capitulum, novo iterum ac indissolubili fœdere sibi invicem polliciti sunt, sese nunquam ab avita patrum suorum Fide recessuros, neque permissuros, ut eadem ab aliis Monasterienſium provinciarum subditis deseratur.

Episcopus & Ordines Diœcesani utrimque discedunt cum indignatione. *chron. Tremon. supràcit.*

Faciliorem progressum habuit reformatio Lutherana, quam idem Episcopus per hunc annum institui fecit in urbe ac Diœcesi sua Osnabrugensi. Permiserat ibi quoque Augustanæ confessionis doctrinam recipi, simúlque virum idoneum advocari, qui eandem introduceret. Læti eâ licentiâ cives (jam enim diu molliorib. Lutheri dogmatis adhinniverant) sub finem anni superioris misêre duos Legatos, qui à Magistratu Lubecensi peterent, sibi ad breve tempus concedi Hermannum Bonnum, ejusdem urbis superintendentem, novioris Evangelii gnarum; eóque gratiorem futurum Osnabrugensibus, quòd eorum conterraneus & ortu Quakenbrugensis esset. Id cùm à Lubecensibus permitteretur, venit Bonnus initio præsentis anni; & in urbe Osnabrugensi, die 2dâ Februarii, unà cum uxore ac liberis magno civium applausu receptus est. Assignata ei statim parochialis cathedra in æde B. MARIÆ Virginis. Ubi postquam per dies aliquot Saxonici Evangelii suavitatem curiosæ multitudini explanâsset, ità animos hominum indoctorum ad se attraxit, ut etiam in alias duas Ecclesias parochiales, nimirum in Catharinianam & Collegiatam S. Joannis, Prædicatores Lutheranos ex voluntate plebis introduci, necessum fuerit; Francisco interim Episcopo novationem hanc non solùm tolerante, sed etiam approbante. Erant id temporis Osnabrugi tria monachorum cœnobia, unum S. Dominici, alterum S. Francisci, tertium Eremitarum S. Augustini. Ex horum numero Patres Dominicani in Fide Catholica & monasterio suo perstitêre, sicu-

Idem Franciscus Ep: permittit, lutheranismum introduci in urbem ac Diœcesin suam Osnabrugensem. *Chytræus l. 15. Saxon. Hamelm. in hist. Ev. Osnabr. Chron. Osnabr. ms.*

Hermann⁹ Bonnus, Lubecâ evocatus, Lutheri doctrinam introducit in tres Ecclesias parochiales, consentiente Episcopo *auct. iidem*

ſicuti & aliis in locis conſtantiores fuerunt, pugnando ac decertando contra hæreticos. E diverſo autem Franciſcani & Auguſtiniani, auditâ Bonniani*Evangelii tubâ, catervatim è ſuis monaſteriis exſiliêre, ſimul hæreſin & appendicem illius pellicem complexi. Animatus eo ſucceſſu Bonnus perrexit etiam ad reformandas alias ruralium Eccleſiarum parochias; paritérque è Lubecenſis Eccleſiæ forma præſcribere cœpit ordinationem novam, quâ in poſterum ſacramenta per totam hanc Diœceſin Chriſtiano populo adminiſtranda, patrióque idiomate peragenda ſint. Eâ verò in pagis & oppidis promulgatâ, eum in modum auctus eſt novorum Evangelicorum numerus, ut jam eſſent plures parochiæ, quæ prædictam reformationem peterent; quàm præcones Lutherani, qui iiſdem parochiis præficerentur. Rogatus idcirco Bonnus, ut novos Eccleſiæ Miniſtros Lutherano ritu conſecraret, præfecit eis primùm desertores monachos & ſacerdotes. Dicebat enim: *ſe quidem Lubecenſi in urbe ſuperintendentem eſſe, et locum Epiſcopi tenere: re ipsâ verò nec Epiſcopum, nec ſacerdotem eſſe, nec aliquid plùs, quàm verbi Miniſtrum Doctorémque Eccleſiæ; quales olim primitiva Eccleſia plures habuiſſet præter Epiſcopos, ſacrorum Ordinum conferendorum poteſtate præditos.* Verùm & hanc ille ſententiam, pro ùt hujuſmodi novatores & ſectarii ſolent, pro verſatili ingenio ſuo intrà breve tempus iterum immutavit. Cùm enim haud multò pòſt videret, ſibi omnia feliciter evenire, nec Epiſcopum ſuis auſibus contradicere; homo ſuî & ſuorum verborum immemor, ſimul eò temeritatis & audaciæ devenit, ut manuum ſuarum impoſitione novos etiam Oſnabrugenſis Eccleſiæ Miniſtros ordinare, eoſdémque populo velut idoneos myſteriorum divinorum diſpenſatores obtrudere, non erubuerit. Quibus præclarè geſtis, eodem anno Lubecam* rediit; novámque Eccleſiam Joanni Pollio, quem in æde Cathariniana Paſtorem & ſuperintendentem conſtituerat, in abitu ſuo commendavit.

chron. Oſnabr. ms. Idem Bonnus etiam progredi tur ad reformandas Eccleſias rurales, præſcribítque novam Ordinationem Eccleſiaſticam. *Auctores iidem.* Negat, Eccleſiæ Miniſtros à ſe ordinari poſſe; & tamen poſtea mutatâ mente id attentat, redítque Lubecam. *Supplementũ ad chron. Oſnabr. Erbmanni.* *Hamelm. in hiſt. Ev. Oſnabr. pag. 1137.*

Graſſante in hunc modum hæreſi Lutheranâ, jam in Germania verſabantur duo primi Patres è Societate JESU, Claudius Jajus & Petrus Faber, biennio abhinc à S. Ignatio, novi Ordinis fundatore, pro fide & Eccleſia tuenda miſſi. Primus horum Claudius Jajus in Bavaria & Auſtria demorari cœperat; eodémque hoc anno, poſt obitum*Joannis Eckii, in ejus cathedram Academicam Ingolſtadii ſubrogatus eſt. Alter verò, nimirum Petrus Faber, poſteaquam Spiræ, Wormatiæ, ac Ratisbonæ in comitiis, magnatum plurimorum animos*audiendis confeſſionibus & omnium virtutum admiratione ſibi conciliâſſet; priore anno Moguntiam venit, expetitus ab Alberto ejus loci Archiepiſcopo, & Cardinale, qui

Claudius Jajus, & Petrus Faber, in Germaniam à S. Ignatio miſſi, operantur ibi plurimum boni pro fide Catholica. *Annal. Boic part. 2* *Annal. Boic. n. 47.*

religiosâ ipsius conversatione & spiritualibus colloquiis magnopere oblectabatur. Mansit ibidem Faber usque in æstatem præsentis anni: atque interim, præter alia animarum lucra, Deo & Societati genuit magnum illum Germaniæ Doctorem*Petrum Canisium, qui ab eo spiritualibus exercitiis in urbe Moguntina excultus; ac deinde Coloniam, unde venerat, tirocinii inchoandi causâ præmissus est. Nec multò pòst etiam Faber Coloniam venit, receptus illic in monasterio Patrum*Carthusianorum, quos Canisius, à spiritualibus exercitiis redux, ardentissimo ejusdem videndi & audiendi desiderio jam ante inflammaverat. Lubet hìc adjicere literas commendatitias, quas, antequam Faber Coloniam advenisset, R. Pater Gerardus Hammontius, Carthusiæ Colonien-sis Prior, ea de re hoc anno scripsit*ad R. Patrem Priorem Carthusiæ Trevirensis:

Serar. l. 5. rer. Mogunt. pag. 894 & seq.

**Serar. loc. cit.*

Pinius to. 7 Ss. Julii, in comment. prævio ad vitam S. Ignatii § 37. n. 380.

**Pinius ib. n. 383. & 380.*

**Serar. loc. cit. Pinius ib.*

VEnerande in Christo Pater. Inter luctuosissimas nostræ tempestatis procellas, quibus nunc undique concutitur Christianitas, non usque adeò Deus reliquit Ecclesiam suam, quin suscitárit nobis viros aliquos Apostolicos, quos spiritu suo implevit, et induit virtute ex alto, ùt ex multorum Doctorum testimonio didici: qui vero fervore errantes revocent, peccantes recreent, trahántque ad iter salutis - - - sunt à Ssmo Domino nostro Paulo III. approbati, et ad diversas nationes missi. Primus eorum vocatur Ignatius, et moratur Romæ; et in Italia aliqui: in Hispaniis, Galliis, et Portugallia sunt alii, colentes vineam Domini. Unus eorum Doctor est in Ingolstatt; et unus moratur Moguntiæ apud Cardinalem, vir magnæ sanctitatis. Vocatur M. Petrus Faber, Theologus Parisiensis. Dat hominibus bonæ voluntatis exercitia quædam spiritualia, quibus intrà paucos dies consequuntur veram cognitionem sui et peccatorum suorum, gratiam lachrymarum, veram et animosam conversionem à creaturis ad Deum, profectum in virtutibus, et secretam familiaritatem, amorem, et amicitiam Dei. Utinam per aliquam occasionem liceret adire Moguntiam! Certè talem thesaurum deberet homo merùtò quærere, etiam apud Indos. Spero tamen, quòd Dominus dabit mihi videre hominem Dei, antequam moriar, ut ab eo dirigar ad interiorem hominis reformationem et unionem cum Deo. Hoc periculosissimo tempore multi adhærent hæresiarchis, vasis perditionis, organis diaboli iniquissimis. Ideò libentiùs adhærere debemus amicis Dei, organis spiritûs sancti, ut eò tutiùs defendamur à telis igneis, quæ dæmon jaculatur in corda hominum. - - - Raptim ultimo Maji, anno 1543.

An-

Annus Christi 1544.

PAULI III. Pontificis 10. & 11.
CAROLI V. Imperatoris 25. & 26.
HERMANNI II. Administr. Pad. 12. & 13.

IANuarius hujus anni celeberrima Principum comitia vidit in urbe Spira, quæ circa festum Conversionis Divi Pauli inchoata, ac deinde usque in mensem Junium protracta sunt. Aderat his Imperator ipsémet cum fratre suo Ferdinando Romanorum Rege, & (quod aliàs rarò fit) Electores vel septemviri ad unum omnes. Ex aliis etiam Principibus adfuêre Christophorus Archiepiscopus Bremensis, Henricus Episcopus Wormatiensis, Philippus Spirensis, Otto Augustanus, Joannes Constantiensis, Valentinus Hildesiensis, Wolffgangus Passaviensis, Philippus Abbas Fuldensis, Rudigerus Præpositus Weissenburgensis, Joannes Palatinus Rheni & Comes Spanheimensis, Wolffgangus Palatinus Rheni & Comes Veldentiensis, Mauritius Saxoniæ Dux & Marchio Misniæ, Joannes & Albertus Marchiones Brandenburgici, Henricus junior Dux Brunsvicensis, Albertus Dux Mecklenburgensis, Wilhelmus Cliviæ, Juliæ, & Montium Dux, Ernestus Dux Lunenburgensis, Philippus Landgravius Hassiæ, & Georgius Landgravius Leuchtenbergensis: reliqui Principes absentiam suam per Oratores ac Legatos expleverunt. Præcipuus comitiorum scopus erat, concitare Principes in Regem Galliæ. *Hunc enim*, inquiebat Cæsar, *in Imperii perniciem* * *habere fœdus cum Turcis, ejúsque impulsu non solùm Hungariam anno superiore tam crudeliter à Turcis evastatam; sed etiam Italiæ Sabaudiæque fines, conjunctis amborum classibus, extremo periculo objectos esse. Nullam insuper fore spem feliciter pugnandi contra Turcas in Hungaria, nisi priùs edometur malorum istorum incentor Gallus; contra quem idcirco totius Imperii arma communi sumptu conferenda sint.* Facilè agnoscebant omnes æquitatem istius propositionis: Lutherani tamen (qui in tali necessitate ferè nihil addicebant Cæsari, nisi ab eo novam aliquam libertatem impetrâssent) postulârunt iterum, sibi priùs* appromitti, ut controversiæ Religionum componerentur in visceribus Germaniæ: ut edictum Augustanum, uti & Mindensium ac Goslarienſium proscriptio, susperderetur usque ad concordiam Religionis: ut usque ad idem tempus abolerentur omnes quæstiones vel actiones Cameræ de direptis hucusque monasteriorum vel Ecclesiarum bonis, & alia plura ejusdem generis. Quæ omnia cùm pro temporum illorum necessitate concederet Imperator (etiamsi con-

Comitia Spirensia, Cæsare præsente habita à Januario usque in Junium.

Recessus Imperii de hoc anno.
Helvicus in theatro hist. univ.
Spond. ad hunc ann. n. 2.

* *Auctores iidem.*

* *Recessus Imperii suprà cit.*
Chytræus l. 16 Saxon.
Pallav. in hist. conc. Trid. l. 5.

In his comitiis ingentia auxilia Cæsari decreta sunt contra regé Galliæ

Recessus Imper. cit. Haræus in ann. Brab. Helvic. in theatr. hist. univers.

contrarium cuperent plures Catholici) tandem ei stipendia pro viginti quatuor millibus peditum & quatuor millibus equitum in sex menses decreta sunt.

Carol⁹ Cæsar cogit Gallum ad ineundam pacem, quæ concluſa est die 18. Septembr. *Haræus & Helvic. l. c. Spond. n. 12. & alii.*

Cum his auxiliis Cæsar Spirâ profectus in Belgium, primò recuperavit Luxenburgum unà cum locis omnibus, quæ in eo Ducatu Gallus ante annum occupaverat, interea dum Cæsar ex parte alia bellum inferret Clivio. Indè victoriæ cursum prosecutus, castra movit in Campaniam: debellatóque ibidem Fano S. Desiderii (vulgò S. Dizier) secundùm ripas Matronæ* fluvii rectâ contendit in ipsa regni viscera, tanto cum terrore urbium vicinarum, ut etiam Parisienses à Cæsaris adventu contremiscerent. Quo viso Rex, nihil ampliùs cunctandum ratus, Oratores ad Cæsarem misit rogaturos pacem. Et hæc deinde Crepiaci* die decimâ octavâ Septembris feliciter concluſa est pluribus articulis, quorum præcipui fuêre: *ut Rex et Cæsar sibi invicem adjumento sint in negotio Religionis. Rex contra Turcas in bellum conferat decem millia peditum et sexcentos equites cataphractos: Carolo Sabaudiæ Duci restituat omnes urbes et oppida, ante octennium* ablata: juri omni in Insubriam et Regna Siciliæ ac Neapolis in perpetuum renuntiet. Vicissim verò Cæsar Carolo Aurelianensi, Francisci Regis filio secundò genito, intrà annum despondeat, vel suâmmet filiam cum dote omnium provinciarum totius Belgii, vel certè unam è filiabus Ferdinandi fratris sui cum dote Principatûs Mediolanensis, beneficiario nomine conferendi.* Sed hæc ultima conditio, in qua præ ceteris maxima difficultas hæsit, non multò pòst ordine fatorum ac Deo mirabiliter sic disponente concidit: quando Carolus * Aurelianensis, viginti duorum annorum juvenis, ineunte Septembri sequentis anni præmaturâ morte extinctus obiit.

*Matrona fluvius, vulgò die Marne.

*Crepiacū, gallicè Crespy, vel Crepy.

Conditiones hujus pacis. *auct. iidem

*aō 1536

*Haræus in ann. brab. Spond. ad ann 1544. n. 13.

Magnam ea pax lætitiam peperit Paulo III. summo Pontifici. Sed & illud rursum singulari tristitiâ eundem affecit, quòd Hermannus Archiepiscopus Colonienſis, Ecclesiæ nostræ Administrator, unà cum Francisco, Monasterienſi, Osnabrugenſi, & Mindenſi Episcopo, Lutheranis novationibus, ante annum inchoatis, adhuc perditè adhærerent, non sinè maximo omnium Episcopatuum Westphalicorum periculo. Uterque enim hoc anno in Spirenſibus comitiis apertissimè declaravit, se Protestantium *partibus accedere: auctórque est Seckendorffius, Franciscum* Monasterienſem finitis comitiis ad Landgravium recurrisse, & cum eo reformandæ Diœcesis suæ consilia solerter contulisse. Ità bonus ille Princeps, Hassiaco Evangelio captus, nondum concoquere poterat repulsam, superiore anno acceptam in comitiis Monasterienſibus: pergebátque reformationem à se intentam perurgere, suaden-

*Helvicus in theatro hist. univ.

*Seckend. apud Hartman. in hist. Hass. Exercit. 12 thesi 90.

suadentibus id potissimùm *Joanne Sibergio, Sacellano ipsius aulico, qui Ecclesiastici Breviarii usum haud pridem ipsi exemerat; & Friderico Twistio, Nobili Waldeckiano, quem vulgò *parvum Episcopum** appellabant, quòd non solùm aulæ Episcopalis Magister seu Præfectus esset, verùm etiam omnes alios Episcopi Ministros aut consiliarios potentiâ & auctoritate antecelleret.

Franciscus Episcopus Monaster. & Osnabr. perseverat in hæresi Lutherana. *Chron. Mon. mss. *Kerssenbr. in hist. Anabapt.

Paulò tamen moderatiùs in hoc negotio processit Franciscus Monasterienſis cum suis subditis; quàm Hermannus Colonienſium Præsul cum suis. Ille enim pejora veritus, abstinebat hactenus ab omni vi: hic verò, magìs imperiosus quàm prudens, non cessabat Sacerdotes Catholicos è parochiis ejicere, desertores monachos iisdem subintrudere, Ecclesias Lutheranis præconibus commendare, Bucerianæ reformationis librum ubivis introducere, Canonicorum sibi adversantium bona ad se pertrahere, ac demum sub gravi pœna omnibus interdicere, ne quis aliquid contra Præcones à se institutos attentaret. Irritatus hac injuriâ Clerus, monet rursus Archiepiscopum, ut hujusmodi novationes pro more majorum suorum differat usque ad cognitionem concilii œcumenici: paritérque recordetur, quid ei mandaverit Cæsar anno superiore? quàm instanter urserit voluerítque, Bucerum & alios ejusdem farinæ socios ab ipsius aula dimoveri? Id, si detrectet facere; necessarium sibi fore, ut ad Cæsarem appellent, ejúsque brachium armatum expetant. Respondit iterum Archiepiscopus, *se nihil facere, quàm quod sui sit officii; ideóque etiam sperare, quòd Clerus Colonienſis ab isto appellationis et accusationis proposito sit discessurus. Id si nolit; nihilo timidiùs perrecturum se in rebus jam inceptis, ac visurum, quid in hoc negotio Cæsar valeat.* Per quæ verba satìs indicabat, in quo confideret: nimirum in auxilio Principum Protestantium, qui novationem hanc tueri velint, & conjunctis animis propugnare. Tum verò indignati summæ ædis Canonici convocabant omnes totius Diœcesis Ordines: atque, uti jam antè à Monasterienſibus factitatum esse intellexerant, sémet invicem hortabantur ad perseverandum fortiter in ea Religione, quam à B. Apostolis, eorúmque discipulo S. Materno traditam, Colonienſis Ecclesia usque in hæc tempora conservâsset. Principi autem suo rescribi curant, se jam ad Cæsarem ac supremum Pontificem appellâsse; ideóque iterum atque iterum obsecrare, ut, cùm amborum istorum testati subjectus esse debeat, eorundem sententiam priùs exspectet, quàm in incepto pergat. Quid autem hæc appellatio apud hominem Bucerianis ineptiis fascinatum effecerit, sequenti anno uberiùs ostendetur.

Similiter & Hermann⁹ Archiepisc. Colon. reformationé à se inceptam, protervè continuat. *Surius in comment. rer. gest. Rovæus Pont. l. 4.*

Clerus Colonienſis, omnésque Status Diœcesani, ea de re ad Cæsarem appellant. *Auctores iidem. Kleinsorg. in hist. mss.*

Pader-

Paderbornensis Diœcesis nostra, cui idem Archiepiscopus cum titulo Administratoris præerat, videtur hactenus à prædictis impetitionibus mansisse libera. Nam hucusque Clerus Colonienſis tantum ei facessebat negotii, ut reformationem Ecclesiæ nostræ in curis postremis poneret. Non defuêre tamen adversitates aliæ, tum ab ipso Deo per tempestates ac tonitrua; tum à vicino Comite Lippiensi, Lutheranis erroribus jam addicto, per vim & injuriam irrogatæ. Quærebat ille novum aliquod jus in pagum Entorpiensem, Paderbornensi Episcopo hucusque subditum, sitúmq; haud procul ab oppido Niehemensi. Cùm autem villici Entorpienses prædicto Comiti servitutem omnem ac jurisdictionem abnuissent; nocte, inter diem vicesimam septimam & octavam Aprilis, mediâ, Lippienses armatâ manu in pagum istum prorupêre, villicósque omnes, quos invenire poterant, è somno lectulísque suis abripuêre partim in arcem Oldenburgicam, partim in oppidum Blombergense, partim etiam Dethmoldiam, Comitis antè dicti sedem. At brevi rursùm sua cornua deposuerunt iniqui aggressores. Nam octiduo pòst, cùm Paderbornensis Diœcesis Proceres de tali violentia conquesti, & Lippiensibus adversa omnia vel à se, vel à Cæsare comminati essent; iidem cum rubore & confusione maxima captivos omnes die quartâ Maji restituere, atque in pagum Entorpiensem reducere coacti sunt. Ità nos docet Henricus Abbas Marien-Münsterensis, in diario suo rem istam his verbis referens: *2dâ die post Marci Evangelistæ, vicesimâ septimâ Aprilis, de nocte Lippienses armati violenter venerunt in villam nostram Entorp, et villanos ibidem captivos abduxerunt, aliquos ad castrum Oldenborg, aliquos in Blomberg, et aliquos in Detmold. Sed alterâ die Inventionis S. Crucis, 4tâ Maji, Lippienses cum rubore et confusione, propter scripta et comminationes Paderbornensium, coacti dimiserunt villanos Entorpienses, quos violenter nocturno tempore captivârant propter jura et servitia monasterii nostri: et nolebant subdi Lippiensibus; sed Ecclesiæ Paderbornensi.*

Bernardus Comes de Lippia in Diœcesi Paderb. invadit pagũ Entorp, & ruricolas indè abduxit: *Hermann⁹ Abbas Marien-münsterensis in diario.*

Annus Christi 1545.

PAULI III. Pontificis 11. & 12.
CAROLI V. Imperatoris 26. & 27.
HERMANNI Administr. Pad. 13. & 14.

IAm eò tandem veniebat fortuna Cæsaris in Germania, ut nullam ampliùs obedientiam, ac multò minùs concordiam Religionis, à Principibus Protestantium exspectare posset, nisi qualibet in re iniquissimis eorum postulatis cum Ecclesiæ Christianæ damno consentiret. Indixerat Cæsar in urbe Wormatiensi nova

Cæsar cum indignatione videt, in comitiis Wormatiensib⁹ vix adesse unũ

nova Principum comitia: in quibus*agendum erat de bello Turcico, de constituenda Religionis concordia, de convocando, quàm primùm id fieri posset, concilio œcumenico. Venerat eò Ferdinandus Romanorum Rex* præterito mense Decembri: Cæsar autem ob affectam valetudinem haud paulò tardiùs. Ex aliis verò septemviris, præter Fridericum Palatinum nemo comparuit, nisì tantùm per suos Legatos, eósque (ùt Chytræus asserit) plenariis* mandatis minimè instructos. Acerbè habebat Cæsarem ea septemvirorum suorum paucitas: præsertim cùm & ceteri Principes, tam seculares, quàm Ecclesiastici, præsentiam suam subtraxissent; nec ferè alii jam adessent, quàm Otto Cardinalis & Episcopus* Augustanus, Wolffgangus Administrator Ordinis Teutonici, Melchior Episcopus Herbipolensis, & Valentinus Episcopus Hildesiensis. Auxit etiam hanc ejus indignationem Lutheranorum Principum obstinatio & importunitas. Saxo enim & Landgravius publicè declarabant per suos Oratores, nihil à se contributum iri pro bello *Turcico; nisì omnes Lutherani per commune edictum Cæsaris eximerentur à subjectione judicii Cameralis, & ab obedientia præstanda concilio Tridentino, à se suísque nunquam acceptando. Quæ omnia, cùm aliò non spectarent, quàm ut Cæsari leges præscriberent, & in posterum in suis ausibus nulli Domino subjacerent; Cæsar tandem ad acriora consilia se convertere, & ensem adversùs eos distringere coactus est. Primùm igitur, ne interea sinistri aliquid à Turcis formidari posset, Constantinopolim ex comitiis misit Gerardum* Veltwichium; ejusdémque, & Regis Galliarum operâ, cum Solimanno armorum inducias pepigit. Deinde clanculum percontatus est ex Pontifice, quænam auxilia præstolari ab ipso posset, si bellum*Protestantibus inferendum esset? Postremò etiam, ut Lutheranis palàm faceret, se ad gladium converti nolle, nisì ipsorum protervitas eundem è vagina protraheret; nova iterum comitia indixit Ratisbonæ in Januarium sequentis anni: jussítque, ut omnes Imperii Principes in iis comparerent; &, quæ ad reducendam Religionis concordiam facerent, syncerè consultarent, aut per Theologos ab utraque parte constitutos expediri sinerent. Decretum hac de re conscriptum est Wormatiæ die quartâ Augusti: in eóque Cæsar nullam ampliùs mentionem fecit de concilio nationali, neque de indulgenda *Lutheranis pace, neque de iisdem eximendis à potestate & jurisdictione concilii Tridentini, quod hucusque recusaverant. Jam enim Catholici Principes, agente Caudio Jajo*Societatis JEsu presbytero, in iisdem comitiis urserant; his & aliis Lutheranorum postulatis nihil ampliùs deferendum, vel immoderatæ eorum cupidini permittendum esse. In-

alterúmve è Principibus.

*Chytræus l. 16. Saxon. Spond. hîc n. 4.

*Cochlæus in actis Luth. Surius in comment. *Chytræus loc. cit.

*vide Recessũ Wormat. de hoc anno.

Lutherani detrectant auxilia contra Turcas, nisì eximantur à concilio & Cameræ judicio.

*Chytræus l. 16 Saxon.

Cæsar meditatur bellum contra Protestantes:

*Spond. hîc n. 6.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 5. priùs tamen indicit nova comitia, sequenti anno celebranda Ratisbonæ.

Spond. hîc n. 4.

Cochlæus in actis Luth. *Pallav. l. 5. c. 15. n. 1. *Hansiz. to 2 germ. sacræ de Archiep. Salisb.

Hermann* Colonienſis obſtinatè perſeverat in ſuis novationibus Lutheranis.

*Hamelm. in hiſt. Ev. Paderb. pag. 1333.

*Surius in comment. Spond. hîc n. 7. & alii.

Interea Hermannus Archiepiſcopus Colonienſis, Bucerianis documentis ebrius, ardenter inſiſtebat novationi à ſe inceptæ: auctórque eſt Hamelmannus, ejuſdem juſſu docuiſſe Campis Albertum Hardenbergium, Andernaci Joannem Prætorium, Lintzii* Joannem Meinertzhagium, Franciſcani Ordinis deſertorem, & aliis in locis alios. Contrà verò Clerus & Academia Colonienſis non minùs acriter inſiſtebat appellationi, ante annum factæ ad Carolum Imperatorem. Et hic, ut ejuſmodi turbamentis repagulum poneret, primùm literis, menſe Junio è Wormatienſi congreſſu datis, Clerum & Academiam Colonienſem in ſuam* tutelam ſuſcipit; ſeverè ſimul & ſub pœna Cæſareæ proſcriptionis imperans, ne quis eos in Religione Catholica, & omnium bonorum, jurium, ac immunitatum ſuarum poſſeſſione, vel minimùm perturbaret. Deinde præcepit Archiepiſcopo, ut intrà diem triceſimum Wormatiæ compareret, de accuſationibus contra ſe adductis reſponſurus, interímque nihil ampliùs innovaret, & ea, quæ jam antè novata fuerant, in antiquum ſtatum reſtitueret. Demum etiam ad eundem ampliùs percellendum imploravit* opem ſummi Pontificis: à quo pariter citatus, & intrà diem ſexageſimum, ſive per ſe, ſive per Procuratorem ſuum, in tribunali Pontificio cauſam dicere juſſus eſt. At ille fœderatorum Schmalkaldienſium patrocinio fretus, poſt hujuſmodi minas ac terrores non modò non reſipuit; verùm etiam antè acti criminis magnitudinem novo iterum piaculo cumulatiorem fecit. Nam & hoc anno Diœceſi noſtræ Paderbornenſi, cui hactenus adverſi nihil in Religionis negotio intentatum fuerat, Lutheranum virus rurſum infundere conatus eſt; novo mandato edito, quo omnes urbes & oppida jubebantur veteres Eccleſiæ ritus abolere, & novos alios ad Auguſtanæ confeſſionis formam recipere. Verùm & hîc in eundem lapidem incurrit, ad quem offenderat in urbe Agrippina. Cathedrales enim Canonici, Monaſterienſium & Colonienſium exemplo provocati, factâ reliquorum Ordinum conſpiratione, ſacrilegum illud mandatum generoſis animis abjecêre; prudenter obmoventes: *id ſibi non eſſe integrum: obſtare non ſolùm edicta Cæſaris; ſed etiam urbis Paderbornenſis pacta, cum Erico* Epiſcopo inita, ab ipſomet Hermanno in primo ſui regiminis aditu* confirmata, et à civibus eorúmque poſteris ex juramento præſtito obſervanda. Si quid aliud imperaret, quod ſibi licitum, et ſuarum conſcientiarum integritati contrarium non ſit, ſe libenter ei morigeros et obſequentes fore.* Id quod etiam hoc anno oſtenderunt in comitiis provincialibus, die viceſimâ 2dâ Octobris Paderbornæ extra urbem, *prope ſacellum Romanum* habitis. Cùm enim in his pro* defenſione ſuî auxilium aliquod pecuniarium, neſcio

*Pallav. in hiſt. conc. Trid. l. 5. Conatur etiam Lutheranam doctrinam infundere urbi ac Diœceſi Paderbornenſi; ſed impeditur ibidem à ſtatibus Pattiæ, *Kleinſorg. in hiſt. mſ. Erben. in chron. Huxar. ad ann. 1535. mſ. vetera Paderbor.*

*aõ 1528.

*vide dicta ad ann. 1532.

*an der Capellen/ Rome genandt.

*eine defenſion Hülff/

neſcio, quam ob cauſam, poſceret; continuò addixerunt ei ſex millia dalerorum Imperialium, in proximo feſto Purificationis B. MARIÆ perſolvenda, utì conſtat ex ipſius apocha, in archivo Cathedralis Eccleſiæ hactenus cuſtodita.

Eodem ferè tempore Henricus Brunsvicenſis magno animo, ſed minori felicitate, conatus eſt recuperare Ducatum ſuum, quo ante annos tres bello Schmalkaldico exutus erat à Philippo Landgravio & Joanne Friderico Saxoniæ ſeptemviro. Acceperat ille à Franciſco Galliarum Rege magnam pecuniæ vim; ſed alios in uſus traditam: eâque parvum conſcripſerat exercitum, circitèr octies mille peditum ac mille quingentorum equitum. Cum his è Verdenſi Epiſcopatu, qui Chriſtophoro ejus fratri tunc parebat, per Autumnum hujus anni proceſſit in Ducatum ſuum Brunsvicenſem; receptâque non modicâ illius parte, appropinquabat Wolffenbuto, ubi aliàs primaria ſedes & aula ipſius fuerat. Simul etiam ex altera parte Otto * Comes Ritbergenſis, Alhardus ab Hôrde, Matthias Schelle, & alii Weſtphalicæ Nobilitatis viri, cum alio agmine circitèr mille equitum ac ter mille peditum, in auxilium Ducis adventabant; & conjunctis cum eo viribus, incipiebant Wolffenbutum feroci obſidio premere. Interea verò, dum urbs illa adversùs omnes Henrici impetus fortiſſimè ſe defenderet, Philippus Haſſiæ Landgravius celeritate maximâ Northeimium venit; contractísque ibidem tum ſuis, tum aliorum fœderatorum copiis, brevi tempore coëgit exercitum virorum, circitèr viginti quinque millium, unà cum tormentis bellicis quadraginta & ampliùs. Quo audito, Brunsvicenſis Wolffenbutanam obſidionem continuò ſolvit; rectâque progreſſus in Landgravium, caſtra ſua non procul à caſtris ipſius poſuit, ut ibidem videret, an hoſtilibus copiis ex opportuno loco ſtragem aliquam inferre poſſet. At planè aliter evenit res. Cùm enim per dies aliquot levioribus hinc indè pugnis inter ſe invicem digladiati eſſent, ab ingenti adverſariorum ſuorum numero ac multitudine tandem Henricus Dux in eas anguſtias detruſus eſt, ut ſinè graviore prælio fortunam præſentis belli deſperare, ſeſéque unà cum filio ſuo *Carolo Victore* in poteſtatem Landgravii tradere coactus fuerit.

Henricus, Dux Brunsvicenſis Catholicus, tentat recuperare ſuũ Ducatum. *Spond. hic n. 10. Spangenb. chron. Mansfeld. Chytræus l. 16 Saxon.* *Chron. Trem. mſ. Spangenb. ibid.*

Sed ab Haſſo & aliis fœderatis cogitur, ſe unà cum filio ſuo in captivitatẽ tradere. *Auctores iidem.*

Dies infauſtæ hujus deditionis fuit viceſima prima* Octobris, ac poſtridie ſtatim ambo Duces captivi ab Hermanno Malsburgio Caſſellas deducti ſunt: ubi filius poſtmodum in cuſtodia retentus; pater autem à filio ſeparatus, ac deinde Ziegenhainam avectus eſt. Cùm in urbem Caſſellenſem adveniſſent, univerſa plebs cum aula Principis effudit ſe in ingentem plauſum: ſolus autem Wilhelmus Landgravii triumphantis natu major filius, inter iſta lætitiæ ſigna

*Henricus Abbas Marien-münſterenſis in diario.

Wilhelm⁹, Landgravii filius, Caſſellis in adventu ducũ

captivorum amarè flet, & patri suo similem fortunam præsagit. *Dilich. in chron. Hassiæ.*

profusè flevit. Rogatus autem, cur ità gemeret? respondit animo plùs quàm puerili; sibi in aspectu istorum Principum captivorum venisse in mentem illud Solonis ad Regem Cræsum: *nihil in orbe tam fœlix esse, quod vicissitudini temporum non subjaceret.* Per quæ verba, teste Dilichio, videtur præsagiüsse fortunam sui patris, qui biennio pòst à Carolo Imperatore in similem captivitatem abductus est, Henrico Duce & filio ejus in pristinam libertatem & bonorum suorum possessionem restitutis. Aberat Landgravius, dum ista Cassellis fierent. Partâ enim victoriâ, protinus convertit se contra Joannem Comitem de Schawenburg, & Ottonem Comitem Ritbergensem: quorum ille Henrico Duci auxilia miserat; hic verò etiam belli stipendia commeruerat. Priori ex his duobus arcem Bückeburgicam; posteriori autem Ritbergense castrum eripuit, illúdque in suam & Comitis Lippiensis fidem jurare compulit.

Landgravius partâ victoriâ occupat Bückeburgum & Ritbergam. *Spangenb. chron. Mansfeld Dilich. in chron. Hassiæ.*

His peractis, die 11. Novembris in die S. Martini Episcopi, Ritbergâ Paderbornam venit: ubi postquam in Abdinghoffensi monasterio pernoctâsset, altero mane Warburgum, & indè Cassellas abiit. Miles autem, quem in hoc itinere trahebat secum, in diversis hinc indè locis per Diœcesin nostram distributus est; non sinè magno rusticanorum hominum & monasteriorum quàm plurium damno, uti in militaribus ejusmodi profectionibus evenire plerumque solet. Quanquam inter hæc incommoda longè ampliùs dolendum fuerit, quòd oppidum Lichtenoënse, in eadem via Cassellana situm, eo tempore nullam transituro militi mansionem præbere valuerit à recenti incendio; de quo in veteribus manuscriptis hoc modo legitur: *Anno 1545, die vicesimâ nonâ Maji, oppidum Lechtenowe, exceptâ arce Episcopali, per incendium ità penitùs conflagravit, ut ne quidem tuguriolum à voraci flamma superstes manserit.* Simile infortunium, & quidem hoc eodem die, urbecula hæc rursus experta est post annos centum & quadraginta septem, ùt in iisdem chartis annotatur & adjungitur hísce verbis: *eodem die Maji, anno 1692, Lichtenoa rursus, exceptâ Ecclesiâ et quibusdam domibus, totaliter conflagravit.*

Henricus Abbas Marienmünst. in diario.

Rìtbergâ venit Paderbornâ, & indè Cassellas rediit

Lichtenoa oppidum in Diœcesi Paderbornensi, funesto incendio conflagrat. *Manuscriptum vet°.*

Lætior hic annus fuit à felici tandem exordio concilii Tridentini, quod Idibus Decembris in festo S. Luciæ Virginis, & sequenti anno quatuor sessionibus continuatum est. Sæpius id antè jam indictum erat, & toties etiam per bella & eventus alios retardatum. Imò & eodem hoc anno timor novus nec parvus erat, ne id iterum sufflaminaretur ex illapsa morte Alberti *Cardinalis & Archiepiscopi Moguntini, die vicesimâ quartâ *Septembris huic mundo subtracti. Nam in ejus locum Philippus Hassiæ Landgravius

Concilium Tridentinũ hoc anno inchoatur. die 13. Decembris. *Acta concilii Trid.* **Pallav. in hist. conc. Trid.* **Serar. l. 5 rer. Mog.*

vius cupiebat eligi Wilhelmum filium, quatuordecim vix annorum juvenem; eóque fine jam pertentaverat animos* quorundam Canonicorum, missō ad eos Alexandro Thannio Darmstadiensi Præfecto. Sed hoc periculum adjuvante Deo feliciter depulsum est; ideóque & initia concilii, ex omnium Catholicorum voto, progressum optatum habuerunt. Præfuerat autem Albertus Moguntinæ Diœcesi in annum tricesimum secundum, & erat germanus frater Joachimi I. Electoris Brandeburgici, decennio priùs è vivis evocati. Catholicæ Religionis propugnandæ studium, etsi quandoque timidè, semper tamen usque ad*extremos halitus constantissimè tenuit; ità ut Lutherus ipsémet, eum frustra pervertere nisus, non sinè indignatione dixerit: *Rectè institutus est Romæ* Albertus, ideóque Lutheranam doctrinam nostram flocci facit.* Cùm videret, plerosque Germaniæ Principes in Lutheri doctrinam certatim ruere, solebat dicere: *multa tempori*commendanda sunt: confido futurum, ut Catholica rursum Religio ac pietas in Germania vigeat.* Sepultus est Moguntiæ in æde primaria ad basin summi altaris, ubi minimùm ter* sepulchrali ejus lapidi incisæ sunt hæ voces: **alle hernach**: quasi diceret: *ego jam vivi præ; vos autem sequemini.* Thronum ejus Archiepiscopalem recepit Sebastianus ab Heusenstamm, è Cathedralis Ecclesiæ Scholastico ad eam dignitatem subvectus die vicesimâ Octobris; de cujus laudibus id unum dicere hoc loco satis est, fuisse virum talem, qui extincti Principis desiderium eruditione ac pietate suâ compensârit.

*Seckend. & alii, ap. Hartm. in hist. Hass. Exerc. 12. thesi 98.

Albertus Cardinalis & Archiep. Moguntin⁹ moritur, & laudatur.

*Pallav. loc. cit.

*Serar. l. 5. rer. Moguntt. pag. 893

*Serar. ib.

*Serar. l. 1. rer. Mog. c. 31 p. 108.

In ejus locū eligitur Sebastianus ab Heusenstamm.

Serar. l. 5. rer. Mog.

Annus Christi 1546.

PAULI III. Pontificis 12. & 13.
CAROLI V. Imperatoris 27. & 28.
HERMANNI Administr. Pad. 14. & 15.

NOvis Evangelicis magnum hoc anno sidus extinctum est, morte sui Doctoris Martini Lutheri: si tamen sidus appellari potuit, qui, dum orbi lucem inferre voluit, innumeros homines in æternas tenebras deturbavit. Evocaverant eum Comites Mansfeldienses in urbem Islebiam, ut hîc in terra natali suam operam conferret ad pacificandas, quas inter se habebant, gravissimas controversias. Digressus ergo Wittenbergâ, venit istuc die 28 Januarii; intráque tres hebdomadas, quîs ibidem perstitit, varias* ad plebem conciones habuit, plenas vanâ gloriâ & conviciis ejectis in Pontificem: ità ut meritò crederes, eundem velut viperam brevi morituram extre-

Martinus Lutherus hoc anno moritur, die 18. Februarii.

Cochlæ⁹ in actis Luth. Spangenb. in chron. Mansfeld.

*Epist 1. de Lutheri morte ap. Cochlæum.

mum virus ibidem evomuisse. In harum concionum una superbissimè dicebat de se ipso: *dedit mihi Deus intellectum scripturarum, ut eas rectè interpretari sciam; non autem Papa cum suis Cardinalibus et Episcopis. Ego unam quintulam intellectûs mei non darem pro centum centenariis intellectûs illorum.* Sed brevi Deus obturavit ac silere fecit arrogantissimum illud os. Cùm enim haud multò pòst, nimirum die decimâ septimâ Februarii, bene potus & cœnatus ad lectum se recepisset; repentino morbo suffocatus, infelicem animam exhalavit circiter tertiam horam post medium noctis, inchoatâ jam die decimâ octavâ Februarii. Neque tamen hîc finem habuêre turbæ, ab eodem adhuc vivo concitatæ. Jam enim Principes Protestantes novâ vitæ licentiâ & bonorum Ecclesiasticorum rapinis*eum in modum inescati erant, ut, etiamsi Lutherus moriens ad Religionem Catholicam se recepisset, ipsi nihilo segniùs in accepta hæresi fuissent perstituri. Denotabant id satìs creberrima ipsorum conventicula, ac præcipuè conventus ille, qui ab iis ineunte hoc anno Francofurti habitus; nec alio fine, quàm ad promovendam tuendámque hæresim, institutus fuit. Ibi enim ab iis actum de instaurando fœdere Schmalkaldico, de adsciscendo in hoc fœdus Friderico Electore Palatino (qui hoc anno ad Lutheranismum transire cœperat) de tuenda juvandáque apostasia Hermanni Colonienſis Archiepiscopi, de rejiciendis Tridentini concilii decretis, de parandis in Cæsarem armis socialibus, nisi Cameram Imperialem è Protestantium arbitrio formet, & eorum cuilibet plenissimam conscientiarum suarum libertatem indulgeat.

Cæsar, tametsi hæc eorum consilia jam satìs pervideret; tamen, ut ostenderet, nihil à se omitti, quo amica pax & antiqua Religionis unitas revocari valeat, novum Ratisbonæ colloquium à Theologis utriusque partis haberi jussit, præsidentibus Mauritio Hutteno Episcopo Aichstadiensi, & Friderico Comite Fürstenbergio. E Catholicis disputatores constituti erant Petrus Malvenda Dominicanus, Everhardus Billichius Carmelita, Joannes Hoffmeisterus Augustinianus, & Joannes Cochlæus Doctor: è Lutheranis verò Martinus Bucerus, Joannes Brentius, Erardus Schneppius, & Georgius Major, substitutus Melanchthoni, qui colloquium istud subterfugerat. Initium congressui datum est sexto Calendas Februarii, multæque hebdomades eidem insumptæ sunt sinè omni fructu & spe concordiæ. Catholici enim ad omnes materias paratissimi, accuratè se continebant intrà limites à Cæsare præscriptos. Lutherani autem, extra oleam saltare soliti, nunc has nunc illas extravagandi vel secedendi vias inquirebant; ac tandem appetente die vicesimâ Martii clanculum se subduxerunt ex arena, fugisse potiùs, quàm abiisse visi. In-

*epist. 1. suprà dicta

*Pallav. in hist. conc. Trid l. 6. Protestantes de rebus à se agendis consultant Francofurti: Fridericus Elector Palatinus à Fide Catholica deficit. Surius in comment. rer. gest. Helvic. in theatr hist. univers. Pallav. in hist. conc. Trid l. 6. Colloquiũ Ratisbonense inter Doctores Catholicos & Lutheranos. Cochlæ° in actis Luth. Surius in comment. Pallav. in hist cit. l 6 c. 9. n. 5.

Interea Cæsar è Belgio properabat Ratisbonam ad comitia suprà dicto colloquio subjungenda. Priùs verò, quàm eò loci perveniſſet, acceſſerunt ad eum Spiræ, Fridericus Palatinus, & Philippus Landgravius. Ille, ut recenti apoſtaſiæ ac defectioni ſuæ colorem aliquem obduceret: hic verò, ut Ratisbonenſis colloquii ceſſationem, Cæſare invito factam, excuſaret; & (quod intolerabilius erat) Hermanni Colonienſis novationes permitti ac tolerari peteret. Audax petitio! atque ejuſmodi, quâ veterem verámq; Religionem Catholicam ex omni ferè Germania proſcribi depoſcebat. Saxoniam penè univerſam jam obtinebant Lutherani, Henricum Brunſvicenſem probè Catholicum tenebant in vinculis, Fridericum Palatinum adhuc noviter in ſuos errores traxerant, Hermannum Colonienſem ac Paderbornenſem in inceptis novationibus confirmari expetebant, Franciſcum Monaſterienſem & Oſnabrugenſem iiſdem veſtigiis inhæſurum intellexerant, Mogunti-ni ac Treverici Electoris conſenſum elicere modis omnibus contendebant. Quid ergo ſupererat Landgravio, quàm ut ſimul peteret, Catholicæ Religionis jugulo cultrum ultimum ac peremptorium infigi? Quare paucis reſpondit Cæſar Landgravio: *Ea, quæ Colonienſis attentâſſet, nullo Canonum ſacrorum jure, nullo Cæſaris vel Imperii indulto factitata eſſe. Et quid?* addebat, *quid in rebus Eccleſiaſticis novare vel immutare vult iſte Hermannus, cùm ne quidem latinas *literas rectè intelligat; et ſemper in officiis divinis tam ſocors et deſes fuerit, ut, quàm diu in gradu ſacerdotali conſtitit, non nisi tres Miſſas legerit, quarum duas peragere debuit me præſente?* Per quæ verba Landgravius, qui & ipſe latinas literas non didicerat, ſat apertè punctus ac ſugillatus obticuit: Cæſar autem, dimiſſo Palatino & Landgravio, Ratisbonam perrexit ad aperienda comitia, pridem indicta. Venit illuc die decimâ Aprilis; & (quod ingenti cum dolore vidit) vix unum alterúmve è Principibus conſcriptis reperit, qui in tantis Imperii negotiis ſe ipſe præſentem ſtiterit. Iterum ergo novo mandato, die 22dâ Aprilis edito, jubet omnes adeſſe in perſona propria. Cúmque iterum emanerent Lutherani, ſtudéréntque magìs in privatis conventiculis rem ſuam agere, quàm in comitiis publicis pro Imperii totius bono collaborare; tandem Imperator, Lutheranorum ferociam quotidianis incrementis augeri videns, cœpit arma circumſpicere, & in refractarios bellum adornare, tracto etiam in ſocietatem Catholici fœderis Paulo III. Summo Pontifice. Neque id eis occulere vel celare voluit Auguſtiſſimus Princeps. Cùm enim haud multò pòſt* à Proteſtantium Legatis rogaretur, quid ſibi vellent iſti apparatus belli ac delectus militum, quos in Italia & aliis in locis fieri comperiſſent? intrepidè

*reſpon-

Philippus Haſſiæ Landgravi⁹ rogat Cæſarem, ne ſe opponat novationibus Hermanni Archiepiſcopi Colon. *Hortenſ. l. 1. de bello German. Surius in comment. Hartm. in hiſt. Haſſ. exerc. 13. theſi 102.*

Cæſar hanc petitionem rotundè rejicit. *Hortens. loco cit. *Serar. l. 5. rer. Mog. ſub Sebaſtiano Archiep.*

Abit Ratiſbonam ad comitia: in quibus videns Lutheranos comparere non velle, decernit bellum in refractarios. **Cochlæ⁹ in actis Luth. ad hunc annum.*

**die 18. Junii.*

*Chytræus l.16. Saxon. Hæus in ann. Brab. Surius ad hunc ann.

*respondit eis: *Germaniæ pacem ac tranquillitatem sibi cordi esse, hanc qui vellent, sibi maximè caros et amicos fore; qui verò nollent, et monasteriorum ac Præsulum bona iniquè detinere pergerent, bello et armis ad obsequium compelli oportere.*

Legati Principum Lutheran. discedunt è comitiis: Catholici Principes apud Cæsarē urgent progressum concilii Tridentini, *Serar l.5. rer. Mog. *Surius ad hunc ann *Hansiz. in hist. Archiep. sal. *Serar. loc. cit sub Archiep. Sebastiano. *Serar ib. Spond. hic n.16. Hansiz. ib. pag. 614.

His auditis Legati Protestantium post dies paucos non salutato Cæsare è comitiis discessêre; atque ità rerum agendarum consultatio devoluta est ad solos Principes Catholicos & eorum Legatos, qui jam antea secessionem à Lutheranis *fecerant. Hos inter è seculari statu præcipui ac potentissimi erant Albertus Bavarus & Wilhelmus Clivius: quos, ut arctiori vinculo sibi Cæsar adstringeret, in iisdem comitiis affinitate* proximâ sibi conjunxit; Alberto Annam, & Wilhelmo Mariam, Ferdinandi fratris Regísq; Romanorum filias in matrimonium tradens. Similiter & è statu Ecclesiastico ibidem erant Ernestus Archiepiscopus* Salisburgensis, Otto Cardinalis & Episcopus Augustanus, Christophorus Cardinalis & Episcopus Tridentinus, Wolffgangus Episcopus Passavienſis, Wigandus Bambergenſis, Melchior Herbipolenſis, & Valentinus Hildesienſis, unà cum Legatis*Moguntinis, Trevirícis, & quorundam aliorum Præsulum, quos vel morbus, vel aliorum negotiorum gravitas, à comitiorum accessu impediverat. Hi, cùm in eo conventu præsentem Germaniæ statum & antiquæ Religionis mutationem expenderent, non solùm Tridentinæ synodûs exordia comprobârunt; sed etiam Imperatorem*instantissimè hortati sunt, ut ulteriorem illius progressum generosè tueretur, nec unquam sineret, Protestantes à rebus in ea statutis ac definitis eximi.

Protestantes cum ingenti exercitu adoriuntur bellū cum Cæsare *Spangenb. in chron. Mansf. Hæus in ann. brab. Surius, Spondan. Chytræus & alii. Cæsar exercitum suū colligit Landishuti. *Chytræus l.16 Saxon.

Soluto conventu, qui die 22 Julii finem habuit, Germania superior ferè tota adversùs Cæsarem in armis constitit; primæque ante alios in bellum iêrant Ulmensium, Augustanorum, Nôrtlingensium, & Ulrici Ducis Würtenbergensis copiæ, Ductore Sebastiano Schertelio. Has deinde Landgravius & Saxo propediem consecuti sunt, magnísque itineribus Donawerdam properabant cum octoginta millibus peditum, decem millibus equitum, & centum ac triginta tormentis bellicis. Cæsar, cui nondum eo tempore miles omnis ad manum erat, eorum adventu cognito, paululùm reflexit copias*Landishutum: ubi intrà dies paucos ad eas accesserunt è terris Pontificiis duodecim millia peditum cum equitibus quingentis, è Regno Neapolitano & Insubria octo millia peditum Hispanorum cum equitibus non paucis, à Duce Florentino ducenti equites, & à Duce Ferrarienſi centum. Subinde Saxo

&

& Landgravius, copiarum suarum ubertate & affluxu tumidi, mittebant in castra ejus æneatorem cum adolescente, qui bellum* ei denuntiaret per epistolam ad amentum hastæ alligatam. At ille jam nihil metuens, responsi loco remisit illis Imperatoriæ proscriptionis tabulas, Ratisbonæ in comitiis conscribi jussas: alterâque mox die, quæ erat vicesima quinta Augusti, cum exercitu suo progressus est Ratisbonam, & indè Ingolstadium; exspectaturus inibi Comitem Büranum, qui cum decem millibus Belgicorum peditum & quinque millibus præstantissimorum equitum erat in via. Advenit ille tandem exeunte Septembri; suóque accessu castra Cæsaris eum in modum auxit, ut jam in exercitu suo numeraret circitèr quadraginta quinque millia peditum, & novem vel decem millia equitum, unà cum omni re ad bellum inferendum necessaria. Tum verò fortuna Cæsaris lætiores aspectus induit. Nam ex eo tempore usque ad exitum Novembris continuo victoriarum cursu eidem sese dediderunt insessæ ab hostibus urbes, Neoburgum, Wendinga, Donawerda, Dillinga, Lauinga, Gundelfinga, Bopfinga, Nortlinga, Dinckelspila, Rotenburgum ad Tuberum fluvium, & aliæ multæ, Cæsaris adventu magis, quàm armorum vi subactæ.

*Surius in comment. Chytræus l. 16. Saxon.

Redit Ratisbonam, occupat Ingolstadiũ, ibiq; novũ belli robur accipit è Belgio.

Helvicus in theatro hist. univ. Haræ⁹, Surius & alii

Pleræque urbes, antea ab hostibus occupatæ, se dedunt Cæsari.

Surius ad hunc annũ. Spangenb. in chron. Mansf.

Non minori felicitate in septemviri Saxonici terras omnes cum alio exercitu ingressi erant Ferdinandus Romanorum Rex, & Mauritius Saxoniæ Dux; qui ob inimicitias ac dissensiones, cum Electore jam pridem habitas, in comitiis Ratisbonensibus ad Cæsarem se converterat. Et quia pleræque ipsius urbes præsidiariis militibus denudatæ erant; brevi tempore universa propè regio in manus amborum venit, exceptâ Wittenbergâ, Gothâ, Isenaco, & paucis oppidis vel pagis, in harum urbium aspectu positis. Quo audito, cùm & aura hiemalis domuitionem suaderet Saxoni, ipse & Landgravius die vicesimâ tertiâ Novembris ab invicem discesserunt: hic in Hassiam, ut eam tueretur ab incursu Cæsaris; ille in Saxoniam Electoralem, ut eam suis & socialibus Landgravii copiis recuperaret. Ità Cæsar jam ab omni metu liber, Comitem Büranum cum suis legionibus à se dimisit: &, ùt rerum eventus docuit, plures urbes ac provincias recepit in hieme; quàm aliàs, etiam secundissimâ fortunâ, potuisset vincere in æstate. Büranus enim, ad Mœnum inferiorem abiens, occupavit ibi Darmstadium & Francofurtum, in quibus urbibus hiberna tenuit. Cæsar autem, Rotenburgo Halam Suevorum pergens, passim omnia fœderatorum Principum urbiúmque loca ad suam gratiam aspirare ac suspirare vidit. Ibi primùm Fridericus Elector Palatinus cum acer-

Ferdinand⁹ Rom. Rex, & Mauriti⁹ Saxo, occupant terras Electoris Saxoniæ.

Surius, & alii auctores cit.

Saxonis & Landgravii exercitus dissolvitur: Elector Palatinus, dux Würtenbergicus, Darmstadiũ Francofurtum, Ulma, Augusta, & aliæ urbes, Cæsari se submittunt

Surius in comment. Haræus in ann. brab.

acerbo fletu ad pedes Imperatoris accidit, & sui erroris veniam impetravit. Ibi Ulmenses, Augustani, & Argentinenses, cùm aliis aliarum urbium Legatis, demisso vultu & genibus incurvatis clementiam exorârunt. Ibi denique Ulricus Dux Würtenbergensis, ejuratâ Saxonis & Landgravii societate, in gratiam fidémque Cæsaris receptus est: quanquam omnes non sinè gravi mulcta, in ærarium victoris inferenda.

Hermann* Archiepiscopus Colon. & Ecclesiæ Paderborn. Administrator hæreticus, à Pontifice exauguratur, die 16. Aprilis:

Post hæc etiam Imperator convertit animum ad castigandas abolendásque novationes Hermanni Colonienſis Archiepiscopi, sæpe antea, sed frustra moniti. Moverat illum Pontifex à gradu Archiepiscopali velut hominem inutilem, doctrinísque hæreticis pertinaciter insistentem. Simul etiam Imperatori miserat exaugurationis prædictæ sententiam, Romæ latam in consistorio publico die decimâ sextâ *Aprilis: jussérátque, ut Paderbornæ in ejus locum eligeretur alius; Coloniæ verò sufficeretur ei Adolphus Schawenburgicus, dudum antea ejusdem Hermanni Coadjutor. Qua de re simul aliæ ad Adolphum literæ transmissæ sunt, quibus ei Pontifex Archiepiscopale munus auctoritate Apostolicâ demandabat. Adolphus, hujusmodi literis potitus, ne quid temere & inconsultè faceret, consilii causâ Petrum *Canisium è Societate Jesu Coloniâ misit ad Cæsarem, adhuc in comitiis agentem Ratisbonæ. Et ille, cùm id temporis totus esset in apparando bello contra Protestantes, insupérque adhuc omnia incerto fluctuarent exitu; jubebat ejusmodi literas adhuc paulisper obtegi, quemadmodum & ipse suas, à Pontifice missas noluerat evulgari. Neque Cæsar opinabatur, id summo Pontifici *in modernis rerum circumstantiis ingratum fore. Videbat enim, executionem sententiæ, ab eo latæ, majori cum efficacia præstari posse confecto bello: imò, si priùs ea tentaretur, multis maximísque periculis obnoxiam esse, tum quòd adversarii inter alias belli causas Hermannum unicè defendendum suscepissent; tum quòd ipse Imperator adhuc videri vellet, contra Saxonem & Landgravium in bellum ire, non Religionis, sed rebellionis ac proterviæ causâ. Unde & intra primos menses, post acceptam sententiam Papalem, non modò nihil movit contra hunc apostatam; sed etiam die septimâ Julii* ad eum, velut regentem Archiepiscopum, Ratisbonâ scripsit, mandavítque, ne Protestantibus opem ferret, ne suos subditos eisdem militare sineret, ne Cæsareis militibus è Belgio adventuris viam ac transitum prohiberet. Exinde Præsul novam sibi spem fingebat emolliendæ, quam incurrerat, indignationis *& iræ Cæsaris: atque ideo literas istas, sibi tanquam Archiepiscopo adhuc inscriptas,

*Spond. hic n. 16.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 7.

*Rader. in vita P. Canisii l. 1. c. 4 Annal. Collegii Colon.

*Pallav. loc. cit. Spond. l. c.

*Pallav. ib. Spond. ib.

*Spond. & Pallav. ib.

Dioe-

Diœceſi tota promulgari, & iis examuſſim obediri juſſit. Ne tamen idcirco videretur Bucerianam doctrinam deſeruiſſe, adhuc perrexit eam in ſuis urbibus & oppidis promovere: teſtísque eſt*Kleinſorgius, quòd eodem hoc anno Præcones aliqui Lutherani ex mandato ipſius in Eccleſiæ Werlenſis cathedram intruſi fuerint; & Sacerdos alius Catholicus à plebejis quibusdam civibus ac mulierculis de ſuggeſtu ſacro deturbatus.

*Kleinſorg. in hiſt. mſ.

At minimè diuturnus, imò nec ſemeſtris fuit hic eorum furor. Cùm enim haud multò pòſt Lutheranorum belligerantium fortuna retrocederet, & jam ferè tota ſuperior Germania Cæſareas Aquilas adoraret; cœpit etiam pientiſſimus Imperator Papali ſententiæ morem gerere, & Hermannum diu refractarium à ſuis infulis ac honoribus amovere. Id autem ut quietiùs & ſinè ſtrepitu armorum fieret, vertente hoc anno ſuos ad eum Legatos miſit Philippum Lalainium Comitem, & Viglium Zwichemum juris conſultum, qui ſuo nomine juberent eum vel ad Fidem Catholicam ſe recipere, & Pontificis gratiam præſtolari; vel Cathedris Epiſcopalibus excedere, & aliis dignioribus locum dare: alterutrum nî fecerit, Cæſarem uſurum armis ac vi militari. Hermannus, ùt primùm hos Legatos & hanc eorum propoſitionem ſibi penitùs inexſpectatam audiit, vehementer exterritus *palluit, ùt nudis preſſit qui calcibus anguem.* Ac primò quidem, ut ex hujusmodi laqueis evolveretur, ſeſe in omnes elabendi vias contorſit, appellando nunc ad concilium *ſolius nationis Germanicæ; nunc etiam provocando ad exempla Joachimi Brandeburgici & aliorum Principum Lutheranorum, qui in hoc bello ſecum à Cæſareis partibus non receſſerant. Sed cùm hæc omnia nihil proficerent; inſupérque magnum diſcrimen eſſet inter provincias hæreditarias, & inter eas, quæ Catholicæ Religionis intuitu per electionem conferuntur: tandem initio ſequentis anni, die viceſimâ* quintâ Januarii, utriuſque Epiſcopatûs infulam abdicare, & in gentilitio comitatûs Wiedani caſtro ad vitam privatam ſe recipere, coactus eſt, quinquennio pòſt ibidem in miſeriis mortuus anno 1552. die 15 Auguſti. Eandem fortunam ſubire debuit Fridericus frater ejus, olim Epiſcopus Monaſterienſis; tunc autem Bonnenſis Eccleſiæ Præpoſitus. Nam & ipſe, quòd cum hæretico fratre ſuo in eadem nave ſeſſitâſſet, Bonnenſi Præpoſiturâ ſimul exutus eſt, adſcito in ejus locum Joanne Groppero Suſatenſi, viro doctiſſimo, de quo alibi prolixiùs diſſeremus.

Et à Carolo Cæſare ſub initium ſequentis anni utrumque Epiſcopatum abdicare cogitur. *Henricus Abbas Marienmünſt. in diario, & aliæ ſcripturæ veteres.*

*Spond. ad hunc ann. n. 16 in fin.

*Merſæus Cratep. in Cat. Arch. Colon. ſub Adolpho ſucceſſ. ejus.

Fridericus frater ejus exuitur Præpoſitura Bonnenſi, quæ dein collata eſt Joanni Groppero, viro doctiſſimo. *Surius in com. 1547.*

Paulò antè, quàm iſta fierent, nonnulli rituum Catholicorum irriſores evidentibus pœnis à Deo caſtigati ſunt Werlis in

Irrisores Missæ & rituum Catholicorum divinitus puniuntur.

*Kleinsorg. in hist. ms. germanicâ linguâ.

*eine spöttische Meß.

*principal Meßhalter.

Westphalia. Rei seriem pro coronide præsentis anni narrabo breviter ex *Kleinsorgio. Cùm per æstatem hanc Lutherani Prædicantes in Ecclesiæ Werlensis cathedram intrusi essent, ejecto (ùt suprà memini) Sacerdote Catholico; leviculi cives aliqui ausi sunt in popina cerevisiaria Missam jocularem agere, & cæleste illud Sacrificium histrionico ritu exhibere. Unus eorum, quem primarium Sacerdotem vel *Sacrificulum appellabant, suprà calicem & patenam efformabat plurimas cruces; easdémque ludibrii ac derisionis causâ nominabat ictus tutatorios, vulgò Schirm-Schläge. At brevi Deus cum ludionibus istis ludum alium tristiorem lusit. Repentè enim omnes aspectabili plagâ in suis corporibus percussi sunt: &, qui primarius in eo ludo sacrificulus fuerat, ab usu mentis deturbatus, & humanæ miseriæ spectaculum factus est, membris omnibus in continuos hujusmodi ictus contortis, utì se non solùm ab hominibus fide dignis accepisse; verùm etiam suismet oculis inspectâsse, refert Kleinsorgius.

AN-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XXI.

REMBERTUS à KERSSENBROICH,

ECCLESIÆ PADERBORNENSIS EPISCOPUS XLI.

Annus Christi 1547.

PAULI III. Pontificis 13. & 14.
CAROLI V. Imperatoris 28. & 29.
REMBERTI Episcopi Pad. 1.

POstquam Hermannus, Ecclesiæ nostræ Administrator, die 25. Januarii Paderbornensem simul & Colonienſem infulam depoſuisset eo modo, quo suprà narratum est; succeſſit ei Coloniæ Coadjutor ejus Adolphus Comes de Schawenburg, probatissimæ virtutis vir: cujus egregio zelo & constantiâ brevi tempore penitùs restauratum & emendatum est, quidquid antea ab intrusis novatoribus vitiatum & corruptum fuerat. Paderbornæ verò, cùm ad novam electionem procederetur die 26. Martii postridie Annuntiationis B. MARIÆ Virginis, omnium eligentium vota singulari consensu cecidêre in virum ætate grandem & Seniorem Capituli, D. Rem-

Adolphus Comes de Schawenburg fit Archiepiscopus Coloniensis. *Kleinsorg. Cratepol. Surius & alii*

Rembertus de Kerssenbroich Paderbornæ Episcopus

eligitur & confirmatur.

D. Rembertum à Kerſsenbroich, Paderbornenſis, Monaſterienſis, & Oſnabrugenſis Eccleſiæ Canonicum. Erat hic antiquæ Religionis Catholicæ zelator ardentiſſimus, utì fatetur ſcriptor hæreticus Henricus ab Hôvel Epæus, dum in brevi epitome *Paderbornenſium Epiſcoporum ità ſcribit: *Poſt reſignationem Hermanni Wiedani eodem anno 1547 ad diem 26. Martii eligitur Rembertus Kerſſenbroick, vir Catholicus, atque eam ob rem ſedi Romanæ cariſſimus.* Hamelmannus etiam, *coœvus auctor Lutheranus, eum celebrat inter Weſtphaliæ viros eruditione ac doctrinâ illuſtres: certúmque eſt, eum Romæ in primo ætatis flore cultioribus literarum ſtudiis præclarè inſtitutum eſſe. In urbe Oſnabrugenſi parochialem Beatæ Virginis Eccleſiam, ſuæ fidei commiſſam, contra Lutheranos invaſores *acerrimè diu tutatus eſt, etiam adverſante ſibi Franciſco Waldeckio, urbis Epiſcopo, Lutheranis erroribus pridem imbuto: ac, licèt indè non ſemel ejectus fuerit; ejus tamen reſtitutionem, quàm diu potuit, apud Cæſarem urſit. Ab his aliísq; præclaris laudibus exornatus, facilè inclinavit animum ſummi Pontificis, ut electioni de ſe factæ conſenſum Papalem daret, & Apoſtolicæ confirmationis robur adjiceret. Qua de re ſuperſunt *ejuſdem Pontificis literæ, die primâ Julii in curia Romana datæ, & ſimul exaugurationis Hermannianæ cauſam exponentes in hæc verba:

Henricus Abbas Marienmünſt. in diario, & alia mſ.

*Epitome mſ.

*Hamelm. l 5. de viris doctrinâ illuſtr. part. 1. pag. 225.

*Ex veteribus mſ.

*in archivo Cathed. Eccl. Pad.

PAulus Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, Dilecto filio Remberto de Kerſſenbroick, Electo Paderbornenſi, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Divinâ diſponente clementiâ, cujus inſcrutabili providentiâ ordinationem ſuſcipiunt univerſa, ad Apoſtolicæ dignitatis apicem ſublimati, ad univerſas orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis extendimus, et pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis propenſiùs cogitare nos convenit, quas propriis carere paſtoribus intuemur: ut eis juxta cor noſtrum, per factæ in illis Canonicæ electionis confirmationem, aut ſimplicis proviſionis officium, paſtores præficiantur idonei: qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam, et providentiam circumſpectam, ſalubriter dirigant et informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolùm gubernent utiliter; ſed etiam multimodis efferant incrementis. Sanè nuper Eccleſiâ Paderbornenſi, quam iniquitatis filius Hermannus, olim Archiepiſcopus Colonienſis, ex conceſſione et diſpenſatione Apoſtolica in adminiſtrationem obtinebat, tunc adminiſtratione hujuſmodi ex eo, quòd nos contra eundem Hermannum ritè procedentes, per noſtram diffinitivam ſententiam, de Venerabilium fratrum noſtrorum conſilio in conſiſtorio noſtro latam, et quæ nullâ provocatione ſuſpenſa in rem tranſiverat judicatam, prædictum Hermannum ex eo, quòd hæreſin Lutheranam profiteri non erubuerat, Colonienſi

nienſi, cui tunc præerat, et dictâ Paderbornenſi Eccleſiis Apoſtolicâ auctoritate privavertmus, per privationem hujuſmodi ceſſante, adhuc eo, quo ante adminiſtrationem hujuſmodi vacabat, modo, Paſtoris ſolatio deſtitutâ, Dilecti filii Præpoſitus, Decanus, et Capitulum dictæ Eccleſiæ Paderbornenſis, pro futuri Epiſcopi Paderbornenſis electione celebrandâ, vocatis omnibus, qui voluerunt, potuerunt, et debuerunt electioni hujuſmodi commodè intereſſe, die ad eligendum præfixâ, ùt moris eſt, convenientes in unum, te tunc ipſius Eccleſiæ Paderbornenſis Canonicum, de nobili etiam militari genere procreatum, et in ſubdiaconatûs Ordine conſtitutum, in Epiſcopum Paderbornenſem viâ ſcrutinii concorditer elegerunt: Túque electioni hujuſmodi, illius tibi præſentato decreto, conſenſiſti, et deinde electionis hujuſmodi negotium proponi feciſti in eodem conſiſtorio coram nobis, petens, illam eâdem auctoritate confirmari in his omnibus, ſtatutis à jure temporibus obſervatis. Nos igitur verum et ultimum vacationis dictæ Eccleſiæ Paderbornenſis modum, etiamſi ex illo quævis generalis reſervatio, etiam in corpore juris clauſa reſultet, præſentibus pro expreſſo habentes, electionem prædictam, nec non idoneitatem et merita perſonæ tuæ examinari fecimus diligenter. Et quia invenimus electionem ipſam de eadem perſona tua, cui apud nos de literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia et temporalium circumſpectione, aliisque multiplicium virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, fuiſſe Canonicè celebratam; illam de fratrum eorundem conſilio auctoritate prædictâ approbamus et confirmamus. Teque eidem Eccleſiæ Paderbornenſi in Epiſcopum præficimus et Paſtorem, curam et adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Paderbornenſis tibi in ſpiritualibus et temporalibus plenariè committendo: in illo, qui dat gratias et largitur præmia, confidentes, quòd dirigente Domino actus tuos, dicta Eccleſia Paderbornenſis ſub tuo felice regimine regetur utiliter, ac grata in eiſdem ſpiritualibus ac temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, promptâ devotione ſuſcipiens, curam et adminiſtrationem prædictas ſic exercere ſtudeas ſollicitè, fideliter, et prudenter, quòd ipſa Eccleſia Paderbornenſis provido et fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: túque præter æternæ retributionis præmium noſtram et Apoſtolicæ ſedis benedictionem conſequi mereris. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Kalendis Julii, Pontificatûs noſtri anno tertio decimo.

Aliæ literæ Pontificis de eadem re, ad Cæſarem, ad Moguntinum, & alios. *Ex archivo Cath. Eccl. Pad.*

Cum iiſdem his literis advenerunt & aliæ quàm plures, ad Cæſarem, ad Archiepiſcopum Moguntinum, ad Cathedrale Capitulum Paderbornenſe, ad ejuſdem Eccleſiæ vaſallos ac miniſteriales, ad Clerum denique minorem & ſubditos univerſos, quibus omnibus antè dictus Pontifex Electum & Confirmatum impenſiſſimè commendabat: Cæſari quidem, & Moguntino, ut eundem pro viri-

viribus defenderent; ceteris verò, ut eidem in rebus, ad Episcopale officium pertinentibus, debitam obedientiam ac morigeram subjectionem præstent. Subinde novus Episcopus, accepto regimine, primùm omnia comparari jussit ad solennem inaugurationem & introductionem suî: quæ in urbe Warburgensi die decimâ octavâ Octobris; Paderbornæ verò die vicesimâ tertiâ ejusdem mensis cum honore splendoréque maximo peracta est. Mox etiam ad altiora versus, applicabat animum ad accipiendos Ordines Episcopales. Neque enim cupiebat esse in eorum numero, qui solo nomine Episcoporum gaudent, & solos ipsorum reditus ad se traducunt (quales ea tempora non rarò tulerant) sed cum ipso nomine personam induturus, volebat etiam re ipsâ esse, quod erat. Et quia difficulter habere poterat tot Episcopos, quot in jure communi ad hujusmodi actum requiruntur; eodem hoc anno supplicibus literis à Paulo III. facultatem petiit, ut ab uno Episcopo ac duobus Abbatibus infulatis consecrari posset: qua de re plura videbimus ad annum proximè consequentem. Memorabilis interim hic annus fuit à singulari siccitate, quæ in principio æstatis tam insueta ac fermè inaudita erat, ut non modò famem paterentur pecora, sed etiam variis in locis homines, utpote non habentes aquam, ad molendas fruges, necessariam. *Hoc anno*, scribit auctor*coævus, *fuit magna siccitas. Non fuit homo vivens his temporibus, cui constet tale tempus. Bestiæ agri magnam penuriam sustinuerunt. Etiam molendina in multis locis steterunt sinè aquis: ità ut Susatenses cogerentur molere in Paderborn.*

Magna hoc anno siccitas in Westphalia. *Chron Tremon. mss. & alii.* **Henricus Abbas Marienmünst. in diario.*

His è rerum nostratium promptuario expositis, revertor ad acta Caroli V. Imperatoris; cui hoc anno eum in modum fortuna favit, ut præcipuos duos Protestantium antesignanos, præclarissimâ victoriâ de cœlo missâ, in suam captivitatem & custodiam traxerit. Prior horum Joannes Fridericus Elector Saxo, postquam exeunte anno superiore cum suis & Philippi Landgravii copiis in suam Saxoniam reversus esset, non solùm facillimè recuperaverat ea, quæ per absentiam suam istic amiserat; verùm etiam propè omnes*Mauritii patruelis urbes potestati suæ subjugaverat, exceptâ Lipsiâ ac Dresdâ. Indè in vicinas Magdeburgensium & Halberstadiensium ditiones irruens, Joannem Albertum utriusque loci Antistitem ejecerat, populos ei subjectos* in suam fidem adegerat, Cathedralium Ecclesiarum collegia disturbaverat, monasteria diripi, monachos divexari, calices, hierothecas, candelabra argentea, baculos Episcopales & Abbatiales, & quidquid auri vel argenti in sacris thesauris erat, Islebiam avehi, & ex iis pecuniam conflari fecerat. Postremò etiam vicinos Bohemiæ populos pecu-

Joannes Fridericus, Elector Saxo, à Carolo V. Imperatore vincitur, & in captivitatè accipitur. *Surius, Spond. Haræus, Chytræus &c.* **Haræus in ann. brab. Spangenb. in chron. Mansf.* **Haræus & Spangenb. ibid. Chytræus l. 16. Saxon.*

niis

niis & sollicitationibus in eam seditionem egerat, ut non solùm Ferdinando Regi se opponere, & omne bellum in Saxonem* detrectare; sed etiam inter se & cum Saxone in fœdus ire, cum eo militem sociare, & Regis filias Pragensi in arce inclusas tenere ausi fuerint. Cæsar, ùt primùm ista in hibernis comperit, nihil ampliùs cunctandum ratus, ineunte Martio cum exercitu suo abit Egram, Bohemiæ urbem; conjungendus ibidem Ferdinando fratri & Mauritio Saxoniæ Duci. His autem à se receptis, velocissimè progreditur ad inquirendum hostem; eúmque tandem die vicesimâ quartâ Aprilis mane, prope* Mülbergam oppidum, in adversa Albis ripa considentem reperit. Concioni tunc intererat Elector Saxo (erat enim Dominica 2da post Pascha) auditóque, Cæsarem sibi tam vicinum esse, maximopere consternatus, imprudenti consilio statuit locum hunc deserere, & securitatis amplioris causâ* Wittenbergam aufugere. Præmissis igitur castrorum impedimentis, etiam ipse cum exercitu suo paulatim sequitur: credebat enim, fluvium tam profundum ac trecentis ferè passibus latum sinè ponte navali trajici non posse; &, priusquam hujusmodi pons fabricandus esset, satìs temporis habiturum se, ut è Cæsaris conspectu fugeret. Commodùm tunc evenit Cæsari, ut homo rusticanus, cui pridie* duo equi ab hostibus ablati erant, offerret se ad ostendendam equitibus viam in loco proximo, ubi fluvius vadosior, ac propter firmitatem fundi permeabilis erat. Hunc ergo Cæsar, promisso ingenti præmio, jubet in equo suo præcedere. Sequuntur mox Hungari equites levioris armaturæ, singuli sessorem peditem post se ferentes: tum deinde legiones aliorum equitum loricatorum, quos cataphractos nominant: demum Cæsar ipse, equo Hispano vectus, cum Principibus Ducibúsque ceteris, qui ejus castra secuti fuerant. Cúmque omnes in alteram Albis ripam eluctati essent; Cæsar illic imaginem crucifixi, tormentario* globo perforatam, videns: *O Deus!* inquiebat, *quàm facile potes eam injuriam vindicare, dummodo nunc velis?* statímque, non exspectato peditatu cetero (qui adhuc in perficiendo navali ponte præpeditus erat (abeuntem hostem insequitur, è fuga retrahit, ad pugnam sistit, invadit, cædit, profligat, &, quod omnium fortunatissimum erat, etiam Electorem ipsum cum Ernesto Brunsvicensi captivum accipit, desideratis ex parte sua non ampliùs quinquaginta* vel centum* equitibus. Ut proinde Cæsar ipse, visâ tam admirabili victoriâ, solo equitatu sinè tormentis bellicis impetratâ, non immeritò dixerit: *veni, vidi; sed Deus* vicit.*

Finito prælio captivus Elector, ad Cæsarem deductus, capite nudato inquit: *Potentissime et clementissime Cæsar! tuus ego captivus sum: peto,*

*Chytraus loc. cit. Hortens. de bello german. l. 6. & 7.

*Surius in comment. Spangenb. & alii.

*descriptio illiº pugnæ to. 2. rer. gest. sub Carolo V.

*Surius in comment. Spangenb. & alii.

*Surius in comment.

*Surius in comment.

*Haræus in ann. brab.

*Surius, & alii.

Saxo captivus exuitur dignitate septemviralí, terrísq; Electoralibus.

peto, me ità habeas, utì Principem captivum decet. Priora hujus alloquii verba, priusquam Electot pergeret, continuò Cæsar intercepit, inquiens: *Nunc ergo demum agnoscis, quis ego sim? sic antea non loquebare.* Saxo enim & Landgravius in hoc tumultu bellico vocaverant eum **Carolum de Gandavo, qui se fert Imperatorem*: eóq; nomine etiam usi erant * in denuntiatione belli ante annum facta. Ad alteram verò alloquii partem respondit Cæsar: *infortunium hoc tibímet ipse *adscivisti! tractabo te pro tuo merito*: eóque dicto eundem, & Ernestum Brunsvicensem, Alphonso Vives Hispanorum tribuno custodiendum tradidit. Constituerat Imperator Electorem plectere pœnâ capitis: eámque sententiam haud parùm præcipitaverat concitata rebellio Bohemorum, qui cum pluribus*cohortibus jam erant in via ad succurrendum Saxoni. At ea sententia aliorum Principum interventu mitigata, vitæque gratia postmodum concessa est his*conditionibus: *ut septemvirali dignitate, et omni ditione ad eam pertinente, pro se suísque successoribus in perpetuum decederet; neque aliud pro se et illis beneficio Cæsaris retineret, quàm terras et urbes à se habitas in Thuringia: tormenta omnia et apparatus bellicos, in suis urbibus repertos, in Cæsaris potestatem traderet: Magdeburgensem et Halberstadiensem Diœcesin Joanni Alberto Archiepiscopo restitueret: judicio Cameræ Imperialis morem gereret, nec unquam in posterum cum ullo Principe contra Cæsarem et Ferdinandum ejus fratrem in fœdus iret.* His peractis, adhuc supererat Philippus Hassiæ Landgravius, in cujus terras jam tota belli moles transferenda erat, nisì quantocyus amicorum suorum operâ præteritorum facinorum veniam & vitæ gratiam inveniret. Usus igitur intercessoribus, Mauritio Saxone & Joachimo Brandeburgico, Halæ Saxonum ad Cæsarem venit, ejusdem pedibus advolvitur, peccatum à se admissum confitetur, ac demum suas sibi ditiones relinqui, & perpetuæ captivitatis pœnam remitti impetrat, hísce legibus: *ut intrà menses quatuor centum aureorum millia Cæsari persolvat: arces omnes ac munitiones totius Hassiæ, præter Ziegenhainam vel Cassellas, diruat: pulverem tormentarium et omnia tormenta bellica Cæsari quàm primùm tradat: Henricum Brunsvicensem ejúsque filium Carolum victorem, è custodia dimittat, et in suas Provincias redire jubeat: fœderi Schmalkaldico renuntiet, decretis Cameræ Imperialis pareat, et, quidquid Imperator pro tranquillitate Germaniæ constituerit, fideliter observet et exequatur.* Perluben-

Auctores iidem.
**Spond. hic n. 8.*
Spond. ad ann 1546.
**Surius in comment.*
**Hortens. de bello germ. l. 7.*
**Hortens. loc. cit.*
Surius & alii.

Philippus Hassiæ Landgravi⁹ tradit se potestati Cæsaris; & certis conditionibus impetrat immunitatem à custodia perpetua.

Helvic. in theatr. hist. univers.
Surius in comment.
Hæus in ann. brab.
Hortens. l. 7. de bello germanico & alii.
**Hortens. Surius, & alii.*

ter hæc omnia subscripta & admissa sunt à Landgravio: credebat enim, se ab omni captivitate liberum & immunem fore. Cæsar autem eodem vespere Landgravium in custodiam deduci jussit, ac deinde pluribus annis captivum tenuit: inquiebat enim, *se quidem ei promisisse immunitatem* à custodia perpetua, quam promeruerat; non ta-

tamen addidisse, quandonam à custodia solvi ac liberari debeat. Qua ex re postmodum non parvæ lites, ac demum gravissima bella contra omnem Cæsaris opinionem rursus exorta sunt.

Jodocus Croningius belli ductor Cæsareus, varia Westphaliæ loca Schmalkaldico fœderi illigata, ad Cæsaris obsequium cogit. *Chytræus l. 16 Saxon. Spangenb. chron. Mansfeld. Haræus in ann. Brab. Kleinsorg. in hist. mss. & alii plures.*

Ceterùm & aliqua Westphaliæ loca, propter societatem Schmalkaldici fœderis, eodem bello non parùm detrimenti accepêre à Jodoco Croningio Zelandiæ Præfecto: qui in fine præcedentis anni è Cæsareis castris in inferiorem Saxoniam demissus erat ad oppugnandos omnes Landgravii & Saxonis amicos. Adduxerat ille secum non parvas Belgarum copias: quibus apud urbem Essendiam, ubi ineunte hoc anno considêre cœperat, tam multi alii spontaneo affluxu conjuncti sunt, ut intrà breve tempus numeraverit decies mille pedites & mille ducentos equites. Cum his mense Januario profectus est primò contra Conradum Comitem in Tecklenburg, Philippi Landgravii affinem: eúmque minis ac terroribus coëgit societatem Schmalkaldici fœderis ejurare, Dynastiam & arcem Lingensem Imperatori tradere, ac præterea adhuc quindecim millia Imperialium pro mulcta solvere. Cives Osnabrugenses, vicini Comitis exemplo territi, obsidionem sibi intentatam continuò redimunt quinque millibus Imperialium; promittúntque Cæsari, se abjectâ Protestantium societate ad ejus obsequium redituros. Indè Croningius, ad nostræ Diœcesis confinia se convertens, arcem Ritbergicam ante duos annos à Landgravio captam occupat; eâque Cæsareo præsidio communitâ, exercitum suum transfert contra Bernardum Lippiensem, Landgravii prædicti partibus adhærentem. Cúmque & hunc ad Cæsaris obsequium reduxisset; acceptâ duodecim millium Imperialium mulctâ, processit ad urbem Mindam. At illa, tam diu hactenus Cæsareanis imperiis refractaria, continuò portas aperuit, Croningium cum suis copiis intromisit, suóque exemplo vicinos Comites Hojenses & Schawenburgenses ità conterruit, ut extemplo missis in eam urbem consiliariis declarârint, se Imperatori suo in rebus omnibus morigeros fore, nec ab ejus fide & obsequio unquam recessuros. Lætus hoc armorum successu Croningius promovit castra ad urbem Bremam, unam è præcipuis, quæ in fœdere Schmalkaldiensi etiamnum persistebant. Ac tametsi fortunâ minùs prosperâ ibidem usus, tandémque etiam glande plumbeâ trajectus occubuerit; diuturno tamen hujus urbis obsidio feliciter *impedivit, ne Bremenses, Hamburgenses, & aliæ urbes maritimæ, periclitanti à Cæsaris adventu Saxoni, auxilium ferrent.

*Haræus in ann. brab. pag. 645. in initio.

Franciscus Episcopus Monasterii exuitur

Franciscus Episcopus Monasterienſis, etiamsi magno suo & suorum subditorum commodo præmaturè se separaverit à societate Protestantium, cui pridem adscriptus fuerat; in Bremensi tamen

possessione arcis ac præfecturæ Delmenhorstensis. *Chytræus l. 16. Saxon. Hamelm. in chron. Oldenb.*

obsidione Cæsareano militi non parùm nocumenti intulerat per arcis Delmenhorstanæ Satrapam & Præfectum Hermannum ab Ohr. Quod cùm indignè ferrent Cæsareanæ militiæ Duces; Antonium Comitem Oldenburgensem iteratis literis instigabant, ut arcem hanc, velut antiquum suæ gentis patrimonium, recuperare satageret: addicebántque se libenter hac in re eidem opitulaturos, &, ne Imperator aliquam indè offensam capiat, præcauturos esse. Subinde commodùm accidebat* die Jovis ante palmarum, ut Hermannus Ohrius potissimam suæ militiæ partem à se dimitteret, mutandi (ùt opinor) præsidii causâ. Usus hac opportunitate Comes Antonius, collectis repentè quatuor millibus virorum fortium, tacitissimâ nocte proficiscitur Delmenhorstum: summóque mane in Dominica Palmarum silentio transmittit fossas, applicat scalas, aggerem conscendit, arcémque minùs custoditam suo rursum dominio subjicit, posteaquam ab annis* sexaginta quinque in Monasterienssium Episcoporum potestate constitisset.

*Hamelm. loc. cit.

*ab anno 1482.

Citatur à Pontifice Romam ad purgandũ se de suscepta hæresi Lutherana. *Literæ Papales, Chytræus l. 16. Saxon. Kleinsorg. in hist. ms. Annal. Mon. ms.*

Gravissimum id erat vulnus Francisco Episcopo, Lutheranæ societatis incommoda jam degustanti. At huic malo non multò pòst iterum supervenit aliud adhuc longè exitiosius: imò tale, quod ei omnium ditionum suarum possessionem adimere, triplicémque insulam excutere, valuisset. Etenim Paulus III. Romanus Pontifex per Apostolicas literas, hoc anno Romæ die XI. Junii consignatas, peremptoriè & sub pœna privationis omnium Episcopatuum suorum, citavit ipsum ad Romanam curiam; jussítque ibidem intrà bimestre spatium comparere, & legitimè purgare se de desertione Fidei Catholicæ, de amplexu hæreseos Lutheranæ, de novatione rituum Ecclesiasticorum, de admissione heterodoxorum Prædicantium, aliísque rebus contra Ecclesiam Catholicam attentatis. Perditissima tunc fuisset fortuna Principis, nisi Monasterienssis Diœcesis Ordines, ante annos quatuor, eidem in* introducenda confessione Augustana tam potenter obstitissent. Hi igitur, seducti Principis commiseratione tacti, continuò rescribunt summo Pontifici, quæ & quanta olim Franciscus egerit pro bono Fidei Catholicæ? quàm operoso molestóque bello Monasterienssem urbem ex Anabaptistarum manibus recuperaverit? quàm immensos labores & sumptus fecerit pro restauranda Ecclesia Cathedrali, ab Anabaptistis fœdissimè deturpata? quâ industriâ & sollicitudine eandem Basilicam & omnia templa parochialia Catholico ritu iterum expiari & consecrari fecerit? Proinde cum viro tali, & aliàs tam bene merito, paulò mitiùs agendum videri, ac priùs omnia pro ipsius reductione tentanda esse, quàm ad ejus exauctorationem pro-

*vide dicta ad ann. 1543.

Monasterienssis Episcopatûs Ordines pro eo intercedunt Romæ, & sententiam privationis intercipiunt. *Chytræ⁹ & Kleinsorg. loc. cit.*

procedatur: præsertim cùm adhuc medicabile sit illius vulnus; & ea, quæ in Diœcesi Osnabrugensi per hæreticos labefactata sunt, non minùs ab ipso ad Ecclesiæ Catholicæ gremium revertente; quàm ab alio novo Antistite, corrigi & in statum pristinum revocari queant. Eadem occinebat Romæ ipsius Advocatus, Jodocus Hoitfiltius Osnabrugensis, postea Lubecensis Episcopus: qui & causâm hanc eò tandem reduxit, ut sententia exauctorationis Franciſci Episcopi feliciter sufflaminata fuerit in eventum futuræ conversionis & resipiscentiæ, de qua plura dicemus anno sequente.

Henricus VIII. Angliæ Rex moritur. *Spond. hîc n. 16. & alii.*

Mortalem vitam hoc anno finiêre duo magni Principes, Henricus VIII. Angliæ Rex, & Franciscus I. Galliæ Rex. Primus horum defunctus est die vicesimâ octavâ Januarii, posteaquam rexisset annis fermè triginta octo: cui successit ejusdem filius Eduardus IV, ex Joanna Semeira genitus, novem annorum puer. Posterior verò, Franciscus Galliæ Rex, è vivis abiit die tricesimâ primâ Martii, Princeps Catholicæ & orthodoxæ Fidei retinentissimus: in quo vix aliud culpes, quàm quòd inutilibus parúmque profecturis bellis impediverit Carolum V. Imperatorem, quò minùs enascentem hæresin Lutheranam in primis incunabilis extinguere & suffocare potuerit. Regnavit annos triginta duos cum tribus mensibus; & successorem throni post se reliquit Henricum II. filium, viginti & octo jam annos natum. His duobus funeribus adjungere liceat funus aliud, inferioris quidem Ordinis; sed tamen sacri Romani Imperii Principis, Franciſci de Ketteler, Abbatis Corbejensis in Westphalia: qui difficillimis temporibus ibidem summa cum laude præfuit annis quadraginta tribus; in eo solùm infelix, quòd hæresin Lutheranam ab ingressu urbis Huxariensis cohibere non valuerit. Sepultus est Corbejæ die decimâ quintâ Januarii, peragente solenne officium funebre Henrico Abbate in Marienmünster; & evoluto bimestri intervallo, die decimâ quintâ Martii, successorem adeptus est Casparum ab Hôrsel, postulatum ex monasterio Prumiensi.

Item Franciscus I. galliæ rex. *Spond. hic n. 23.*

Et Franciſc. de Ketteler, Abbas ac Princeps Corbejensis: cui succedit Casparus ab Hôrsel.

Henricus Abbas Marien-münsterensis in diario.

Annus Christi 1548.

PAULI III. Pontificis 14. & 15.
CAROLI V. Imperatoris 29. & 30.
REMBERTI Episcopi Pad. 2.

DEvicto Saxone & Landgravio, Carolus Imperator ad Augustam Vindelicorum conscribi fecit nova Principum comitia, quæ à præterito Septembri per potissimam hujus anni partem extracta sunt. Aderant ibi raro exemplo Electores omnino omnes, intérque alios duo novi Ele-

Comitia Augustana à Septembre superioris anni, usque ad Augustum anni præsentis

Electores, Adolphus Archiepiscopus Colonienſis & Mauritius Saxo: quorum prior magnificentiſſimum toti cœtui convivium adornavit, poſteaquam ſacris Ordinibus initiatus, in conſpectu Principum congregatorum* primam Deo hoſtiam obtuliſſet: poſterior verò Joanni Friderico Saxoni ſuffectus, ibidem à Carolo Imperatore ſeptemviralis dignitatis inſignia ſplendore maximo ſuſcepit die viceſimâ quartâ Februarii, utì fuſiùs deſcribit* Mameranus. Ex aliis etiam Principibus dominísque, tam ſecularibus quàm Eccleſiaſticis, magnus ad ea comitia confluxus fuit; & qui adeſſe non poterant, per Oratores à ſe miſſos abſentiam ſuam explevêre: utì & noſter Epiſcopus, Rembertus Kerſſenbrochius, ſuo nomine illuc miſit Jodocum à Dincklage Cathedralis Eccleſiæ Canonicum, Joannem Albrecht juris utriusque Doctorem, & Henricum von Cöllen Secretarium, qui Receſſui* Auguſtano ejus nomine ſubſcripſerunt.

*Surius ad hunc ann.

*Mamer. in tract. peculiari de hac re, to. 2. rer. geſt. ſub Carolo V.

*vide Receſſum Auguſtan. de hoc anno-

Primis quatuor vel quinque menſibus ferè nil aliud actitatum eſt, quàm ut concilium generale, quod ex metu peſtilentis morbi Bononiam translatum erat, Papali juſſu Tridentum revocaretur; &, quidquid in eo jam definitum aut ulteriùs definiendum eſſet, id omnes Imperii Principes in ſuis terris unanimi conſenſu reciperent ac tenerent. Poſtrema pars hujus deliberationis, cui aliàs à Proteſtantibus maximopere contradictum fuerat, in his comitiis vel amore pacis, vel terrore Cæſaris, perfacilem aſſenſum habuit; utì conſtat ex procœmio Cæſareæ declarationis ibidem editæ, maximéque ex his verbis: *Quare ſua Majeſtas horum comitiorum initio communes Imperii ſtatus eò induxit, ut ſecuti veſtigia ſanctorum Patrum Majorúmque noſtrorum, qui in cauſis laborantis Religionis confugiſſent ad œcumenica concilia, iísque ſemper paruiſſent; ipſi quoque inchoato Tridentino concilio adhærerent, judicium ejus ac definitionem exſpectarent, dicto audientes eſſent, eíque ſe communi conſenſu ſubmitterent.* Sola difficultas erat in permovendo ſummo Pontifice, ut concilium Bononiâ revocari, & in urbe Tridentina denuo reponi ſineret. Etenim Henricus II. Galliæ Rex (quem extincto patri ſucceſſiſſe memoravimus) Cæſareæ felicitatis odio vehementer ſtabat pro concilio continuando Bononiæ: ſuaſerátque Pontificiis, Carolum Imperatorem hujuſmodi conciliis aſpirare ad plenum Germaniæ dominatum, ut ità poſtmodum ſuas vires converteret ad opprimendum unà omnes Principes Italiæ. Cæſar ergo, ne quid induſtriæ prætermitteret hac in re, Romam miſit Chriſtophorum Madrucium Cardinalem & Epiſcopum Tridentinum; ceteri verò Ordines Eccleſiaſtici, qui iiſdem comitiis intererant, ſuo nomine conſcripſerunt libellum ſupplicem, quo devotè repræſentabant Pontifici:

Omnes Imperii Ordines addicunt Cæſari, ſe in reb⁹ Fidei ſtaturos eſſe decretis ac definitionib⁹ concilii Tridentini.

Declaratio Cæſarea Auguſtæ impreſſa latinè.

Henric⁹ II. Galliæ Rex impedit, ne concilium reſumatur in urbe Tridentina.

Pallav. in hiſt. conc. Trid. l. 10. c⁹ 16. n. 3. Spond. ad ann. 1547. n. 32.

Contrà verò Cæſar cũ Principibus

fici: *nunc tandem ope divinâ contigisse, ut afflictæ diu Germaniæ rursum affulserit optata spes opprimendæ hæreseos, et restituendæ ibidem orthodoxæ Fidei Catholicæ. Carolum Imperatorem nuperrimo prælio de supremis Protestantium capitibus feliciter triumphâsse; eôque demum in his comitiis adduxisse Principum reliquorum animos, ut concilio Tridentino acquiescere, ejusdémque judicio se in posterum submittere in rebus controversis velint, Proinde sanctitatem suam enixissimè rogari à se, ut ex Italia, Lutheranis invisa, concilium revocet, et in urbe Tridentina resumi sinat. Id si impetrarent, brevi totam Germaniam favente cælo ad obsequia Pontificis redituram: sin minùs, indubiè periculum fore, ne totum illud reducendæ pacis ac Religionis negotium eventu casso retrocederet.*

Ecclesiasticis urget, concilium illic reponi. *Pallav. loc. cit. c. 6. per tot. Spond. ad ann 1547. n. 31.*

At jam optimi senis aures. partim Gallicanis persuasionibus, partim aliis Antistitum Italicorum præjudiciis, ad hujusmodi preces ità obsurduerant, ut easdem iteratis vicibus vel non audiret, vel responso minùs favente à se rejiceret. Quare tandem Imperator, ne per eam tergiversationem adhuc magìs invalesceret hæresis Lutherana, novum in his comitiis libellum conscribi & publicari fecit: quem vulgato nomine appellârunt *INTERIM*; quoniam in eo præscribebatur, quidquid interim usque ad novam concilii Tridentini resumptionem ac definitionem credendùm esset. Hic autem libellus *continebat ferè solas doctrinas Catholicas, excepto sacerdotum conjugio, & usu Eucharistiæ sub utraque specie. Quæ tamen duo ibidem non comprobavit Cæsar, neque permisit ùt licita; sed tantùm usque ad futuri concilii determinationem toleranda censuit ob innumeras *difficultates, quas prævidebat fore, si sacerdotes ab uxoribus jam acceptis abstrahi, & eos, qui utrique speciei Eucharisticæ jam assueverant, ab usu calicis avelli præcepisset. Imò nec ista duo tolerari voluit in provinciis illis, quæ Catholicam Fidem hucusque retinuerant; sed in iis tantùm, quas à novationibus Lutheranis ad Catholicam Fidem reduci studuit, utì constat è sequentibus verbis, in ejusdem libelli *procemio positis. *Quare nunc Cæsarea Majestas à communibus Imperii statibus, qui Ecclesiæ Catholicæ institutiones ac decreta hactenus summa cum laude observârunt, clementer requirit, ut eadem deinceps religiosè observent, nec se ab eis avelli ullo modo patiantur: à reliquis verò statibus, qui novationes induxerunt, similiter sua Majestas clementer ac seriò requirit, ut vel ad communes status accedant, et in observatione constitutionum aut cerimoniarum Ecclesiæ Catholicæ per omnia cum illis conveniant; vel saltem doctrinam suam juxta prædictam consultationem in omnibus moderentur.* Denique etiam in his comitiis constitutum est, ut ad Episcopatum nemo assumatur, nisì sit sacerdos, aut promittat, se velle gradus omnes, quos nondum habet, in ordi-

Quo non impetrato, Lutheranismi coërcendi causâ publicat libellum, appellatum: *INTERIM. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 10.* *Declaratio Cæsarea, Augustæ edita, & alii scriptores passim.* **publicatus est die 15. Maji.* **declaratio Cæsarea c. ult. sub fin.* **vide procemium istius declarationis*

Statuit etiã, ut omnes Episcopi proximè se consecrari

faciant; & ante S. Martini celebrent synodum Diœcesanam pro reformatione Cleri.

ordinationibus proximis absque dilatione vel tergiversatione suscipere. Item, ut pro restauratione disciplinæ Ecclesiasticæ quàm primùm à singulis Episcopis & Archiepiscopis celebrentur synodi: & quidem Diœcesanæ ante festum proximum S. Martini; Provinciales verò aut Metropolitanæ ante proximam, si fieri possit, quadragesimam anni sequentis.

Formula Reformationis, Augustæ edita, in præfatione.

Vide nunc Lector, & oculis tuis inspice, quàm bellè & accuratè hæc omnia pro voluntate pientissimi Cæsaris executus fuerit novus Episcopus noster, Rembertus Kerssenbrochius? Indulserat ei Pontifex peculiari Bullâ, *XV. Kalendas Martii* hoc anno datâ, ut in defectu plurium Episcoporum (quales eo tempore deerant propter apostasiam Franciſci Monasterienſis, Osnabrugensis, & Mindensis Episcopi) consecrari posset* ab uno Antistite Catholico ac duobus Abbatibus infulatis. Lætus eo beneficio, confestim adornavit omnia ad hujusmodi solennitatem necessaria. Ac, priusquam è comitiis Augustanis antè dictum Cæsaris* decretum emanaret; feriâ tertiâ Pentecostes (quæ tunc erat vicesima 2da Maji) in monasterio Dalheimensi Canonicorum Regularium S. Augustini solennissimo ritu se consecrari fecit à Reverendissimo Joanne Episcopo* Thephelicensi, Hermanni decessoris sui suffraganeo, ac duobus Abbatibus Diœcesis nostræ, Arnoldo Abbate in Abdinghoff, & Henrico Abbate in Marienmünster. Aderant huic pompæ ac festivitati, è Capitulo majoris Ecclesiæ Paderbornensis Wilhelmus de Westphalen major Præpositus, Philippus de Twiste Scholasticus, Buddo ab Huge Cantor, Philippus de Westphalen Cathedralis Ecclesiæ Canonicus & Præpositus in Meschede: ex Prælatis Diœcesanis, Martinus Abbas in Hardehausen Ordinis Cistertiensis, Prior & Prælatus in Bôdeken, Prior & Prælatus in Dalheim, uterque Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini: è Consiliariis Episcopi, Conradus Tor-môllen Officialis Paderbornensis, Hermannus Schmedt Decanus Collegiatæ Ecclesiæ Bustorffiensis, Hermannus de Viermond Satrapa Dringenbergensis, Widekindus de Valckenberg, & alii quàm plurimi viri Nobiles ex Ordine equestri ac militari, qui ibidem splendidissimo & principali epulo recreati sunt.

Rembertus Episcopus Paderborn. hoc anno in Dalheimensi monasterio consecratur die 22. Maji.

Henricus Abbas Marienmünst. in diario,

**Bulla Papalis in archiv. Cath. Eccl.*

**publicatũ est die 9. Julii.*

**Henricus Abbas Marienmünst. in diario.*

Post hæc die 16. Octobris, Paderbornæ celebrat synodum diœcesanã.

Menſe dein Octobri idem laudatissimus Præsul congregavit Paderbornæ synodum Diœcesanam, atque in eâ publicavit *formulam reformationis*, in comitiis Augustanis editam & receptam, donec alia rerum Ecclesiasticarum reformatio, vel à synodo Metropolitana, vel à concilio generali fieret. Quî autem & qualiter id ab eo pro sua Episcopali sollicitudine gestum fuerit; lubet audire ex ore & calamo illius, qui huic synodo interfuit Henricus Abbas in Ma-

Henricus Abbas Marienmünst. in diario.

Marienmünster: *In die S. Galli Abbatis*, inquit, *celebrata est synodus Paderbornæ: et Reverendissimus ac gratiosus Dominus Rembertus Episcopus præsidebat, congregatis ibidem Canonicis majoris Ecclesiæ, cum Abbatibus, Prælatis, Pastoribus, ac toto Clero hujus Diœcesis. In primis Missa de Spiritu sancto solenniter decantata; et post eam Concionator fecit devotam et integerrimam exhortationem. Quâ finitâ, lectæ sunt literæ Cæsareæ Majestatis, et Archiepiscopi Moguntinensis, velut Metropolitani: in quorum literis Episcopo nostro facta est commissio de reformatione Clericalis disciplinæ; quæ et ibidem prælecta ac promulgata est in medio majoris Ecclesiæ. Deinde factâ deliberatione lectum est mandatum synodale; et post finem horum omnium solenniter decantatum, Te Deum laudamus. Duravit ista synodus à medio octavæ usque ad medium primæ; et Dominus Episcopus invitavit omnes Prælatos ad mensam suam.* Hucusque prædictus Abbas: qui & rectè ibidem addit, *talem synodum non esse celebratam intrà centum annos.* Nimirum quia tales plerumque tunc erant Episcopi in Germania, quales in eadem *formula reformationis* describit ac deplorat sapientissimus Imperator, de iisdem inquiens: *Est autem præposterum, et eorum vocatione indignum, res temporales spiritualibus præferre, et rebus secularibus sedulò intentos, eos tantùm agere PRINCIPES; curam verò Ecclesiasticam omnem rejicere in Vicarios. Ità eis vita instituenda est, ut appareat, eos Episcopos potiùs, quàm Principes esse: et cælum potiùs, quàm hunc mundum cogitare.*

Curat etiã visitari, & ad *interimisticam* doctrinam adstringi terras, jurisdictioni suæ spirituali subditas: nimirũ comitatum Lippiensẽ, waldecensem, Ravensbergẽsem & Corbejense territorium.

Finitâ synodo adhuc supererat, ut Episcopus Pastoralem sollicitudinem suam converteret etiam in terras illas, quæ ad spiritualem nostræ Diœcesis jurisdictionem pertinebant, maximámque suî partem Lutheranis erroribus jam infectæ erant. Itaque ut & has in viam salutis revocaret, initium fecit à comitatu Lippiensi; cui ante annum præsidere cœperat Bernardus Comes, homo juvenis, & à morte Catholici patris in aula Hassica educatus. Missi in hunc finem* duo Commissarii, qui mandatum Cæsaris exhiberent Comiti, juberéntque, ejusdem subditos vel ad Ecclesiæ Catholicæ instituta regredi; vel saltem ad Religionis formulam, in comitiis receptam, se quantocyus accomodare. Quod cùm & Comes, & consulti ab eo status patriæ, metu Cæsaris non detrectarent, continuò cœperunt iidem Commissarii, unà cum assumpto prædocto monacho, Lippiense territorium obire, pagos & oppida perlustrare, monasteria virorum ac mulierum restituere, Pastores ad examen evocare, de eorum scientia cognitionem accipere, inidoneos ab officio dimovere; idoneos verò ac morigeros, etiam toleratis uxoribus jam antè habitis, ad *interimisticæ* doctrinæ leges adstringere. Simili modo processum est, non solùm in comitatu Waldecensi; verùm etiam in territorio Corbejensi & Ravensbergensi

Piderit. in chron. Lipp. pag. 621. & seq. Hamelm. in hist. Ev. Lemgov. pag. 1075.

genſi. Quanquam in his duobus ultimis Epiſcopus noſter maximâ ſuorum onerum ac ſollicitudinum parte liberatus fuerit à locorum iſtorum Principibus, Caſparo *Corbejenſi & Wilhelmo *Clivenſi, Catholicæ Religionis conſervandæ ac reducendæ cupientiſſimis.

*Hamelm. in hiſt. Ev. Huxar. pag. 1087.

Longè difficilior fuit medicatio in vicina nobis Diœceſi Oſnabrugenſi, ubi non ſolùm oves Chriſtianæ; ſed etiam Paſtor ipſe, nimirum Franciſcus de Waldeck, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis, ac Mindenſis Epiſcopus, Lutheranâ peſte infectus erat. Hic, tametſi anno præterito Romam citatus, atque ad cauſàm inibi dicendam poſtulatus eſſet ſub pœna privationis ſuorum Epiſcopatuum; hucuſque tamen exiguam planè ſpem de ſe fecerat futuræ emendationis & amplectendæ rurſus Fidei Catholicæ. Quare tandem Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis Canonici, qui illius damnationem Romæ ſedulò perurgebant, novi Antiſtitis deligendi facultatem à Paulo III. Pontifice conſecuti ſunt: eâ tamen lege, ut ob Capituli Monaſterienſis interceſſionem priùs omnem adhiberent operam pro tentanda ipſius reductione, quàm ad alterius novi Antiſtitis electionem procederent. His acceptis, unà cum Nobilitate patria tunc adhuc potiſſimam ſuî partem Catholica, repentè citra Principis voluntatem indixerunt comitia Diœceſana; atque ad ea, die viceſimâ octavâ Aprilis, ipſummet Principem evocârunt, ut in perſona propria compareret, audirétque ſententiam Cæſaris & Pontificis. Quod cùm ipſe per octiduum recuſâſſet; eundem contumaciæ contra ſupremos dominos reum eſſe, coram Notario ac teſtibus proteſtati ſunt: minatíque ſimul, ſe ad ejus exauctorationem proceſſuros, niſi poſt alterum octiduum compariturus eſſet in aliis comitiis, ad quartum Idus Maji denuo congregandis. Tum verò tandem Franciſcus Epiſcopus, amittendæ hujus Diœceſis periculum videns, præſtituto die præſentem ſe exhibuit; abjuratâque Lutheri doctrinâ, quam ex quorundam adulatorum inſtinctu ſecutus fuerat, ſe Catholicum eſſe, & in poſterum fore, profeſſus eſt. Mox etiam ſuâ & Collegii Cathedralis auctoritate decretum condidit, quo abolitis novationibus, ab Hermanno Bonno pſeudo-Apoſtolo nuper introductis, veteres Eccleſiæ ritus Diœceſi totâ reſtitui, & Fidem Catholicam â ſubditis reſumi juſſit: additis quoque graviſſimis pœnarum comminationibus, niſi hac in re, & ſibi, & Cæſari, morem gererent. Ità rurſus Oſnabrugi, tam in urbe, quàm extra illam in pagis & oppidis, Catholica Fides refloreſcere cœpit; redditáque ſunt Religioſis monaſteria, Eccleſiaſticis templa, altaribus ſacrificia, choris pſalmodiæ, parochiis ejecti Paſtores, cathedris & ſuggeſtibus ſacris concio-

*Hamelm. in hiſt. Ev. Ravensb. pag. 833.

Franciſcus Epiſcopus Monaſt. Oſnabrug. & Mindenſis, comperto ſuæ exauctorationis decreto, ad Catholicam Fidem revertitur.

Lilius in appendice mſ. ad Ertwini chron. Oſnabrug.

Hamelm. in hiſt. Ev. Oſnabrug. pag. 1142.

Jubet eandem in urbe ac Diœceſi Oſnabrugenſi è Cæſaris decreto recipi: *Auctores iidem.*

cionatores Orthodoxi. Denique & indicta synodus totius Cleri Osnabrugensis: in qua Franciscus Episcopus Pontificali habitu indutus prodiit, omnibúsque Parochis & animarum curatoribus gravissimè demandavit, ut gregem sibi commissum ad Ecclesiæ Romanæ gremium revocarent, vel certè limites in decreto *interimistico* præscriptos non excederent. Synodum Diœcesanã Osnabrugi celebrat. *Auctores iidem.*

Cum fine hujus anni in Diœcesi nostra Paderbornensi finem vivendi fecit Reverendissimus Dominus Henricus Schrôder, Abbas monasterii B. MARIÆ Virginis, vulgò Marien-Münster, è cujus diario manuscripto præcedentium annorum historiam persæpe illustravimus. Fuit hic vir egregiæ pietatis, prudentiæ, constantiæ, fortitudinis; & quod nobis in hoc opere nostro frequenter profuit, memorabilium rerum sui temporis annotator sedulus. Adhæc inter innumera temporum istorum pericula pro tuenda suorum Religiosorum salute & custodia tam sollicitus, ut verè potuerit usurpare illud Christi Servatoris: *Pater! quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam.* Atque idcirco anno 1532, cùm videret, alibi *passim non modò Clericos seculares; sed et monachos, *prostituto honore casti sacerdotii, in execrabilia scorta et pellices, quas ipsi conjuges appellabant, sinè verecundia proruere*; monachos suos omnes è parochiis ruralibus (quarum non paucas in Episcopatu nostro à temporibus antiquis obtinent) severioris custodiæ causâ ad monasterium retraxit. Simul etiam à Reverendissimo *D. Vicario generali facultatem petiit, ut alios interim sacerdotes Ecclesiasticos, pro suo nutu removendos, iisdem surrogare tam diu posset, donec ea mutandæ Religionis tempestas non nihil deferbuerit. Idem hoc anno adhuc interfuit synodo Paderbornensi, die 16 Octobris habitæ; & indè redux, nescio quo morbo subitaneo, vitam pientissimè transactam clausit die 4. Novembris. Successit in ejus locum Gerhardus de Colonia, sic dictus ab urbe patria, postulatus ex Abdinghoffensi monasterio * in festo S. Luciæ Virginis, confirmatus à Remberto Episcopo nostro pridie S. Thomæ Apostoli, & ab eodem benedictione sacrâ impertitus biduo pòst die 22. Decembris, vir integerrimæ vitæ & zeli; sed qui sui decessoris vestigia in annotandis temporum istorum gestis minimè secutus fuit. Moritur Novembri mense Henricus Schrôder, Abbas in Marienmünster, vir egregiæ pietatis, religionis, & sollicitudinis erga suos. **ità habent literæ Marienmünst. de aõ 1532.* **ità habent eædem literæ.* **ità habet manuscriptum ejusdem Abbatis Gerhardi.*

Annus Christi 1549.

PAULI III. Pontificis ultimus.
CAROLI V. Imperatoris. 30. & 31.
REMBERTI Episcopi Pad. 3.

FInitis comitiis Augustanis, compositóque Germaniæ statu, Carolus Imperator Septembri mense præcedentis anni in Belgium Imperator in Belgium reversus,

Conradum Comitem de Tecklenburg privat Lingensi Dynastiâ; alios verò mulctat propter communionem fœderis Schmalkaldici.

proficiscitur, secum ducens captivos Principes, Joannem Fridericum Saxonem, & Philippum Landgravium Hassiæ: quorum prior ferè semper mansit in comitatu Cæsaris; posterior verò primùm *Aldenardæ, dein Mechliniæ, ab Hispanis militibus in custodia detentus est. Illuc etiam, ùt in veteri manuscripto legitur, mulctationis causâ vocati sunt non pauci Nobiles Westphaliæ, qui superiore bello contra Cæsarem Saxoni & Landgravio à stipendiis vel auxiliis fuerant; præcipuè verò duo Comites, Volradus Waldecensis, & Conradus Tecklenburgensis. Primus horum grandi mulctâ pecuniariâ *temeritatem suam expiare debuit: secundus autem, arce ac Dynastiâ Lingensi, quam Nicolaus ejusdem patruus anno 1526 *Duci Geldriæ in feudum dederat, ob infidelitatem & ingratitudinem suam erga Cæsarem, tunc Geldriæ *totius Dominum, exutus fuit; atque ità hæc Dynastia à Comitibus Tecklenburgicis in aliorum potestatem transiit. Cetera per hunc annum Carolo Imperatori pacatissima fuêre: videbatúrque Religio Catholica intrà paucos annos ad florem pristinum reditura, nisi spes ista haud multò pòst iterum eversa esset è vicina Gallia, dissensionum Germanicarum fautrice.

*vulgò audenarde vel oudenarde.

*Hamelm. in hist. Ev. Waldec.

*vide dicta ad an. 1518. et Chytræũ ad eundem annum.

Interim præsenti bono pacis ad reformandas Ecclesias feliciter usi sunt Westphalicorum Episcopatuum Metropolitani, Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus, & Adolphus Archiepiscopus Colonienses; quorum uterque hoc anno provincialem synodum è comitiorum Augustensium decreto habuit. Colonienses eam celebravit in quadragesima à die undecima Martii usque ad sextam Aprilis. Quo tempore, posteaquam omnes Episcopi comprovinciales exhibuissent acta Diœcesanæ synodi ante annum à se habitæ; ante alias constitutiones quaslibet saluberrimè præscripta sunt sex media, quibus Clerus populúsque sensim ad pleniorem perfectionémque reformationem perduci possit ac debeat. Nimirum *Primò*, ut juventus Catholica per magistros probatos & selectos rectè instituatur, non solùm doctrinis humanioribus & profanis; sed etiam sacris ac Theologicis. *2dò*, ut hi, qui sacris ordinibus initiandi, vel ad animarum regimen assumendi sunt, antea per viros doctos probatósque diligenter examinentur, tam de vita ac moribus, quàm de scientia ad eum ordinem aut animarum curam necessaria. *3tiò*, ut hi, qui curam animarum tenent, summa cum diligentia suo munere perfungantur; nec Archidiaconi suas vices committant hominibus levibus vitiosísque, sed viris gravibus & probatæ existimationis. *4tò*, ut Archidiaconi suas Ecclesias diligenter visitent, oculúmque pervigilem habeant in detegendis corrigendísque Parochorum aut Parochianorum vitiis. *5tò*, ut frequen-

Adolphus Archiep. Colon. celebrat synodum Provincialẽ in qua etiã præscribit sex media, ad reformationem Cleri ac populi necessaria.

Vide acta synodi illi⁹ to. 14. concil. general. apud Labbæum

quenter ab Episcopis celebrentur synodi, sinè quibus Ordo ecclesiasticus facillimè diffluit, utì corpus sinè nervis. *Ótò*, ut jurisdictio ecclesiastica, per abusum depravata, reformetur juxta modum ac normam, aliàs in synodis anterioribus laudatissimè præscriptam.

Similiter etiam Sebastianus Archiep. Moguntinus congregavit synodũ provincialem; cui Rembertus Ep. noster, tunc impeditus, per Legatos interfuit. *Acta hujus synodi extant eodem to. 14. concil. gener.*

Post hæc etiam die sextâ Maji celebrari cœpit synodus provincialis Moguntina, in qua non minùs, quàm Coloniæ, pro exstirpandis novorum hæreticorum doctrinis instantissimè laboratum est. Sanciti in ea sunt articuli centum & quatuor: atque inter eos quadraginta septem, qui ad Fidem aut res credendas; alii verò quinquaginta septem, qui ad mores ecclesiasticos & eorum reformationem pertinent, omnes utilissimi, atque ad scopum à pientissimo Cæsare intentum quàm maximè salutares. Episcopus noster Rembertus Kerssenbrochius, qui Archiepiscopo Moguntino subest, huic synodo non interfuit per se ipsum; sed per idoneos Legatos, *pietate, doctrinâ, et consilii* magnitudine præstantes.* Erat enim gravissimè impeditus, partim visitatione suæ Diœcesis & correctione defectuum in ea repertorum, partim aliis negotiis, à Cæsarea Majestate sibi demandatis; utì constat ex ejusdem Remberti literis, ad Moguntinum Archiepiscopum exaratis, quas ad egregium ejus fervorem declarandum hîc adjicio.

*ex præfatione conc. Mogunt.

Literæ Remberti Episcopi Paderborn. ad Archiep. Moguntinum. *ex antiquo libro ms.*

SAlutem et officiosam suî commendationem Reverendissime in Christo Pater, amplissime Princeps ac Domine, multis nominibus nobis observande. Quàm flagranti affectu atque studio Dominicæ illius Domûs, Ecclesiæ inquam, nunc heu! nimiùm devastatæ et multifariam conspurcatæ, nativum et genuinum decorem sedulò quidem aliàs; sed præcipuè ab illo die, quo Deus optimus maximus gravissimam ac viribus nostris planè imparem hujus gregis sui pascendi sarcinam imposuit, ambiêrimus: id solus ille cordium scrutator Deus, tanquam omni exceptione major testis, exactiùs pernovit. In quo, licèt hactenus nihil licuerit; tamen sedatâ et silescente jam utcunque (ope divini Numinis, sedulâque invictissimi illius Caroli Imperatoris operâ) sævissimâ hac, quâ ad desperationem usque jactati sumus, tempestate, lætiora nobis pollicentes, collapsam illam Domum non solùm instaurari, verùm etiam ad pristinum statum reduci posse confidimus: ad quam rem et qualiscunque nostra sedulitas haud gravatè accedet. Quoniam verò Deo gratissimus ille conatus noster nulla in re, aut meliùs, aut efficaciùs, quàm tum particularibus ac provincialibus, tum etiam œcumenicis synodis, suo effectui mancipari poterit: quapropter, posteaquam Cæsareæ Majestatis mandatum in hoc accepimus; Episcopalem nostram synodum hîc, quantâ potuimus diligentiâ, celebravimus. Eámq; necessaria nobis ac decens nobis subjectorum visitatio subsecuta est: in qua etiam, manifestiores errores, defectus, et vitia resecando, adhuc desu-

damus. De gravioribus verò ad vestræ Reverendissimæ Paternitatis provincialem synodum, ad quam et nos quoque per Reverendissimam vestram Paternitatem inter alios vocati sumus (cui etiam, si per omnipotentis Dei favorem, et per varia, quibus domi forisque distinemur, per Cæsaream Majestatem nobis demandata negotia, licuerit, constituto loco et tempore interesse studebimus) vel ipsémet, vel saltem per nostros, cum sufficienti instructione et mandato, Legatos referre, ac Reverendissimæ Paternitatis vestræ aliorúmque comprovincialium consilium et diffinitionem præstolari decrevimus. Interim, ut Reverendissima Paternitas vestra, Christo JESU Servatori nostro commendata, diu felicitérque vivat, precamur. Datum in arce nostra Novæ domûs, die primâ mensis Martii, Anno ab orbe redempto supra sesqui millesimum quadragesimo nono. Rembertus, Dei gratiâ Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus.*

*vulgò Neuhauß vel Neuhusium.

Non minori studio in repurgandis ditionibus suis desudabant Ericus junior & Henricus junior, Duces Brunsvicenses; quorum ille Principatum Calenbergensem, hic verò Wolffenbutanum cum provinciis annexis tenuit. In Erici terras doctrinam Lutheranam Elisabetha mater invexerat anno 1540, quando ipse* post mortem patris adhuc impubes, & ad regendum inhabilis erat. At ubi is postmodum, adultiori jam ætate, ex aula Cæsaris & comitiis Augustanis rediit: non modò Præcones Lutheranos expulit; sed etiam Antonium Corvinum *superintendentem*, qui *interimistico* Cæsaris decreto se opposuerat, sequenti anno* comprehendi, ac triennio in vinculis eum in modum attineri jussit, ut, etiamsi demum anno 1553 ab iisdem exsolutus fuerit, intra sex menses infelicem animam ejectaverit. Henrici terris Lutheranum virus infuderat Philippus Hassiæ Landgravius, qui eundem ante aliquot annos primùm è Ducatu suo excluserat, ac deinde etiam cum filio suo in acerbam captivitatem abduci fecerat. Sed & ipse pariter, ut primùm alternante Landgravii fortunâ libertati pristinæ se restitutum sensit; Catholicam Religionem postliminio reduxit per duos egregios doctissimósque viros, Bernardinum* Lasthausen, & Henricum Helmes, quorum posterior erat ex Ordine S. Francisci strictioris observantiæ. Hi duo in omnes ipsius urbes pagósque missi, cum ingenti zelo parochias visitârunt; ejectísque recentis Evangelii buccinatoribus, qui per ostium verum non intraverant, eorundem loco introduxerunt Sacerdotes probè Catholicos, Ecclesiæ veteris & Sanctorum Patrum doctrinis adhærentes. Hamelmannus præco Lutheranus, vetulæque ejulanti magìs, quàm viro cordato similis, visitatores istos pro sua maledicentia vocat homines impios & *scortatores. At ab homine malo vituperari, laus est potiùs, quàm vituperium: præsertim cùm ille passim eandem appella-

Ericus junior & Henricus junior Duces Brunsvicenses, egregiè desudant in reducenda in suas terras Fide Catholica.

*vide dicta ad ann. 1540.

*anno 1550, uti refert Hamelm. in hist. Ev. Brunsvic. pag. 924.

*Hamelm. in hist. Ev. Brunsvic. pag. 895.

*Hamelm. ibid p. 895 & seq.

pellationem tribuat omnibus presbyteris nostris ; putétque hos eodem spiritu agitari cum prædicantibus Lutheranis, qui sibi à scortationibus temperare vix possunt, nisi ad matrimonium convolent. Sed hæc per parenthesin.

Jubilæum sequentis anni quinquagesimi propemodum aperturus erat Paulus III, Romanus Pontifex; cùm eundem inopinus animi dolor die decimâ Novembris è numero vivorum abstulit. Erat is exquisitæ sapientiæ senex, & in quo nihil non altum & sublime visum est, nisi quòd hominem simul se prodiderit immoderato* amore erga suam stirpem & sanguinem. Id quod etiam in extremis doluisse dicitur, ac deplorâsse his verbis Davidicis: *si mei non fuissent *dominati, tunc immaculatus essem, et emundarer à delicto maximo.* Neque hic immodicus in suos amor sinè pharetra ac telo fuit. Cùm enim Octavius Farnesius nepos ejus paucis ante mortem diebus eidem per literas indicaret, vel sibi dominium Parmense ab eo tradi oportere; vel se cogendum esse, ut illud à Carolo Cæsare in feudum peteret; improvisis hujusmodi minis conturbatus, repentè velut ex infixo telo* in animi deliquium incidit, ac biduo triduóve pòst extinctus est.

Paulus III. Pontifex die 10. Novembris moritur.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 11. c. 6. n. 4.

*Spond. ad hunc ann. n. 12.

*Pallav. loc. cit. n. 3.

Annus Christi 1550.

JULII III. Pontificis 1.
CAROLI V. Imperatoris 31. & 32.
REMBERTI Episcopi Pad. 4.

PAulo III. Pontifici, post trium ferè mensium interregnum, in Papali cathedra successit Julius III, electus *die septimâ Februarii, & antea dictus Joannes Maria Vincentius de Monte, Cardinalis & Episcopus Prænestinus. Inter primas officii sui curas nihil impensiùs habuit, quàm concilii Tridentini resumptionem urgere; & Societatem JESU, à decessore suo ante decennium approbatam, Papali auctoritate suâ denuo stabilire. Postremum ex his duobus præstitit per amplissimum diploma, *duodecimo Kalendas Augusti* hoc anno datum, utì prolixiùs videri potest apud *Ribadeneiram. Alterum verò, quod ob Regem Galliæ in plures difficultates impingebat, post longas totius anni consultationes tandem effectui datum est *decimo octavo*Kalendas Decembris*: quo die Julius Pontifex resumendi concilii Tridentini decretum edidit; simúlque statuit, illud anno sequente in ipsis Kalendis Maji pro Germaniæ laborantis bono resumendum ac prosequendum esse.

Julius III. Pontifex eligitur hoc anno die 7. Februarii.

*Pallav. loc. cit.

Confirmat Societatem JESU, & mandat resumi concilium Tridentinum.

*ex vita S. Ignatii, to. 7. Ss. Julii c. 19.

*Vide ipsius Bullam in 10. concil. general.

De-

Ordines Imperii in comitiis Augustanis denuo pollicentur, se staturos determinatione concilii Tridentini: *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 11. Contradicente quidē Electore Saxone; *Pallav. ib. c 11. n. 3. Surius in comment. ad hunc annum. Spond. hic n. 5.

Desideratissimum hoc decretum accepit Imperator in comitiis Augustanis, quæ per æstatem hujus anni cœpta, & usque in mensem Februarium sequentis anni protracta sunt. In his potissimùm urgebat Cæsar, ut omnes Imperii Ordines iteratam sibi fidem darent, concilii Tridentini leges in modernis Religionum discordiis à se receptum & observatum iri. Id enim jam antè promiserant in comitiis, biennio abhinc Augustæ habitis: inquiebat Pontifex, non fore *opus concilio; sed armis, ad infringendam eorum contumaciam, qui Ecclesiam audire nollent. Re deliberatâ, ferè omnes consenserunt æquissimæ huic postulationi Cæsaris. Unus hac in re aliquantùm reclamabat, qui à Cæsare Carolo maximis beneficiis in sublime evectus erat, Mauritius Elector Saxoniæ, Joanni Friderico Saxoni ante biennium surrogatus. Is enim, cùm abesset à comitiis, per suos Oratores *protestatus est, concilium Tridentinum à se non aliter probatum iri; quàm si Augustanæ Confessionis Theologi parem cum aliis decidendi potestatem obtinerent, neque Romanus Pontifex eidem concilio præesset. At, cùm ea protestatio superiorum comitiorum decreto contrairet; neque unquam in comitiis œcumenicis auditum fuerit, ut ipsimet rei, de novis doctrinis accusati, in causa propria sententiam ferant: ideo contradictione hac rejectâ, ab aliis tam Protestantibus quàm Catholicis* denuo constitutum est, concilii generalis determinatione, tanquam ordinariâ & unicâ ad abolendas Religionum dissensiones viâ, in posterum stari & acquiesci oportere. Id quod etiam postea à Mauritii septemviri Legatis videtur acceptatum: cùm & ipsi non minùs ac alii Principes & eorum Oratores Recessum hunc Augustanum suorum nominum subscriptione comprobârint; etiamsi tantùm simulatè ac fictè, uti è sequentium annorum serie lucidiùs apparebit.

*Auctores iidem. Recess. August. de aō 1551. Sēd tamen postea consentiente saltem simulatè.

In iisdem comitiis agitur de doctrina *interimistica*, à statibus Lutheranis uniformiter admittenda *Helvicus in theatro hist. univ. & alii.

Major difficultas erat in promovenda Religionis formula, in prioribus comitiis evulgata sub famoso nomine *doctrinæ interimisticæ*. Hæc enim, tametsi in plerisque provinciis aliqua ex parte recepta esset; non tamen in omnibus uniformiter ac plenariè. Apud Saxones major Theologorum pars, quos idcirco *molliores* Lutheranos appellârunt, in rebus plurimis accomodaverant se, præeunte Philippo Melanchthone: alii tamen *rigidiores*, quos inter Nicolaus Ambsdorffius & Illyricus Flaccus, vehementer illis obstrepuêre, ideóque etiam è Saxoniæ terris excedere jussi sunt. In aliis quoque Protestantium ditionibus, pro diverso Lutheranorum præconum sensu & ingenio, alibi plùs * & alibi minùs è doctrinis *interimisticis* admissum & acceptatum est. Qua de re cùm in his comitiis inquisitio fieret, variíque varias difficultates & impedimenta prætexuissent,

*Recessus August. de aō 1551.

sent, propter quæ hactenus nova illa Religionis formula ad plenio-
rem effectum perduci nondum potuerit; Cæsar istorum impedi-
mentorum cognitionem * in se recepit, promisítque, se de iis in-
dagaturum, neque aliquid studii aut laboris omissurum esse, quo
minùs ea sapienti consilio tandem è medio tolleret.

*idem Recess. Augusti.

Postremò etiam consultatum est de infringenda senatûs popu-
líque Magdeburgensis rebellione & pervicacia. Mirum! quàm
obstinatè civitas illa se opposuerit voluntati Cæsaris, etiam devi-
cto Saxone, finitóque bello Protestantico! societatem Schmalkal-
dici fœderis à victore Cæsare deprecata non fuerat (uti aliæ jam ur-
bes fecerant) doctrinam *interimisticam* * suscipere detrectabat,
Ambsdorffium & Illyricum, seditiosa duo capita, in gremio suo
confovebat, pacem Imperii publicam* violaverat, Cathedralis
Ecclesiæ Canonicos*expulerat, iisdem vivis ac mortuis insolenter
insultaverat, eorum bona reditúsque omnes ad se attraxerat, vi-
cinos Capituli pagos & urbes armatâ manu occupaverat: ac ta-
metsi nonnulli Principes atque aliorum Ordinum Legati, permissu
Cæsaris, urbem hanc amicabili transactione ad obsequium redu-
cere conniſi fuerint, non solùm conatus eorundem omnes fefelle-
rat; sed etiam, post imperatam proscriptionis Imperatoriæ sen-
tentiam, in sua contumacia & iniquis ausibus obstinatissimè per-
sistebat. Quare tandem communibus Imperii sumptibus decre-
ta est ejusdem urbis obsidio; atque, ut ea constantiùs urgeretur,
durante bello in singulos menses assignata sunt* sexaginta aureo-
rum millia, quibus & stipendia solvi, & reliqua ad bellum geren-
dum necessaria conquiri possent. Initium huic obsidioni datum
die quartâ Octobris, & (quod omnium maximè Imperatori no-
cuit) suprema rerum agendarum cura demandata est* Mauritio
Saxoni. Qui, uti Cæsari ob accepta beneficia fidissimus fore cre-
debatur; ita etiam turpissimè eum decepit, & omnem restituen-
dæ Religionis pacísque spem nefariis consiliis intervertit, quem-
admodum ex eventu istius obsidionis manifestum fiet.

In iisdem quoque decernitur obsidio urbis Magdeburgensis, Imperatori hacten⁹ refractariæ:
*Helvic. in theatr. hist. univers.
*Recessus Augusti. de anno 1551:
*Chytræus ad annum 1547.
Cujus perurgendæ cura à Cæsare perperam committitur Mauritio Saxoni.
Chytræus l. 17. Saxon.
*Chytræus ibid.
Surius ad hunc ann.
*Chytræus, Spangenb. & alii.

Interea Rembertus Episcopus noster, postquam hactenus in
Diœcesi nostra composuisset ea, quæ ad Religionem & mores Ec-
clesiasticorum pertinent; etiam hoc anno, singulari cum industria,
manum admovit ad complanandas monasteriorum aliquorum con-
troversias. Harum una, quæ inter Abbatem monasterii B. MA-
RIÆ Virginis (vulgò Marien-Münster) & inter Perillustris Domi-
ni Arnoldi ab Oynhausen in Grevenborg relictam viduam, diu agi-
tata fuerat propter bona in Münsterbroick & piscinam appellatam
Greuendieck; per ejusdem Episcopi & Bernardi Comitis Lippien-
sis commissarios, Hermannum de Viermund satrapam Dringen-

Rembertus Ep. Paderborn. componit litem diu agitatâ inter Marienmünsterense cœnobium, & viduam perillustris Domini Arnoldi ab Oynhausen in Grevenburg.

ber-

bergenſem, & Hermannum de Mengerſen ſatrapam Lippienſem in Swalenberg, amicabili modo coæquata eſt ſub initium Junii, utì conſtat è prædicti cœnobii tabulis, datis & conſignatis *in Marienmünſter*, *Anno poſt Nativitatem Domini noſtri milleſimo quingenteſimo quinquageſimo, die Mercurii* poſt Dominicam Trinitatis.* Altera lis erat monaſterii Virginum Benedictinarum Paderbornæ ad S. Udalricum (vulgò Gaukirchen) repetentis antiqua bona ſua in Tydtboldinckhuſen & Veſperthe, duobus pagis tunc deſertis & olim in Suſatenſi bello devaſtatis; quorum agri & prædia, jam ultra humanæ memoriæ tempora, partim ad Cameram Epiſcopalem tracta, partim in poſſeſſionem Nobilium Dominorum de Weſtphalen in Fürſtenberg dilapſa erant. Conſtabat hîc ab una parte, bona illa ante iſtorum pagorum evaſtationem indubitabili jure ad ſanctimoniales Udalricianas pertinuiſſe: ex altera verò parte non minùs apertum ac manifeſtum erat, contra antiquum illud jus, vel ipſarum ſanctimonialium culpâ, vel certè ex earundem Præpoſiti negligentia ac torpore, jam decurriſſe præſcriptionem *longiſſimi temporis; adeóque, ſaltem in foro externo, contra modernos poſſeſſores nihil evictum iri. Ut ergo pientiſſimus Præſul huic paueri monaſterio aliquam de amiſſis bonis conſolationem redderet; pro majori conſcientiarum ſecuritate ſtatuit, ſingulis annis Udalriciano monaſterio dari decem maldera frumentorum ſiliginis & avenæ, nimirum quinque ex Epiſcopali granario ſatrapiæ Wünnenbergenſis, & alia quinque à Nobilibus Dominis de Weſtphalen: eâ tamen lege, ut monaſterium veteri jure ſuo penitùs decederet; omnésque literas antiquas, de bonis ante dictis habitas, modernis poſſeſſoribus traderet. Juvat hîc apponere partem illius contractûs, quem ex lingua vernacula in latinam tranſtuli:

**erat quartâ Junii, ſub litera Dominicali e.*

Item adhuc aliam litem inter cœnobium Gaukirchenſe Virginum ex una parte; & inter ipſum Epiſcopum & Nobiles de Weſtphalē in Fürſtenberg ex alia parte.

Literæ monaſterii ad S. Udalricum, vulgò Gaukirchen **ab anno circiter 1445. vel paulò pòſt.*

Remberti Epiſcopi literæ de hac re.

ex archiv. monaſt. Gaukirch. ad S. Udalricum Paderbornæ.

*verrückter Zeit.

NOs *Rembertus, Dei gratiâ Epiſcopus Paderbornenſis etc. Notum facimus et profitemur publicè per has literas, quòd Reverendæ, nobis dilectæ ac devotæ, Abbatiſſa, Prioriſſa, et Conventus ad S. Udalricum in urbe noſtra Paderborna, prægreſſo tempore* demiſsè nobis exponi fecerint, ſe, tametſi vigore illarum adhuc literarum ac ſigillorum jus antiquum habeant in pagis deſolatis, Tydtboldinckhuſen ad campum Mathfelde, et Veſperthe ad campum Sintfeldicum ſitis; è poſſeſſione tamen hujuſmodi bonorum dejectas eſſe: eáque nunc, nempe Tydtboldinckhuſen à noſtris Officialibus in Wünnenberg; Veſperthe autem à cognatis et fratribus Weſtphaliis in Fürſtenberg uſurpari, nullâ viciſſim conſolatione redditâ, non ſinè inſuperabili ſuo et memorati monaſterii detrimento: proinde etiam humillimè ſupplicârint, ut nos, veluti Princeps territorialis, earum gravamina ponderare, ſimúlque proſpicere dignaremur, quo ipſæ rurſus ad prædicta*

**deſo-*

desolata loca et bona recipiantur. Cùm igitur ex officii nostri debito agnoscamus nos obligatos esse, ut cuilibet adjumento simus ad accipiendum id, quod suum est; non intermisimus, de rei hujus veritate et habitudine sedulò percontari. Licèt autem in hac investigatione verissimè comperissemus, quòd Officiales nostri Wünnenbergenses locum desolatum Tydtboldinckhusen in commodum istius nostræ satrapiæ, et similiter etiam prædicti Nobiles Westphalii in Fürstenberg, locum desolatum Vesperthe, ultra hominum memoriam, supráque tempus à jure præscriptum, in quieta et nunquam impedita possessione tenuerint, ac pro suo libitu usurpârint; adeóque prædictæ Abbatissæ, Priorissæ, et Conventui difficillimum futurum sit, viâ juris aliquid per suarum veterum literarum exhibitionem adipisci: Subinde tamen cum eadem Abbatissa, Priorissa, et Conventu, per intimos Consiliarios nostros agi, eásque demum permoveri curavimus, ut prædictas ejusmodi sigillatas literas de utroque isto desolato loco, ad majorem sui monasterii utilitatem deliberatè ac libere in nostras ac prædictorum Westphaliorum manus tradiderint etc. - - - - - Omnia et singula puncta vel articulos, in his literis contentos, promittimus ac profitemur nos Rembertus Episcopus pro nobis et successoribus nostris: et nos Mauritus, Rabanus, Lubertus, Fridericus, Casparus et Rabanus, consanguinei et fratres Westphalii in Fürstenberg, pro nobis, et hæredibus cohæredibúsque nostris, constanter, firmiter, et inviolatè observatum iri. In cujus rei ac veritatis testimonium Nos Rembertus Episcopus prædictus pro nobis et successoribus nostris: similiter et Nos Præpositus, Decanus, et Capitulum Ecclesiæ Cathedralis in signum consensûs nostri: et Nos Mauritius, Rabanus, Lubertus, Fridericus, Casparus, et Rabanus, pro nobis et hæredibus nostris, sigilla nostra successivè et seorsim hisce literis appendimus. Datum Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo, die S. Jacobi Apostoli.

Annus Christi 1551.

JULII III. Pontificis 2.
CAROLI V. Imperatoris 32. & 33.
REMBERTI Episcopi Pad. 5.

SOlutis comitiis Augustanis, quæ ab æstate præterita usque in hujus anni Februarium extracta sunt, Carolus Imperator adhuc multis mensibus Augustæ mansit, ut Imperii Principes auctoritate suâ ad adeundum concilium Tridentinum impelleret: ac deinde cum Ferdinando Rege fratréque suo Oenipontum abiit, ut eidem concilio vicinior esset. Resumptum est illud ineunte Majo; ac die undecimâ Octobris nova sessio, in qua materiæ controversæ de Sanctissimo

Post comitia Augustana Cæsar diu mansit Augustæ, ac demum abiit Oenipontum. Concilium Tridentinũ resumitur, eíque inter-

sunt tres Archiepiscopi Electores.

Eucharistiæ Sacramento deciderentur, à congregatis Patribus haberi cœpit. Huic sessioni interfuerunt è Principibus Ecclesiastici Germaniæ, Sebastianus ab Heusenstamm Archiepiscopus & Elector Moguntinus, Joannes Comes de Isenburg Archiepiscopus & Elector Trevirensis, Adolphus Comes de Schawenburg Archiepiscopus & Elector Colonienſis: è secularium verò Principum ac septemvirorum cœtu duo Oratores Joachimi Electoris Brandeburgici, Christophorus von der Straesen, & Joannes Hofmannus. Primus horum Christophorus Straëssius in eo consessu latinum sermonem ad Patres congregatos habuit, in quo ipsis nomine sui Principis obedientiam synceram obtulit; ac tandem orationem suam*ità concluſit: *Neque verò dubitare debet sancta synodus, Principem Electorem Illustrissimum omnia, quæ sanctæ synodo placitura sunt, sanctè, syncerè, ùt Principem Christianum et obedientem filium Ecclesiæ Catholicæ decet, observaturum ac defensurum esse, utì ex authentico ejus mandato sancta synodus percipere potest.* Et certè nemo Principum Lutheranorum ardentioribus votis ad pacem & concordiam religionis anhelabat, quàm prædictus Elector Brandeburgicus. Evidentissima hujus rei argumenta sunt, quòd Julium Papam in hac synodo appellârit* *sanctissimum in Christo Patrem, sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ summum Pontificem*: quòd Carolo Imperatori in consiliis, pro reducenda Religionis concordia susceptis, nunquam obstrepuerit: quòd Fridericum filium secundò genitum in aula pientissimi patrui sui, Alberti quondam Cardinalis & Archiepiscopi Moguntini, Catholicè*educari & institui siverit: quòd ejusdem filii postulationem, quâ ad Magdeburgensem & Halberstadiensem insulam anno 1549 canonicè expetitus fuerat, primùm à Paulo III, tunc brevi mortuo; ac deinde*à successore ejus Julio III. submisse depoposcerit, simul juratò pollicens, Fidem Catholicam ab eo retinendam, & in utroque Episcopatu contra finitimorum Protestantium vires tuendam ac sustentandam esse. Id quod etiam Fridericus *reverà præstitit; & adhuc multò cumulatiùs fuisset præstiturus, nisì præmatura mors Catholici regiminis initia non sinè maximis plurimorum lachrymis abrupisset anno 1553, die (ùt Reusnerus asserit) undecimâ Octobris,

Urgebat Cæsar, & sperabat fore, ut & reliqui Principes acatholici pari modo subjectionem suam Tridentino concilio exhiberent. Sed eam spem, licèt oppidò propinquam, repentè rursus intervertit Gallia, fortunatis Germaniæ rebus ferè semper inimica. Vetuerat Henricus Rex, ne quis Episcoporum Galliæ ad concilium Tridentinum se conferret: imò & eos, qui jam Romæ & in aliis Italiæ locis erant, in suas Diœceses quantocyus redire jusserat, variis qui-

*Labbe. to. 14. concil. pag. 814.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 12.

Elector Brandeburgicus per suos Oratores offert concilio suam obedientiam:

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 12. c. 9. n. 2.

Et erat cupientissim⁹ restituendæ concordiæ Religionis.

*Pallav. ibid. n. 3.

*Chron. Halberstad. mss.

*Pallav. in hist. concil. Trid. l. 12. c. 15. n. 4.

*Chron. Halberst. mss.

Henric⁹ II. Galliæ Rex à concilio Tridentino prohibet omnes Episcopos Galliæ.

*Pallav. in hist. cit.

*Spond. hic n. 13.

quidem de causis in speciem prætextis; re verâ tamen, quia Cæsaris fortunam & Germanicæ Religionis concordiam oderat, uti è rerum sequentium eventu patuit. Deinde Rhætos & Helvetos, tam Catholicos quàm Zwinglianos, contra summi Pontificis invitationem dehortatus est, ne suos ad concilium Tridentinum Legatos mitterent; aut, si quos ibidem miserint, illuc remanere non sinerent: imò, quod longè turpius, ea in re suadenda usus est auxilio & operâ Petri Pauli Vergerii, quondam Episcopi Justinopolitani ac Legati Pontificii; tunc autem fœdissimi apostatæ apud Rhætos commorantis. Denique etiam cum nonnullis Principibus Lutheranis, maximéque Mauritio Saxone, Imperialium copiarum supremo Præside, nocentissimum fœdus iniit, quo non solùm Cæsar ipse propemodum oppressus, verùm etiam Tridentinæ synodi continuatio penitùs disjecta, &, quod ab iisdem Principibus ardentissimè desiderabatur, Lutherana Religio in terris Germaniæ rursus erecta ac stabilita est. Id autem hoc modo contigit.

Rhætos & Helvetos ab accessu concilii dehortatur per apostatam Vergerium: *Spond. ad hunc ann. n. 18.*

Cum Saxone & quibusdam aliis Protestantibus fœdus init pro defendenda contra Cæsarē libertate germanica, seu potiùs Germanicæ Religionis.

Ab Octobre superioris anni usque in hanc æstatem hærebat Saxo in obsidione Magdeburgi; eámque non paucis mensibus urgebat adeò tardè ac languidè, ut ea videretur simulatè magis, quàm animo syncero geri. Timebat enim, ne superatis Magdeburgensibus, etiam alii Protestantes ad *interimistica* doctrinæ legem severiùs adstringerentur: atque ideò malignis oculis circumspiciebat, quâ ratione ex eo laqueo se extricare, & concilii Tridentini observantiam evitare posset. Id cùm adverteret Henricus II. Galliæ Rex (qui eodem tempore propter urbem Parmam, recenter à se occupatam cum Cæsare dissidebat) pro conservanda Germaniæ libertate Mauritio Saxoni & aliis Protestantibus armorum societatem cum ingentibus pecuniis obtulit. Placuit consilium tam optatum Saxoni, communicatur cum Wilhelmo Hassiæ Landgravio (cujus pater adhuc detinebatur in custodia Cæsaris) indicitur secreta conventio Friedewaldiæ in Hassia inferiore, mittitur illuc ab Henrico Rege Joannes Fraxineus Episcopus Bajonensis in Gallia, accedit etiam ex aliis Germaniæ Principibus Albertus Marchio Brandeburgicus, Joachimi septemviri agnatus; ac demum die nonâ Octobris, inter eos quatuor, hoc fœdus icitur: *Henricus Rex *Mauritio, et sociis ejus, in singulos menses quadraginta liliorum aureorum millia pro exercitu alendo numeret: militem proprium, Cæsareæ potestatis distrahendæ causâ, in Imperii fines, maximéque in Lotharingiam infundat: Metas, Tullum, ac Virodunum, urbes Imperiales, armis admotis occupet; simúlque vicino Belgio, ne id Cæsari in auxilium veniat, cum aliis armatorum suorum copiis bellum inferat. Vicissim*

fœdus illud die nonâ Octobris percutitur Friedewaldiæ in Hassia, cum Saxone, Hassio & Alberto Marchione Brandeburgico. *Dilich. in chron. Hassiæ. Hartm. in hist. Hass. *Haræus in ann. brab.*

quoque Mauritius Elector, Wilhelmus Landgravius, et Albertus Marchio, suas vires consocient, adversùs Cæsarem in bellum coëant, reliquos Protestantium Ordines in suam factionem sollicitent; minentúrque eos à se habendos esse ùt perduelles et proditores patriæ, si ipsorum conatus impedire, aut aliquo modo Cæsarem, Germanicæ libertatis hostem, adjuvare conniſi fuerint.*

*Spond. ad hunc annũ n. 5.

Magdeburgum post obsidionẽ annalem Cæsari deditur agente Saxone: sed conditionibus tantùm simulatis, & nunquam observandis.

His peractis, Mauritius ad Magdeburgensem obsidionem rediit. Et quia per Heideckium internuntium obsessis indicabat, deditionem urbis jam securissimè & sinè omni Religionis mutandæ periculo fieri posse; facilè persuasit illis, ut ipsius arbitrio se suásque fortunas post obsidionem plùs quàm annalem dederent. Id quod etiam die septimâ octavâ, & nonâ mensis Novembris, tandem effectum est. Ne verò Cæsari suboleret, fraudem aliquam hîc delitescere; Magdeburgenses fucatè & in speciem jussi sunt in hos pacis articulos (non nisi ad Kalendas Græcas observandos) consentire: nimirum, *ut ante Cæsarem in genua procumbentes, rebellionis præteritæ* veniam exorent: contra Austriacam Burgundicámque Domum nunquam aliquid hostile agant: interimisticæ doctrinæ formulam cum Tridentini concilii legibus acceptent:* Cameræ Imperialis *judicio se submittant,* Cathedralis Ecclesiæ Canonicos *in integrum restituant,* Cæsareum *præsidium recipiant,* Cæsari et Romanorum Regi *quovis tempore urbem aperiant, quinquaginta Rhenensium aureorum millia in pœnam solvant, ac duodecim tormenta belli maxima* Cæsareæ Majestati *tradant.* Miri-

Spangenb. in chron. Mansf. Helvicus in theatro hist. univ. Chytræus l. 17. Saxon.

*Hæreus in ann. brab.

Mauritius Saxo Imperatorem decipit.

ficè lætatus est Imperator, cùm istos Magdeburgicæ deditionis articulos legeret: atque ideo credebat penitùs, neminem è Principibus acatholicis sibi æquè aut magis fidum esse; ac Mauritium, tam obstinatæ urbis domitorem. Sed hic jam aliter affectus, vulpem servabat in pectore; neque arcum suæ mentis dirigebat aliò, quàm ut Cæsari, falsitatum suarum inscio, repentinis insultibus ferale telum infigeret. Id autem ut occultiùs efficeret ex pacto cum Gallis inito; primùm eas legiones, quæ Magdeburgensibus inserviêrant, à Georgio *Mecklenburgico rursus admitti, suísque stipendiis (dissimulato tamen suo nomine) adscribi jussit. Deinde & illum exercitum, qui Cæsareo nomine militaverat ante Magdeburgum, totâ hieme in armis retinuit; nec à se dimisit, etiamsi id Cæsar vellet. Qua ex re cùm Cæsareorum aliqui siniſtram de eo suspicionem caperent, ideóque rursus moneretur de exercitu dimittendo; suspicionem istam callidissimè à se rejecit, causatus inopiam *pecuniæ, ad exsolvenda residua militum stipendia requisitæ. Imò cùm Imperator denuo præcepisset, pecuniam hanc suo nomine ab aliis mutuatò accipi; diversis tamen prætextibus & commentis eam solutionem tam dextre protelavit, ut interim hiems tota sinè

Legiones Magdeburgensium sibi clanculũ auctorati curat:

*Spangenb. in chron. Mansfeld.

Cæsareum exercitum sub vario prætextu sibi suisq; usibus reservat.

*Camerar. in annot. rer. præcipuar.

mili-

militum exauctoratione laberetur. Quo autem Cæsaris & Catholicæ Religionis nocumento id factum fuerit, sequens annus aperiet.

E rebus Westphalicis memorabile nihil occurrit, nisi grave illud incendium, quod hoc anno Monasterii Westphaliæ exortum in parochia Transaquensi. Cœpit illud die tertiâ Novembris in æde alicujus Pistoris; versúsque portam S. Crucis, quæ moderno tempore jam pridem extincta & antiquata est, aspirantibus ventorum flabris ità sæviit, ut brevi tempore centum & viginti ædes ab infestis ignibus consumptæ fuerint. Per hiemem quoque, nihil ferè nivium aut frigoris animadversum est; ea verò tepidiorum imbrium ac pluviarum copia, ut herbarum aliquæ in amœnos flores protuberaverint.

Monasterii in Westphalia 120. ædes per incendium absumuntur. *chron. Tremon. ms.*

Hiems mitissima sinè frigore & nivibus. *Chron. Trem. ms.*

Hildesii hoc anno Valentinus Episcopus, è nobili Teutlebiorum familia vir & eruditione & virtute maximus, die vicesimâ octavâ Aprilis è vivis abiit; postquam afflictissimis ejusdem Ecclesiæ temporibus majori cum laude, quàm felicitate præfuisset in annum decimum quartum. Vacantem illius cathedram recepit Fridericus Holsatiæ Dux, Adolphi Ducis frater, & Friderici I. Regis Danorum filius; de cujus regimine Cathedralis Ecclesiæ Canonici longè fausliora sibi polliciti sunt, quàm præstiterit.

Valentinus à Teutlebé, Ep. Hildesiensis moritur: cui succedit Fridericus Holsatiæ Dux. *Chytræus l. 17. Saxon. Catal. Episcop. Hild.*

Annus Christi 1552.

Julii III. Pontificis	3.
Caroli V. Imperatoris	33. & 34.
Remberti Episcopi Pad.	6.

Fœdus, anno præcedente, cum Saxone & aliis initum, Henricus Galliæ Rex mense Januario confirmavit, præsente Alberto Marchione * Brandeburgensi, qui post urbis Magdeburgensis deditionem clancularíis itineribus in Galliam iêrat. Saxo interim, ut occultiùs falleret, non modò omne obsequium * pollicebatur Cæsari; sed etiam ex ejus voluntate Oratores Legatósque suos * ad concilium Tridentinum misit: at aliâ prorsus mente, quàm quâ Elector Brandeburgicus anno superiore suos Oratores miserat. Hi enim tam Pontifici, quàm concilio omnem obedientiam ac submissionem obtulerant: illi verò concilium volebant * acephalum, & cui Pontifex non præsideret, sed subesset. Hi venerant, ut concordarent; illi verò, ut conturbarent, multísque tricis inutilibus * tam diu tempus fallerent, usque dum ineunte Vere Saxo & Gallus inopino bello

Mauritius Saxo pergit Cæsarem deludere primis hujus anni mensibus. * *Spond. ad ann. 1551.* * *Surius ad hunc ann.* * *Spond. hic n. 1.*

* *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 12.* * *Palat. in Aq. Austr.*

bello concilium omne disjicerent. Animadvertebant hæc facilè tres Electores Ecclesiastici, præsentes in concilio (jam enim imminentis belli rumor non unis nuntiis Tridentum venerat) atque ideo Trevirensis die decimâ sextâ Februarii, Moguntinus autem & Colonienſis die vicesimâ primâ Martii * Tridentum deseruêre, ut suis Ecclesiis consulerent. Neque tamen Imperator adhucdum induci potuit, ut huic rumori crederet. Putabat enim, faciliùs fieri posse, ut cælum rueret, quàm ut hostiliter invaderetur à Saxone, viro sibi tantis beneficiis obstrictissimo: præsertim cùm hic aliâ fraude non solùm nuperrimè rescripsisset, se brevi adfuturum Cæsari in urbe Oeniponta; sed etiam * illuc jam præmisisset Magistrum seu Præfectum aulæ suæ, ad præparandas ædes venturo Domino servituras.

*Pallav. l. 13. c. 2. n. 6.

*Haræus in ann. brab. Palat. loc. cit. n. 105.

At brevi pòst Imperator suo damno didicit, dolosam hanc vulpem longè aliud coxisse animo, quàm fronte & verbis fucatis proderet. Nam adulto mense Martio, Mauritius Saxo & Wilhelmus Hassus, Philippi captivi filius, cum ingentibus militum suorum copiis contra Cæsarem ad arma provolârunt: eo quidem prætextu, ut Philippum Landgravium à diuturna Cæsaris custodia solverent; reapse verò, ut Augustanam confessionem in Tridentino concilio periclitantem ab interitu vindicarent, quemadmodum in scripto publico, de belli causis tunc simul edito, luculenter contestati sunt. Ambo etiam haud multò pòst cum suis exercitibus convenerunt in Franconia: indéque occupato velociter Schweinfurto, Rotenburgo, Dinckelspilâ, Nortlingâ, ac Donawerdâ, magnis itineribus die primâ Aprilis Augustam pervenêre. Quæ urbs, cùm ob inopiam præsidii militaris, magìs autem ob civium propensione Lutheranorum animos, intrà quartum obsidionis diem sese dedidisset; continuò aliarum urbium suprà dictarum exemplo, Magistratum veterem in sedem pristinam revocare, novósque Senatores à Cæsare constitutos abolere debuit. Coactæ mox ingentes pecuniarum præstationes à majoris Ecclesiæ Collegio, clausa quindecim Catholicorum templa, prohibiti sacrorum ritus, intrusi Præcones Lutherani, ejectus ex urbe Dilingensi Otto Episcopus Augustanus, direpta Religiosorum cœnobia, contusi crudeliter monachi, sparsæ hàc illac Divorum reliquiæ, ipsum etiam sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum è suis repositoriis effusum, pedibúsque diriter conculcatum.

Mense Martio contra Cæsarem ad arma proruit cũ Wilhelmo Hasso.

Sleidan. l. 24.

Dilich. in chron. Hass.

Variis urbibus occupatis, etiam Augustam Vindelicorum capit.

Palat. loc. cit. n. 10.

Magistratũ Catholicũ abrogat, & in res sacras ibidem desævit.

Annal. Boici part. 2. l. 11. n. 3.

Non minore armorum impetu Henricus Galliarum Rex ex alia parte in Germaniam se infundebat, edito simul scripto publico, quo profitebatur, potissimam hujus belli ac fœderis Protestantici causam esse, ut oppressam Germaniæ libertatem (& quænam alia hæc

Henricus II. Galliæ Rex, eodem tempore in Lotharingiam irruens,

hæc erat, quàm oppressa libertas Lutheranæ Religionis?) ex veteri Germanorum & Francorum amicitia ab interitu vindicaret. Quem in finem etiam huic scripto publico præfixit imaginem alicujus numismatis, cui ab uno latere incisa erat effigies Regis cum hac inscriptione: *Henricus II. Galliarum Rex invictissimus*, ex altero verò *libertatis propugnandæ symbolum, Pileus inter duos gladios erectos, cum inscriptione suprà: *libertas*; & infrà: *vindex libertatis Germaniæ*. Hoc ille specioso dolosóque titulo, circa Idus Martias è Regni finibus egreditur, in Lotharingiam armatus involat, Tullum, Virdunum, Nanceium, ac*Mussipontum urbes, militari præsidio destitutas occupat, Carolum Lotharingiæ Ducem adhuc puerum è matris viduatæ sinu in Galliam abstrahit, ac tandem etiam quarto Idus Aprilis *Metensem urbem, favente suadentéque Lenoncurtio Episcopo, per astum intercipit; cùm ab ea commeatum & annonam sibi tribui, præsenti pecuniâ fallaciter expetiîsset. Sperabat Rex, eâdem facilitate se potiturum Treviris; ideóque circa finem Aprilis copiarum suarum partem illuc misit, & promissâ benevolentiâ suâ, pro Germanicæ libertatis bono in urbem admitti petiît. Sed quia cantilenam hanc Gallicam renuebant audire cives, Metensium damno cautiores facti; conversо protinus exercitu suo in Alsatiam abiît, castráque posuit ante Argentoratum, urbem illam pari, quo Metas, dolo ac fallaciâ tentaturus.

Tullum, Virdunum, & Metas occupat. *Sleid. l. 24. Spond. hic n. 8. Palat. in Aq. Austr. *Palat. ib. Surius in comment. *Haræus in ann. Brab.*

Haræus in ann. brab. Sleid. l. 24. Pal. & alii. Treviris rejectus, pergit in Alsatiam, tentaturus Argentoratū. *Sleid. l 24. Haræus in ann. brab. Pal. n. 108.*

Interea tantis Germaniæ periculis intervenerat Ferdinandus Romanorum Rex; atque ut inopino huic bellorum tumultui finem imponeret, annuente Imperatore fratre suo rogaverat Mauritium Saxonem, ut alloquii causâ paulisper ad se veniret Lincium: ibi se adfuturum die decimâ septimâ Aprilis* in festo Paschatis, visurúmque, ut ejus & sociorum suorum postulatis ex æquo satisfiat. Obsecundabat huic invitationi Mauritius, & venit Lincium: aderant cum Ferdinando Rege Maximilianus ejusdem filius, & Albertus Bavariæ Dux, ejusdem gener. Consultatum de pacis reducendæ mediis per dies ferme quatuordecim: &, quia interea temporis nondum penitùs inter se concordare poterant, novus alius reliquorum septemvirorum ac Principum conventus Passavii in diem vicesimam sextam Maji indictus est. Quo statuto, Ferdinandus explicandi hujus negotii causâ *quantocyus Oenipontum ad Cæsarem ivit: Mauritius autem ad suorum fœderatorum castra, quæ tentatâ repulsâque urbis Ulmensis expugnatione Gundelfingam inter & Lauingam consistebant, circa diem nonam Maji reversus est. Fortuna belli Mauritiani in eo potissimùm sita erat, ut Cæsarem anteverteret, ac priùs in ipsum iret, quàm ex Italiæ, Carinthiæ, Rhæ-

Mauritius Elector, invitatu Ferdinandi Regis venit Lincium. *Sleid. l. 24. Haræus, Spond. Surius & alii *vide Recessum Passav.* Consentit in conventum Passavii institutum die 26. Maji. *Sleid. Haræ & alii.*

Irruit in Tirolim & occupat Oenipontum. *Auct. iidem*

Rhætiæque finibus, novum exercitum colligere posset. Quare statim à suo reditu exercitum lustrat, in Tirolim se convertit, Fussiacum* & Ehrenbergam ad Alpium fauces occupat, indéque gressibus tam citatis Oenipontum advolat, ut Cæsar inopini adventûs rumore territus, pluviosâ nocte Oenipontum deserere, & unà cum Ferdinando fratre Villacum in Carinthia præcipitatis itineribus fugere compulsus fuerit. Sequebatur huc etiam Joannes Fridericus quondam Elector, tametsi jam ante fugam à Cæsare dimissus, & è quinquennali captivitate sua relaxatus esset: quippe qui malebat, Imperatoris profugi fortunam redivivam; quàm victoris & æmuli sui benevolentiam exspectare. Bona omnia, quæ Oeniponti reliquerat Cæsar & Hispani consiliarii, urbe captâ direptioni militum permissa sunt: cetera verò, quæ Ferdinandi Regis & civium Oenipontanorum erant, Mauritius Elector ab omni suorum depræda tione & rapinis intacta voluit.

*Füssen aut Füessen/ Baudrando Faucena, aliis Fiessa.

Cæsar Oeniponto fugit, & Joannem Fridericum Saxonem è custodia dimittit: qui tamè sponte Cæsarem sequi maluit.

Auctores iidem.

Agebatur tunc dies Maji vicesima tertia; nec deerant, qui suaderent* Mauritio, ut Imperatorem profugum adhuc longiùs persequeretur. Sed ille vertentem belli fortunam veritus, jam satis gloriæ se consecutum credidit, quòd à subjectione synodi Tridentinæ, quæ ad primos armorum sonitus penè difflata erat, Germanicæ nationis libertatem vindicâsset. Atque ideo, cùm solum triduum adhuc supereesset usque ad inchoationem conventûs Passavienſis nuperrimè condicti; festinatis itineribus indè rursus Passavium profectus fuit, meditatæ pacis consilia propositurus. Aderant ibi, præter Ferdinandum & Mauritium, Ernestus Archiepiscopus Salisburgensis, Mauritius Episcopus Aichstadiensis, Wolffgangus* Episcopus Passavienſis, Albertus Bavariæ Dux, & reliquorum septemvirorum ac Principum Legati. Disceptatum hic longo tempore de futuræ pacis conditionibus, propéque aberat, ut hoc bellum denuo validiùs recrudesceret; cùm & Cæsar varios Mauritianæ pacis articulos generosè recusaret; & Mauritius armorum suorum successu tumidus, arcum suum longè altiùs intendisset, quàm in colloquio Lincienſi fecerat. At, ubi postmodum Ferdinandus Rex Mauritio jam digresso per novos nuntios indicavit, Cæsari fortissimum exercitum* rursus ad manum esse, & Joannem Fridericum, si Cæsar jam bello vincat, in ereptam sibi dignitatem septemviralem reponi posse; repentè animos mitiores induit, ac demum die 2dâ Augusti consensit in hujusmodi leges pacis: *Fœderati Principes mox ab armis discedant, et circa undecimam Augusti copias suas ubique dimittant. Philippus Hassiæ Landgravius ad eandem diem libertati redditus inducatur in suam arcem Rhinfelsiam, dummodo priùs idoneè caverit de servandis conditionibus, sibi quondam Hala Saxo-*

*Helvic in theatr. hist. univers.

Mauritius Elector, Oeniponto redux, pergit ad Conventum Passavienſem:

Sleid. l. 24

*Vide Recess. Passav.

Ac tandem de modo pacis cum Cæsare transigit.

*Sleidan. l. 24. Recess. Passav. Hæus in ann. brab. Helvic. in hist. univ. & alii.

Saxonum à Cæsare dictatis. Intrà semestre spatium Cæsar Imperii comitia convocet, atque in iis deliberetur, quâ potissimùm ratione dissidium Religionis componi queat. Interea ab omnibus colatur pax, nec ullus alteri in suæ Religionis exercitio molestiam creet. A Cameralis judicii consessu non excludantur ii, qui sunt Augustanæ Confessionis etc.* *Hall in Sachsen.

Jam diu antè, quàm ista pax coalesceret, Henricus Galliarum Rex deserto Argentorato, cui frustra insidiatus fuerat, cum exercitu suo retrocesserat in Lotharingiam: tum quòd ex Lincienſi colloquio non imprudenter metueret, nullam sibi fidem servandam esse à Mauritio, qui jam antea Deo & Cæsari fidem fregerat, utì loquitur *Spondanus: tum quòd eo tempore, quo in Alsatia Rex consistebat, Martinus Rossemius copiarum Belgicarum ductor *cum multis equitum peditúmque millibus in provinciam Campaniæ se infudisset, eámque ferro & incendiis longè latéque devastaret. Verùm abscedente Gallo, adhuc acerbior ac pejor hostis in Germania manserat, ejusdem Regis & aliorum fœderatorum socius, Albertus Marchio Brandeburgensis, truculenti ingenii vir, & solùm quærens è rapto vivere. Jactitaverat & ipse in libellis publicis, bellaturum se pro tuenda libertate Germaniæ, quam Cæsar inducto pridem Hispano milite everſum iret. Et tamen (quæ hujusmodi hominum colorata fallacitas est) hoc toto bello haud aliud egit, quàm rapinas exercere, provincias exsugere, pecunias extorquere, oppida cum villis evertere, & pro libertate prætexta ubilibet extremam inopiam ac paupertatem inducere; ídq; non solùm in terris Catholicis; verùm etiam in acatholicis & Augustanæ Confessioni deditis. Primum ejus furorem *experti sunt Ulmenses, quorum oppida & vicos, dum in colloquio Lincienſi Mauritius ageret incendiis & populationibus tristissimè deformavit. Indè in agros Norimbergensium & in Ordinis Teutonici Magistrum versus, utrobique tam fœdè ac barbarè grassatus est, ut in solo *Norimbergensi territorio, præter domuum templorúmque despoliationem, vicos centum, castella & civium villas septuaginta, silvam denique ampliſſimam, ejusdem urbis dominio subditam, in flammas egerit, & usque ad tria millia jugerum concremârit. Non minori insolentiâ præter omnem juris & æqui rationem post hæc usus est contra duos Episcopos * Bambergensem & Herbipolensem: quorum hunc adegit ad pendenda sibi suísque creditoribus quingenta & longè ampliùs florenorum aureorum millia; illum verò, ut è terris Episcopalibus sibi circitèr viginti oppida cum præfecturis jure perpetuo cederet. O! præclarum defensorem libertatis Germaniæ.

Henricus GalliæRex, Argentorati non receptus, redit in Lotharingiam. *Sleid. l. 24. Spond. & alii.* *Spond. hic n. 9 sub fin.* *Haræus in ann. brab. & alii* *passim.* Albertus Marchio Brandeburgo-Anspacensis Germaniam pessimè affligit: *Sleid. l. 24. & alii.* *Sleid. ib.* *Sleid. ib. Surius in comment. Palat. in Aq. Austr.* *Sleid. ib. Annal. Boici part. 2. l. 11. n. 4. Surius & alii*

Et spretâ Passavienſi concordiâ, pergit furere in Epiſcopatu Wormatienſi, Spirenſi, Moguntinenſi, ac Trevirenſi. *Sleidan. l. 24.* *Serar. l. 5. rer. Mog. pag. 910. Annal. Boici part. 2. l. 11 n. 6.* *Sleid. l. 24 Ann. Boici loc. cit.* *Brower. in annal. Trev. h n. 85. & ſeq.* *Brower. ibid. n. 84.* *Surius in comment.*

Neque hic finis execrandarum ejus machinationum fuit. Nam & eo tempore; quo Paſſavienſis concordia, vel concluſa, vel prope diem concludenda erat, ſolus ille recuſatâ pace adhuc perrexit ferocire; occupatâque Wormatiâ, Spirâ, Moguntiâ, ac Treviri, in iiſdem Epiſcopatibus furore plùs quàm Ottomannico debacchatus eſt. In urbe Spira imperavit Eccleſiaſticis ingentem pecuniæ vim: quæ cùm eidem præſtari non poſſet, plerisque maturiore fugâ dilapſis; templa omnia pretioſis ornatibus vasísque ſacris deſpoliavit, etiam ædis primariæ tectum plumbeum demoliturus, nisì Magiſtratus Luthero deditus eam perniciem deprecatus eſſet. Moguntiæ palatium *Archiepiſcopale cum cœnobio Carthuſiano, & Eccleſiis Collegiatis S. Albani, S. Victoris, & S. Crucis, nefariè incendit; etiam pari modo in baſilicam Metropolitanam & omnium Eccleſiaſticorum ædes graſſaturus, nisì trepidi cives eidem oſtendiſſent, univerſam urbem hoc incendio ſimul involvi & abſumi poſſe. In urbe Trevirenſi, quàm primùm intromiſſus eſt, templa omnia claudi, & res *divinas ceſſare juſſit: deinde ſuburbana monaſteria S. Maximini, & Sanctorum Martyrum, cum Eccleſia Pauliniana * & vicinis Canonicorum ædibus exuſſit: poſtremò etiam Palatiolum & Saraburgum vicina oppida teterrimo incendio deformavit; & jam animo conſtitutum erat, iiſdem furiis in omnes Trevirorum ditiones * ex implacabili Clericorum odio deſævire, nisì armati Cæſaris adventus execrandis hujuſmodi molitionibus frænum injeciſſet.

Carol⁹ Imperator, collecto rurs⁹ grandi exercitu, venit Auguſtam. *Sleid. l. 24. Palat. in Aq Auſt.* *Sleidan. loc. cit.* *Haræus in ann. brab* Marchionē Brandeburgicum ad obſequium revocat. *Sleid. l. 24. Haræus in ann. brab Surius & alii.*

Collegerat hic Villaci numeroſum exercitum, non modò ex Germanis, Italis, & Bohemis; verùm etiam ex Hiſpanis, qui ſub initium Julii ad urbem Genuam appulſi erant. Cum his in unum congregatis, decimo tertio Kalendas Septembres Auguſtam Vindelicorum venit, ſenatum à Mauritio Saxone conſtitutum abrogat, complura templa Catholicis reſtituit, alia verò ex Paſſavienſi tranſactione Proteſtantibus relinquit. Indè, reſciſſis Alberti * Brandeburgenſis & oppreſſorum Epiſcoporum pactionibus, per Franconiam, Alſatiam, ac Diœceſin Trevirenſem, die viceſimâ 2dâ Octobris cum exercitu ſuo pervenit Metas, urbem hanc dolo Gallico occupatam vi & armis recepturus. Ibi Albertus Brandeburgicus, qui paulò antè è Trevirorum finibus in Lotharingiam fugerat, propter diſcordias aliquas cum Gallis habitas Imperatoris offenſi gratiam ſibi reconciliat; & abjecto Regis externi fœdere, cum quinquaginta ſignis peditum validóque equitatu ad Cæſarem transgreditur. Urbis invaſio cœpta eſt cum ardore maximo: ac die viceſimâ Novembris, cùm Cæſar hactenus articulari morbo detentus in caſtra deveniret, eâ martialium tormentorum vi & impe-

petu concussa fuit, ut illorum fragorem usque ad urbem Argentoratensem & amplius exauditum ferant. Neque dubium est, quin eam Cæsar tam potenti armorum ac militum apparatu fuisset recepturus, nisi magnanimis ejusdem conatibus obstitissent asperrima nivosáque hiems, & enata in castris dysenteria. Quo utroque ex malo, cùm è centenis millibus peditum plùs quàm quadraginta millia periissent; Cæsar suorum incolumitati consulturus, tandem Kalendis Januarii obsidionem hanc, tempore tam iniquo cœptam, deserere debuit. Atque ex eo tempore, quod sinè dolore non referimus, Tullum, Virodunum, ac Metæ, urbes olim Imperiales, cum adjunctis Episcopatibus in Gallorum potestate etiamnum perseverant. Ità faciliùs est amittere, quàm recuperare.

Metas obsidet, & ob morbos asperitatémq; hiemis cogitur obsidionem solvere. *Sleid. l. 24. Haræus in ann. brab. Surius, Spond. & alii passim.*

Sub his autem Germaniæ turbis ac mutationibus Lutherana doctrina rursum invaluit, non solùm extrà Westphaliam; sed etiam apud nos in propinquo nobis territorio Lippiensi, utì refert Piderítius*ità scribens: *Conradus Meyer, Blombergæ nuper dejectus cathedrâ, prædicandi officium denuo resumit, reformatio purioris doctrinæ postliminio rursus incrementum capit, proficit, et per Comitatum Lippiacum in pleno rursum vigore est anno Christi 1553.* Neque id emendare vel impedire potuit Rembertus Episcopus noster, cui in rebus ecclesiasticis Lippiense territorium subest. Nam & ipse Comes Luthero pridem addictus fuerat; & ex Passavienſi transactione non licebat, ut usque ad futura comitia alter alteri in suæ Religionis exercitio molestiam faceſſeret. At Franciſci Episcopi Osnabrugensis insanam conniventiam quis excuset? Is enim, tametsi ante annos quatuor ad Ecclesiæ Catholicæ gremium se recepisset, importunâ tamen quorundam sollicitatione hoc anno rursus permisit *Osnabrugi, ut in duas Ecclesias Parochiales, Marianam & Catharinianam, Lutherani Prædicatores à senatu revocati sint. Quæ ipsius indulgentia rei Catholicæ tam nociva & exitialis fuit, ut ex eo tempore binæ istæ ac principales parochiæ sub Lutheranorum potestate manserint, maximámque civium partem ad se attraxerint.

Comitatus Lippiensis ad Lutheri doctrinam relabitur. *Piderit. in chron. Lipp. germannico pag. 623.*

Franciscus Episcopus Osnabrugensis Lutheranis Osnabrugi permittit iterũ duas parochias, quas adhuc tenent. *Hamelm. in hist. Ev. Osnabr.*

In Hungaria per hunc annum versabantur omnia in statu misero. Christiani, cùm apud Segedinum incautiùs agerent, fœdâ clade affecti sunt à Budensi Turcarum Præfecto Ali: qui in hujus victoriæ signum, præter vexilla plurima, quinquies mille nasos, è Cæsarum cadaveribus abscissos, Constantinopolim Solimanno misit. Nec multò pòst etiam Temeswarium ingentibus Turcarum copiis obsessum ac devictum est. Præerat huic urbi Losontius animi invicti miles: quem ipsímet oppidani, post unius mensis oppugnationem fortissimè toleratam, adegêre tandem, ut ho-

Christiani prope Segedinum cædduntur in Hungaria. *Palat. in Aq. Aust. Spond. hic n. 13.*

Temeswarium expugnatur, ac

Turcis deditur. honestis largísque conditionibus urbem dederet. Sed magno suo ac militum suorum nocumento. Nam, ùt primùm urbe excesse-rat, contra datam fidem à Turcis invasus, & unà cum suis omnibus inauditâ barbarie trucidatus est.

Palat. ib. Sambuc. in hist. expugnat. Temeswar.

Apud Indos Orientales hoc anno, die 2dâ Decembris, labores Apostolicos morte beatâ finiit S. Franciscus Xaverius, è Societate JESU Indiarum & Japoniæ Apostolus, postquam decennio toto innumeras animas à paganorum erroribus ad veræ Fidei agnitionem perduxisset. De ejus vita, miraculis, & virtutibus, non est, quòd multa scribam; cùm ea fusissimè descripta sint in libris compluribus, neque etiam abnegentur ab ipsísmet acatholicis. Mihi hoc loco sufficit, ut alios non paucos taceam, testimonium Richardi Hacuithusii, hominis Angli & acatholici: qui libro *de primis navigationibus* parte 2. volum. 2. pag. 20. sancto Xaverio hanc laudem tribuit, *omnes historias Indicas, ejus miraculorum, virtutum, et glorioſi laboris in conversione gentium, plenas esse.* Quod certè signum indubium est, Fidem ejus & prædicationem fuisse Deo probatam & veram: cùm aliunde notum sit, nec egeat probatione, miracula à Deo fieri non posse in confirmationem doctrinæ falsæ.

S. Francisc. Xaverius, Indiarum Apostolus, moritur & claret miraculis.

Spond. ad hunc annũ. n. 13. Orland. in hist. Societ.

Annus Christi 1553.

JULII III. Pontificis	4.
CAROLI V. Imperatoris	34. & 35.
REMBERTI Episcopi Pad.	7.

IMperii comitia, quæ in Passavienſi conventu ad pacandas Religionum discordias condicta fuerant, in annum alium dilata sunt: partim ob affectam Cæsaris valetudinem, partim ob varia bella, non modò Cæsaris cum Gallo; sed etiam aliorum Principum inter se, vel cum Imperio. Hæc autem bella ut ordinatiùs hoc loco prosequar, incipiendum est mihi ab ea expeditione, quæ hoc anno contra Westphaliam gesta est ab Henrico juniore, ejúsque filio Philippo magno, Brunsvicensium Duce Catholico. Pro causa belli hujus afferebantur injuriæ variæ, à diversis Westphaliæ primoribus acceptæ: præsertim verò à Francisco, Monasterienſis, Osnabrugensis, ac Mindensis, Ecclesiarum Episcopo, Lutheranis erroribus nuper addicto. Is enim anno 1542, cùm Henricus Dux à fœderatis Schmalkaldiensibus bello obrutus ac Principatu suo exutus est, non solùm eos tormentario apparatu; verùm etiam peditibus equitibúsq; submissis

Philippus magnus, Henrici Brunsvicensis filius hostiliter invadit diœcesin Osnabrugensem & Monasteriensẽ, utrobique vindicaturus injurias, Patri suo quondam illatas à Francisco Episcopo.

Kersenb. in hist. Anab.

missis juverat. Unde & postea viri sagaciores persæpe eum * verbis & scripto commonuerant, ut causam hanc maturè transigeret: alioqui periculum fore, ne Henricus Dux occasione datâ in terras Episcopales involet, & armatâ manu præteritæ læsionis aut offensæ vindictam postulet. Cùm autem Episcopus tam sana monita in aurem non admitteret; ecce tibi! Philippus magnus prædicti Henrici filius, cum paterno exercitu repentè hoc anno Visurgim trajicit: percursísque Lippiensium finibus, in Osnabrugensem Episcopatum celerrimè se infundit. Præcipui copiarum Duces cum ipso erant Christophorus* de Vriesberg diuturni stipendii miles, & Joannes de Münnichausen Magister equitum. Hi cum aliquibus militum veteranorum turmis præmissi, Iburgensem arcem die decimâ quintâ Aprilis improviso impetu sub noctem capiunt: propéque aberat, ut & ipse Episcopus in manus eorum deveniisset cum sua pellice vel concubina; cujus amori magis, quàm rebus aliis vecordem animum applicabat. Certè nudus propemodum aufugit Monasterium: totáque arx, rerum omnium abundantiâ locuples, unà cum insigni bibliotheca, supellectile, pecuniis, frumentis, vasis aureis & argenteis, ità ab hostibus expilata est, ut præter muros & nuda ædificia nihil penitùs ibidem relictum fuerit. Interea Dux Philippus potissimam sui exercitûs partem admoverat urbi Osnabrugo; atque ut eam faciliùs edomaret, opportunè collocaverat se in colle viciniissimo, cui impositum est monasterium S. Gertrudis, Ibi cùm ad ipsum accessissent Vriesbergius & Münninchusius, Iburgensi prædâ & spoliis acceptis divites; tremefacti cives & Canonici suam ac totius Diœcesis incolumitatem viginti novem florenorum aureorum millibus redemêre. His acceptis mitigatus Dux continuò sua castra vertit in Diœcesin Monasteriensem: primóque introitu Sassenbergam Episcopi arcem occupavit, villas & pagos intermedios diripuit, milites Warendorpio tuendo missos in fugam egit, atque ex eorum dissipatione tantum oppidanis Warendorpiensibus terrorem intulit, ut apertis continuò portis venientem ad se receperint. Qua ex urbe cùm à circumfusis Brunsvicensium copiis gravissima pernicies Diœcesi toti impenderet; concordia tandem quæsita, & à congregatis patriæ statibus in hunc modum sancita est, ut Franciscus Episcopus Mindensem Episcopatum abdicaret, Julius Dux, Philippi frater, eundem reciperet, Monasterienſis Diœcesis Ordines Henrico & Philippo Ducibus centum millia florenorum aureorum in satisfactionem darent.

* *Kerssenbr. in hist. Annab. Mon.*

* *Kerssenb. loc. cit.*

Iburgum capit ac diripit.

Chytræ° & Kerssenb. loc. cit. Annal. Monast.

Osnabrugũ obsidet, & ab ea Diœcesi extorquet 29. millia florenorum aureorum. *Auctores iidem.*

Warendorpium occupat, indéq; Diœcesanos cogit ad pendenda sibi centum millia aureorum; Episcopum verò ad relinquendũ Julio fratri suo Episcopatum Mindensem. *auct. iidem*

Paderbornensis Diœcesis nostra, cùm olim in bello Schmalkaldiensi nihil opis vel auxilii contra Ducem Henricum attulisset, spem sibi

Minatur etiam Diœcesi Paderbornensi: & quare? *Ex literis Cancellariæ Paderborn.*

sibi non parvam fecerat, se ab hostilibus istis Brunsvicensium invasionibus immunem fore. Nihilo minùs & ipsa pœnas dare, & ad crucem hanc adrepere debuit, quæsitis undecunque nonnullarum offensionum causis vel prætextibus: nimirum *quòd anno superiore Diœcesis nostra contra Volradum Comitem de Mansfeldt, ejúsque militem Gallicanis partibus adhærentem, nulla sibi suísque subditis auxilia miserit, utì è Cæsareis edictis oportuisset: quòd ea de causa Henricus Dux ad repellendas Mansfeldii invasiones coactus fuerit auctiorem exercitum conscribere, non sinè maximo suo et suorum detrimento: quòd Episcopus et Capitulum nostrum passi fuerint, ut suorum subditorum aliqui, tam nobiles quàm ignobiles, prædicto Mansfeldio se adjunxerint; neque eos à perduellibus ejusmodi ausis domum revocari jusserint: postremò etiam, quòd Episcopus et Capitulum tam nefarios subditos post commissum illud facinus unà cum spoliis raptísque prædis in suam patriam reverti, et ibidem hactenus impunes agere ac permanere siverint.* Patebant hinc, facilè esse, comminisci causam offensionis si quæratur. Placare tamen utcunque Duces iratos oportebat. Quare Episcopus & Ecclesiæ majoris Canonici, ut invasionem sibi intentatam anteverterent, convocato primùm Capitulo Julium Ducem, Henrici Brunsvicensis filium & Philippi magni fratrem, sponte ac libere postulârunt in Coadjutorem & successorem Diœcesis nostræ. Deinde verò ad quartum Kalendas Maji ab utraque parte indictus est conventus publicus in * Schilske, in quo præter Duces antè dictos & Rembertum Episcopum nostrum comparuêre statuum Diœcesanorum deputati: videlicet nomine Capituli Hugo Budde Decanus, Joannes ab Hôrde Senior, Henricus de Meschede Cantor, & Volpertus de Brencken: nomine Ordinis equestris Jodocus de Kanne, Widekindus de Falckenberg, Wilhelmus de Krevet, Conradus ab Oynhausen, Fridericus de Westphalen, & Jodocus de Brencken: denique etiam nomine urbium Ludolphus Schnaërman Paderbornæ, & Hermannus Listing Warburgi, consules. Horum consessu & voluntate, quidquid offensionum & querelarum prætexebatur à Brunsvicensibus, concordiæ pacísque causâ transactum est his conditionibus: *Primò, ut Episcopus et Ordines Diœcesani prædictis Ducibus in compensationem damnorum penderent viginti quinque millia dalerorum Joachimicorum, quorum una medietas numeranda sit Holtzmindæ sabbatho post Ascensionis Domini, die decimâ tertiâ Maji; altera verò ibidem Sabbatho post Pentecosten, die vicesimâ septimâ ejusdem mensis. 2dò, ut postulatio Julii Ducis in Coadjutorem Ecclesiæ Paderbornensis rata firmáque maneat: ejusdem verò postulationis confirmatio à Pontifice quæratur sumptu ipsius Ducis, et non Capituli. 3tiò, ut Episcopus unà cum patriæ statibus curet ea bona, quæ in superiore bello prædictis Du-*

Canonici Cathedrales, invasionis evitandæ causâ, Julium Philippi Ducis fratrem deligunt in Coadjutorē Episcopi nostri. *ex iisdem literis.*

* *Schilske, aliàs Schildece, prope Bilefeldiã, locus à Domicellarũ Collegio nobilis.*

Ordines Diœcesani cum Philippo Brunsvicensi transigunt, pacémq; redimunt 25 millibus Imperialiũ. *Ex iisdem literis.*

Ducibus et eorum subditis per Diœcesanos nostros ablata fuerint, suis Dominis restitui aut compensari. etc. Supersunt adhuc illius transactionis literæ, linguâ Germanicâ scriptæ, quarum initium & finis est:

NOs Dei gratiâ Henricus junior, et eâdem gratiâ Nos Philippus Magnus, pater et filius, ambo Duces Brunsvicenses et Luneburgenses, pro nobis et hæredibus ac successoribus nostris, ex una, Et Nos Dei gratiâ Rembertus Episcopus: item Nos Hugo Budde Decanus, Joannes ab Hörde Senior, Henricus de Meschede Cantor, Volpertus de Brencken, totúmque Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis: Et Nos Jodocus à Kanne, Widekindus de Falckenberg, Wilhelmus de Krevet, Conradus ab Oynhausen, Fridericus Westphalen, et Jodocus de Brencken: itémque Nos Ludolphus Schnaërman Paderbornæ, et Hermannus Listing Warburgi, Consules, nomine nostro et omnium Prælatorum, Nobilium, urbium, et universæ communitatis territorii vel Diœcesis Paderbornensis, pro Nobis et nostris quorumlibet hæredibus ac successoribus respectivè, ex altera parte: profitemur et notum facimus etc. - - - Actum et datum in Schilske, die Veneris post Jubilate, anno post nativitatem Christi Domini et Salvatoris nostri millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio.

Similes pecuniarum emulgendarum tituli à prædictis Ducibus adinventi sunt contra diversos horum locorum Comites & urbes. De Huxaria scribit Erbenius apud Paullinum: *Anno MDLIII cives nostri denuò Philippo Magno Brunsvicensi pro multa dedisse dicuntur ter mille Joachimicos, quòd Ottoni Malsburgio liberum transitum permiserint super pontem Wiseranum, Volrado Mansfeldiensi tunc Fürstenbergam incendente.* Ex Comitatu Lippiensi, Hojano, & Schawenburgensi, multa pariter auri & argenti millia similibus de causis extorta esse, testantur Chytræus & Kerssenbrochius: tametsi neuter ipsorum addat, quid & quantum pecuniæ ab his emunctum fuerit.

Simili modo etiam Huxaria, & plures Westphaliæ & Ostphaliæ Comites mulctati sunt. *Erben. in addit. ad chron. Huxar. Chytræus, Kerssenb. & alii.*

Alterum & longè truculentius bellum hoc anno gestum est cum Alberto Brandeburgico; nempe eodem illo, de quo tam multa, inhumanè barbaréque facta, ad annum præcedentem retuli. Hic solutâ obsidione Metensi jussus erat hiemare Treviris, donec ei Cæsar stipendia solveret, ac deinde eum rursus ad alios belli usus evocaret. At ille magis cupiditati suæ, quàm Cæsari militare gestiens, mense Februario cum acceptis pecuniis continuò revolat in Franconiam; ut ibidem ea, quæ anno superiore à Norimbergensibus, Herbipolensibus, ac Bambergensibus, iniquissimè extorserat, vi armorum consequeretur. Nec mulò pòst (cùm iidem se opponerent, & violentas pactiones suas, quas tunc inierant, Imperialis Cameræ judicio rescissas, atque in irritum revocatas esse dicti-

Albertus Brandeburgicus, è domo Anspacensi, barbarè grassatur in ditione Herbipolensi, Bambergensi & Norimbergensi. *Sleid. l. 24. Chytræus l. 18. Saxon.*

dictitarent) novo incensus furore in ipsorum ditiones irruit: ibíq; tam fœdè ac barbarè grassatus fuit, ut non modò omnia circa Bambergam, Herbipolim, ac Norimbergam evastaverit; sed etiam inter alia crudelitatis argumenta, duas urbeculas, Lauffen* & Altorff, clausis earum portis incenderint, non sinè tristi multorum hominum concremations. Multùm à Cæsare & aliis Principibus laboratum est in pacando hoc illius tumultu, etiam oblatis conditionibus faventissimis. At, cùm hæc omnia nihil proficerent apud hominem turbulentum, & suæ tantùm cupidini inservientem; eò tandem res devenit, ut Mauritius Saxo & Henricus Brunsvicensis (qui & ipsi postmodum se petendos esse verebantur) cum Episcopo Herbipolensi, Bambergensi, Moguntino, & aliis Principibus communi fœdere in eundem Albertum irent. Jámque Henricus Dux non modicam suarum copiarum partem unà cum Philippo Magno filio suo in Franconiam miserat, ut ibidem se conjungeret *Principibus Franconiis & eorum exercitui. Quo animadverso, Albertus Marchio incredibili celeritate per Thuringiæ terras convertit se in Saxoniam inferiorem; occupatóque Halberstadio, in Henrici Ducis regiones irruit, populationibus & incendiis omnia pro suo more vastaturus. Nec minore animorum contentione abeuntem insecuti sunt Mauritius Saxo, & Philippus Magnus è Franconia redux. Qui ùt primùm Northusii in Thuringia se conjunxerant, ab eodem persequendo non priùs destitêre, donec eum die nonâ Julii prope Sivershusium pagum, duabus ferè horis Peinâ dissitum, ad pugnam sisterent. Certatum acerrimè ab utraque parte: demum verò Mauritius & Henricus, prostrato exercitu Albertino, nobilissimam victoriam retulêre; tametsi non sinè suo & suorum sanguine. Mauritius enim tertio post pugnam die ex vulnere accepto obiît: Philippus Magnus & Carolus Victor, Henrici Brunsvicensis filii, in acie ceciderunt: Fridericus Dux Luneburgicus, inflictâ Lethali plagâ Cellas abductus, & undecimâ post prælium die extinctus est. Ex aliis occubuerunt Comites *quatuor, Nobiles plùs*quàm ducenti, milites gregarii quater mille & ampliùs: atque hi potissimùm erant milites Albertini, quorum præcipui ductores aut cæsi, aut capti sunt, relictis vexillis equestribus quatuordecim, pedestribus verò quinquaginta quatuor.

Albertus, quem ex eo certamine Deus ad acerbiora fata reservârat, confugit primò Hannoveram ad Ericum Ducem, Calenbergæ Principem, suæ factioni deditum; indè verò Brunsvicum, urbem Henrico Duci à pluribus annis refractariam. Ubi, cùm suarum copiarum reliquias novis auxiliis nonnihil instaurâsset; rursus ab Henrico Duce, die duodecimâ Septembris, haud procul à mo-

Chytræus 17. Saxon. Spangenb. in chron. Mansf. recusat pacem, sibi oblatam faventissimis conditionibus.

Auctores iidem. & alii.

Camerar. in annotat. rer. præcip. Spangenb. chron. Mansfeld. Irruit in terras Henrici Ducis Brunsvic.

Chytræus l. 18. Saxon. Spangenb. ibid. Prope Sivershusium gravissimè cæditur ab Henrico Brunsvic. & Mauritio Saxone; sed victoriâ etiam victoribus cruentâ.

auct. iidem

*Chytræus l. 18. Saxon. *Spangenb. in chron. Mansfeld.* Non longè pòst iterum cæditur ab Henrico Brunsvic. prope Brunsvicũ;

monasterio Riddagshusano cæsus ac profligatus est, præcipuis militum* suorum ductoribus interfectis. Tum verò desperatâ hîc locorum securitate (nam & Erici Brunsvicensis uxor ante dies paucos cum Henrico Duce* transegerat) per Thuringiæ fines cum residuis equitibus in Franconiam revolavit, meliorem inibi fortunam, quamvis irato Numine, tentaturus. Sed jam ordo fatorum ejus devolvi ac deglomerari cœperat in perditionem ejus. Nam paulò pòst ab Imperiali Camera per solennem sententiam proscriptus est; simúlque pœnis gravissimis vetitum, ne quis eidem velut hosti publico vel auxilium, vel receptum præberet.

indéq; rursum fugit in Franconiam.

*Camer. in annot. rer. præcip.

*Chytræus, l 18. Saxon.

Proscribitur ùt Imperii hostis ab Imperiali Camera.

Interea temporis Franciscus Episcopus Monasterienſis & Osnabrugensis, Mindensi infulâ jam exutus, præ nimia tristitia ac dolore mortales oculos in mortem clausit. Animus ei fuerat, post abscessum Philippi Brunsvicensis in Episcopatum suum Osnabrugensem regredi. Id autem recusabant ejusdem Diœcesis Ordines, renuntiantes ei: auxilia quondam Landgravio & Schmalkaldiensibus fœderatis fuisse præstita citra omnem consensum Ordinum: ex ea causa profluxisse recentissimas calamitates ac miserias, quas è moderna Brunsvicensium invasione ceperint: atque idcirco rogari à se, ut ab hujus Diœcesis aditu ac gubernatione se tantisper abstinere velit, donec illa ex ingentibus debitis, & aliis calamitatibus indè contractis, eluctata sit. Quo responso cùm eidem pariter omne illic imperium abrogaretur; etiam alteram hanc infulam sibi quodammodo subtractam videns, cum incredibili dolore animi Wolbecam abiit, ibíque intrà paucas hebdomadas lentâ tabe consumptus obiit die decimâ quintâ Julii. Inter ejus gesta nihil gloriosius, quàm Anabaptistarum Monasterienſium extirpatio, & restitutus ibidem Catholicæ Religionis vigor, qui jam ante ingressum Anabaptisticæ seditionis eversus fuerat. Sed quas indè laudes & honores æternos meruit, fœdissimè postmodum obfuscavit, partim apostasiâ ac desertione Fidei Catholicæ, de qua plura locuti sumus ad annum 1543; partim libidine & incastis amoribus unius feminæ, Annæ Poêlmanniæ, Iburgensi in oppido commorantis. Huic tanta in eum potestas erat, ut ipse regeretur, & ipsa regeret; ille quodammodo colum teneret, & illa sceptrum; utì coævus Auctor* his verbis exprimit: *Principalis Celsitudo sua nimiùm obsecundabat voluntati unius mulieris, quæ ipsi imperabat. Unde Cancellarius et consiliarii ejus discedebant ab eo, dictitantes, nolle se deservire Domino, apud quem femina teneret sceptrum. Princeps habebat sacculum, et ipsa pecuniam. Cùm Philippus Dux Brunsvicensis occuparet Iburgum, ipsa habitabat ibi. Sed hac de re satìs, ac forsitan nimìs multùm.* Neque mihi dubium est, quin idcirco Deus illum tam acer-

Nec multò pòst mœrore animi consumpt*, moritur die 15. Julii.

Ejusdem laudes & vitia.

*Anonym. in chron. Monast. apud Anton. Matthæū.

bis gravibúsque malis ante mortem affligi ſiverit, ut ærumnis temporalibus caſtigatus, pænitentiam ſalutarem ageret, & mortis æternæ ſupplicia ſubterfugeret. Certè illum Catholicè mortuum, & ſacramentis extremis à Sacellano ſuo Joanne* Côitenio ritè præmunitum eſſe, Monaſterienſium annales perhibent. Qui tamen inſuper adjungunt (id quod ſummopere demireris) tot Epiſcopatuum poſſeſſorem obiîſſe pauperem & ità obæratum, ut non modò ſuis miniſtris propter ſtipendia non perſoluta; ſed etiam aliis creditoribus quàm plurimis ob ingentia nomina, gravi ære obſtrictus manſerit. Nimirum tales plerumque ſunt opes eccleſiaſticæ, ut modicæ ferè ſemper ſufficiant; immodicæ per modum nivis dilabantur. Corpus ejus intrà dies proximos Monaſterii receptum, & in Eccleſia Cathedrali ab auſtrali latere (quem chorum S. Joannis nominant) honorificè tumulatum eſt cum hac inſcriptione lapidis:

**Kerſſenbr. vocat Hermannum Kotheniũ.*

Franciſcus, Dei gratiâ Epiſcopus Monaſterienſis ac Oſnabrugenſis, Adminiſtrator Eccleſiæ Mindenſis, de generoſa et Illuſtri Comitum de Waldegg familia ortus, hîc ſepultus eſt: qui hanc urbem, ab Anabaptiſtis occupatam, poſt longam et difficilem obſidionem civibus tandem reſtituit. Obiît autem die XV. Julii, anno 1553, circa horam ſeptimam in arce Wolbeck: cujus anima requieſcat in pace! Amen.

Monaſterii in ejus locũ eligitur Wilhelm⁹ de Ketteler. *Chytræus l. 18. Saxon. Ann. Mon. mſ.*

Sextâ poſt obitum ipſius die, nimirum viceſimâ primâ Julii, à Capitulo Monaſterienſi in ejus locum ſurrogatus eſt perilluſtris & generoſæ Familiæ vir Wilhelmus de Ketteler, Godefridi* vel Godehardi filius; de cujus genealogia (recta, an irrecta, neſcio) videri poteſt Chytræus. Fuerat is antea Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus, eodémque tempore ſimul à conſiliis intimis in aula Wilhelmi Clivorum Ducis; à quo etiam velut Orator & Legatus anno 1552 ad conventum* Paſſavienſem, & anno 1550 ad comitia Auguſtana miſſus eſt. Competitorem infulæ nactus erat Jodocum à Reck, ejuſdem Eccleſiæ Canonicum, & olim Epiſcopum Derpatenſem in Livonia: qui paulò antè, propter imminentes Moſcorum invaſiones, Eccleſiam ſuam deſeruerat. Is, cùm ante fugam ſuam omnia Derpatenſis Epiſcopatûs bona aliis oppignorâſſet, & hac arte ingentem auri & argenti copiam in ſuos ſacculos congeſſiſſet; ſplendido conviviorum apparatu multorum animos aucupari, & in ſuas partes inclinare ſtuduit. Sed quia ipſum hæc ſpes fefellerat, paulò pòſt Canonicatui ſuo renuntiavit; & ſecularem Nottelenſis Collegii domicellam, Joannam ab Heiden, matrimonio ſibi conjunxit, melior futurus vir, quàm ſacrorum Antiſtes. *Ità non omnibus omnia conveniunt.*

**germanicè Göddert.*

**vide Receſſus Imp.*

fruſtra eandem infulã prenſante Jodoco à Reck, olim Epiſcopo Derpatenſi in Livonia. *Chytræus ibid.*

Qui poſtea uxorem duxit, *Chytræus ibid.*

Ad

Ad Osnabrugensem insulam Cathedralium Canonicorum postulatione accitus est Joannes Comes de Hoja, vir insigni eloquentiâ, eruditione, prudentiâ, & studio proferendæ Religionis Catholicæ. Natus hic erat *Wiburgi in Finnia, Patre Joanne Comite Hojano, matre Margarethâ Gustavi Suecorum Regis sorore, quæ patri ejus ob egregiam virtutem in bello præstitam desponsata fuit. Post humaniores literas in terris Suecorum haustas, altioris doctrinæ & linguarum studio primùm in Gallias, deinde in Italiam profectus est; ibíque *ità se excoluit, ut præter multiplicem eruditionem, simul etiam septem linguarum, Sueciæ, Germanicæ, Latinæ, Græcæ, Gallicæ, Italicæ, & Hispanicæ, perfectam notitiam acquisiverit, singulis ad loquendum & scribendum expeditissimus. Qua de causa etiam à Cæsare expetitus, & in Imperiali Camera Spirensi supremus causarum Judex vel Præses constitutus fuit, priusquam ad Osnabrugensem cathedram vocaretur.

Osnabrugi deligitur Joannes Comes de Hoja.

*Chytræus l. 11. Saxon. ad ann. 1574. & l. 23 ad ann. 1574.

*Chytræus l. 23. ad ann. 1574.

Denique Mindensis Episcopatus, quem Franciscus Episcopus adhuc vivens dimittere coactus fuerat (uti suprà vidimus) obvenerat quidem Duci Julio, Henrici Brunsvicensis filio. Sed, cùm ipsius fratres, Philippus Magnus & Carolus Victor, die nonâ Julii in prælio Sivershusano cecidissent; paterni Ducatûs adeundi cupidine, Mindensem insulam abdicavit in favorem Georgii patrui sui, Colonensis Ecclesiæ Præpositi. Et hic sacris istis honoribus, propter singularem orthodoxæ Fidei constantiam, longè dignior erat; quàm Julius Dux, ad errores Lutheranos admodum propensus: uti suo loco videbimus, cùm ad mortem Henrici patris narnando pervenerimus.

Julius Dux Brunsvicensis Mindensem insulam sibi delatam abdicat in favorem patrui sui Georgii Ducis.

Chytræus l. 18. Saxon. Hamelm. in chron. Mind. pag. 559.

Coloniæ per hunc annum grassabatur horrenda pestis, quæ nonnunquam intrà diem unicum ducentos homines è vivis exturbabat. Memorantur ex ea per Æstatem & Autumnum periisse circitèr viginti quinque millia hominum. His indefessam in sacramentis administrandis operam præstitêre Patres è Societate JESU, unà cum Patre Kesselio, collegii Colonensis Rectore primo. Visúsque est Deus charitatem hanc Apostolicam ità remunerari, ut è prædictis Patribus, inter quotidiana funera oberrantibus, non solùm nemo *defunctus fuerit; verùm etiam complures alii, ad quos animarum juvandarum causâ accedebant, ex eorum adventu & spirituali consolatione curati sint. Unde &, Orlandino teste, *ea interdum voces audiebantur in populo, quotquot sua Leonardo peccata aperirent, eos protinus convalescere, et vitam instituere sanctiorem.*

Coloniæ moriuntur ex peste 25. millia hominum.

Chron. Trem. mss. Orland. infrà cit.

Obsequia Patrum S. J. in juvandis ibidem pestiferis.

*Orlandin. in hist. Soc. Jesu, part. 1. l. 13. n. 27.

De bellis exteris, Gallum inter & Cæsarem hoc anno gestis, nihil hîc memorare volui: tum quia nihil faciunt ad scopum historiæ

storiæ nostræ; tum quia ad hunc annum satis multa è rebus Westphalicis occurrerunt, quæ calamum nostrum præ ceteris deposcebant.

Annus Christi 1554.

JULII III. Pontificis 5.
CAROLI V. Imperatoris 35. & 36.
REMBERTI Episcopi Pad. 8.

Albertus Brandeburgicus, Germaniæ turbator ab Henrico Brunsvicensi iterum cæditur in Franconia. *Spangenb. in chron. Mansf. Haræus in ann. brab. Camer. ad hunc annũ.*

ALbertus Marchio Brandeburgicus, uti sub anni prioris exitum à Camera Imperiali; sic etiam hoc anno ab ipsómet Cæsare per edictum publicum, Bruxellis editum, proscriptus est. Ille tamen, contemptis hisce fulminibus, pergebat adhuc spirare bella, & variis in locis corrogare militem, quo nefarias molitiones suas, ante biennium cœptas, pertexeret. Sed Henricus Dux Brunsvicensis, à quo jam bis gravi clade percussus fuerat, ipsius tergo cum suis & Episcoporum Franconicorum copiis continuò insistebat: neque priùs ab eodem persequendo destitit, donec eum in Bambergensi ditione prope silvam Steigerwaldiam assecutus est. Ibi, cùm ad manus conferendas veniretur, Henricus Dux novam ab hoste victoriam retulit. Alberti equitatus in fugam actus, pedites omnes vel interfecti vel in prælio capti, reliquus apparatus belli cum tormentis & impedimentis omnibus potestati victoris traditus ac derelictus: nec multò pòst etiam fortissima Alberti Marchionis arx Plassenburgum* propter alimentorum & victûs penuriam se sponte dedidit. Ità magnus hic turbator Germaniæ, tandem omnibus ditionibus suis ejectus & exutus, in Galliam profugit: ubi tamen haud magnis à Rege gratiis receptus fuit; quòd & istic perfidiæ suæ vestigia ante biennium reliquisset, & nunc veniret, non ut auxilium ferret, sed ut rogaret. Proinde, cùm & ibi se neglectum cerneret, suóque ære per sesquiannum tenuiter victitâsset; ad Marchionem Badensem, affinem suum, precariò se recepit: brevíque pòst, *inter ingentes cruciatus, et vermiculorum* è putrescenti corpore enascentium corrosiones*, turbulentam animam exhalavit Pfortzhemii die 8. Januarii, anno 1557, ætatis suæ tricesimo quinto. Dignus, cujus tumulo inscriberetur vulgatum illud: *hîc quiescit, qui nunquam voluit quiescere.*

**arx illa imminet urbi Culmbacensi*

Ditionibus omnibus exutus, in Galliam fugit; ibíque neglectus & exul moritur Pfortzhemii. *Haræus loc. cit. Camerar. in annotat. rer. præcip.*

In Italia, Gallia, & Belgio, fervebant adhuc bella, Cæsarem inter & Gallum à biennio cœpta. Decertatum ab ambobus eventu vario: sed in Italia tamen Mars longè faventior erat Cæsareanis,

**Camerar. loc. cit. ad ann. 1557.*

nis, quàm Gallis. Illic enim die 2dâ Augusti, Marignanus copiarum Cæsarearum ductor tam insigni clade profligavit Strozzium Gallorum ducem, ut eorum circiter*quinque millia occisa, ac duo millia cum centum & ampliùs vexillis militaribus in prælio capta sint, amissis ex parte Cæsareorum vix quadraginta viris. Quæ victoria cùm in die S. Stephani Papæ martyris impetrata sit in agro Pisano; Cosmus I. Hetruriæ Dux* in memoriam ejus instituit Ordinem equestrem S. Stephani.

Galli à Cæsareis magnâ clade cæduntur in Hetruria. *Haræus in ann. brab. Spond. hic n. 5. *Spond. ib.

In Anglia reflorescebat Catholica Religio per Mariam Reginam, Henrici VIII ex Catharina Hispana filiam; quæ superiore anno post obitum Eduardi Regis, pridie Nonas Julias in tenera ætate mortui, ad Regni istius thronum evecta erat. Hæc deinde Philippo Caroli Imperatoris filio, solennibus nuptiis hoc anno conjuncta est Wittoniæ in Anglia, die vicesimâ quintâ Julii: nec multò pòst Anglia tota à Cardinali Polo ad obedientiam summi Pontificis reducta, & à schismate ac hæresibus præteritis felicissimè absoluta fuit. Magnum gaudium res illa peperit universo orbi Catholico, si Galliam exceperis. Sed eheu! lætitia ista brevi rursus in luctum abiit, quando hæc Regina quadriennio pòst cum ingenti bonorum omnium dolore è vivis abiit, nullâ prole post se relictâ, quæ Catholicam Religionem sustineret.

Maria Angliæ Regina, Eduardo fratri ante annũ suffecta, remCatholicam restituit; & hoc anno desponsetur Philippo Caroli V. Imperatoris filio. *Haræus in ann. brab. Spond. hic & ad ann. præced. Surius, & alii passim.

Hæc de aliis in Europa gestis breviter attingere necessarium duxi: nunc etiam ad ea pergo, quæ ad historiam Westphaliæ speciatim pertinent. In Episcopatu Osnabrugensi faustissimum hoc anno regimen adortus est Joannes Hojanus, vir & Cæsari gratus, & summo Pontifici. Ejus postulatio à Julio Papa Romæ admissa & confirmata est tertio Kalendas Aprilis, uti constat ex hoc diplomate ad Collegium Cathedrale missо.

Joannes Comes de Hoja, Elect. Ep. Osnabrugensis, confirmatur à Pontifice.

Julius Episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis, Capitulo Ecclesiæ Osnaburgensis salutem, et Apostolicam benedictionem. Hodie postulationem de persona dilecti filii, Joannis Electi Osnaburgensis, in Episcopum Osnaburgensem, per vos et dilectum filium Decanum et Seniorem Ecclesiæ vestræ Osnaburgensis, Ecclesiâ ipsâ certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutâ, ritè celebratam, de fratrum nostrorum consilio Apostolicâ auctoritate admisimus; ac eundem Joannem Electum dictæ Ecclesiæ in Episcopum præfecimus et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiæ sibi in spiritualibus et temporalibus plenariè committendo, pro ut in nostris indè confectis literis pleniùs continetur. Quocirca etc. - - - Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto, tertio Kalendas Aprilis, Pontificatûs nostri anno quinto. *Litera Osnabrug. descripta ex autographo.

Gra-

Wilhelmꝰ de Ketteler, electus monasterienſis à ſede Pontificia confirmatur; ſed non ſinè difficultate.

Graviorem in curia Papali remoram invenit Monaſterienſis Electus, Wilhelmus de Ketteler: ſive quòd à ſuſcipiendo ſacerdotio alienior eſſet; ſive quòd in aula Clivenſi nimiùm adhæſiſſet Georgio Caſſandro, & aliis de integritate Fidei Catholicæ non leviter ſuſpectis. Certè Caſſandrum inter & ipſum, extitiſſe novimus non parva commercia literarum; & inter has unæ ſunt, per quas Wilhelmus eundem conſuluit de præſtatione hujus juramenti *Epiſcopalis: *Ego Wilhelmus, Electus Monaſterienſis, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, et Domino noſtro Julio III, ſuíſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus etc.* Poſtremò tamen ob Eccleſiæ detrimenta, quæ ex diuturniori vacatione timeri poterant ac debebant, à Romana Curia impetratum eſt, ut ei plena Monaſterienſis Epiſcopatûs adeundi & adminiſtrandi poteſtas fieret. Unde & anno ſequente Monaſterienſem in urbem cum honore publico ſe introduci, & conſuetâ ſtatuum Diœceſanorum pompâ inaugurari fecit.

Anton. Matthæus to. 8. Analect. vet. ævi, in notis ad catal. Ep. Mon. Matthæi Tympii pag. 274.

In Epiſcopatu noſtro Paderbornenſi, vigilantiâ & ſollicitudine Remberti Epiſcopi noſtri, adhuc omnia, quæ ad Catholicam Religionem pertinent, videbantur in ſtatu bono. At in aliis territoriis vicinioribus, quæ tantùm ſpirituali jurisdictioni Antiſtitis noſtri ſubjacent, propriorum Dominorum inconſtantiâ ac defectione multa jam peſſumibant, non ſolùm in Eccleſiis parochialibus; verùm etiam in variis monaſteriis, intrà eorum ditionem poſitis. Inter alia, monaſterium Flechtorpienſe Comitatûs Waldecenſis (quod virorum religioſorum ex Ordine S. Benedicti erat) propter invaleſcentem hæreſin, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus bonis maximopere deficiebat. Et jam hoc anno, quo Meinolphus Abbas ibidem die decimâ quintâ Maji è vivis abiit, eâ perſonarum* paucitate laborabat, ut in toto monaſterio præter Priorem & Cellerarium nemo ſupereſſet, quàm unus junior monachus profeſſus. Quare, cùm ad novi Abbatis electionem procedi oporteret, neceſſe fuit ad aliorum auxilia confugi; rogaríq; tres Abbates viciniores, Arnoldum Ss. Petri & Pauli Apoſtolorum, in Abdinghoff, Gerhardum B. MARIÆ Virginis in Marienmünſter, & Rotgerum S. Alexandri & ſociorum ejus in Graëffſchafft, velut iſtius monaſterii viſitatores à congregatione Bursfeldienſi deſignatos, ut in hoc difficili electionis negotio ſuæ paucitati ac perſonarum inopiæ ſubvenirent. Sed & hi, dum ad tempus conſtitutum in monaſterio Flechtorpienſi conveniſſent, rurſus aliud obſtaculum invenêre à prohibitione Comitum Waldecenſium, qui pro Lutherano ingenio ſuo novam electionem impediebant; malebántque, monaſterium hoc paulatim emori, quàm ad priſtinum flo-

Monaſteriũ Flechtorpienſe Ordinis S. Benedicti verſatur in ſtatu miſero.

ex antiquis literis Paderborn.

**ex inſtrumento electionis.*

Meinolpho Abbate mortuo, ibidem ex compromiſſo novꝰ Abbas conſtituitur & poſtulatur Joannes Rade, profeſſus in Liesborn.

ex iiſdem literis antiquis.

florem revocari. Unde prædicti Abbates unà cum tribus illis monachis, qui ibidem adhuc supererant, coacti sunt pro futura Abbatis electione locum alium circumspicere: tandémque habitis inter se consiliis placuit, pridie Idus Julii rursus convenire Paderbornæ in monasterio Abdinghoffensi, quò & Conradus Flechtorpiensis Ecclesiæ Cellerarius nomine suorum venit. Ibi verò à prædictis Abbatibus & Conrado Cellerario per viam simplicis Compromissi delectus est Frater Joannes Raden, professus in Liesborn, & Virginum Benedictinarum confessarius in Wittmersen. Qui & eâdem die; nimirum decimâ quartâ Julii, Remberto Episcopo nostro ad confirmandum & benedicendum præsentatus fuit; uti constat è veteribus literis nostris, cum authentico electionis instrumento ad eundem exaratis, quæ ità habent:

Ejusdem confirmatio & benedictio more antiquo petitur à Remberto Episcopo Paderborn.

Literæ hac de re datæ ad Rembertum Episc. *Ex veteribus mſ.*

REverendo in Christo Patri et Domino, D. Remberto Ecclesiæ Paderbornensis Episcopo etc. - - - In nomine Domini amen. Prior et conventus (quamvis defectu personarum exigui numeri) monasterii divæ MARIÆ Virginis in Flechtorp, Ordinis divi Benedicti, vestræ Reverendæ Paternitatis humiles et devoti filii, cum omni reverentia orationum nostrarum suffragia, ac infrà scriptorum cognoscere veritatem. Quia propter vacationem diuturnam monasteria, Pastoralibus solatiis destituta, gravia tam in spiritualibus, quàm temporalibus, dispendia patiuntur: idcirco anno Domini infrà scripto, die quidem decimâ quintâ mensis Maji, defuncto piæ memoriæ Meinolpho, Abbate novissimo monasterii nostri præfati, ac ipsius corpore cum devotione et reverentia tradito Ecclesiasticæ sepulturæ, ne ipsum monasterium viduitatis suæ incommoda diutiùs deploraret, fuit certus dies à nobis ad electionem futuri Abbatis celebrandam concorditer assignatus. Convocatis igitur secundùm statuta nostra Venerabilibus et Religiosis Dominis, Arnoldo in Abdinghoff, Gerhardo in Marienmünster, et Rotgero in Graefffschafft monasteriorum Abbatibus, et visitatoribus nostris, per Capitulum annale nobis deputatis, ad monasterium nostrum prædictum pro electione futuri Abbatis celebranda, fuerunt præfati Abbates, ne ad electionem procederent, pro parte Comitum de Waldecke impediti. Assignato itaque alio loco et die per eosdem Dominos Abbates, hoc est, loco monasterii Abdinghoffensis, et die sabbathi decimâ quartâ mensis Julii, eisdem Abbatibus unà cum Cellerario nostro Domino Conrado, cum constitutionis procuratorio et potestatis dationis eligendi per eundem præsentato, plenariam, ad electionem futuri nostri monasterii Abbatis, propter defectum personarum nostri Conventûs concessimus facultatem. Convenientibus ergo præfatis Dominis Abbatibus et Cellerario nostro, in loco Capitulari ejusdem monasterii Abdinghoffensis, et die suprà dictâ, post solennem Missæ de S. Spiritu decantationem, et juxta decreta concilii Basileensis procedere volentibus, placuit eisdem præfatis Abba-

Abbatibus maturâ deliberatione præhabitâ, per formam et modum Compromissi simplicis dicto nostro monasterio de novo Abbate (præfatis hinc inde per eosdem Abbates et Cellerarium nostrum prædictum juramentis) providere. Unde præhabitis deliberationibus Abbatum sæpedictorum et Cellerarii nostri concorditer elegerunt et nominârunt religiosum Fratrem et Dominum Joannem Rade, Patrem et confessorem in Wittmersen, Diœcesis Monasterienſis, monachum professum in Liesborn ejusdem Diœcesis, virum utique providum et discretum, literarum scientiâ, vitâ, et moribus meritò commendandum, in sacris Ordinibus et ætate legitima constitutum, in spiritualibus devotum, Religionis et observantiæ regularis zelatorem, aliisque multiplicibus castimoniæ et sanctimoniæ virtutibus insignitum. Quem unus præfatorum Abbatum, Dominus Gerhardus Abbas in Marienmünster, vice suâ et suarum collegarum pronuntiavit sub hac verborum forma: In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs sancti, amen. Ego Frater Gerhardus Abbas in Marienmünster etc. . . . . Quâ electione sic ritè celebratâ, et cantico Te Deum decantato, aliisque servandis servatis, tandem consensu ipsius Electi per prædictum nostrum Cellerarium . . . humili precum instantiâ flagitato: Idem Electus, post humilem insufficientiæ suæ allegationem, demum divinæ nolens resistere voluntati, annuit votis nostris, electioni de se factæ consentiens. Quapropter Reverendæ Paternitati vestræ, tam devotè, quàm humiliter, unà cum dicto electo supplicamus, quatenus electionem ipsam sic canonicè et solemniter celebratam confirmare, ac eidem Electo munus benedictionis favorabiliter impertiri, aliásque, pro ut opus fuerit, opportunè providere dignemini: ut Deo authore nobis et nostro monasterio velut Pastor bonus præesse valeat utiliter, et prodesse; nôsque et alii ejus subditi sub ipsius regimine, in observantia regulari, Domino virtutum salubriter militare possimus. Acta sunt hæc in loco capitulari monasterii Abdinghoffensis, sub anno Domini milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo quarto, Indictione 12, die quidem sabbathi, 14 mensis Julii, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris ac Domini, D. Julii divinâ providentiâ Papæ III. anno quinto. etc.

Rembertus Ep. Paderb. componit controversiam, habitâ cum Philippo Comite Spiegelbergensi de limitib⁹ Pyrmontanis & Schwalenbergensib⁹,

Quæ autem fortuna postmodum Flechtorpiensi huic monasterio evenerit; quomodo illud per facinorosam immundámque vitam Balthasaris Haghmeisteri, Abbatis ultimi, quotidie in pejus iverit, ac tandem à Comitibus Waldecensibus extinctum fuerit; apertiùs ostendetur quadriennio pòst. Rembertus interim Episcopus noster, de terris propriis maximè sollicitus, composuit hoc anno duas graves controversias, quas habebat cum vicinis. Prima erat inter ipsum & Bernardum Comitem Lippiensem ex una parte; atque inter Philippum Comitem Spiegelbergensem & Pyrmontanum ex altera parte, ratione limitum Pyrmontanorum & Schwa-

Schwalenbergenſium. Hæc autem controverſia feriâ quartâ Pentecoſtes (quæ erat decima ſexta Maji) interveniente Comite *Ottone de Holſtein, Schawenburg, & Sterneberg, feliciter complanata eſt in oppido Lügde: ubi, præter Ottonem Comitem prædictum, velut arbitrum, convenêre ſimul Bernardus Comes de Lippe, Philippus Comes de Spiegelberg, & ex parte Epiſcopi Capitulíque Paderbornenſis, Dominus Philippus de Weſtphalen Præpoſitus, Volpertus de Brencken, Henricus de Meſchede, Canonici, Philippus ab Hôrde Præfectus aulæ, Widekindus de Falckenberg ſatrapa in Herſtelle, & Henricus von Côllen Cancellarius.

*ex veteribus literis cancellariæ Paderb.

Altera lis erat Nobilium de Amelunxen in territorio Corbejenſi, diſceptantium cum Epiſcopo noſtro de limitibus inter Beverungam oppidum Diœceſis noſtræ, ſuósque pagos Amelunxen ac Drencke. Sed & iſta lis, intervenientibus Dominis Ludolpho de Klencke & Melchiore de Steinberge, non minùs proſpere compoſita eſt Beverungæ feriâ quintâ poſt S. Galli: ubi præter modò dictos interventores & arbitros convenerunt ex parte Amelunxiorum Reinardus, Joannes, Gerhardus, & Ludolphus de Amelunxen, fratres & cognati; ex parte verò Epiſcopi & Capituli noſtri, Henricus de Meſchede Cathedralis Eccleſiæ Cantor, Volpertus de Brencken Canonicus, Hermannus de Mengerſen ſatrapa Swalenbergenſis, Joannes de Spiegel Mareſchallus hæreditarius, Hermannus de Viermund ſatrapa Dringenbergenſis, Philippus ab Hôrde Præfectus aulæ, Widekindus de Falckenberg ſatrapa Heriſtallenſis, & Henricus von Côllen ad S. Udalricum Præpoſitus, & Cancellarius.

Item aliam controverſiam, cum Nobilibus Amelunxiis habitam de limitibus inter Beverungenſes, & Corbejenſes pagos Amelunxen & Drencke. *Ex antiquis literis Beverung.*

Finem hujus anni dolendâ morte ſuâ funeſtavit egregiæ doctrinæ, zelíque ardentiſſimi vir, Jacobus Schôpperus, Tremoniæ in Weſtphalia natus, & ibidem Paſtor ad Beatam Virginem. Is, cùm ætatem primam humanioris literaturæ ſtudio ſolerter excoluiſſet; reliquum ſuæ vitæ tempus altioribus disciplinis & ſcripturarum ſanctorúmque Patrum lectioni tam utiliter impendit, ut apud eruditos & pios quosque magnam ſui nominis exiſtimationem promeruerit. Admotus deinde ad ſacram ædem cathedrámq; B. MARIÆ Virginis, integerrimi Paſtoris & ferventiſſimi concionatoris officium annis quàm plurimis cum laude maxima conjunxit; ídque infeſtiſſimo Lutheranæ hæreſeos tempore, quo etiam viri boni propter inſanos ubique motus de ſua Fide & ſalute periclitati ſunt. Unde etiam id conſecutus eſt, ut quemadmodum paſſim antiqui ſcriptores referunt, urbs Tremonia vivente ipſo in Catholicæ Religionis obſervantia perſtiterit; quæ tamen haud multò pòſt, cùm ejuſmodi columna cecidiſſet, præcipiti lapſu in

Tremoniæ in weſtphalia hoc anno moritur Jacobus Schöpper*, Paſtor & concionator celebris: *chron. Tremon. mſ. Kleinſorg. ad an. 1556 Cratep. in catal Archiep. Col.* Quo extincto, Fides Catholica non multò pòſt ibidem extinguitur.

Turckius in hist. ms. Luthericos errores devoluta est. Mortem ejus Cratepolius, Kleinsorgius, Callidius, & alii vulgò referunt ad annum 1556: sed, cùm inscriptio sepulchri ejus in Mariano templo Tremonienſi indicet, eum hoc anno* è vivis decessisse die quartâ Decembris, in *Chron. Trem. ms.* testo S. Barbaræ; testimonium hoc aliorum scriptorum auctoritati præferre malui, & requiem ei sempiternam precor.

Annus Christi 1555.

JULII III. Pontificis ultimus.
MARCELLI II. & PAULI IV. PP. 1.
CAROLI V. Imperatoris 36. & 37.
REMBERTI Episcopi Pad. 9.

Julius Papa moritur die 23 Martii.

DIe vicesimâ tertiâ Martii Julius III. Romanus Pontifex quinquennalem Ecclesiæ præfecturam finiit, ex nimia ciborum abstinentia: quâ, dum obstinatis acutísque* podagræ doloribus mederi vellet, stomachum prævalidum cibóque plurimo assuefactum ità fregit, ut post unum tam importunæ diætæ mensem vitalis calor penitus extinctus fuerit. Succeſſit ei Marcellus Cervinus, qui retento priori nomine Marcellus II. appellari voluit, electus die nonâ Aprilis, & sequenti die coronatus. At ejus Papale regimen longè brevius & contractius fuit, quàm Patrum Purpuratorum opinio tulerit: quippe qui eodem mense, nimirum die *ultima Aprilis, catarrho apoplectico tactus in aliam vitam evolavit. Post hunc ad Pontificale solium pervenit Paulus IV, dictus antea Joannes Petrus Caraffa, electus die vicesimâ tertiâ Maji, ac triduo pòst coronatus in Dominica proxima ante Pentecosten: vir egregiæ pietatis ac doctrinæ; sed non eâ, quâ oportebat, prudentiâ* & circumspectione præditus, utì in historiæ nostræ progressu clariùs eluceſcet.

**Pallav. in hist. conc. Trid. l. 13.* Successor ejus Marcellus II. moritur die 30 Aprilis. **Pallav. ib. c. 11. n. 7.* Post hunc eligitur Paulus IV. **Pallav. ib. c. 11. n. 12.*

Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus moritur die 17. Martii.

Paucis diebus ante mortem Julii Pontificis, nimirum die decimâ septimâ Martii, etiam è vita subtractus est Metropolitanus noster, Sebastianus ab Heusenstamm, Archiepiscopus Moguntinus, inopino fato extinctus Elfeldiæ in Rhingavia. Erat hic, ùt in ejus epitaphio apud Serarium legitur, *vir ingenio rerúmque usu clarissimus, utriusque juris Doctor, et in administranda re publica domi forísque indefessus*: verbo talis, cui subditi omnes longiorem vitam exoptâssent, nisì Deus illum ob insignia virtutum merita ad meliorem in cœlo mitram & coronam voluisset evocare. Succeſſorem tamen haud minùs dignum à suo decessu nactus est Danielem de Brendel ab Homburg, Cathedralium Ecclesiarum Moguntinæ

Serar. l. 5. rer. Mog. vitæ Archiep. Mog.

Cui succedit Daniel de Brendel ab Homburg.

&

& Spirensis Canonicum. Qui, tametsi è numero juniorum esset, & fortissimum competitorem contra se haberet Richardum, Cathedralis Ecclesiæ Præpositum è Principibus* palatinis in Simmeren; huic tamen præter omnium exspectationem antepositus, atque ad Archiepiscopalem dignitatem electus est die decimâ octavâ Aprilis. Id autem non esse factum sinè digito Dei, & instinctu Spiritûs sancti, posteriorum annorum eventus docuit. Daniel enim, integerrimæ vitæ & castitatis vir, dignitatem hanc cum ingenti istius Episcopatûs & Ecclesiæ bono felicissimè gessit; cùm è diverso* palatinus ille postmodum à Fide Catholica ad hæresin, à S. Martino metropolitanæ Ecclesiæ patrono ad Martinum Lutherum turpissimè dilapsus fuerit.

*Serar. loc. cit. p. 918.

*Serar. ib. pag. 919.

In comitiis Augustanis constituitur pax Religionis, quam vocant Passaviensem.

Restitutâ in hunc modum jacturâ primariorum Ecclesiæ capitum, gravem aliam longéque minùs reparabilem jacturam Germania passa est in comitiis Augustanis, quæ ab ultimo conventu Passaviensi usque in hunc annum dilata fuerant. Præsidebat his Ferdinandus Romanorum Rex, qui exeunte anno superiore, die vicesimâ nonâ *Decembris, Augustam venerat; agebátque vices sui fratris Caroli Imperatoris, morbo & aliis negotiis impediti. E Principibus, qui paulò tardiùs advenêre, pauci aderant per se ipsos: putà, Michaël Archiepiscopus Salisburgensis, Melchior Episcopus Herbipolensis, Everhardus Episcopus Aichstadiensis, Otto Cardinalis & Episcopus Augustanus, Wolffgangus Abbas Campidunensis, Albertus Dux Bavariæ, Christophorus Dux Würtenbergensis, Carolus Marchio Badensis, & quidam alii. Reliqui ferè omnes tantùm per suos Legatos comparuêre. Initium congressui datum est Nonis *Februarii; & præcipua deliberationum capita sita erant in his duabus quæstionibus: nimirum, quomodo componendæ sint Religionum controversiæ, ex quibus hactenus tam innumera mala in Germanicam nationem fluxerant? Et quâ ratione stabilienda sit communis pax & securitas? Quod ad primum attinet, facilè videbant omnes, rem hanc esse longioris indaginis, quàm ùt in his comitiis absolvi, & Religio concors iterum induci queat: atque ideo unanimi consensu quæstio illa in alium Imperii conventum rejecta est. Quod autem ad alteram quæstionem attinet, petiêrat Ferdinandus Rex clariora Cæsaris mandata; simúlq; *suaserat ei pacem cum Gallo: hanc enim velut unicum telum superesse ad infringendam Protestantium pervicaciam. Sed, cùm Imperator eo tempore jam cogitaret Imperii coronam à se deponere; ideóque solùm frigidè responderet, se curis aliis intentum esse, Germaniæ res in ejus arbitrio à se reponi: tandem Ferdinandus Rex, à Lutheranis pejora metuens, post longas multorum men-

*itâ habetur in Recessu August.

*Palat. in Aq. Austr. n. 543. Serar. l. 5. rer. Mog. n. 917. c. 4.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 13. c. 13. n. 3. explicantur istius pacis articuli, Catholicæ

Religioni magnopere noxii.

sium altercationes die 25 Septembris consensit in hos articulos pacis, ab utraque parte acceptatos, & usque ad obtinendam Religionis concordiam duraturos: *Nemo Principum aut aliorum Imperii Ordinum (etiam nec ipse Imperator) cuivis alteri vim aliquam aut molestiam inferat ob Religionem seu Catholicam seu Lutheranam, quam amplectitur; neque propter ordinationes et cerimonias, utrique Religioni proprias: ità tamen, ut hoc decreto non comprehendantur alii, quàm qui vel Catholicæ Religioni vel Augustanæ Confessioni adhæserint. Quòd si in posterum aliquis Archiepiscoporum, Episcoporum, Præsulum, aut aliorum Ecclesiasticorum, à Romana Fide abscessurus esset; continuò dignitatem Ecclesiasticam et beneficia sacra, cum omnibus fructibus et emolumentis indè provenientibus, ab se dimittet; licebitque tunc vel capitulis, vel aliis Personis, quibus id ex jure vel consuetudine competit, alium Catholicæ Religioni deditum in ejus locum surrogare, eligere, aut nominare. Bona Ecclesiarum et monasteriorum, quæ Passavienſis transactionis tempore jam extra potestatem Clericorum aut Religiosorum constituta, et à statibus Lutheranis vel ad pauperum eleëmosynas, vel ad literarum scholas, vel ad alios usus pios applicata fuerant, relinquantur in eo statu, in quo jam sunt; neque de iis admittantur processus in judicio Cameræ, nisi ea pertineant ad immediatos *Imperii status vel Ordines. Jurisdictio Ecclesiastica (salvis Ecclesiarum, Collegiorum, ac monasteriorum redditibus, decimis, et aliis juribus) non exerceatur in homines Augustanæ Confessioni deditos, quo ad ea, quæ ad ipsorum fidem, religionem, ordinationes Ecclesiarum, designationes ministrorum, aliósque ritus et consuetudines pertinent: secùs verò in rebus aliis, quæ talia non concernunt. Nullus Imperii Ordo alium ejúsve subditos ad suam Religionem alliciat, invitet, aut adversùs proprios ipsorum Dominos in suam protectionem suscipiat. Ac denique in urbibus liberis ac Imperialibus, in quibus utraque Religio, Lutherana scilicet et Catholica, hactenus in usu fuit, etiam utraque in posterum perseveret; nec ibidem civium aut incolarum unus alteri ob Religionem adversetur etc.*

Ex Recessu Augustano hujus anni Spond. hic n. 3. Palat. in Aq. Aust. n. 543.

**quales sunt Episcopatus Imperii, & aliæ Prælaturæ similes.*

Hæc est illa famosa Religionis pax, quæ, tametsi Augustæ demum confecta sit, communiter tamen *Passavienſis appellari solet, quòd tribus abhinc annis ibidem inchoata fuerit. Pontifex, ùt primùm audiit, Ferdinandum Regem his decretis consensisse (Cæsar enim subscribere non voluerat, quòd hac in re successuro fratri potestatem omnem detulisset) vehementer animo commotus est: eóque licentiùs indulsit fervori suo, quòd jam antè ab Austriacis alienior, & in Gallum propensior esset. At Ferdinandus à Pontificiis objurgationibus haud ægre purgavit se; respondítque, in rebus, à sua solius voluntate pendentibus, vel maximum Religionis Catholicæ studium à se hactenus ostensum esse: in iis verò conceden-

**Palat. in Aq. Austr.*

Paulus IV. apud Ferdinandũ Regem acerbè queritur de hôc tractatu inito.

Pallav. in hist. conc. Trid. l. 13. Palat. in Aq. Aust.

cedendis, quæ in aliis Imperii terris Catholicæ Religioni officerent, excusari se ab aperta necessitate; cùm & Lutherani quotidie pejora minitentur, & à Cæsare fratre, bellis Gallicis, morbísque impedito, non multum opis afferri valeat: proinde consultiùs sibi visum esse, ut in ea necessitate Lutheranis permitteret aliqua, ne turbarent ac raperent universa. Quæ responsio, tametsi Paulo IV, contrariis præjudiciis occupato, non satisfecerit; verissima tamen fuit, probatáque omnibus, qui pientissimas *Ferdinandi literas, ad S. Ignatium datas, vel obiter inspexêre. Fundaverat jam tum Viennæ collegium Societatis JESU pro tuenda Fide Catholica; & eodem hoc anno, cùm in urbe Augustana degeret, urgebat ac meditabatur aliud *in urbe Praga. Evulgaverat in suis terris cathechismum Catholicum, à Petro Canisio Societatis JESU conscribi jussum; gravitérque simul interdixerat omnes alios catechismos, à Lutheranis editos vel corruptos. Expulerat è Bohemia, non sinè aliquorum Principum offendiculo, Lutheranos omnes verbi ministros, circitèr ducentos: neque dubium est, quin id etiam perfecisset in omnibus aliis Germaniæ terris, modò ipsi tantum potestatis fuisset in aliorum ditionibus, quantum in suis. Quare, quod in his comitiis in favorem Lutheranorum statuit, non nisì animo invitissimo fecit: neque desunt* auctores, qui contestentur, Ferdinandum Regem, cùm huic tractatui subscripsit, necessitati suæ mœstum illachrymâsse profusis fletibus.

Ferdinandi Regis excusatio à necessitate istorum temporum. *Pallav. loc. cit. Palat. in Aq. Austr.* Ejusdem fervor in Fide. **extant to. 7. Ss. Julii in comm. prævio ad vitam S. Ignatii, §. 44. & 45.* **ibid §45. n. 475. & sequentib°.* **Palat. in Aq. Austr. n. 544. & alii.*

Uno duntaxat mense post hanc pacem initam, nimirum die vicesimâ quintâ Octobris, Carolus Imperator totius Belgii gubernationem Bruxellis in filium Philippum transtulit, ægritudine magis ac virium defectu; quàm pondere annorum pressus. Aderant præter innumeros Belgarum proceres, aliósque Principes & Principum Legatos, geminæ sorores ejus, Eleonora, Francisci Galliæ Regis, & Maria, Ladislai Hungariæ Regis vidua, unà cum successore ejus Philippo filio. In horum conventu ægre stans, unâque manu baculo, & alterâ adstantis humero innixus, primùm commemorabat labores pro terrarum suarum defensione obitos; deinde modernam infirmitatem suam, quâ moneretur terrenis se abdicare, & æternæ salutis negotium agere. Tum ad Belgii congregatos Proceres conversus: *Accipite igitur*, inquiebat, *pro sene juvenem, pro imbelli fortem! Adjungite ei inter vos concordiam, in templo religionem, in foro justitiam! sic Deo cari, fideles Principi, et ubique terrarum victores eritis.* Postremò etiam ad Philippum versus: *A te autem*, inquiebat, *fili mi! hoc unum posco, ut subditos tuos in filios suscipias: sic enim et ipsi suscipient te in Patrem. Ditissimas provincias trado tibi: tu, ut iis feliciter præsis, time Deum, et ama subditos. Hæc*

Carolus Imperator Bruxellis, die 25. Octobris, Belgii totius regimen abdicat, ac transfert in Philippum filium. *Palat. in Aq. Austr. Haræus in ann. brab. Surius & alii.*

si

si serves, neminem formida; sed cuncta prospera de cœlo spera! Quæ ultima verba, dum leni exclamatione & cadentibus è vultu lachrymis terminaret; etiam omnium adstantium oculi* in uberes fletus resoluti sunt. Cæsar interim, ad cujus genua Philippus filius humillimè se advolverat, paternâ manu impositâ copiosam ei de cœlis opem ac benedictionem precatus est. Nec multò pòst etiam Regnis aliis & Imperio Germanico eâdem animi constantiâ ac fortitudine renuntiavit, utì ad annum sequentem pleniùs exponetur.

*Palat. ib. n. 547.

Georgius Episcopus Mindensis eo tempore nondum erat consecratus à sede Pontificia.

In Westphalia circa hoc tempus nondum omnes Episcopales cathedræ novos acceperant Episcopos, à Romana curia confirmatos. Nam in comitiis & Recessu Augustano, quem die vicesimâ quintâ Septembris conclusum diximus, inter Principum subscribentium nomina prorsus nulla fit mentio Georgii Mindensis Episcopi; sed solius* Decani & Capituli. Quod mihi signum certissimum est, resignationem Julii Ducis, in Georgium Ducem patruúmque suum, eo tempore nondum receptam & confirmatam fuisse à Pontifice: ídque forsan ex eo capite, quòd ipse Julius nondum antea confirmatus fuerit, & consequenter etiam non potuerit legitimè renuntiare in favorem alterius. Reliqui Westphaliæ Episcopi in iisdem comitiis comparuêre per Legatum vel Oratorem suum Jodocum de Dincklage, Cathedralium Ecclesiarum Paderbornensis & Osnabrugensis Canonicum: qui non modò Remberti Paderbornensis & Joannis Osnabrugensis; verùm etiam Wilhelmi Monasterienſis Episcopi vices ibidem supplevit, utì ex Recessu prædicto constat.

*vide Recess. Augustan.

Reliqui Episcopi Westphaliæ, Paderb. Osnabrug. & Monast. Oratorem suum habuêre in comitiis August.

*vide Recess. August.

Posterior horum, Wilhelmus Episcopus Monasterienſis, posteaquam à sede Pontificia confirmatus esset; pro solenni inauguratione suî, urbem hoc anno ingressus erat die vicesimâ quartâ Februarii in Dominica quinquagesimæ, deducente eum frequentissimâ Nobilitate, & nongentis equitibus. Peractâ pompâ & honoribus consuetis, instructæ fuerant opiparæ dapes, omni ciborum apparatu & lautitiâ splendidæ. Ad quas, dum sederet Princeps cum nobilissimis Convivis, inter alia fercula postremùm afferebatur ingens artocreas: in quo sub triticei panis operculo claudebatur elegantulus puer, apothecarii filius. Is, cùm operculum removeretur, derepente se in altum attollebat; & vivacissimo corporis motu, primò Wilhelmum Principem, deinde reliquos convivas, gratiosè intuebatur, & ex ordine salutabat hísce versibus:

Wilhelm⁹ Episcopus Monaster. Dominicâ quinquagesimæ urbẽ suam solenni pompâ ingreditur.

chron. Monast. ms.

Lætitiæ convivales.

chron. Monast. ms.

Exspectate diu, sis felix inclyte Princeps!
Urbs hæc pacifico sit pede tacta tuo!
Te Clerus, te Nobilitas, totúsque Senatus,
Te cuncti cives, virgineúmque decus,

Te

Te posito luctu vidui, viduæque salutant,
Gratatúrque tibi, quidquid in urbe vides.

✠

Vos quoque magnanimos Proceres salvere jubemus,
Quos minimè piguit gaudia nostra sequi!
Olim pro meritis referetur gratia vobis:
Sed nunc lætitiam résque locúsque petunt.
Hôsce dies igitur lætos consumite læti:
Principe cum nostro corda levate mero.

Caſparus ab Hôrſel, Abbas & Princeps Corbejenſis moritur: cui ſuccedit Reinerus vel Reinhardus de Bucholtz.

Ex aliis viris Principibus nullum aliud hoc anno funus vidit Weſtphalia, quàm Illuſtriſſimi Abbatis Corbejenſis, Caſpari ab Hôrſel; de cujus morte breviſſimis verbis hoc anno meminit Erbenius. Utinam & elogium ejus, ac diem obitûs addidiſſet! In Receſſu Auguſtano, Abbatiæ Corbejenſis nomine, nullus planè Legatus vel Orator adfuit: unde colligo, eum circitèr Auguſto menſe extinctum eſſe. Succeſſor ejus in Prælatura & Principatu fuit Reinerus, vel (ùt alii ſcribunt) Reinhardus de Bucholtz, poſtulatus ex monaſterio Gladbacenſi, vir & œconomiæ ſtudioſus, & rerum Weſtphalicarum non ignarus: in eo tamen infelicior, quòd Lutheranorum invaleſcentium turbas ob iſtius ævi malignitatem compeſcere non potuerit. Nam eodem anno, quo clavum adiît, & Patres Minoritæ ſeu Conventuales *ab Huxarienſibus urbe pulſi, & ſanctimoniales è Kemnadenſi *monaſterio, Corbejenſium directioni ſubdito, ejecti ſunt. Quod cùm apertiſſimè repugnaret paci Religionis, non video, cur novus Abbas non ſolùm id permiſerit; ſed etiam ſequenti anno Huxarienſibus privilegium dederit, ne quis extra hanc urbem audeat in toto principatu ſuo cereviſiam coquere.

Erben. in addit. ad chron. Huxar. mſ Corbej.

PP. Minoritæ ab Huxarienſibus expelluntur.

**Erben. ib.*
**mſ. Corb.*
**Erben. ib. ad ann. 1556.*

Annus Chriſti 1556.

PAULI IV. Pontificis	1. & 2.
CAROLI V. Imperatoris.	37. & 38.
REMBERTI Epiſcopi Pad.	10.

Tres Imperii ſeptemviri, Palatinus, Trevirenſis, & Colonienſis moriuntur.

ANnus hic tribus Imperii ſeptemviris fatalis fuit: nimirum Friderico palatino, qui die viceſimâ ſextâ Februarii; Joanni Trevirenſi, qui die decimâ octavâ Februarii; & Adolpho Colonienſi, qui die viceſimâ Septembris, vitam in terris finiît. poſterior horum (nam de aliis duobus plura loqui, extra noſtræ hiſtoriæ ſcopum eſt) novennali regimine ſuo apud omnium ſubditorum animos æternam ſibi laudem

Auctores paſſim.

Adolphi Coloniensis laus. *Cratepol. in catal. Archiep. Colon. & alii sparsim*

dem ac honorem peperit. Erat enim Catholicæ Religionis amantissimus, pacis cultor, dissensionum osor, integritate vitæ, modestiâ, humanitate, prudentiâ, & omnium virtutum ornamentis ità commendatus, ut meritò in epitaphio suo Colonienſi dictus fuerit, *Deliciæ populi.* Lutheranos errores, ab Hermanno decessore ejus quodam introductos, quantocyus abolevit, concilium provinciale pro reformandis Cleri populíque moribus Coloniæ celebravit, Tridentinæ synodo cum Archiepiscopis Trevirensi ac Moguntino interfuit: neque dubium est, quin pro Ecclesiæ Catholicæ bono plura fuisset præstiturus; nisi talia meditantem, primò tumultus bellici, deinde præmatura mors à bene cœptis impedíisset.

Successit ipsius frater Antonius Comes de Schawenburg, non imparis virtutis ac zeli *Cratepol. loc. cit.*

Successorem in solio Archiepiscopali habuit germanum fratrem suum, Antonium Comitem de Schawenburg, concordibus votis electum die vicesimâ sextâ Octobris. Fuerat hic antea Præpositus Leodiensis, Trajectensis, & Colonienſis ad S. Gereonem; fratríque suo demortuo, pietate, moribus, & Fidei orthodoxæ zelo, ferme tam similis erat, ùt ovum ovo. Sed & huic vita brevior moriendi necessitatem priùs imposuit, quàm Electoralis dignitatis commoda penitiùs degustâsset.

Fridericus Ep. Hildes. & Slesvicensis moritur. *Catal. recentior Ep. Hildes. Chytræus l. 19. Saxon. *Reusner. in geneal. Duc. Hols.*

Accessit & aliud, sed magìs inglorium ac illaudabile funus, Friderici Episcopi Hildesienſis & Slesvicensis; qui ex pernicioso regimine suo plus vituperii, quàm honoris retulit. Spes magnæ de ipso fuerant Hildesii propter cognationes potentissimas: erat enim frater Adolphi Ducis Holsatiæ; filius autem Friderici I. Danorum Regis *è Sophia, Bugslavi Stetinensium Ducis filia. Sed ille magnas ejusmodi spes longissimè fefellit. Præterquam enim quòd ambiguæ Religionis fuerit, Episcopale officium neglexit, sacros Ordines non suscepit, licentiosæ vitæ se tradidit, Ecclesiæ bona dispersit, Stürwaldiam Adolpho fratri oppignoravit, & pleraque urbis Hildesinæ templa, nimirum S. Pauli Patrum Dominicanorum, S. Martini Patrum Franciscanorum, S. Michaëlis Patrum Benedictinorum, S. Georgii Equitum Teutonicorum, S. Andreæ Canonicorum secularium, duásque alias Ecclesias parochiales, Jacobæam scilicet & Lambertinam, senatui & communitati Lutheranæ cessit. Ac tametsi hoc sacrilegio præfecturam & arcem Peinensem, Hildesinæ urbi oppignoratam, à civibus redemerit: ea tamen iterum haud multò pòst, vel Adolpho ipsius fratri oppignorata*, vel certè aliorum sumptuum prætextu tradita, neque priùs à successoribus Episcopis recepta est; donec Ernestus Archiepiscopus, Hildesinæ Ecclesiæ Præsul, eandem sexaginta imperialium millibus* ab Holsatiæ Duce redemisset. His tam perniciosè gestis, Fridericus Episcopus anno superiore in Hol-

Hildesienſi Ecclesiæ magno cum damno præfuit. *Catal. Ep. Hildes.*

**Chytræus l. 19. Saxon.* **Catal. Ep. Hildes. sub Ernesto Bavaro.*

Holsatiam rediit; ibique hoc anno, die vicesimâ septimâ *Octobris, Chilonii defunctus, & Slesvici tumulatus, nocere desiit. In ejus locum non sinè magna Capitularium dissensione Hildesii suffectus est Burchardus ab Oberg, è Nobili ac pervetusta Obergiorum familia, Cathedralis Ecclesiæ Senior ac Decanus: vir ex alle probus, & vel ideo de Ecclesia Catholica maximoperè meritus, quòd Friderico decessori suo Fide, pietate, ac moribus dissimilis fuerit.

*Reusner. in geneal. Duc. Holst.

Successit Hildesii Burchardus ab Oberg, vir maximè Catholicus ac devotus. *Catal Ep. Hildes.*

Inter has Episcoporum Principúmque mortes Carolus V. Imperator, postquam in Autumno superioris anni ditiones Belgicas in Philippum filium transtulisset, eidem pariter intrà menses proximos reliqua Regna omnia, tam Europæa, quàm Transmarina tradidit, reservatâ sibi solùm centies mille coronatorum pensione annuâ: id quod Wilhelmus Godelevæus * exeunte priori anno; Pallavicinus autem *die decimâ septimâ Januarii peractum volunt. Nec multò pòst Imperator, ut Philippo filio tranquillum pacatúmque regimen relinqueret, die quintâ Februarii Gallum inter & Hispanum *quinquennales armorum inducias confecit: quæ tamen, priusquam hic annus evolveretur, illaudabili Pauli IV. Pontificis consilio rursus abruptæ sunt. Supererat adhuc ei dignitas Imperatoris Romani. Et hanc similiter in comitiis publicis ante suum in Hispanias discessum abdicare voluerat, dummodo id ei per vires & alia quædam impedimenta licuisset. At, cùm ea in re plus difficultatis esset; retento paulisper eo titulo, primùm Ferdinando fratri suo, velut electo Romanorum Regi, sollicitè commendavit, ut se absente curam Imperii singularem gereret: deinde & aliis literis, die vicesimâ septimâ Augusti Gandavi datis, Joannem Episcopum Osnabrugensem, velut Cameræ Imperialis Præsidem, & ceteros ejusdem judicii Assessores, impensè commonuit, *ut gloriam Dei præ oculis habeant; ut justitiam omnibus æqualiter administrent, ut à recti studio se nullo rerum aut personarum respectu averti sinant, ut Ferdinando Regi in omnibus morigeri sint, et ab eo (cùm opus fuerit) in absentia sua consilium et auxilium petant.*

Carolus V. regna sua transfert in Philippum filiū:

*Godel in hist. abdic. Caroli V.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 13.

*Auctores iidem.

Haræus in ann. brab.

Curam Imperii commendat Ferdinando fratri, & justitiam judicibus Cameræ. *Godel. in hist. abdic. Caroli V.*

His expeditis, die 30 Augusti cum duabus sororibus suis, Eleonora Franciæ, & Maria Hungariæ Regina vidua, Gandavo Birfletum venit; visóque ibidem sepulchro Wilhelmi Beuckels (qui primus haleces in salsamentariis cadis salire docuit, ac defunctus est anno 1397.) in Zelandiam abiit, ventos inibi secundos ad navigationem Hispanicam præstolaturus. Iis verò benignè aspirantibus, die decimâ septimâ septembris cum utraque sorore prædicta navem conscendit; cursúque optatissimo in Laredanum Biscaiæ portum feliciter appulsus est. Ibi, ùt primùm exscendisset è navigio, hu-

In Zelandiā abit, & indè in Hispaniā: *Godelev. loc. cit.*

Haræus in ann. brab.

Palat. in Aq. Austr.

millimè terram oſculatus eſt, inquiens: *Salve, mihi optatiſſima mater! nudus ex utero matris meæ exivi, nudus ad te velut alteram matrem redeo; tibique, quod unum poſſum pro tam multis in me meritis, cor. puſculum hoc et oſſa dedo ac dedico.* Indè poſt multas Hiſpanicorum Procerum ſalutationes, Valliſoletum ſe deportari fecit. Ubi, cùm breviſſimè de reſiduis regnorum negotiis diſpoſuiſſet; relictis hîc ſororibus, recepit ſe ad monaſterium S. Juſti, Ordinis Eremitarum S. Hieronymi, reliquam ætatem illic in aſſiduis religioſæ vitæ exercitiis Deo conſecraturus.

Ubi vitæ ſolitariæ ſe committit in monaſterio S Juſti. *Auctores iidem.*

Eodem hoc tempore Lutherana hæreſis vehementer iterum invaleſcebat in Weſtphalia: præſertim verò Suſati, Lipſtadii, Herivordiæ, Mindæ, Oſnabrugi, Ritbergæ, Lemgoviæ, & aliis in locis, quæ jam antea Lutherum ſecuta, & ab eo rurſus per edictum *Interimiſticum* abſtracta fuerant. Hæc enim loca omnia, ùt primùm anno ſuperiore in comitiis Auguſtanis novam ſuæ Religionis libertatem accepêre; ſtatim citatis paſſibus in antiqua Lutheri placita ſic proruerunt, *qualis ubi abruptis ſolvit præſepia vinclis tandem liber equus, campóque potitus aperto.* Inter alios verò egregium novi Evangelii promotorem ſe exhibuit apud nos Bernardus Comes de Lippia, de quo Pideritius in chronico Lippienſi* ità ſcribit: *cùm anno 1555 Proteſtantium ſtatibus, Auguſtanæ Confeſſioni deditis, concederetur libertas utendi palàm ſuæ Religionis exercitio; etiam Bernardus Comes de Lippia Religionem promovere cœpit, et abominationes* (ùt ipſe loquitur) *Papiſticas abolere.* Quod ut majori cum effectu ageret, congregavit hoc anno in caſtro ſuo Braeck ſynodum Eccleſiaſticam; ſed planè exoticam, & antiquis Eccleſiarum conſuetudinibus diſſentaneam: cui nimirum, præter concionatores Lutheranos totius Comitatûs, interfuerunt omnes Patriæ ſtatus & urbium conſules, unà cum ipsómet Comite & omnibus conſiliariis ejus. In horum conſeſſu orationem ſynodalem, nomine ſui Comitis velut ſacrorum Antiſtitis, habuit Perilluſtris Dominus Chriſtophorus de Donop, intimi conſilii Senior ac Satrapa provincialis. Memorabat is, *Comitem Dominúmque ſuum Lutheranis doctrinis à puero inſtitutum, et Papatui ſemper adverſatum eſſe: dolere, quòd ab aliquo tempore Cæſareis edictis ad interimiſticam Religionem unà cum ſubditis adſtrictus fuerit: Nunc verò eum ad Auguſtanæ Religionis placita reverti, ac ſeriò velle, ut hæc ubique à ſuis ſubditis recipiatur: non abituros impunè, qui hac in re immorigeri, et in antiqua Fide Catholica perſtituri fuerint.* Peractâ hac oratione, Bernardus Comes quatuor concionatoribus, quos ex omni Lutheranorum præconum numero ſelegerat, nempe Mauritio Piderit, Gerhardo Cotio, Hermanno Hamelman, & Joanni Wilhelmo Torrentino concionatori Aulico, viſi-

Suſati, Herivordiæ, Lipſtadii, & in aliis locis weſtphaliæ, rurſum invaleſcit Lutheraniſm', rejectâ religione interimiſticâ.

**Piderit. loc. cit pag. 326.*

Bernardus Comes de Lippia ſynodũ provincialem convocat, in eaque jubet omnes ſubditos ad Lutheranã doctrinam transgredi. *Piderit. in chron. Lip. 624 & ſeq.*

visitationem & inspectionem Ecclesiarum detulit, cum plenaria novandi ac reformandi potestate.

Hactenus, inter omnes anteriorum temporum vicissitudines, adhuc incolume steterat monasterium Blombergense Canonicorum Regularium S. Augustini; etiamsi jam aliqui ipsorum ad infausta Lutheri dogmata propenderent. Sed, cùm hoc anno Blombergenses incolæ, quorum Ecclesia parochialis monasterio prædicto suberat, ad reformationem Lippiacam tam severè astringerentur; & jam antè Conradus Meyerus, è cœnobio Mindensi desertor monachus, plerosque cives ac parochianos ab Augustinianis Patribus ad Lutherum avertisset: etiam hi, errorem suarum ovium secuturi, claustralem vitam abjecêre, nobilissimum Schirense prædium vendidêre, pecunias ex ea venditione receptas inter se invicem divisêre, initóque sacrilego matrimonio ex malis Canonicis facti sunt pejores mariti. Supererant adhuc tres, qui novi hujus Evangelii doctrinam constanti animo recusabant, & permanserunt in monasterio. Ex iis duo intrà paucos annos temporalem vitam cum æterna commutârunt: postremus autem, P. Augustinus Düvel, anno 1569 in senectute ultima à Jodoco Pideritio, prædicante Lutherano, se perverti passus est; exutísque vestibus religiosis, divo Patri suo Augustino Lutherum prætulit, biennio pòst è præsenti vita ad judicium divinum evocatus. Ità præclarum illud monasterium, quod ab insigni miraculo initium sumpsit, ad manus Comitum Lutheranorum recidit, postquam vix ultra unum seculum constitisset.

Canonici Regulares S. Augustini in Blomberg deficiunt à fide; *Piderit. ib. pag. 626.*

In Comitatu Pyrmontano, prope Lügdam aut Lüdam oppidum Diœcesis nostræ, terribilis ac penè immensus hominum confluxus hoc anno fuit ad acidulas fontésque medicos, qui ibidem saliunt. Fontem hunc appellabant *sacrum*: nec erat novus, aut nuper è terra prodiens; sed ante secula jam plurima notus. De eo namque Henricus de Herivordia, qui anno 1370 Mindensi in urbe defunctus est, in codice ms. his verbis* meminit: *In Westphalia juxta oppidum Lüde Diœcesis Paderbornensis fons est, qui dicitur SACER FONS; de quo si quis pronus biberit, in faciem ejus exsilit, et quasi expergisci videtur. Ibidem est et alius fons, qui dicitur FONS BULLIENS. Iste quasi quadratus est de quatuor lateribus æqualibus, et fundus subter rubeus ad pallorem declinans. Nil in ipsum influit, nec effluit; sed continuè bullit, et sic sonorè, quod ad jactum balistæ potest audiri.* Cetertùm vis medica istius fontis non videtur inter homines admodum nota & explorata fuisse ante exitum anni superioris. Quo tempore, cùm aliqui homines acidularum istarum usu à scabie, petigine, malignis defluxionibus, imò & chiragræ podagræve doloribus

Fontis Pyrmontani virtus medica inclarescere cœpit.

**vide monum. Pad. tit. Lüda.*

Ad illum hoc anno fit immensus ægrorũ concursus, quorum plures illic

sanitatem recepêre. *Monum. Pad. loc. cit. chron. Tremon. ad hunc annũ. Merian. in topograph. Westph. v. Liigde. pag. 87.*

bus relevati essent; curationum istarum fama, in orbem volans, tantos ubique motus concitavit, ut ineunte vere præsentis anni 1556 multa hominum ægrotorum millia ex diversis Germaniæ partibus obtinendæ sanitatis desiderio Pyrmontum venerint. Multitudo horum sub aperto cælo considebat illic in modum parvi exercitûs; erántque inter eos etiam surdi, claudi, cæci, & aliis morborum generibus pressi, è quorum numero non pauci pro sanitate mortem retulêre. Neque dubium est, quin malorum omnium architectus dæmon huic etiam negotio se immiscuerit: præsertim cùm & energumeni suæ liberationis causâ ad fontem hunc legantur confluxisse; & Merianus è chronico Brunsvitensi memoret, magum aliquem seu præstigiatorem cæcum, nomine *Simonem*, inibi inventum esse, qui suis incantationibus dæmonia ex hominum obsessorum corporibus expellere nisus aut visus fuerit. Unde & immodicus ille hominum concursus ultra hunc annum non tenuit; sive propter abusus & errores varios, qui intercurrerant; sive quòd ægroti per experientiam usúmque discerent, fontem hunc non cuivis morbo, sed tantùm certis infirmitatum generibus mederi posse. Quod autem Merianus è chronico prædicto addidit, Deum postea huic fonti vim subtraxisse propter infamia scelera apud ipsum perpetrata, fabulosum duco. Quis enim credat, fonti huic tunc temporis fuisse vim aliquam naturali majorem, etiam ad curandos homines ab ortu suo claudos, cæcos, & surdos? reliquam verò naturalem vim ab eo tempore in his acidulis permansisse, perspicuum adhuc est hodiernâ experientiâ: cùm & hodie fons ille à magnis dominis per æstatem adiri soleat, non solùm jucunditatis causâ; verùm etiam propter aquarum Pyrmontensium salubritatem virtutémque medicam.

Dæmon etiam huic sanationum generi se immiscuit. *Chron. Tremon. Merian. loc. cit.*

Fons Pyrmontanus hodierno tempore adhuc valde celebratur ab aquis salutaribus.

S. Ignatius Societatis JESU fundator, hoc anno moritur. *Spond. ad hunc annũ. n. 10.*

Historiam hujus anni meritò coronat, qui hoc anno ad immortalem gloriæ coronam in cœlos abiit S. Ignatius de Lojola, fundator Societatis JESU, vir de tota Ecclesia Catholica turbatissimo illo tempore meritissimus. Obiit in urbe Roma die 31 Julii anno ætatis suæ 65: ac, priusquam è vivis decederet, Societatem suam in provincias plurimas diffusam & ferè centum Collegiis locupletatam vidit. De ejus virtutibus & miraculis innumera videri possunt apud Hagiographos Antwerpienses, tomo 7. Sanctorum Julii. Mihi satis est, hic adducere testimonium Urbani VIII. Pontificis, qui in Bulla Canonizationis ejus disertè asserit: *fuisse virum, quem præelegerat Deus, ut eorum dux foret, qui portarent ejus sanctissimum nomen coram gentibus et populis; quique fideles ad veræ Fidei cognitionem inducerent, et rebelles hæreticos ad illius unitatem revocarent etc.*

AN-

Annus Christi 1557.

PAULI IV. Pontificis 2. & 3.
CAROLI V. Imperatoris. 38. & 39.
REMBERTI Episcopi Pad. 11.

NOndum abiêrat annus ab induciis quinquennalibus, præcedente anno Gallum inter & Hispanum initis; cùm iterum Gallus in bella prosilit, rumpítque inducias, etiam juramento interpositò à se firmatas. Incentor hujusmodi turbarum erat Paulus IV. Pontifex, ejusdémque ambitiosior nepos Carolus Carasta Cardinalis, homo in *armis enutritus, & insatiabili dominandi libidine præditus. Hi, ùt erant ab Austriacis & Hispanis alienissimi; ità etiam variis artibus (quas fusissimè recensetPallavicinus) perpetuò sollicitabant Gallum, ut pernicioſas hujusmodi inducias rumperet, junctísque secum armis in Hispanos iret: alioquin fore, ut Hispani per quietem hanc*vires afflictas reparent, & universæ demum Italiæ jugum imponant. Audiit hæc tandem Gallus: multúmque ponderis ad eundem inclinandum addidit, quòd Hispani, maximis Pauli IV. injuriis* provocati, superiori Autumno Papales terras invasissent; & jam aliàs eidem Gallorum Regi promissum esset à Pontifice, ut in belli præsentis præmium unus è Regalibus filiis*Regnum Neapolis, & alter Mediolanensem Ducatum acciperet. Itaque ineunte hoc anno Franciscum Guisium cum valido *exercitu mittit in Italiam; jubétque eum rectà ad Pontificem contendere, & unitis amborum viribus in regnum Neapolitanum irruere. Alium verò exercitum è suis colligit adversùs Belgium; partémque illius pridie trium Regum sub Duce Colignio mittit ad intercipiendum Duacum: eventu quidem irrito; sed hostiles tamen animos & violatas armorum inducias declarante. Expavit his auditis Philippus Hispaniæ Rex, eâque indignatione commotus est, ut juramento affirmârit, haud priùs à se gladium in vagina reconditum iri; quàm pœniteret Gallos, à juratis induciis recessisse. Nec defuit fortuna huic promisso. Nam Augusto mense, die S. Laurentio sacrâ, Philippus Rex, Germanorum & Anglorum copiis adjutus, apud Quintinopolim in Picardia tam insignem de Gallis victoriam retulit, ut ab ea non solùm Parisiis; sed etiam totâ Galliâ trepidatum fuerit, præcipuo Nobilitatis ac militiæ flore vel perdito, vel captivo. Periêrunt ex parte Philippi Regis tantùm* octoginta viri, intérque eos Philippus Comes de Spiegelberg & Pyrmont, de quo postea. Ex parte verò Gallorum amissa fuêre tria millia cæsorum, quatuor millia captorum

Henricus GalliæRex, violatis induciis, in Regnum Neapolis irruit cum Paulo IV. Pontifice.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 13.

*Pallav. ib. c. 16. n. 5.

*de his vide Pallav. c. 17. & 18.

*Pallav. ib. c. 15. n. 6.

*Pallav. ib. l. 14. c. 1.

Ex alia parte etiam invadit Belgium.

Haræus in ann. brab. Surius in comment. rer. gest.

Sed ingenti clade afficitur à Philippo Hispaniæ Rege prope Quintinopolim in Picardia, vulgò S. Quintin.

auct. iidem *Haræus in ann. brab.

rum, trecenta plaustra bellico apparatu plena, vexilla tam pedestria quàm equestria nonaginta quatuor, cum omnibus impedimentis ac tormentis militaribus. Nec multò pòst etiam Quintinopolis, urbs munitissima, cum Novioduno & aliis Gallorum urbibus in Philippi Regis potestatem venit. *Hic fructus fuit*, uti loquitur*Spondanus, *ruptarum contra fas induciarum, et infausti fœderis, cum Paulo Pontifice et Caraffis initi!*

*Spond. hic n. 10.

Gallus ex Italia militem suum revocat:

Credi vix potest, quantum eâ clade consternata fuerit Papalis curia: præsertim cùm Henricus Rex, necessitati propriæ subventurus, Franciscum Guisium cum exercitu suo è Papalibus terris in Galliam* revocaret; permitterétque fœderato Pontifici, ut, quâcunque ratione vellet, cum hostibus concordaret. Sed hunc terrorem non leviter mitigavit Philippi Regis moderatio: qui Senatui Veneto victoriam à se obtentam nuncians, indicavit simul, se ad amplificandam ditionem suam nullatenus*aspirare; ideóque & ad restituendum Pontifici terras, eidem à se ereptas, paratum esse, dummodo & is per æquas pactiones ad Italiæ quietem conspiraret. Quare statim, conciliatoribus Venetis, itum est in consilia tractandæ pacis: ac tandem, die decimâ quartâ Septembris, concordia Pontificem inter & Hispanum inita, pactionibus tam honestis, ut ex iisdem sole clariùs apparuerit, honori & existimationi Pontificiæ à Christianis Catholicísque Principibus plurimùm deferri. Interea pænam Dei non evasêre belli hujus incentores, Carolus & Joannes Caraffæ, Pauli IV. Pontificis nepotes. Uterq; enim altero abhinc anno primùm à Paulo IV. patruo suo ex urbe *Romana pulsus; ac dein, tertio pòst anno, à Pio IV. ejusdem successore propter gravissimas accusationes morte promeritâ castigatus est. Philippus autem Hispaniæ Rex, ùt primùm à bellis omnibus quietem habuit, vel in gratiarum actionem Quintinianæ victoriæ, in festo S. Laurentii obtentæ; vel (ùt alii volunt) ex voto id temporis ad S. Laurentium edito, ingenti magnificentiâ construere cœpit nobilissimum illud Hispaniæ monasterium S. Laurentii in Escuriaco, vulgò *Escurial*: quod postea infinitis opum impendiis, & plurium annorum labore impigro, in ejusmodi molem excrevit, ut hodie inter orbis miracula censeri soleat.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 14. c. 3. n. 4.

*Pallav. ib. n. 8.

Pontifex cũ Philippo Hispaniæ Rege pacificatur.

*Pallav. ib. c. 3. & 4. Spond. hic n. 2.

*Gratian. in casibus Vir. Illustr.

Philippꝰ in memoriam Quintinianæ victoriæ statuit ædificare monasterium celeberrimum S. Laurentii in Escuriaco.

Ortel. theat. orbis terr. in fin.

In Germania hoc anno post cladem Quintinienſem pugna alia spiritualis instituta est, in cujus decursu Confessio Augustana plagam mortiferam accepit à suismet assèclis ac defensoribus. Decreverat hoc anno Ferdinandus Romanorum Rex in comitiis Ratisbonensibus, ut pro tentanda Catholicorum & Lutheranorum concordia, in urbe Wormatiensi, die vicesimâ quartâ Augusti, inchoaretur colloquium aliquod; in quo duodeni Catholicorum,

Colloquiũ Wormatiense inter Theologos Catholicos & Lutheranos.

ac

ac duodeni Lutheranorum Theologi, conferrent inter se de modo concordiæ in rebus, ab utraque parte, controversis. Præsidem quoque hujus colloquii nominaverat* Rudolphum Episcopum Spirensem; pro quo tamen postea, ob incidentem ejus ægritudinem*, designatus est Julius Pflugius Episcopus Naumburgensis, integerrimus Fidei *orthodoxæ cultor. Huic è Principum, tam Catholicorum, quàm Lutheranorum numero adjuncti sunt quatuor* Assessores, Joannes Archiepiscopus Trevirensis, Michaël Archiepiscopus Salisburgensis, Augustus Elector Saxoniæ, & Christophorus Dux Würtenbergensis. Congressu inchoato, unus è duodecim Theologis Catholicis (credo Petrus Canisius è Societate JESU) primo loco proposuit Lutheranis: *Ex Recessu Passavienſi et Augustano nullam aliam Religionem in Imperio permissam esse, quàm veterem Catholicam, et novam Augustanæ Confessioni deditam: inter has duas concordiam in præsenti congressu quæri, exclusis aliis: ac proinde necessarium fore, ut omnes collocutores ac Theologi adversæ partis priùs declarent, an pro sola Confessione Augustana stent; an verò etiam aliis Majoristarum, Osiandrinorum, Adiaphoristarum, et Zwingliannorum doctrinis adhæreſcant? alioquin frustra se disputaturos esse, nec scituros, cum quo vel quibus? cum Theologo Lutherano, an verò cum Zwingliano conferant?* Mirum! quàm omnes Adversarii ad improvisam hanc propositionem hæserint! Est enim id genus hominum in oppugnanda quidem Ecclesia Romana concors; at in ipsis Fidei articulis discors: ideóque simile sampsonianis vulpibus, quæ, tametsi caudis inter se colligatæ fuerint, capitibus tamen ibant ac tendebant in diversa. Totis ergo sedecim diebus ea de re seorsim altercati sunt inter se. His autem evolutis, cùm adhuc discordarent, & quinque ex iis tenerent mordicus, aliorum sectariorum errores à se rejici; alii verò septem (inter quos & Melanchton erat) pertinaciter affirmarent, eos inauditâ causâ à se damnari non posse: totus ille congressus absque omni fructu, & operæ impensæ pretio, dissolutus est. Priores enim quinque, dum pro sola Confessione Augustana pugnari vellent; à septem aliis rejecti, colloquium deseruêre: & hi septem rursum à Catholicis repudiati sunt, quòd hi nullum sibi negotium esse dicerent cum iis, qui ab Augustanâ Confessione & ejus dogmatis in alios errores inclinarent. Ita nunquam sperari potest concordia cum illis, qui unitatem Ecclesiæ deserunt, & in rebus credendis nullum visibile caput aut judicem controversiarum habent.

*Vide Recess Ratisbon

*Camerar. in annot. rer. præc. ad hunc annum.

*ex Recessu Ratisb.

*Pallav. in hist. concil. Trid l. 14. Surius in comment. Spond. & alii.

In eo colloquio Confessio Augustana à suismet Theologis plagam prægrandē accipit ab eorum dissensiones. *Camerar. loc sup. cit. Sur. Spond. & alii.* Colloquiū sinē fructu dissolvitur. *Auctores iidem.*

Regebatur id temporis Ecclesia Monasterienſis in Westphalia à Reverendissimo Principe Wilhelmo de Ketteler, Godehardi Kettelerii postea Livoniæ Magistri fratre, viro quidem non parvis ani-

Wilhelmꝰ de Ketteler Monaster. epiſcopatui

mi

renuntiat die 3 Dec. *chron Monast. mſ.* mi virtutibus prædito; ſed hucuſque nondum ad ſacerdotales & Epiſcopales Ordines promoto. Hos ut à Pontifice deprecaretur, magnos in curia Romana ſumptus adhibuit, miſſis illuc Oratoribus Legatísque ſuis, Bernardo à Morrien, Cathedralis Eccleſiæ Canonico, & Caſparo de Büren ſummæ ædis Vicario. At, quia Paulus Pontifex, velut rigidus canonum ſacrorum exactor, ſuſcipiendi ſacerdotii legem relaxare noluit, ac demum trimeſtre ſpatium ei præfixit, intrà quod vel conſecrationem acciperet, vel Epiſcopatu abiret; hunc deſerere, quàm ad illam accedere maluit. Itaque ſub initium Decembris Monaſterium ſe recepit; convocatísque majoris Eccleſiæ Canonicis, die tertiâ Decembris pridie S. Barbaræ, Epiſcopale pedum ad manus eorum depoſuit, reſervatâ ſibi, quàm diu viveret, mille aureorum penſione aureâ. Sunt, qui hanc ejus abdicationem arbitrentur eſſe factam ex teneritudine* conſcientiæ: alii verò non temere ſuſpicantur, eum erga ritus Catholicos, in hujuſmodi ordinationibus adhiberi ſolitos, non optimè* affectum fuiſſe; præſertim, quòd cum Gregorio Caſſandro, Fidei ſuſpectæ viro, non parva literarum commercia gereret. Certè ex ejus inſtitutione, non videtur opinionem ſatìs Catholicam tenuiſſe de ſtatu virginum Deo ſacratarum. Etenim cùm in cœnobio Hohenholtano, quod olim virginum religioſarum erat ſub regula S. Auguſtini, puellæ quædam ad liberiorem Canonicarum ſecularium vitam aſpirarent; faciliorem iis, quàm in tanto negotio poſſet, aſſenſum præbuit. Ac, tametſi è ſenioribus una aut altera vehementer ſe opponeret; eas tamen anno ſuperiore per duos Eccleſiæ majoris Canonicos, quos eodem ex fine miſerat, à religioſa vita abſolvi, & ad ſtatum ſecularem transferri juſſit. Quanquam, ùt putabatur, non ſinè celeri vindicta Numinis: cùm uterque ex illis Commiſſariis, vix uno menſe decurſo, in vitam aliam evocatus fuerit. Wilhelmus autem poſt renuntiationem à ſe factam adhuc vixit plùs quàm annis viginti quatuor; ac tandem Cosfeldiæ, ubi ſedem ſuam fixerat, anno 1582 die 18 Maji ad manes abiît, ſepultus ibidem in ſacrario Parochialis Eccleſiæ S. Jacobi. In ejus locum poſtridie abdicationis, nimirum in feſto S. Barbaræ, concordibus votis electus eſt Bernardus à Raesfeldt ex Hammeren, antea majoris Eccleſiæ Cellerarius, & Præpoſitus ad S. Mauritium, vir à manſuetudine, prudentia & Religionis orthodoxæ zelo cum primis commendatus.

Noluit fieri Sacerdos.

**chron. mſ.*

**Chytræus l. 19. Saxon. & alii.*

Cœnobiũ Hohenholtanum ſuperiori anno convertit in collegium domicellarũ ſecularium. *Kerſſenb. in mſ.*

In ejus locũ die 4 Decembr. electus eſt Bernardus à Raesfeldt. *chron. Monaſt. mſ.*

Eodem anno Monaſterii cœpta eſt famoſa illa, & ſeculi non unius, controverſia inter Cathedralis Eccleſiæ Canonicos, aliósq; viros Nobiles ejuſdem Diœceſis, quos uſitato nomine Erbmannos vocant. Obiêrat in menſe Pontificio, Kalendis Maji, perilluſtris

Inchoatur famoſa lis inter Erbmannos Monaſterienſes,

vir

vir Bernardus à Münſter, majoris Eccleſiæ Præpoſitus: ejúsque vacantem Canonicatum Romæ obtinuerat Joannes à Schencking, è Nobilitate Erbmannica vir doctiſſimus, & Auguſtanæ Eccleſiæ Canonicus Cathedralis. Is, cùm deinde Monaſterium adveniret, & in ſacerdotii vacantis poſſeſſionem induci cuperet; præter omnem exſpectationem ſuam ab illius aditu excluſus fuit: quòd Canonici Majores dicerent, Monaſterienſe Capitulum ex Papali privilegio patêre ſolis ex equeſtri Nobilitate genitis; his autem accenſeri non poſſe Nobilitatem Erbmannicam, utpote civium officiis functam, eorúmque legibus ac plebiſcitis obnoxiam. Ægerrimè res iſta habuit non modò Schenckingium hunc; ſed etiam Erbmannos omnes: quippe qui non minùs, ac alii perilluſtrium familiarum viri, ſe de antiqua ſinceriſſimáque Nobilitate progenitos eſſe contendebant; nec ferè aliis uxoribus, quàm ex Ordine equeſtri editis, matrimonio conjungi ſueverant. Itaque cauſam hanc ſibi omnibus communem eſſe conſpicati, in Papali curia litem intenderunt Majori Capitulo. Ac, tametſi non unis vicibus ibidem, ac Viennæ triumphârint; ſententiæ tamen iſtius executio, partim ob iteratas appellationes ac reviſiones, partim ob alias bellorum ac temporum viciſſitudines, non ſinè ſummo ipſorum incommodo protelata eſt uſque in annum 1709. Quo tandem Carolus VI. Imperator non modò iterum pro Erbmannis victoriam cauſæ pronuntiavit; Sed etiam Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis Canonicos graviſſimis pœnarum comminationibus adegit, ut in poſterum Erbmannos, velut ſyncerâ probatâque Nobilitate genitos, ad Majoris Capituli gremium reciperent.

aliósq; Nobiles, de vera iſtorũ Nobilitate, & idoneitate adeundi Canonicatus eccleſiæ Cathedralis. *chron. Monaſt. mſ.*

Erbmanni, lite ſæpius victâ, mittuntur in poſſeſſionẽ à Carolo VI. Imperatore. *Ex actis publicis.*

In aliis Weſtphaliæ partibus non parvæ hoc anno mutationes acciderunt, partim è bello tumultuario; partim è morte duorum Comitum. Primus horum fuit Conradus Comes Tecklenburgicus, die quintâ Martii defunctus, & à nulla fermè re alia notus, quàm à ſceleribus & impietate. Nam (ut omittam, quòd abjectâ patrum ſuorum fide, prior ipſe Lutherana dogmata amplexus fuerit) immaturâ dominandi libidine Ottonem patrem in vincula conjecit, eundem ab amicis libertati redditum ſolo dominio Rhedenſi contentum eſſe, compulit, Dynaſtiam Lingenſem poſt obitum Nicolai patrui ſuis fratribus præripuit, Ottonem fratrem, quòd abdicato * ſtatu Eccleſiaſtico ad Lingenſem Dynaſtiam aſpirâſſet, tenebricoſo carceri incluſit; & ex eo poſtea, quàm diu ipſi vita ſtetit, nunquam dimiſit. Unde etiam benedictione divinâ deſtitutus, è conjuge ſua Mechtilde Haſſica prolem maſculam non obtinuit; ſed filiam duntaxat unicam, nomine Annam: quæ Ewerwino Comiti Benthemenſi nupta, ditiones Tecklenburgicas ad familiam

Conradus Comes de Tecklenburg moritur, unicâ ſolùm relictâ filiâ Anna, Ewerwino Comiti Benthemienſi nuptâ. *Chytræus l. 25. Saxon. Reuſner. in gen. Com. Tecklenb. Hamelm l. 3. de famil. emort.*

Per quem comitatus Tecklenburgicus ad Benthemenses transiit.

miliam Benthemicam transtulit. Et hæc Anna, Conrado patre suo longè melior, non modò Ottonem patruum suum liberavit è carcere, in quo diuturnas inter miserias consenuerat; sed etiam decenti famulitio condecoratum, reliquis vitæ annis in magno honore habuit: donec & ipse anno 1562 mortalitatem relinquens, masculinam stirpem antiquorum Comitum Tecklenburgensium clauderet.

Chytræ⁹ & Hamelm. loc. cit.

Philippus, Comes de spiegelberg & Pyrmont in prælio S. Quintiniano moritur improlis.

Similis mutatio apud nos in Comitatu Pyrmontano contigit ex morte Philippi Comitis Spiegelbergii & Pyrmontani; qui hoc anno, die decimâ Augusti, in prælio Sanct-Quintiniano cæsus occubuit. Reliquerat ille solùm tres sorores: quarum prima, cui nomen Ursula, sequenti anno in conjugalem thalamum adscita est ab Hermanno Simone, Bernardi Comitis Lippiensis, fratre. Credebat enim hic, & certissimè persuasus erat, se ex iisdem nuptiis utroque isto Comitatu vacuo potiturum esse. Et priore quidem Comitatu, nimirum Spiegelbergensi, perfacilè potitus est beneficio Ducum Brunsvicensium, Henrici & Erici; quorum consensu prædictam Ursulam, Philippi Comitis demortui sororem, duxerat. Major autem difficultas erat in adipiscendo comitatu Pyrmontano, quem Episcopus noster jure beneficiario ad Paderbornensem Ecclesiam suam recidisse, contendebat. Re ad controversiam deductâ, militabant rationes diversæ pro utraque parte. Hermannus Simon allegabat pro se, Fridericum Spiegelbergensem, Philippi nunc defuncti patrem, comitatu Pyrmontano sic potitum esse, ut extinctâ successione masculâ devolveretur etiam ad filias; quemadmodum anno 1525 decreverant arbitri ea in re constituti. Contrà verò allegabat Rembertus Episcopus, arbitros istos errâsse in substantia; putâsséque, omnia feuda Paderbornensis Ecclesiæ esse talia, quæ successionem femineam admitterent, utì constat ex hísce verbis decreti ab iis editi: **wie dan solches im Stifft von Paderborn herkommen und Gebrauch ist.** Quod cùm apertè & evidenter falsum sit, etiam in hoc errore substantiali nullum jus legitimum fundari posse. Multæ postmodum intercessiones pro Hermanno Simone sunt adhibitæ, præsertim verò ab ejus fratre Bernardo Comite Lippiensi. Ac tametsi in posterioribus quibusdam * literis memoretur, eò tandem perventum esse, ut Rembertus Episcopus conferendi hujus feudi promissionem vel spem Hermanno Simoni fecerit; eo tamen vivente collatio ista * ad effectum perducta non est, utì suo loco videbimus.

Hamelm. l. 3. de fam. emort. V. Spiegelberg.

Pyrmontanum verò ei negat Rembertus Episcopus Paderborn.

Literæ Paderb.

Hamelm. ib. V. Pyrmont.

**in liter. de aõ 1567.*

**Hamelm. loc. cit. V. Pyrmont.*

Tertia & magìs luctuosa mutatio hoc anno contigit è captivitate Joannis Comitis Ritbergensis, viri admodum turbulenti ac ferocis. Aluerat ille diu non parvas inimicitias contra vicinos

Joannes Comes Ritbergensis, veluti pacis

cogna-

cognatósque Comites Lippienſes; quòd eorum ſubditi anno 1545, cùm Philippus Haſſiæ Landgravius, devicto HenricoBrunsvicenſi, Ritbergam expugnaret, opem huic & auxilium tulerint. Neque iſta animorum alienatio finem habuit, etiamſi poſtmodum Otto pater ejus cum Philippo Landgravio reconciliatus, & comitatui ſuo reſtitutus fuerit. Nam & ab eo tempore, maximéque poſt mortem ſui patris, Joannes Comes iteratas injurias Lippienſibus intulit: ac demum præcedente anno, die viceſimâ *Novembris, in territorium Lippienſe irruit, Bernardo Comiti centum & quadraginta porcos eripuit, domum Joannis de Wendt Satrapæ Lippienſis in Lipperode violenter invaſit, inde plùs quàm decem millia aureorum ſuſtulit; &, quod longè inſolentius eſt, ejuſdem abſentis conjugi catenas aureas de collo, armillas de manibus, annulos de digitis, omnémque ornatum muliebrem de toto corpore detraxit. Querebatur hac de re Bernardus Comes apud moderatores circuli Weſtphalici. Et hi, cùm viderent admiſſi criminis iniquitatem, non ſolùm permiſerunt ei, Ritbergenſem* velut publicæ pacis violatorem bello aggredi; ſed etiam largiter promiſêre, ſe eidem in hac invaſione bellica ſuis armis ac militibus adjumento fore. Quo audito, Comes Lippienſis exeunte anno ſuperiore cum auxilio Remberti Epiſcopi noſtri in comitatum *Ritbergenſem ingreditur, domum venatoriam in Holte flammis injectis concremat, Nienkerckam & Verlam pagos exſpoliat, ac demum etiam Ritbergam oppidum * die 19 Decembris in ſuam poteſtatem redigit. Interea Joannes Comes receperat ſe in vicinam arcem Ritbergenſem, paluſtri in loco ſitam, & expugnatu perdifficilem. Quæ, dum à Lippiacis & Paderbornenſibus obſideri cœperat; ineunte Januario præſentis anni ad eos adjuvandos allatæ ſunt ingentes copiæ, à Colonienſi, Clivenſi, & aliis circuli Weſtphalici Principibus miſſæ. Ab his deinde caſtrum illud validiùs incluſum, & erectis aggeribus ità circumvallatum eſt, ut ejuſdem deditio tandem die 2dâ Junii, quæ tunc erat feria quarta ante Pentecoſten, per inediam longámq; famem extorta fuerit. Exibat eo die Joannes Comes, albo ſolùm bacillo nixus; captivúmque ſiſtebat ſe perilluſtri Domino Caſparo de Quernheim, Sereniſſimi Ducis Clivenſis & Juliacenſis Conſiliario. Ab eo primùm cuſtodiæ datus eſt Ritbergæ: inde Nonis Auguſti in curru clauſo abductus ad oppidum Buricenſe, ex adverſo urbis Weſaliæ ſitum: poſtea anno 1560 in Archiepiſcopi Colonienſis poteſtatem traditus, & ab eo Coloniæ in monaſterio S. Martini concluſus eſt: ubi triennio pòſt, nimirum anno 1564, diuturnis miſeriis confectus obiit. Ex Agnete Benthemica, uxore ſua, duas tantùm reliquit filias, Ermegardem & Walburgem.

publicæ violator, bello premitur à Comite Lippiſi & Epiſcopo Paderbornenſi. *Chytræus l. 18. Saxon. Piderit. in chron. Lip.* *Chron. Trem. mſ.*

Chron. Trem. mſ.

Piderit. in chron. Lip.

Chron. Trem. mſ. A circuli weſtphalici copiis hoc anno arctiſſimè obſidetur in arce Ritbergenſi; ac tandem capitur die 2dâ Junii, *chron. Tremon. mſ. Chytræ⁹ & Piderit. loc. cit.*

Coloniæ in captivitate moritur anno 1564. *Chytræ⁹ & Piderit. loc. cit.*

Comitatus Ritbergensis per filiã ejus Walburgem devolvitur tandem ad Comites Oistfrisiæ. *Imhoff. in Not. proc. S. R. l. l. 9.*

Prior harum, cui Comitatus Ritbergensis in dotem obtigit, enupta est primùm Erico de Hoja; deinde verò, cùm is maturiore fato decederet, Simoni de Lippia, Bernardi Comitis Lippiensis filio. Posterior autem, cui dominium Esense, Stedesdorffiense, & Wittmundense in dotem venit, nuptiali thalamo conjuncta est cum Ennone Frisiæ orientalis Comite. Et quia soror ejus Ermgardis ex utroque matrimonio prolem non accepit, etiam Ritbergici Comitatûs hæreditas ad Oistfrisiæ Comites devoluta est.

Annus Christi 1558.

PAULI IV. Pontificis 3. & 4.
FERDINANDI I. Imperatoris. 1.
REMBERTI Episcopi Pad. 12.

Carolus V. Imperii coronam per Legatos abdicat. *Godelev. in hist. hujus abdicat. Palat. in Aq. Austr. Surius in comment.*

MEnse Februario Principes Electores cum Ferdinando Romanorum Rege convenerunt Francofurti. Ibi Carolus V. Imperator die sancto Matthiæ sacrâ (quâ & huic mundo genitus, & à Clemente VII. Pontifice coronatus, & à Francisco I. Galliarum Rege capto nobilissimam victoriam prope Ticinum adeptus erat) solenni legatione coronam Imperii abdicavit, rogans & obsecrans, ut Electores non modò hoc animi sui facinus ratum habere; sed etiam fratrem suum Ferdinandum Romanorum Regem, veluti legitimum Imperii successorem, agnoscere & declarare vellent. Ægerrimè quidem id admittebant septemviri, nec libenter sinebant, Imperatorem tantum à se divelli. Sed quia Legati ejus constanter opponebant, sibi nihil aliud in mandatis esse, quàm Imperii abdicationem sibi commissam exequi; tandem Ferdinandus Rex à septemviris Imperator denuntiatus, ac die decimâ quartâ Martii, consuetis Imperii cerimoniis Francofurti in foro publico salutatus est. Ex eo tempore Carolus V, rerum humanarum satur, magnis passibus decurrebat ad vitæ finem; quem in sacra solitudine sua post biennalem præparationem feliciter attigit, ex febri acuta mortuus die vicesimâ primâ Septembris, in festo S. Matthæi Apostoli. Paulò ante mortem divinissimo Christi corpore, quo frequenter solebat refici, devotè iterum præmuniri voluit; eóque accepto *dixit: *O Domine! mane in me, et ego maneam in te!* Tum deinde patientis Christi imaginem ardentissimè complexus, post illa verba; *in manus *tuas Domine commendo spiritum meum*, bene actam vitam beatiori morte concluſit, anno ætatis suæ quinquagesimo nono. Virtutes ejus, quas alii scriptores * fusissimè referunt, brevitatis & compendii causâ præ-

Ferdinand⁹ frater ejus denunciatur Imperator. *Auctores iidem. Helvicus in theatro hist. univ.*

Carolus eodem anno moritur die 21 Sept. *auct. iidem*

**Surius in comment.*

**Palat. in Aq. Austr.* **Palat. Surius, Vernula⁹ &c.*

prætermitto. Sepultus est Granadæ prope matrem suam Joannam, ubi primum ejus epitaphium humillimo stylo* exaratum fuit, hísce versibus: *Palat loc. cit, n. 374.

Hîc jacet intùs CAROLUS Quintus!
Ora pro eo bis vel ter, Ave Maria et Pater noster.

At multò acerbior fuit orbi Catholico prématura tristísque mors Mariæ Reginæ Angliæ; quæ Philippo Hispaniarum Regi nupta, intrà paucos annos totam Angliam ab hæresibus repurgârat. Credebatur hæc ferre uterum; & erat hydrops: nec priùs patuit esse morbum; quàm esse insanabilem. Obiit adhuc improlis, die 15 Novembris; & initio sequentis anni in thronum ejus evocata est Elisabetha soror ejus, ex illegitimo Annæ Bolenæ connubio genita. Quæ, cùm hucusque simulâsset se Catholicam Religionem colere, non modò in solenni inauguratione sua juramentum præstitit de tuenda Fide Catholica; sed etiam Paulo IV summo Pontifici per Oratorem suum demisse nunciavit, se ad Angliæ solium evectam esse, nec à Fide Romano-Catholica recessuram. At ille, ùt erat homo durus & morosi capitis, gravi statim supercilio respondit Oratori, assumptionem Elisabethæ sibi neutiquam probari posse: quòd hæc è conjugio per sedem Apostolicam damnato genita, & citra ejusdem sedis auctoritatem ad Regni solium subvecta fuerit. Quòd si tamen ipsa causam hanc arbitratui suo velit permittere, visurum se, ut eidem indulgeat, quidquid sibi per jus liceret. Acerrimè Reginam pupugit tam importuna responsio summi Pontificis: multíque sunt, qui hac ejus duritiâ effectum putent, ut eodem anno Regina Elisabeth ab Ecclesiæ Romanæ gremio discesserit, unáque secum totam Angliam in hæreticæ pravitatis barathrum denuo deturbârit. Adeò verum est, etiam in regimine spirituali & ecclesiastico: *nescit regnare, qui nescit dissimulare.*

Maria Angliæ Regina moritur die 15 Novemb. *Palat. in Aq. Austr. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 14. Spond. ad hunc annũ. comment. rer. gest.* In ejus locum eligitur Elisabetha, soror ejus ex Anna Bolena, *auct. iidem Hæus in ann. brab.* Quæ à Paulo IV. Pontifice rejecta Fidem Catholicã deserit. *Palat. in Aq. Austr. Pallav. loc. cit. n. 2. 3.*

Non minori duritiâ ac morositate usus est hic idem Pontifex in Ferdinandum Romanorum Imperatorem. Nam, cùm & ipse Francofurti hoc anno proclamatus esset Imperator, ídque per oratorem suum Martinum Guzmannum renuntiaret Paulo IV. Pontifici; Paulus ex antiquo in Austriacos odio, nec legationem hanc admittere voluit, nec Ferdinandum ùt legitimum Imperatorem agnoscere. Causam hujus tam frivolæ tergiversationis afferebat, quòd Carolus V. Imperii coronam deposuerit sinè consensu & auctoritate Romani Pontificis; ideóque nec illius abdicatio, nec Ferdinandi Romanorum Regis surrogatio fuerit legitima: quòd in assumptione novi Cæsaris adhibiti sint tres Electores Acatholici, qui à deserta Fide Romana nullum ampliùs retinuerint jus ad creandum

Simili morositate ac duritiâ Paulus Pontifex detrectat Ferdinandũ Austriacũ, ùt legitimũ Imperatorẽ agnoscere. *Palat. in Aq. Austr. Spond. hîc n. 8. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 14.*

dum Imperatorem Romanorum: quòd Ferdinandus adhuc Rex in comitiis & pacificationibus publicis multa permiserit Lutheranis, quæ Ecclesiæ Fideique Romanæ detrimentum non parvum affe-
Pallav. ib. n. 8. rant. Facillimè quidem hæc refutabantur *à Guzmanno: præsertim cùm Ferdinandus olim, adjuvante & comprobante Clemente VII. Pontifice, Romanorum Rex electus esset; atque ideo ad legitimam successionem nullâ aliâ septemvirorum electione indigeret, dummodo Imperium vacaret, uti reipsâ vacabat per voluntariam abdicationem sui fratris. At, quia suprà dictus Pontifex malebat Imperatorem Gallum, quàm Austriacum, vel Germanum; etiam
Spond. hic n. 8. subsecuto Caroli Imperatoris obitu in imprudenti sententia* sua, quo ad vixit, perstitit, successori suo in ea causa defæcatius judicium relinquens.

Joannes Gropperus, S.R.E. Cardinalis designatus, natione Westphal⁹, hoc anno Romam evocatur à Pontifice.

Eâdem, ùt reor, occasione in gravissimas persecutionum tempestates Romæ incidit Joannes Gropperus, Colonienſis Academiæ Doctor, natione westphalus, patriâ Susatensis, & Religionis Catholicæ propugnator invictissimus. Erat hic Archidiaconalis Ecclesiæ *Bonnensis Præpositus, & vir ejusmodi, qui admirabili doctrinâ, integritate, sapientiâ, & laboribus pro Fide obitis, jam pridem ità se commendaverat, ut à Paulo IV *Pontifice, die 18 Decembris anno 1556, præter omnem exspectationem in Collegium
Surius ad ann. 1547. Patrum Purpuratorum adscitus fuerit. Recusaverat ille quidem
Pallav. in hist. conc. Trid. l. 13. honores istos *magnâ animi demissione. Sed quia Pontifex nihilo minùs urgebat & sollicitabat adventum ejus, tandem hoc anno
Pallav. ib. Spond. ad ann. 1559. itineri se commisit; &, ùt refert Henricus Turckius, die vicesimâ sextâ Augusti Romam ingressus est. Ibi cùm ejus judicium peteretur in causa Ferdinandi Romanorum Imperatoris (de qua antè memini) unus ipse, velut rerum Germanicarum ante omnes gnarus, invictâ animi constantiâ pro Ferdinando stetit; edixítque in concilio publico, Imperatorem alium in præsenti rerum statu eligi nec posse, nec oportere, nisi Pontifex Germaniam totam contra se commovere vellet. Germanos enim Cæsarem non alium velle, quàm Germanum; ac multò minùs passuros esse, ut sibi novus Imperator obtrudatur à sede Pontificia. E Germanis verò Principibus nullum alium nunc inveniri, in quo tanta Religionis avitæ firmitas cum potentia tanta conjungatur, quàm in Ferdinando; quippe qui & hæreditarias ditiones amplissimas habeat, & cum Philippo Hispaniarum Rege arctissimâ necessitudine constrictus sit. Nec eidem prudenter objici posse, quòd in conventu Passavienſi & Augustano Lutheranis multa indulserit: id enim imputandum non esse ejus voluntati; sed necessitati, in quam ex nimia Principum Lutheranorum potentia conjectus erat, non solùm

Ibi consult⁹ in causa Ferdinandi Imperatoris, acerrimè stat pro illo contra omnes dissentientes. *Pallav. ib. l. 14. c. 6.*

conni-

connivente, sed etiam favente Gallo. Hæc & alia, quæ sapientissimè Gropperus protulit, mirificè offenderunt alios Pauli IV. Consiliarios. Omnes enim illi cum Pontifice in duriorem sententiam contra Ferdinandum ibant: idque vel ex animi facilitate, quâ ministri Principum in rebus ambiguis persæpe solent eorum propensionem sequi; vel ex eo, quòd ipse Pontifex hac in re *sibi tales delegerit Consiliarios, qui propensionem suæ concordem gererent. Itaque hi primùm obliquis eundem oculis intueri, deinde siniſtros de eo *rumores spargere, demum etiam accedentibus malevolorum aliquorum incusationibus doctrinas hæreticas eidem appingere, atque ea de re dicam ipsi non levem scribere. Facillimè quidem Gropperus hujusmodi maculam à se absterſit. At interea, dum se purgabat, & invidiosis hujusmodi litibus conflictabatur, ex mœrore animi in febrim quartanam incidit; & sequenti anno, die decimâ tertiâ Martii, extremis Ecclesiæ sacramentis rite præmunitus, innocentem animam exspiravit. Corpus ejus honorificentissimè tumulatum est Romæ in Ecclesia Germanorum ad pedes Hadriani VI. Pontificis; & ipse Paulus IV. Papa, ut ejusdem pios manes ab omni falsarum suspicionum macula depurgaret, oratione funebri eum dilaudavit, inter alia dicens: *Dominum Gropperum non amisimus; sed ad Deum præmisimus.* Vitæ ejus breve compendium exhibet ipsius inscriptio sepulchralis in urbe Roma, quæ *sic habet:

Gravem persecutionem Romæ patitur, ità ùt etiam vocaretur in suspicionem hæresis.

*Pallav. ib. n. 11.

*Turck. in hist. ms. Egregiè se defendens, in febrem incidit, & moritur anno sequente die 13. Martii.

Turck. in hist. ms. Spond. ad ann. 1559.

Oratione funebri dilaudatur ab ipsomet Pontifice.

Turck. in hist. ms. Ejus epitaphium Romæ.

*Turck. ib.

Domino Joanni Groppero, Religionis Fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles labores, summis cum periculis pro Ecclesiæ ac Religionis Catholicæ conservatione, magno semper et invicto animo exantlatos, multáque præclara literarum monumenta edita, ob perpetuam Fidei pietatísque constantiam, incomparabilem doctrinam, summásque virtutes, absenti nec quicquam minùs cogitanti in sacrum R. E. Cardinalium collegium cooptato, præmaturâ adhuc morte, et quando suî opera in primis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri piissimo atque optimè merito, Godefridus et Casparus Gropperi fratres, alumni mœstissimi posuêre. Vixit annis LVIII, diebus XVIII. Obiit III. Idus Martii, anno MDLIX.

Tam illustri huic viro novem propè mensibus in vitam alteram anteivit ejusdem egregius æstimator, Antonius Archiepiscopus Colonienſis, ex antiqua Comitum Schawenburgensium familia genitus, & Adolphi decessoris sui germanus frater. Qui, cùm hoc anno Francofurtensibus Electorum comitiis interfuisset, indéque redux meditaretur solennem ingressum in urbem ædémque Metropolitanam; repentino morbo correptus obiit in arce Godesberg die decimâ octavâ Junii, postquam uno duntaxat anno & aliquot mensibus Archiepiscopalem honorem degustâsset. In ejus locum

Antonius Comes de Schawenburg, Archiepiscop. Colonienſis, hoc anno moritur die 18 Junii

Surius in comment.

Cui surrogatur Joannes Gebhardus Comes de Mansfeld, probè catholicus. *Auctores iidem.* *Cratepol. ibid.*

cum, die 26 Julii S. Annæ sacrâ, unanimi Canonicorum suffragio delectus est Joannes Gebhardus Comes de Mansfeld, antea Præpositus Trajectensis, & Coloniæ ad S. Georgium. Qui licet ortus fuerit ex familia Lutheranis erroribus tunc imbuta, Catholicæ tamen Religioni totâ vitâ suâ *constantissimè inhæsit: dignus idcirco, non solùm Archiepiscopatu; sed etiam longioris vivendi spatio, quod eidem adipisci non licuit.

Paderbornæ turris major Cathedralis Ecclesiæ, ob imminentē ruinam, superiore suî parte tollitur, & in aliam formam restauratur. *Ex literis Archiv. Cath. Eccl.*

In urbe nostra Paderborna turris major Ecclesiæ Cathedralis, è superiore & acuminata suî parte, non parùm inclinare jam cœperat in ruinam; nec erat imprudens timor, ne productior ejusdem apex intrà aliquot annos ab alto rueret, cum ingenti istius Ecclesiæ & urbis totius damno. Qua de causa Decanus & Capitulum Cathedrale, hoc anno in festo S. Joannis Baptistæ, solennem contractum iniêrunt cum duobus fratribus architectis, Jacobo & Bertholdo Frunneken, ut antiquam turrim, lapideæ basi vel turri superstantem, cautissimè tollerent; atque è dissolutis demissísque in terram trabibus novam aliam breviorémque turrim antiquæ basi lapideæ superstruerent, juxta ideam ipsis propositam ac præmonstratam. Id quod etiam ab iis feliciter effectum est, utì hodiedum adhuc videri potest.

Balthasar Haghmeisterus, Flechtorpiensis monasterii Abbas ultimus, hoc anno instituitur. *Ex lit. Archiv. Cath. Eccl. Pad.*

Pejorem aliam fœdiorémque ruinam apud nos hoc anno minitari cœpit fortuna retrograda monasterii Flechtorpiensis, Diœcesis nostræ, in vicino Comitatu Waldeckiano. Abbatem illic egerat ab annis quatuor Joannes Raden professus Liesbornensis: & interea cum ingenti dolore viderat, quàm ingentia damna monasterium hoc in spiritualibus ac temporalibus perpessum fuerit ab invalescente ibidem hæresi Lutherana. His autem avertendis cùm & imparem se agnosceret, & simul animo reputaret, quàm beatè ac feliciter ante infulam acceptam vixerit; deserto Abbatis jure ac titulo quietiorem hoc anno vitam repetiit, rediitque ad monasterium Wittmersense Virginum, quas antè rexerat ùt Confessarius. Tum verò Flechtorpiensis Abbatiæ res decumano simul impetu in interitum protrusæ sunt. Qui enim successit Abbas Balthasar Haghmeisterus, post aliquot annos vitam adeò inquinatam egit, ut malo exemplo suo non solùm bonos omnes ab istius monasterii ingressu absterruerit; verùm etiam Lutheranis ipsis, in eadem vicinia demorantibus, horrori fuerit. Qua de re, cùm à præsidibus Congregationis Bursfeldiensis persæpè & acriter admonitus esset; postremò quidem circa annum 1580 eò inclinatus est, ut in suæ professionis monasterio Liesbornensi ad pœnitentiam obeundam se tradiderit, etiam solenni protestatione suam ob admissa crimina indignitatem confitens. At paulò pòst religiosæ disciplinæ impatiens,

Accepto regimine, cœpit agere vitâ inquinatissimâ. *Manuscripta Paderb. Henschen. to. 2 Ss. Junii.*

Revocatus ad monasterium Liesbornense, rursũ

ex

ex eodem cœnobio rursum aufugit, habitum Benedictinum exuit, cum Lutherana muliere matrimonium iniit, ac demum in ditione (ùt ferunt) Corbejensi animam infelicem exspuit in domo cujusdam viri Nobilis Lutherani, cui pro scriba frumentario & liberorum simul pædagogo fuit. Supererat, cùm ista fierent, in toto monasterio tantùm unus & senex monachus, nomine Humbertus: quem ab infelice Balthasaris fuga rogaverant superiores, ut loci istius curam in se reciperet. Sed cùm ille crebriùs excusaret senectutem suam, rebus œconomicis curandis imparem; eo solo ibidem sinè sociis relicto, Comes de Waldeck locum hunc ad se attraxit: commendavítque alicui Amptmanno, qui viginti pauperes ex ejusdem proventibus aleret, sibíque in singulos annos omnium acceptorum & expensorum rationes daret.

aufugit, uxoréque ductâ infeliciter moritur. *Henschen. loc. cit.*

Comes Waldecensis monasterium desertum occupat, superstite solùm uno monacho sene. *Henschen. ibid. & mss. Pad.*

Annus Christi 1559.

PAULI IV. Pontificis ultimus.
FERDINANDI I. Imperatoris. 2.
REMBERTI Episcopi Pad. 13.

LÆtior hic annus fuit ab optatissima pace, Gallos inter & Hispanos inita. Occasionem huic dederant præ- grandes duæ Gallorum clades: una, quâ ante biennium *apud urbem S. Quintini; & altera, quâ per æstatem superioris anni prope Gravelingam *percussi & profligati fuerant. Posterior harum priori addita præparavit viam ad pacem: quæ, tametsi ante annum tractari cœpta, & per mortem Reginæ Angliæ paulisper sufflaminata sit; hoc anno tamen, die 3tiâ Aprilis, in Cambresiensi* castro feliciter composita & concluса est. In ea conventum est, ut ab utraque parte restituantur omnia: sive ea, quæ sibi invicem eripuerant, sive ea, quæ aliis per eandem belli occasionem intrà complures annos ablata erant. Unde contigit, ut Henricus Galliæ Rex in terris Belgicis Philippo Hispano, in Sabaudia Sabaudo, in ducatu Montis Ferrati Mantuano, in Senensi ditione Cosmo Florentino, in Corsica Reipublicæ Genuensi, & aliis alibi restituere debuerit* centum & nonaginta urbes & oppida; cùm ex adverso Gallus non nisì tria oppida reciperet ab Hispano. Ut autem ambo Reges arctiori nexu jungerentur inter se, etiam duo matrimonia in eodem congressu pacis decreta sunt: unum inter Elisabetham Regis Henrici filiam & Philippum Hispanum; alterum inter Margaretam Henrici Regis sororem & Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ ducem, Philippi Regis consanguineum.

Pax inter Hispanum & Gallum inita.

**Vide dicta ad annum 1557.*

**Haræus in ann. brab. ad an. 1558*

**Gallicè, Cambresy.*

**Spond. hic n. 11. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 14.*

Nuptiæ Philippi Hispani cum Elisabetha Galliæ Regis filia; &

Philiberti Sabaudi cũ Margareta Regis Galliæ sorore. *Spond. hic n. 21. Haræus in ann. brab. Surius & alii.*

Magni postmodum apparatus facti ad utrasque nuptias. Et primæ quidem Parisiis cum singulari pompa celebratæ sunt exeunte Junio, Philippi Regis vicem peragente Ferdinando Duce Albano. In his, præter alia ostentandæ lætitiæ signa, etiam instituta sunt trium dierum hastiludia; in quibus & ipse Galliarum Rex primo biduo sic decertavit, ut suorum concertantium (credo Gallorum) plures ex equis & ephippiis ejecerit. Inde elatior factus, die tertio, etiam heroem extraneum, licèt invitum ac repugnantem, iteratis invitationibus ad similem concursum lacessivit: sed magno suo infortunio. Nam in eo concursu ex diffracta herois istius lancea *frustillum cuspidis in dexterum Regis oculum tanta cum vehementia per foramen cassidis involavit, ut penè usque ad ipsum cerebrum pervaserit. Læsus ergo defertur in palatium: & quia vulnus erat insanabile, undecimo die pòst, nimirum sexto Idus Julii, ex infelici vulnere extinctus est; posteaquam biduo antè *etiam posteriores nuptiæ inter Sabaudum & Margaretam sororem ejus absque omni pompa celebratæ essent. Successit in ejus thronum Franciscus II, ejusdem filius, Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ conjux, ætate juvenis, ingenio mediocris, valetudine imbecillis: qui & anno superiore, Nonis Decembribus, Henricum patrem in fata consecutus est, Carolo IX. fratri suo decenni coronam Galliæ relinquens.

Henric° II. Galliæ Rex moritur. * *Auctores antea cit. Pallav. loc. cit. c. 9. n. 1. *Spond. hic n. 21.*

Succedit in regno Franciscus II, & huic sequente anno Carolus IX, uterque Regis Henrici filius. *Spond. & alii.*

At nemo graviùs eam Henrici Regis jacturam sensit, quàm Paulus Pontifex: tum quòd ei semper impensè addictus fuerit; tum verò maximè, quòd extincto illo undique se desertum *& periclitantem cerneret. Etenim Ferdinandus Imperator ab eo maximopere aversus erat ob negatum hactenus Romani Imperatoris titulum, Philippus Hispaniæ Rex propter iniqua bella duobus abhinc annis contra se commoveri cœpta, Elisabetha Angliæ Regina ob improbatam rejectámque assumptionem sui in thronum Angliæ: qua de causa etiam, ùt multi volunt, ab Ecclesiæ Catholicæ gremio se disjunxerat. Nec major apparebat ei securitas domi, quàm foris: cùm & subditi* propter onera sibi imposita fremerent, & alii ditionum Papalium Proceres variis injuriis affecti essent. Igitur angoribus undique obsessus, & simul octoginta quatuor annorum pondere delassatus, brevi morbo* vitam exuit die decimâ octavâ Augusti: tanto sui nominis odio apud Romanum vulgus post se relicto, ut eâdem die, priusquam adhuc penitùs exspirâsset, insana plebs cum ingenti fremitu in Capitolium irruerit; ac primò quidem statuam ejus marmoream *naso & manu dexterâ detruncaverit: deinde biduo pòst eidem simulacro caput absciderit: postremò etiam caput illud cum grandi ignomi-

Paulus IV. Papa moritur. *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 14. *Pallav. ib. *Pallav. ib. n. 4. *Pallav. ib. n. 7.*

nia

nia per urbem volutârit, ac in Tyberim dejecerit. Ultima decedentis verba fuerunt illa *Prophetæ Regii, psalmo 121: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus.* Neque dubium est, quin fuerit vir *admodum pius, devotus, ac fervidus in tuenda re Catholica: simul tamen *austerus, vehemens, iracundus, arrogans, ideóque minùs commendabilis in sede Apostolica; quàm priùs in claustro Ordinis Theatini, quem olim instituerat. In ejus locum post quatuor mensium vacationem unanimi Purpuratorum suffragio surrogatus est Pius IV, electus die vicesimâ quintâ Decembris in ipsa nocte Natalem Domini subsecuta; coronatus autem sequenti anno, die sextâ Januarii in Epiphania Domini.

*Spond. hic n. 11.

*Spond. ib. *Pallav. ib. n. 5.

In ejus locũ sub finem hujus anni eligitur Pius IV.

Auctores citati.

Interea Nobilitas Westphalica, gravissimè affligi cœperat in Livonia, suarum exercitationum vetere Palæstrâ. Vixerat hæc terra diu cum vicino Russorum Principe in summa pace, quam ad integros quinquaginta annos ab eodem obtinuerat invictissimus Russorum domitor *Walterus Plettenbergius. Et hac pace non solùm ipse gavisus fuerat usque ad annum hujus seculi tricesimum quintum, quo è vivis abiit; sed etiam tres illius in supremo sui Ordinis Magisterio* successores, Hermannus de Bruggeney, conditus Hasenkamp, defunctus anno 1549: Joannes de Reck, defunctus anno 1551: & Henricus de Galen, defunctus anno 1557. At paulò pòst, nimirum anno 1558, Russi iterum cum ingenti armorum fremitu in Livoniam *proruerunt, Narvam expugnârunt, Dorpatum subegerunt, multísque aliis oppidis & castellis captis, non modicam Estoniæ partem dominatui suo subdidêre. Vehementer id affligebat Wilhelmum Fürstenbergium, qui ibidem paulò antè ad supremum Ordinis Magisterium evectus fuerat. Et quia jam gravi senio premebatur, quietioris vitæ causâ hoc anno rursus dignitatem istam abdicavit, ac tradidit Coadjutori suo Gothardo Kettelerio, florentioris ætatis viro. Sed eheu! ubi quietem & securitatem quærebat Fürstenbergius; ibi summam infelicitatem & exitium reperit. Etenim sequenti anno 1560 Vellinense castrum, in quo velut loco munitissimo considere cœperat, proditione, seu rebellione militum à Russis occupatur, & optimus ille senex amissis thesauris omnibus in Moscoviam abductus est; ubi reliquam vitam in custodia & ærumnis finiit, Catholicæ pietatis ac Fidei assertor constantissimus. Utinam & aliquam istius constantiæ scintillam habuisset ejusdem in Magisterio successor Gothardus de Ketteler! de cujus apostasia ac defectione agetur suo loco.

*Vide dicta ad annum 1502.

*Russovius in chron. Livon. p. 2.

*Russov. ib. fol. 63.

Wilhelmº de Fürstenberg, supremus Teutonici Ordinis Magister in Livonia, munus suum abdicat propter senium: *Chytræº l. 20. Saxon.* At anno sequenti à Russis capitur, & in Moscoviam abducitur. *auct. iidem*

In Episcopatu nostro Paderbornensi adhuc optimè florebat antiqua Fides Catholica; & in ea conservanda sollicitè desudabant Henricus von Cöllen Cancellarius, Conradus Thor Möllen Offi-

Rembertus Ep. Paderborn. inter oppidum

ac monaſterium Wilbadeſſenſe, componit litem de quibusdam ſilvis & glandemia. *Ex literis monaſterii Wilbadeſſ.*

cialis, & Gerhardus Rôtekenius Concionator primarius. Hac autem Religionis tranquillitate Rembertus Epiſcopus noſter ſtudioſiſſimè utebatur ad componendas Diœceſis noſtræ controverſias, quarum duæ hoc anno rurſus ad optatum exitum perductæ ſunt. Prima erat monaſterii oppidíque Wilbadeſſenſis de quibuſdam ſilvis & earum glandemia: & hæc ibidem *die decimâ tertiâ Junii* feliciter complanata eſt per Epiſcopales Commiſſarios, Hermannum de Viermund ſatrapam Dringenbergenſem, Widekindum de Falckenberg ſatrapam Heriſtallenſem, Henricum von Cölen Cancellarium, & Philippum Poêt quæſtorem. Altera erat Epiſcopi noſtri, Comitúmque Lippienſium de limitibus inter Dominium noſtrum Bokenſe, & arcem vel præfecturam Lippiacam in Lipperode. Qua in lite, cùm hoc anno deſignati eſſent partium ambarum arbitri, nimirum ex parte Remberti Epiſcopi noſtri; Gisbertus Budden Cathedralis Eccleſiæ Oſnabrugenſis Cantor, Widekindus de Falckenberg ſatrapa in Herſtelle, & Schônenbergius de Spiegel vir equeſtris familiæ; ex parte verò Bernardi & Hermanni Simonis, Comitum Lippiacorum, Antonius de Donop, Franciſcus de Kerſſenbroich, & Ludolphus Kottman Lemgovienſis conſul: eorundem induſtriâ ac ſollicitudine tandem lis illa feliciter extincta eſt; utì conſtat ex literis ejuſdem tranſactionis, quarum finis eſt: *Actum et concordatum Delbrugi Anno milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono, die decimâ octavâ Julii.*

Item aliam litem de limitibus dominii noſtri Bokenſis, & arcis ac præfecturæ Lippiacæ in Lipperode. *Ex literis Cancellaria Pad.*

Annus Chriſti 1560.

PII IV. Pontificis 1.
FERDINANDI I. Imperatoris 3.
REMBERTI Epiſcopi Pad. 14.

Pius IV Papa Ferdinandi Cæſaris aſſumptionem ratam & gratam habet. **Pallav. in hiſt. concil. Trid. l. 14.*

PAuli IV. Pontificis duritia, quâ Ferdinandum ùt legitimum Imperatorem agnoſcere detrectârat, Romæ paſſim ab aliis improbata erat ùt nimis aſpera * ac parùm prudens. Videbant enim, quàm ingentes Germanorum turbæ, quis Lutheranorum plauſus & Catholicorum dolor ſecuturus eſſet, ſi è ſupremi capitis intemperie regnum inter & ſacerdotium diſſenſio fieret. Quare ſucceſſor ejus Pius IV, ùt primùm Romæ electus eſt, avertendi hujus diſſidii causâ Franciſcum Turrianum Ferdinandi Oratorem benevolè ad ſe admiſit; & paternè ſignificavit, Ferdinandi Cæſaris aſſumptionem ſibi maximè gratam & ratam eſſe. Quo audito prædictus Imperator ſingulari cum lætitia, non ſolùm literis amantiſſimis * honores Pontificios

**Pallav. ib. c. 12. n. 1. 2.*

ficios Pio IV. gratulatus est; verùm etiam paulò pòst, solenni legatione missâ, eundem ex antiqua superiorum Cæsarum consuetudine adorari jussit, subjunctâ humili petitione, ut revirescente Regum Catholicorum pace, concilii Tridentini celebrationem pro totius Ecclesiæ bono resumeret. Id quod etiam hic novus Pontifex, uti jam antè purpuratis Patribus declaraverat, lubentissimè se facturum adpromisit. Promittit etiam resumptionē concilii Tridentini. *Pallav. ib. n. 3.*

Et sanè jam summa rei hujus necessitas erat; cùm & ipsa Gallia, quæ hucusque bellis inutilibus hæresin Lutheranam foverat in Germania, Calvinianis erroribus plena esset. Neque pestis illa serpebat solùm inter homines plebejos & vulgus humile; sed etiam inter ipsos Regni magnates, quorum præcipuus ductor & antesignanus erat Ludovicus Princeps Condæus, Antonii Regis, Navarræ, frater. Hi deinde secretioribus consiliis gravissimam conjurationem in Regem juvenem hoc anno conflavêre: sub eo quidem prætextu, ut Principes Guisios velut extraneos ab administratione regni dejicerent; revera tamen, ut Calvinianam hæresin, depulsâ Religione Catholicâ, stabilirent. Ac tametsi ea conjuratio adhuc maturè detecta, & Condæus* in custodiam detrusus fuerit: Rege tamen paulò pòst è vivis decedente, & Carolo IX. decenni puero in thronum fratris evocato, Condæus iterum* à vinculis absolutus est, non sinè maxima convulsione totius regni, quòd eo duce calamitates adhuc multò graviores à Calvinistis pertulit, quàm paulò antè Germania nostra à Lutheranis. Initia motuum Calvinistarum in Gallia. *Spond. ad hunc annū. Pallav. c. 12. n. 9.* *Spond. hic n. 9. *Spond. hic n. 21.*

Eadem virulenta lues anno superiore jam in urbem & academiam Heidelbergensem infusa erat, afflante Wilhelmo Clebitio. Decertaverat hic ibidem cum Tilmanno Heshusio de præsentia Divini Corporis* in pane Eucharistico; quam affirmabat Heshusius, & pernegabat Clebitius Calvinista. In hac funesta amborum altercatione Fridericus Elector Palatinus à Philippo Melanchthone ante annum petiit, ut hac in re suam sibi sententiam aperiret. Sed, cùm ille pro versatili ingenio suo tam ambiguè responderet, ut neque realem Christi præsentiam assereret, neque eam penitùs inficiari vellet; Elector ipsémet officium judicis assumpsit, ejectísque Lutheranis vel Confessionistis* templa omnia & scholas in Calvinianorum potestatem tradidit. Nec multò pòst ab iisdem Calvinistis Heidelbergensibus invidiosum hoc decretum* prodiit: *Lutheri et Brentii cathechismi extra Ecclesiam ejiciantur, et eorum scripta nullam authoritatem habeant.* Acerbè res ista pupugit Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem, Electoris Palatini socerum: ideóque hoc anno cum duobus Theologis suis, Morlino & Stossélio, Heidelbergam* profectus est, ut novo huic Augustanæ Confessionis vulneri Fridericus Elector Palatinus Calvinismum in suas terras introducit. *Surius ad ann. 1559. Epitome Ephemer. de ortu & occasu August. Conf. ad an 1559* *Epitome Ephem. loc. cit.* *Surius ad ann. 1560.* *Epitome Ephem. ad ann. 1560.*

neri medelam ferret. Sed Elector Palatinus venenum illud Calvinisticum tam profundè jam receperat intrà sua viscera, ut, quidquid ibi Morlinus & Stosselius prædicando vel disputando agerent, ex ejus corde malum illud expellere non valerent.

Philippus Melanchthon moritur: & incertum est, in qua fide. *Chytræus l. 20. Saxon. Surius ad hunc annũ.*

Ità Joannes Fridericus re infectâ rediit: & Philippus Melanchthon, cujus ambiguæ responsiones Palatinatui Calvinismum intulêre, eodem anno Wittenbergæ die decimâ nonâ Aprilis obiit; relicto non imprudenti de se dubio, an Augustanam Confessionem, à se olim fabricatam, sub vitæ finem retinuerit, nec ne? certè postremis annis, ùt è Wormatiensi colloquio constat, à doctrina* Calvinistarum aut Zwinglianorum non abhorruit, præsertim in materia de cœna Domini. Imò Florimundus Remundus, teste* Spondano, refert, eum, cùm ante mortem rogaretur à matre sua adhuc superstite, ut syncerâ conscientiâ declaret sibi, *quænam sit optima Religio*? nova scilicet, an Catholica vetus? disertè huic respondisse: *novam esse plausibiliorem; antiquam verò securiorem esse.* Quod si verum est, non video, cur prudens quisque non debeat potiùs mori Catholicè; quàm ob inanem ejusmodi plausum æternæ salutis periculo se exponere.

**Surius ib. *Spond. ib. Spond. hic n. 30.*

Annus Christi 1561.

PII IV. Pontificis 2.
FERDINANDI I. Imperatoris 4.
REMBERTI Episcopi Pad. 15.

Pius IV. Pontifex ubiq; per suos nuntios indicit concilium Tridentinum. *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 14.*

PRincipio hujus anni, cùm & Cæsar & Hispaniæ Galliæque Reges concilii Tridentini resumptionem acceptâssent, varii Papales Nuntii ad omnes Regum ac Principum Christianorum aulas ablegati sunt, ut eosdem pro tollendis Religionum dissidiis ad prædictum concilium invitarent. Ad Ferdinandum Imperatorem ea de re missus erat Joannes Franciscus Commendonus, natione Venetus: qui & unà cum Zacharia Delfino Veneto in mandatis habuit, ut ipsorum alter ad superioris, alter ad inferioris Germaniæ Principes diploma concilii cum literis Pontificiis ferret. Approbabat id etiam Imperator. Simul tamen prudentissimè suggerebat eis, non parùm temporis inutiliter ab ipsis consumptum iri, si Principum acatholicorum quemlibet separatim adituri sint: imò, si id fiat, eorum singulos indubiè responsuros esse, nihil certi hac in re decerni ac statui à se posse, donec aliorum Protestantium ac fœderatorum sensa pernoverint. Quare suo judicio consultius fore, ut ambo simul

Ferdinandi Cæsaris consilia, data nuntiis in Germaniam ablegatis. *Pallav. l. 15. c. 2.*

simul Naumburgum pergant. Illic enim die vicesimâ Januarii omnes Principes acatholicos, aut eorum Legatos, repurgandæ Confessionis Augustanæ gratiâ, conventuros esse: eodémque tempore curaturum se, ut ope Ministrorum suorum, quos iisdem adjungere velit, faciliorem ad hósce Principes accessum habeant.

Placuit consilium istud ambobus Nuntiis; deductíque à tribus Oratoribus Cæsareis, Naumburgum pervenêre *die vicesimâ octavâ Januarii. Aderant illic è Principibus acatholicis Fridericus Elector Palatinus, Augustus Elector Saxonicus, Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, Wolffgangus Comes Palatinus Rheni, Christophorus Dux Würtenbergensis, Ulricus Dux Mecklenburgensis, Philippus Landgravius Hassiæ, Carolus Badensis Marchio, multíque alii tum Principes, tum aliorum Principum ac Procerum Legati. Præcipua conventionis illius causa erat, ut, cùm in decreto pacificationis Augustanæ * ex communi Principum consensu non comprehendantur alii acatholici, quàm qui Augustanæ Confessionis addicti fuerint; sese invicem ab aliis hæreticis, & suam Confessionem à sinistris & insynceris posteriorum temporum Confessionibus discernerent. Catholici enim Lutheranis exprobraverant in scriptis & comitiis publicis, eos hodie non ampliùs *Confessionem*, sed **confusionem Augustanam* sequi: cùm ab eo tempore, quo ipsorum Confessio in comitiis Augustanis Carolo V. Imperatori exhibita fuit, ea novis editionibus toties recusa, immutata, correcta, & vitiata vel corrupta sit, ut moderna multorum Confessionistarum doctrina toto ferè cælo à prima discrepet; ideóque & ipsímet Lutherani Theologi in colloquio Wormatiensi noluerint condemnare doctrinam Zwinglii & aliorum hæreticorum, tametsi hæc nunquam ab Imperio recepta, & vel ab ipso Confessionis Augustanæ primordio rejecta fuerit. Itaque ut hanc maculam expurgarent, & in posterum se ab hujusmodi sugillationibus immunes redderent; studebant hîc, è tam multis diversissimísque Augustanæ Confessionis editionibus unam seligere, quam in posterum tenerent & amplecterentur omnes. At brevi hîc iterum patuit, in Ecclesia acephala nullam planè concordiam reperiri posse. Palatinus enim & Saxonicus Electores volebant retineri editionem recentiorem: quippe quæ, ùt ipsi asserebant, ab editione prima non differret in re; sed tantùm in verbis & explicationum claritate. Contrà verò oculatiores alii, ut à Calvini & aliorum erroribus doctrinam suam segregarent, acerrimè contendebant, retinendam esse Confessionem primam, & eâdem verborum formâ, quâ hæc olim Carolo V. Imperatori in Augustanis comitiis oblata fuerat. Post hæc iterum instabant Electores antè dicti, tolerari quidem à se posse,

Pallav. ib.

Acatholici Principes conveniunt naumburgi ad statuendam concordiam suæ doctrinæ.

Chytræus l. 20. Saxon. ad hunc annum.

**de aõ 1555 vide dicta ibid.*

**Chytræus ibid.*

Hunc in finem studebant, è diversis Augustanæ Confessionibus unam seligere & comprobare: sed frustra.

Chytræus loc. cit.

Dissensiones Principum congregatorũ

ut

de renovatione Confessionis Augustanæ. *Chytræus l. 20. Saxon.*

ut retineatur & recudatur editio prima: ità tamen, ut addatur nova præfatio, & in ea declaretur, editionem primam à recentioribus non differre in substantia; atque ideo, si rem ipsam intuearis, nulla in suis Ecclesiis esse dissidia. Contrà verò iterum Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, & quidam alii, præfationem istam ambabus manibus rejecêre: tum quòd in ea falsissimè jactitetur, nulla in suis Ecclesiis esse dissidia, quæ tamen omnium oculis & auribus observentur: tum quòd illius præfationis beneficio etiam inter Augustanæ Confessionis assecias connumerari vellet Elector Palatinus, & alii sacramentarii, qui errores ab Augustana Confessione alienissimos recenter amplexi erant, neque hactenus induci poterant, ut ab iisdem retrocederent. Ità concordia, quam hîc tentaverant, eventu cassò rursum diffluxit; & Joannes Fridericus Dux, tam importunis animorum dissensionibus rem agi videns, die tertiâ Februarii ex improspero conventu abiit.

Joannes Fridericus, Saxoniæ Dux, re infectâ recedit è conventu. *Chytræ° ib.*

Interea Papales Nuntii persæpe flagitaverant colloquium privatum cum duobus Electoribus, Palatino & Saxone. Sed, cùm illud assiduè negaretur, tandem ipsis die quartâ Februarii à Friderico Palatino significatum est, eos postridie à toto conventu simul auditum iri. Altero mane à quatuor viris primariis, è conventu missis, in ædes congregatorum Principum honorificè deducti sunt, etiam adjunctâ custodum armatorum cohorte; eúmque ad eos ingressi, Principibus singulis diploma concilii, singulásque literas Pontificias, ad eorum singulos nominatim scriptas, perhumaniter obtulissent, in subsellio holoserico, decentissimè præparato, considêre jussi sunt hísce verbis: *sedeant Dominationes vestræ.* Tum altissimo* silentio facto, uterque Nuntius oratione geminâ legationum suarum causas exponere, affectum summi Pontificis erga nationem Germanicam dilaudare, ejus desiderium de abolendis Religionum dissidiis extollere, multiplicitatem sectarum quotidie augescentium plangere, œcumenici concilii necessitatem declarare, ad illud adeundum cohortari, ac demum promittere, in eo cuncta per summam pacem, charitatem, ac mansuetudinem peractum iri. Quibus auditis Principes, inter se paululum submissâ voce collocuti, responderunt illis per Cancellarium Electoris *Palatini: *se ea, quæ Romani Pontificis nomine sibi exposita sint, attentis auribus accepisse: negotium illud magìs arduum esse, quàm ut in eo statim aliquid à se decerni queat: conventuros primùm inter se, ac postea responsuros, quid agere velint, nec ne.* Mox eodem honore, quo *venerant, ambo Nuntii domum reducti sunt: & congregati Principes non solùm retinuêre diploma concilii; sed etiam Papales literas, ad singulos ipsorum editas, cum inscriptione solita: *Dilecto filio* &c.

Delfinus & Commendonus, Papales Nuntii, admittuntur Naumburgi ad conventum Principum. *Pallav. in hist. concil. Trid. l. 15.*

**Pallav. n. 10.*

Utriusque Nuntii oratio ad Principes. *Pallav. ib. c. 3. n. 1.*

Eorundem Principum responsio. **Pallav. l. 15. c. 3. n. 3.*

**Pallav. ib.*

Vix

Vix autem horæ quadrans præteriêrat, cùm posteriores literæ ad eorum ædes remittuntur *hísce verbis: *Magnifici Domini: Principes nostri, dum apud eos fuistis, in literis Pontificiis non animadverterunt verba illa*: Dilecto filio. *At, ubi postmodum conspicati sunt, se à Romano Pontifice nominari filios; hujusmodi titulum unà cum literis dedignati sunt.* Biduo pòst, nimirum die septimâ Februarii, remittuntur ad eos iterum decem consiliarii Principum; & eorum nomine ultimum *responsum perferunt: *non esse opus, ut hoc in loco moram longiorem faciant: nullam Pontificis auctoritatem à se agnosci; ideóque nec futurum, ut concilium ab eo indictum per se suósque Theologos aut Oratores adeant.*

*Pallav. ib. n. 4.

*Pallav. ib. n. 5.

His auditis discessit illico uterque Nuntius. Et Zacharias quidem Delfinus ad invitandas urbes Imperiales, Norimbergam, Augustam, Francofurtum, & Argentoratum abiit: quanquam exiguo cum profectu, ob invalescentem in iis hæresin. Commendonus verò, salutatâ primùm Berolinensi aulâ (Joachimi enim septemviri uxor *adhuc erat probè Catholica) in Germaniam inferiorem se convertit ad invitandos Principes Catholicos, Henricum Brunsvicensem, Wilhelmum Clivensem, Joannem Gebhardum Colonienſem, ceterósque horum locorum Episcopos. Ac tametsi omnes hi summa cum reverentia contestati sint, concilii Tridentini convocationem sibi percaram esse; pauci tamen propter vicina hæreticorum pericula de ejusdem accessu cogitare visi, excepto Remberto Episcopo nostro: qui, licèt podagrâ tunc laborans, ac propè octoginta septem annorum esset; sese tamen ad concilium adeundum obtulit, modò id vires & valetudo ferrent.

Commendonus ad concilium invitat inferioris Germaniæ Principes Catholicos. *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 15.

Remberti Ep. Paderb. alacritas ad concilium adeundum. *Pallav. c. 5. n. 2.*

Erat eo tempore Paderbornæ primarius concionator Gerhardus Rôtekenius, qui & paulò pòst ibidem propter egregiam doctrinam creatus est Præpositus ad S. Udalricum. Is, cùm acerrimè staret pro conservanda Fide Catholica, quæ in vicinorum Comitum, Principúmque ditionibus jam pridem eviluerat; synodicam hoc anno orationem edidit de veteribus Ecclesiæ cerimoniis & consuetudinibus. In ea præter alia complura docuit: *quadragesimale jejunium esse traditionem Apostolicam, et scripturam sacram è Sanctorum Patrum interpretatione explicari oportere.* Non potuit hanc illius lucubrationem æquis oculis intueri vicinus in urbe Lemgovia præco, Hermannus Hammelmannus; atque ideo contrariam falsitatem astruere nisus est alio libello, in lucem publicam evulgato. Sed eâdem, ùt opinor, felicitate aut imprudentiâ, quâ solam Fidem justificare, quadriennio abhinc *probaverat ex eo, quod in hymno canat Ecclesia, *sola Fides sufficit*: cùm tamen eo in loco non dicatur, solam Fidem sufficere ad salutem vel justificationem homi-

Gerhardus Rôtekenius Paderbornæ concionator, edit librum de cerimoniis veteribus: *Hamelm. in hist. Eccl. Pad. pag 1342.*

Quem frustra impugnat Hamelmann.

*Kleinsorg. in hist. mss. ad an. 1557

nis; sed (utì expresè additur) *ad firmandum cor syncerum* in tenenda & confitenda præsentia Christi sub speciebus Eucharisticis. Rôtekenii synodicam orationem * probè legi: contrarium Hamelmanni scriptum adipisci non potui, alioquin similia falsa ac mutilata plurima in eo facilè detecturus.

*edita est Coloniæ typis Godefr. Godenau aõ 1561.

Nempe id unum agebat semper veteratorius ille scriptor, ùt Catholicis noceret, & plebem indoctam falleret: *dolus an virtus, quis in hoste requirat?* Neque dubium est, quin eodem auctore vel impulsore factum sit, ut Patres Franciscani, quibus de strictiori observantia nomen est, Lemgoviæ hoc anno tam iniquè habiti, ac demum etiam urbe ipsâ excluſi fuerint. Habebant hi ibidem cœnobiolum, ante annos propè centenos *conditum: toleratísque primis Religionum dissidentium turbis, credebant se in posterum tutiores fore beneficio pacis Augustanæ, quæ Lutheranorum potestati solùm permiserat monasteria ante id tempus occupata; reliqua verò, quæ adhuc supererant, in suo statu citra omnem injuriam relinqui voluit. Sed, eheu! contrarium suprà dicti Patres experti sunt à Consulibus & Magistratu Lemgovienſi. Hi enim, quòd à suis Prædicatoribus assiduè concitarentur in Catholicos, eò tandem audaciæ ac temeritatis proruerunt, ut hoc anno bonis Patribus non solùm interdixerint omnia, quæ ad exercitium Religionis pertinent; verùm etiam, ne officium divinum canere aut concionari possent, conventum, bibliothecam, ac templum violenter occludi jusserint. Qua de causa ejusdem Ordinis Minister Provincialis Joachimus Arnheimensis apud Rembertum Antistitem nostrum, velut ordinarium istius loci, gravissimè conquestus est: simúlque ab eo demissè petiit, ut Lippiensem Comitem de insolenti Lemgoviensium Senatorum facto convenire, veterémq; monasterii istius libertatem efficaciter perurgere, non dedignetur. Quid ad hæc responderit Episcopus noster, non invenio. Certus sum, ab eo nihil operæ ac laboris prætermissum esse in restauranda prædictorum Patrum libertate. Sed, cùm hodie monasterium illud adhuc in manibus acatholicorum sit; vereor, ne in vanum laboraverit propter vicinam Hassi potentiam; qui inter istas Religionum turbas, & nobis terrori, & Comitibus Lippiacis adjumento semper non parvo fuit.

Monasteriũ Lemgoviense PP. Franciscanorum strict Obs. invaditur à Lutheranis & occluditur.

Ex literis Paderb.

conditum est aõ 1463. à viro Nobili, Joanne de Möllenbeck.

Querelæ Patrum hac de re ad Rembertũ Episcopum.

Ex literis Joachimi Arnheimensis, ejusdem ordinis Ministri provincialis, ad Ep. hoc aõ datis die 13. Augusti.

Eo frustra se opponente, monasterium illud extinguitur.

Hamelmannus, etiamsi de recepto apud Lemgovienses Evangelio Lutherano, déque illius ortu & progressu non pauca scripserit; iniquum illud subditorum suorum facinus pede tacito præterivit, ne vel eos Augustanæ pacis violatores faceret, vel se ipsum istius maleficii auctorem fuisse, proderet. Aliam tamen historiam scriptioni meæ suppeditat, quam hîc attexere, necessum est. Everwinus

winus Comes Benthemensis, nescio qua de causa, gravem inimicitiam conceperat adversùs uxorem suam Annam Tecklenburgicam, aviti comitatûs hæredem unicam. Et jam eò creverat Comitis offensi furor, ut uxorem hanc, tametsi per ipsius nuptias Tecklenburgensem comitatum indeptus esset, in severam custodiam detrudi jusserit. In his angustiis astuta mulier per literas occultas confugit ad cognatum suum, Christophorum Comitem Oldenburgicum; eundémque demissè rogat, ut suî liberandi curam suscipere, & innocuam se ex his ærumnis eripere, non detrectet. Is autem, ut hoc faciliùs & sinè omni tumultu fieret, ingeniosam planè fraudem comminiscitur: amicísque literis Comitem Everwinum rogat, ut, cùm avia sua fuerit orta è domo Tecklenburgica, eáque domus adhuc nunquam à se visa vel inspecta fuerit; benignè sibi permittat, occasione datâ eam ingredi, & pro suo desiderio perlustrare. Everwinus, nullam fraudem hîc suspicatus, Christophori Comitis petitioni obsecundat; simúlque eidem reddit securi commeatûs literas, quibus antè dictæ arcis custodes jubebantur, Christophorum ad se venientem intromittere. His acceptis, Oldenburgicus cum fortissimis quibusdam viris Tecklenburgum proficiscitur: castróque citra ullam offensionem occupato, Everwinum adigit, ut Annam conjugem suam non solùm eximeret è custodia; sed etiam sacramento se obstringeret, eidem futuris temporibus nullam ampliùs molestiam illatum vel irrogatum iri. Quo peracto, Christophorus Comes prædictam arcem Everwino reddidit, & abscessit.

Everwinus Comes Benthem. ac Tecklenburg. uxorem suam Annam Tecklenburgicam tradit custodiæ: *Hamelm. in chron. Oldenb. part. 3. pag. 358.*

Sed ingeniosâ fraude à Christophoro Oldenburgensi cogitur eam relaxare, & à similibus ausis in posterum abstinere. *Hamelm. ib. pag. 359.*

Annus Christi 1562.

PII IV. Pontificis 3.
FERDINANDI I. Imperatoris 5.
REMBERTI Episcopi Pad. 16.

ANnus hic tandem die decimâ octavâ Januarii, non sinè maximo Catholicæ Religionis commodo, resumptum ac restitutum vidit concilium Tridentinum, quod hucusque à decem annis bellorum ac temporum iniquitate suspensum fuerat. In prima sessione numerati sunt Præsules *centum & ampliùs; in aliis verò longè plures. Galli ob intestina Religionis dissidia, quæ Calvinus excitaverat, aliquantò seriùs advenêre. E Cæsareis & Germanis tantùm aderant Marcus Altempsius Cardinalis & Episcopus Constantiensis, Ludovicus Madrutius Cardinalis & Episcopus Tridentinus, Antonius Muglitius

Concilium Tridentinũ hoc anno resumitur.

Spond. hîc n. 3. Pallav. in hist. conc. Trid. l. 15.

glitius Archiepiscopus Pragensis & Orator Cæsareus, Georgius Draskovitius Episcopus Quinqueecclesiensis & Orator Cæsareus, Hercules Rettinger Episcopus Laventinus, Leonardus Haller Episcopus Philadelphiæ & Aichstadiensis Episcopi suffraganeus, Augustinus Baumgartner Orator Alberti Ducis Bavariæ, Georgius Hohenwarter Orator Episcopi Basileensis, Joannes Gothardius Orator Episcopi Ratisbonensis, Felicianus Ninguarda Archiepiscopi Salisburgensis Theologus, & Joannes Covillonius Societatis JESU, Alberti Bavariæ Ducis Theologus. Ex aliis Germaniæ Principibus tam Ecclesiasticis quàm secularibus, etiamsi id maximè vellent, nemo per se vel Procuratorem suum ausus est comparere* propter multiplicia pericula, quæ sibi suísque imminere poterant, si, Lutheranis detrectantibus, ad concilium indictum pergerent; uti Cæsar ipse Legato Pontificio jam antè indicaverat.

Catholici Principes Germaniæ, metu Lutheranorũ emanent.

*Pallav. in hist. concil. Trid. l. 15. c. 9. n. 3.

Enim verò jam in eo statu erant res Imperii, ut Catholicorum potentia quotidie decresceret, acatholicorum verò cresceret: sicuti & hoc anno ad partes eorum transiit supremus Teutonici Ordinis in Livonia Magister, Gothardus de Ketteler, quem tribus abhinc annis Wilhelmo Fürstenbergio suffectum diximus. Luctuosus hic viri tanti casus potissimùm ortus est è duobus malis, quæ antecesserant. Primum est, quòd supinâ Ordinis negligentiâ pleræque regiones Livoniæ jam ab annis pluribus Religionem veterem deseruerint; atque ideo vicissim à Deo desertæ, & hostium variorum direptioni permissæ fuerint. Alterum est, quòd & ipsémet Gothardus non satis firmus esset in antiqua Fide, cuperétque sequi exemplum Alberti Brandeburgici, supremi quondam Ordinis Magistri in Borussia; qui jam antè complures annos uxorem duxerat, &, consentiente Polonorum Rege, ditionem suam in secularem Ducatum verterat. Itaque, dum & hinc à potentissimo Russorum Duce, & indè ab Erico Suecorum Rege aliísque hostibus acerrimè premeretur; sub finem anni superioris Livoniam totam *Sigismundo Augusto* Polonorum Regi submisit: eâ tamen adjectâ lege, ut Curlandiam cum Ducali titulo retineret; & hac in feudum receptâ sibi permitteretur, Lutherano ritu matrimonium contrahere. Id quod ubi obtinuit; hoc anno, die quintâ Maji, prædicto Regi, coram Legato ejus Nicolao Radzevilio, clientelare sacramentum dixit, Religiosum Ordinem ejuravit, Magistrorum insignia, crucem, sigillum, privilegia, Cæsarum & Pontificum diplomata, claves urbis & arcis Rigensis, unà cum omnibus Ordinis antiqui juribus Legato tradidit, & ab eo vicissim Curlandiæ ac Semigalliæ Ducem se proclamari fecit. Lugebant multi in aspectu hujus tragœdiæ; plurimúmque miserebat eos, tam indigno modo extingui Ordi-

Gothardus de Ketteler, supremus Magister Ordinis Teutonici in Livonia, à Fide, Ordine, & Imperio deficit.

A Sigismundo Augusto Poloniæ Rege, post Livoniæ traditionem creatur Curlandiæ Dux, & Ordo ibidé extinguitur *Chytræus l. 20. Saxon. ad hunc annum.*

Ordinem, qui ab antiquis temporibus Christianæ Reipublicæ tam innumeros animarum fructus attulerat. Præ ceteris verò maximè ad hoc facinus ingemiscendum fuit Nobilitati Westphalicæ, quæ ferè sola apud Livones equestrem hunc Ordinem obtinebat, & in eo præcipuis dignitatibus fungebatur.

Ceterùm, quidquid incrementi Lutherana Religio cepit ex illa Gothardi Kettelerii ac Livonum defectione, id in Germania rursus deperdi cœptum ex invalescente Calviniſmo; qui jam ità infestus erat Augustanæ Confessioni, ut penè jugulum ipsius peteret. Palatini septemviri terras lues ista jam indè à tribus *annis invaserat, agente (ùt suprà vidimus) Wilhelmo Clebitio, Heidelbergensi Prædicatore. In urbem Bremensem ante annum se infuderat seditiosis *dictionibus Alberti Hardenbergii, concionatoris in æde summa. Ad alias quoque Saxonum provincias, ne propediem se extenderet, non leve *periculum vel mètus erat: tum quia Elector Saxoniæ ante annum in conventu Naumburgensi tam ardenter steterat pro Friderico Palatino, Calvinianis erroribus addicto; tum quia Illyricus Flaccus & alii *hoc anno conquesti sunt, se idcirco è Jenensi schola à Saxonicis Principibus ejectos esse, quòd sacramentariorum & Calvinistarum doctrinæ se opposuerint. Pulcherrimè scribit hac de re Stanislaus Hosius Cardinalis in epistola, è Tridentino concilio ad Henricum Ducem Brunsvicensem *hoc anno data: *Quorsum*, inquit, *res modò rediit, per Deum immortalem! putavit Lutherus, eversurum se Papatum Romanum, qui mille quingentis annis duravit in Ecclesia Dei. Ecce autem ipsius Lutheri Papatum, quem vixdum annos quadraginta durâsse constat in Saxonia, jam priùs eversum esse, non temere gloriantur sacramentarii: cùm bona pars eorum, qui Lutheri fidem amplexi fuerant, rejectâ eâ doctrinam Zwinglii sive Calvini secuta sit. Plurimos in Germania videre licet, qui de præsentia Corporis Christi in Eucharistia, non solùm ab Ecclesia Dei; verùm etiam ab ipsius Lutheri placitis discesserunt.* Conati sunt quidem Lutherani Principes hoc malum eradicare in congressu Luneburgensi, per hunc annum habito; ubi & novum decretum *contra hujusmodi sacramentarios, maximéque Bremenses, editum. At ipsi, hoc edicto magìs irritati, continuò Lutheranos omnes ejecerunt urbe; respondérúntque Principibus, qui ejusdem edicti auctores fuerant: *sibi non minùs licere, Zwinglium et Calvinum sequi; ac iis liceat, sentire cum Luthero.*

Bremensis urbs à Luthero ad Calvinum anno superiore transiit;

*Vide dicta ad annum 1560.

*Surius ad ann. 1561.

*Surius ad ann. 1562. in fine.

*Surius loc. cit. Spond. hîc n. 49.

*data est Tridenti ao 1562 die 24 Martii: impressa est Coloniæ apud Cholinum anno 1564.

Et ali Principibus frustra obnitentibus, in eodem errore perseverat.

*Surius in comment. Spond. ad hunc annũ. n. 49.

Longè tristiùs virulenta ista Calvinistarum factio crescebat in regno Galliæ: ubi sub Rege puero, & Reginæ matris muliebri Imperio, eum in modum aucta est, ut hoc anno demum in apertam seditionem, gravissimúmque bellum eruperit. Præcipuus rebellium

Calvinistæ in Gallia contra Catholicos arma capiunt,

occupántq; multas urbes. bellium signifer fuit is, qui paulò antè è vinculis improspere dimissus erat, Ludovicus Condæus, Regii sanguinis Princeps, & Antonii, Regis Navarræ, frater. Huic operam suam adjungebant Gaspar Colignius regni Admiralius vel Archithalassus, Andelotus Colignius, peditatûs Gallici tribunus, Odettus Colignius Cardinalis & Episcopus Bellovacensis, aliíque plurimi non parvi nominis & prosapiæ; quos egregiè pro more suo animabant Joannes Calvinus, ejúsque infelix discipulus Theodorus Beza. Ab iis mense Martio conclamatum est ad arma; primóque impetu in potestatem ipsorum venit Aurelia cum vicinis oppidis: deinde etiam urbs Rhotomagensis, Andegavensis, Vindocinensis, Bituricensis, Pictavensis, Turonensis, Lugdunensis, & aliæ complures. Quæ autem sacrilegia ibidem perpetraverint; quàm barbarè, & plùs quàm furore Turcico, debacchati sint in templa, in aras, in sacerdotes, in Divorum reliquias, in imagines Beatæ MARIÆ Virginis, in ipsam denique Eucharistiam; horrendum est referre, dictúque incredibile. In urbe Lugdunensi everterunt *sepulchrum S. Irenæi Episcopi, qui seculo Christi secundo vixit: in urbe Pictavensi dissipârunt ossa divi *Hilarii, quem S. Augustinus *acerrimum* *Ecclesiæ Catholicæ defensorem* nominat: in urbe Turonensi combusserunt *corpus S. Francisci de Paula, qui anno septimo seculi præsentis ibidem extinctus fuerat: in urbe Aurelianensi dejecerunt *ossa S. Aniani, istius urbis Episcopi; & (quod multò acerbius visum est) etiam cor *Francisci II. Regis, nondum integro biennio defuncti, furore barbaro in rogum abjecêre. E sacerdotibus & monachis, quorum collegia ubilibet exscindebant, alios equorum caudis alligatos *per saxa & lutum raptavêre, aliis oculos evulsêre, alios naribus & auriculis mutilavêre, aliis cutem faciei & capitis abstraxêre, alios præcisis virilibus glande plumbeâ trajecêre: uni etiam grandævo monacho (quod & pluribus fortasse contigit) non solùm virilia membra exsecuêre; sed etiam coëgerunt* eum, ut hæc eadem, in aheno cocta, in cibum sumeret ac deglutiret. Nec minore truculentiâ desævierunt in augustissimum sacramentum divini corporis, quod iisdem sacramentariis maximopere exosum erat. Id enim frequentissimè, nunc pedibus *obterere visi sunt, nunc suis canibus objectare, nunc in ignem sacrilegum projicere, nunc suorum sclopetorum globulis velut metam configere, nunc aliis modis homine Christiano indignissimis tractare. Opponebant sese quidem Catholici tam funestis eorum ausibus; collectóque protinus non parvo exercitu, plures urbes armatâ manu ab hostibus recepêre. At ubi postea res ad prælium venit, ea cum pertinacia dimicatum est ab adversa parte; ut Catho-

Spond. hic n. 10 & 11. Surius in comment. rer. gest.

Eorundem horrenda sacrilegia.

Spond. & Surius ad hunc ann.

**Suri pag. mihi 751.*

**Surius ib.*

**S. Aug. l. 1. contra Julian. c. 3.*

**Acta Ss. to. 2. April.*

**Suri pag. m. 743.*

**Spond. hic n. 11.*

**Suri pag. 747.*

**Suri pag. 749.*

**Suri pag. 750.*

Funestum prælium inter Catholicos & Calvinistas, victoriâ

Catholici, tametsi campo Martio potiti sint, gloriari tamen vix potuerint, se vicisse. Numerus enim occisorum ex parte Catholica, si non major, certè non minor fuit. Et (quod maximè singulare est) ab utraque parte capti sunt amborum exercituum primarii duces: nimirum Condæus, qui in potestatem Catholicorum; & Monmorantius, qui glande plumbeâ vulneratus, in manus Calvinistarum venit.

penè anciputi. Condæus capitur. *Surius ad hunc annũ. Spond. hic n. 45.*

Cæsar interim, pacato imperio fruens, laborabat sedulò, ut Maximilianum filium, cui Bohemiæ corona jam obvenerat, etiam Romanorum Regem eligi, & Imperii successorem declarari faceret. Eo fine jam indixerat septemvirorum comitia, Octobri mense Francofurti ad Mœnum coitura. Sed ecce! dum optatus ille conventus imminet, funesta mors intromittit se in collegium septemvirale; alterâque Novembris die, Brülensi in arce è vivis abripit Joannem Gebhardum Archiepiscopum Colonienſem, ex Mansfeldiorum Comitum familia, virum optimè Catholicum, atque idcirco etiam vitâ longiore dignum. Itaque, ne ex ea morte Romanorum Regis electio prorsus diffluerent, post dies paucos unanimi Capitularium suffragio in Archiepiscopale solium subvectus est Fridericus Comes de Wieda, Metropolitanæ Ecclesiæ Decanus: è Domo quidem Lutheranis erroribus infecta genitus; Religioni tamen Catholicæ usque ad mortem deditus. Is deinde festinatis itineribus die 23 Novembris Francofurtum venit. Ubi, dum & alios Romani Imperii septemviros jam à plurimis hebdomadis congregatos reperit, Maximilianus Ferdinandi Imperatoris filius, consPirantibus omnium votis, die vicesimâ quartâ Novembris, Romanorum Rex denuntiatus; paulóque pòst in festo S. Andreæ solenni ritu coronatus est, præsente Ferdinando patre, Mariâ conjuge, Rudolpho & Ernesto filiis, Annâ & Elisabethâ filiabus, nec non omnibus Imperii septemviris, & innumerâ Ducum, Principum, Comitum, Legatorum, virorúmque præclarissimorum multitudine, quorum nomina fusissimè recensentur ab Heydeno.

Joannes Gebhardus Archiep. Coloniensis die 2. Novembris moritur; & in ejus locũ sufficitur Fridericus Comes de Wieda, *Mersæus Cratep. in catal. Archiep. Col.* Maximilianus, Ferdinandi Imperatoris filius, Romanorum Rex eligitur & coronatur Francofurti *Heyden. in hist. elect. & coronat. Maximiliani II.*

E rebus Paderbornensis Diœcesis nostræ singulare nihil aut observatione dignum occurrit; quàm funestus ille tristissimúsque casus, qui hoc anno contigit viro Nobili Remberto de Krevet. Matrimonium hic inierat cum perillustri Domicella Margareta de Haxthausen; magnísque gaudiis agebantur solennes nuptiæ, die vicesimâ septimâ Januarii. Finito nuptiali epulo surgitur ad choreas: in quibus, dum sponsa saltat & lætùm subsilit; repentino fato inter choreas concidit & exspirat. Neque melior fuit fortuna sponsi. Nam & ipse quadriennio pòst, cùm deambularet in prato suo, nescio quâ incuriâ vel infelicitate in suum ipsius gladium incidit, & eodem in loco die quintâ Octobris obiit. AN-

Funestæ nuptiæ Remberti de Krevet, & Margaretæ de Haxthausen, sponsorum Nobilium in Diœcesi Paderb. *Ex veter. mss. Pad.*

Annus Christi 1563.

PII IV. Pontificis 4.
FERDINANDI I. Imperatoris 6.
REMBERTI Episcopi Pad. 17.

Concilium Tridentinũ hoc anno finitur die 4. Decemb.

SAcrosancta & œcumenica synodus Tridentina (quæ exeunte anno 1545 sub Paulo III. Pontifice inchoata, interímque pluries reassumpta fuerat) hoc anno tandem, die quartâ Decembris, felicissimo fine coronata est. Id verò tam ingenti Patrum omnium lætitia & applausu factum esse, testatur Pallavicinus, ut non modò ipsorum ora uberibus lachrymis *manare visa sint; sed etiam nonnulli, qui durante synodo interdum animis à se invicem discordaverant, non secùs ac unius exercitûs milites, è longo prælio cum palma reduces, fraternâ charitate se mutuò amplexati fuerint. Quantùm autem ea de re lætati sunt & alii boni Catholici; tantùm è diverso ringebantur ac fremebant acatholici, inter quos Chytræus, de fine hujus concilii scribens, ità* loquitur: *die 3. et 4. Decembris, Tridentini Patres brevibus decretis, paucísque verbis immensum teterrimarum superstitionum et idololatricorum abusuum pelagus concluserunt, exeunte anno 1563.* Sed iniquus ille censor non advertebat, eodem jure etiam idololatras vocari à se posse Carolum Magnum, Ludovicum Pium, omnésque viros sanctos & Apostolicos, à quibus olim Saxonia Fidem accepit. Si malevolus Chytræi animus non permittebat ei, hanc synodum dilaudare; mirari tamen debuisset, quomodo tam ingens Episcoporum ac Theologorum cœtus, ex Italis, Hispanis, Gallis, Germanis, Belgis, Lusitanis, Polonis, Hungaris, & omni ferme Christianorum natione, collectus in unitatem Fidei convenire potuerit? cùm tamen hactenus apud acatholicos in Germania ne quidem unius parvæ ditionis Theologi cum aliis vicinis in unam animi sententiam coire visi sint; utì ex annorum tam præcedentium, quàm subsequentium decursu liquet. Nimirum ubi Spiritus Sanctus non est; ibi etiam pax & consonantia rerum credendarum esse non potest.

*Pallav. in hist. concil. Trid. l. 24. c. 8. n. 9.

Acatholicorum calumniæ de synodo concluſa, *Chytræ° l. 20. Saxon. in fine.

Catharina Galliæ Regina post Guisii necẽ turpissimis conditionibus pacem init cum Hugonottis vel Calvinistis.

Interea res Catholica in regno Franciæ gravissimum vulnus acceperat ex funesta morte Francisci Guisii, Regiarum copiarum supremi ducis. Obsidebat is urbem Aureliam, quæ præcipuus Calvinistarum nidus ac latibulum erat. Jámque occupatis aliquot propugnaculis in eas angustias urbem adegerat, ut intrà diem proximum fuisset occupanda, nisì ducis præstantissimi spem & vitam nefarius percussor abrupisset. Erat hic unus è domesticis Guisii, nomine

nomine Poltrottus, à Theodoro Beza & aliis ad hanc cædem pretio conductus. Qui, dum Guisius die decimâ octavâ Februarii à visitatione operum castrensium sero vespere ad hospitium se reciperet; post eundem à tergo equitans, breviori sclopo illum ità per latus trajicit, ut sextâ die pòst ex inflicto vulnere animam exhalârit. Secuta mox ingens & luctuosa rerum conversio. Regina enim, sive femineo impulsu acta, sive pro filio adhuc impubere nimiùm sollicita, continuò pacem iniit cum Condæo, eidémque indulsit multa, non solùm Regi ignominiosa; verùm etiam Religioni Catholicæ noxia, & ad propagandos hæreticorum errores magnopere profutura. Nimirum: *ut illius regni Proceribus liceret Religionem novam exercere in suis territoriis; ceteris verò Nobilibus id solùm permitteretur in suis ædibus et pro sola sua familia. Ut in singulis præfecturis urbs una designetur, in cujus suburbio Reformati ad liberum suæ Religionis cultum convenire valeant. Ut in aliis urbibus, in quibus usque ad Nonas Martias hujus anni Calvinianæ Religionis exercitium viguit, id in posterum continuari debeat in uno vel duobus locis, à Regina designandis. Denique ut Condæo Principi, ceterisque ejusdem assectis, condonentur omnia, quæ toto hujus dissidii tempore ab iisdem gesta fuerant.* Conabatur quidem astuta mulier apud concilii Tridentini Patres hanc maculam expurgare, prætextâ necessitate illius pacis* ad evitanda graviora pericula, quæ ex denudato Hugonottorum seu Calvinistarum ferro Catholicis omnibus potuissent impendere. Sed frustra. Facilius enim erat, novam hæresin opprimere in primis incunabulis; quàm ubi temporis diuturnitate validior fieret. Neque deerant vires ad hoc agendum & perficiendum necessariæ; dummodo superba & ambitiosa femina in bellum Hugonotticum deputâsset vel dimidiam partem istorum sumptuum, quos alii duo Reges decessores quolibet anno profuderant in infausta bella, contra Carolum V. Imperatorem gesta: quorum scopus non alius erat, quàm in regno Germaniæ tristes illas Lutheranorum Principum factiones confovere.

Surius ad hunc ann. Spond. hic n. 13. Busser. to. 2. hist Franc. l. 19 n. 11.

Conditiones hujus infaustæ pacis. *Spond. n. 17. Busser loc. cit. n. 12.*

**Pallav. in hist. conc. Trid. l. 20. n. 1. & l. 21 c. 3. n. 5.*

Bernardus Comes de Lippia, Comitum Lutheranorũ primus, hoc aõ moritur. *Piderit. in chron. Lip.*

Eodem hoc anno, die decimâ quintâ Aprilis (quæ tunc erat feria quarta post festum Paschatis) florenti in ætate obiit Bernardus Comes de Lippia, relictis ex Catharina Waldeckiana tribus filiabus, & unico filio Simone, novem annorum puero. Primus ille, post mortem genitoris sui probè Catholici, Lutheranum dogma in comitatu Lippiaco stabilivit. Neque melior affulgebat spes de Simone ipsius filio. Nam & hunc à teneris Lutherana mater ejusdem sectæ magistris instituendum tradidit; ac deinde, cùm adultior fieret, studiorum ulteriorum causâ Argentoratum ad scholas misit.

Simon ejusdem filius novennis in eadem secta educatur. *Piderit. ib.*

Annus Christi 1564.

PII IV. Pontificis 5.
FERDINANDI I. Imperatoris ultimus.
MAXIMILIANI II. Imperat. 1.
REMBERTI Episcopi Pad. 17.

Pius IV. Papa confirmat synodũ Tridentinã & omnia ejus decreta *Pallav. in hist. conc. Trid. l. 24.*

PIus IV. Pontifex, cùm in senatu Cardinalium die vigesimâ sextâ Januarii Tridentinam synodum & omnia ejus decreta confirmâsset, non solùm ea typis publicis excudi jussit; verùm etiam Legatos varios ad Imperatorem, aliósque Reges & Magistratus Catholicos misit, ut eosdem ad recipiendas & promulgandas Tridentini concilii sanctiones efficaciùs instigarent. Licèt enim in rebus illis, quæ ad Fidem & Catholicam doctrinam pertinent, facillimus omnium Catholicorum assensus fuerit; in aliis tamen, quæ extra fidem sunt, solúmq; ad mores & reformationem faciunt, non imprudenter formidari poterat, aliquid obstaculi ab uno alteróve Principe objectum iri. Id autem acerrimè ante omnes fecit Carolus IX. Galliarum Rex; vel potiùs Regina mater, quæ teneriorem ipsius animum in sua manu versabat, velut ollam recentem figulus. Prætexebat illa potissimùm duas causas, propter quas Tridentina synodus à se recipi ac promulgari nequeat. Prima erat, quòd in ea vetitum sit, ne deinceps Regularium Prælaturæ darentur aliis **in commendam*, uti hactenus factitatum fuerat in regno Galliæ: altera verò erat, quòd ex ejusdem concilii receptione certissimè futurum sit, ut adhuc magis irritentur Hugonotti, multiplicibus inibi censuris & anathematis percussi. Quæ & aliæ id genus oppositiones, cùm ab aliquibus malevolis ultra modum exaggeratæ essent, cerebrosæ mulieris animum ità opplevêre, ut, etiamsi concilium suprà dictum *privatim ab omnibus in regno Franciæ receptum fuerit; nihilominus tamen, publicam & generalem illius promulgationem fieri, interdixerit.

Rex & Regina Galliæ detrectant illud in suo regno promulgare, tametsi illic privatim ab omnibus receptum sit. **Pallav. loc. cit. c. 11.*

**Spond. hic n. 4.*

Promptiores, & vel ipso Rege christianissimo magis christianos, hac in re exhibuerunt se Philippus Rex Hispaniæ, Sebastianus Rex Lusitaniæ, Sigismundus Augustus Rex Poloniæ; &, quem omnibus anteponi oportuerat, Ferdinandus I. Romanorum Imperator, cum Alberto Bavariæ Duce. Ab his enim sacrosanctum illud concilium non modò summa cum veneratione susceptum; sed etiam ubique in suis ditionibus observari ac recipi mandatum est. Addit Pallavicinus, etiam hoc anno tentandæ utilitatis causâ quibusdam Germaniæ Episcopis à Pio IV. concessam esse po-

Alii tamen Reges Catholici, maximéq; Ferdinandus Cæsar cum plerisque Principib⁹ Catholicis, jubent illud in suis ditionibus recipi. *Pallav. l. 24. c. 9.*

potestatem permittendi laicis usum calicis in Eucharistia: quandoquidem Ferdinandus Imperator id ardentissimè flagitâsset; crederétque, hoc modo Catholicorum plurimos in orthodoxa Fide retineri, & multa hæreticorum millia ad eam revocari posse. At ista concessio, licèt admodum restricta fuerit, brevi iterum abolerì debuit ab ejusdem Papæ successoribus. Jam enim in aperto erat, concessionem hanc plus nocumenti, quàm utilitatis parere; & eos, qui ad usum calicis contra veteris Ecclesiæ consuetudinem admissi erant, ab hac eadem novitate ad plures alias novationes expetendas præcipiti ausu prosilire.

Pius IV. quibusdam Germaniæ Episcopis dat potestatem, permittendi laicis usum calicis. *Pallav. l. 24. c. 12.* Sed ea concessio à Pio V. & aliis revocata est propter ingentia damna, quæ sequebantur. *Pallav. ib.*

Luculentum istius rei exemplum hoc anno vidit Westphalia in Imperiali ac libera urbe Tremonia. Importunis ibidem precibus nonnulli cives ante duos annos flagitaverant * à magistratu urbico, ut sibi permitteretur, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum accipere sub utraque specie: id enim primævis temporibus in Ecclesia factitatum esse; neque se de cetero alienum aliquid à doctrina Catholica sentire, aut sequi velle. Annuit his petitis Magistratus, popularem aliquam seditionem veritus: eâ tamen cautione additâ (quæ in edicto publico typis evulgata est) ut cives * omnes in Ecclesiæ Catholicæ gremio permanerent; &, qui unâ tantùm specie * pro veteri more contenti esse vellent, id libere ac sinè ulla aliorum civium oblocutione possent. At brevi didicit magistratus, hujusmodi concessionem fuisse instar olei in flammas fusi, quo furor ignis non extinguitur, sed augetur. Nam paulò pòst ineunte Martio præsentis anni, iidem cives & numero & viribus aucti petiêrunt insuper, ut in Ecclesiis parochialibus * psalmi quidam germanici (quos à circumfusis hæreticis jam adepti erant) ante & post concionem à congregato populo decantentur: idque sibi saltem tam diu liceat, donec aliud quidquam à sacra Cæsarea Majestate & vicinis Principibus imperatum fuerit. Quod cùm iterum vitandæ seditionis causâ indultum est, res Catholica non solùm vacillare cœpit; sed etiam decumano impetu in ruinam agi. Mox enim editus * & in plebem sparsus libellus pestilens, qui summis laudibus doctrinam Lutheranam extulit, & innumeris conviciis Catholicam Religionem discerpsit. Indè non multò pòst in primariam S. Reinoldi ædem populari factione introductus Dethmarus Wickrodius, præco Lutheranus. Postremò etiam hæc pestis in alias Ecclesias parochiales diffundi cœpit, exceptâ Ecclesiâ S. Nicolai: quam egregius vir & zelosissimus Pastor, Nicolaus Glasemacher, usque ad finem vitæ suæ contra omnes hæreticorum ausus insuperabili constantiâ tutatus est. Sed, cùm & ille tandem communi mortis necessitati succumberet (id quod ingenti bono-

Tremonia, urbs Imperialis in westphalia, à Fide Catholica deficit. **Kleinsorg. in hist. ms.* **Hamelm. in hist. Ev. Tremon. pag. 1031.* **Chron. Trem. ms. ad annum 1564.*

**Chron. Trimon. ib.*

rum omnium dolore contigit pridie Idus Novembris *anno 1580) in optimi Pastoris locum surrogatus est nocentissimus lupus, Magister Hermannus Emsinghoffius; à quo ultimæ Catholici gregis reliquiæ, vel discerptæ, vel disjectæ sunt. Atque ità civitas illa, quæ ante usum calicis inter omnes annorum præcedentium turbas in Fide antiqua steterat, obtento hoc usu ab una novitate in aliam incidit, ac demum retentæ hactenus Catholicæ Religionis naufragium fecit. Quapropter Pius V. Pontifex de quibusdam Catholicis eundem usum calicis impensè flagitantibus, piè admodùm ac prudenter scripsit *ad Episcopum Passaviensem: *Si verè Catholici essent, sanctam Matrem Ecclesiam magìs revererentur; et potiùs verè Catholicos, quàm hæreticos horum temporum, in usu tam divini ac venerabilis Sacramenti sibi imitandos esse statuerent. Si sub una specie perinde Christum integrum, ac sub utraque sumi credunt (sicuti credere debent) cur unâ specie contenti non sunt? cur immutari ritum Ecclesiæ tam antiquum, et ab omnibus Catholicis nationibus per tot secula observatum, volunt? si autem id non credunt, hoc ipso se nomine tantùm Catholicos esse, re ipsâ autem cum hæreticis sentire, ostendunt. --- Itaque metus ille, ne denegato usu sacri calicis ad hæreticos transeant, movere te non debet. Si enim id facturi sunt; jam certum habeas, eos non esse purâ syncerâque Fide, nec pro veris Catholicis habendos.*

*Chron. Tremon. ms. ad. annum 1580.

*Hansiz. in hist. Episc. Passav. ad ann. 1568. pag. 628. & seq.

Hucusque Pius V. in literis, anno 1568 ad Antistitem Passavienſem datis. A quo etiam dissensurus non fuisset Ferdinandus Imperator, si licuisset ei vitam longiorem vivere; & videre ea, quæ Pius V. ex permisso calicis usu consecuta vidit. At ille tunc temporis ad superos immortales jam pridem iverat, utpote hoc anno mortuus Viennæ, die vigesimâ quintâ Julii, in festo S. Jacobi Apostoli. De ejus virtutibus laudibúsque maximis multa passim reperiuntur apud scriptores. Mihi satìs est hìc afferre pauca illa, quæ de eo refert Pallavicinus in historia *concilii Tridentini: *Ferdinandus*, inquit, *magno animo Princeps fuit: forti ad bellum pectore; sed ad pacem prono. Ingens in illo fuit humanitas ad privatorum benevolentiam sibi comparandam: ingens moderatio ad retinendam cum potentioribus concordiam: ingens studium ad explenda Principatûs munera: ingens Religio ad servandum se suásque regiones illæsas à communi Germaniæ morbo. Illi se obnoxiam singulariter fateri debet Apostolica sedes. Quamvis enim hæc diu restiterit, nomen ac jus Cæsareum ipsi tribuere sub Paulo IV; eundem tamen postea experta est egregium inter obsequentissimos Cæsares, qui unquam in Germania imperaverint: atque illi potissimùm acceptam referre potest immensam utilitatem, quam attulit Ecclesiæ Synodus Tridentina.* Successit ei in Imperatoria dignitate Maximilianus II. ejusdem filius, ante biennium electus Romanorum Rex; de quo Del-

Ferdinand⁹ Imperator moritur: cui succedit ejusdem filius Maximilianus II.

*Surius ad hunc annũ. Spond. & alii.

*Pallav. loc. cit. l. 24. c. 12.

finus,

finus, tunc Viennæ Nuntius Apostolicus, eodem hoc anno significavit* summo Pontifici, eum & reliquos, demortui Imperatoris filios, paternam pietatem imitaturos. *Certúmque est*, ùt ait Pallavicinus, *Ferdinandi posteros fuisse postea quasi Josveos et Gedeones populo Dei in septentrione, et ceteris Germaniæ provinciis.* *Pallav. ib. n. 11.

Disparem ac longè infeliciorem vivendi finem habuit Joannes Calvinus, hæresiarcha pestilentissimus; qui eodem hoc anno rationum reddendarum causâ ad supremi judicis tribunal evocatus est Genevæ die vicesimâ septimâ Maji. Septennio toto ante obitum suum gravissimis morbis à Deo percussus, atque ad salutarem pœnitentiam invitatus est. Sed cùm ad eam homo pertinax non rediret, imò adhuc ampliùs in suis flagitiis obsurdesceret; à Deo tandem derelictus, inter horrendas execrationes & cruciatus corporis (utì Bolsecus* & alii referunt) sceleratam animam ad inferos ejectavit. Doctrinam Zwinglii & aliorum sacramentariorum (quam & ipse amplexus erat) suis acuminibus, fallaciis, & subtilitatibus, longè nequiorem reddidit. Ac, tametsi propterea à Luthero & ejusdem asseclis acerrimè impugnatus fuerit; ab his tamen adeo parùm devinci aut prosterni potuit, ut etiam inter ejusmodi pugnas & concertationes doctrinam suam ferè latiùs propagari viderit, quàm antea Lutherus suam.

Calvinus hæresiarcha infelici morte expirat.

*Spond. hic n. 25.

*Spondan. loc. cit.

Denique & hoc anno memoranda est apud Gallos mutatio veteris æræ vel supputationis temporum. Usitatum apud eos hucusque fuerat, ut annorum initia caperentur à die Paschatis; adeóq; primi menses cujuslibet anni usque ad festum Paschæ, ex eorum putandi modo, pertinebant adhuc ad annum præcedentem. Qua ex re, cùm in historiis actisque publicis propter mobilitatem istius festi nasceretur magna confusio; tandem hoc anno Carolus IX. Francorum Rex, jam declaratus majorennis, publico edicto statuit, ut in posterum Romano more novorum annorum initia ducerentur à Kalendis Januarii.

Galli hoc anno mutant æram suam veterem; *Spond. ad hunc annū.

Annus Christi 1565.

Pii IV. Pontificis 6.
Maximiliani II. Imperator. 1. & 2.
Remberti Episcopi Pad. 19.

PEr æstatem hujus anni Pius IV, Germanorum periclitantium saluti consulturus, Petrum Canisium è Societate JESU, virum doctissimum, ex Urbe misit ad varios Germaniæ Principes & Episcopos, ut eorum animos in promovenda Fide Catholica roboraret,

P. Petrus Canisius S. J. à Pio IV. Papa ad varios germaniæ Principes mittitur

ad promovendam Fidem Catholicam, & promulgationem concilii Tridentini.

raret, simúlque eos efficaciter impelleret ad promulgandum in suis terris concilium Tridentinum. Ægerrimè quidem hanc legationem adiit Canisius, utpote vir honorum ac dignitatum fugiens: altiore tamen imperio jussus, obivit hoc officium tam singulari modestiâ ac demissione animi, ut rejecto omni splendore externo, Religiosi vulgaris instar, uno tantùm ejusdem Societatis presbytero comitatus, ad Principum Ducúmque aulas accederet. Sic enim scribit ipsémet in suis literis apud Raderum hísce verbis: *Pius IV. Pontifex hoc mihi negotium Romæ dedit, ut præcipuos Germaniæ Principes, quibus et ipse scribebat, coràm accederem, ac eorum animos in Religione Catholica promovenda confirmarem. Igitur in Westphaliam usque peregrinandum fuit: ubi et in Geldriam penetravi, et satìs laboriosam sensi profectionem, comite ex nostro uno contentus. Quidquid autem in his itineribus, quæ suis periculis non caruerunt, rectè et feliciter à me gestum est; præpotentis Dei gratiâ et virtute singulari gestum esse, testor: ego nihil ex his mihi arrogo, utpote servus inutilis.*

Vita Canisii apud Raderum l. 2. c. 2.

Ejus gesta Paderbornæ, Osnabrugi, & Coloniæ.

Vita Canis. ap. Sachin.

Fructus modestæ hujus legationis non pauci fuerunt, nec vulgares: imò tantò illustriores, quantò majorem sub humili vestitu sapientiam, pietatem, & eruditionem Canisius prodidit. Paderbornæ Rembertum Episcopum ad omnia Pontificis postulata prorsus obsequentem reperit; etiamsi hic ob extremum senium (erat enim nonagenario major) longè minùs præstare potuerit, quàm promittere. Osnabrugi apud Episcopum Joannem de Hoja non solùm benevolè auditus est; sed etiam diebus aliquot in Ecclesiæ majoris cathedram productus. Ubi tanto cum plausu & approbatione de rebus Fidei ad plebem dixit, ut & ipse Episcopus & cum eo boni omnes exoptarent, in hac urbe, Lutheranis erroribus dedita, collegium Societatis construi. In urbe Colonienſi, post exhibita summi Pontificis mandata, senatui civili & academico proposuit* ac persuasit: *Primò*, ut ad concionandum in templo, vel ad juventutem erudiendam in scholis, nemo in posterum admitteretur; de cujus fide probatissima & morum integritate non constaret. *2dò*, ut scripta omnia, synceræ Fidei doctrinæque morum adversantia, proscriberentur unà cum librariis, qui hujusmodi chartas apertè vel occultè in urbem inferrent. *3tiò*, ut in urbem non reciperentur præcones clancularii; neque eam incolere sinerentur Catholicæ Religionis hostes, aut alienæ doctrinæ sectatores. *4tò*, ut in quatuor istius academiæ facultatibus nemo ad ullum publici honoris gradum admitteretur, nisi ex Tridentini concilii formula Catholicæ Fidei professionem ederet.

Vita Canisii apud Rader. l. 2. c. 2 Sachin. in hist. S. J. part. 3. l. 2.

Interea dum Canisius hæc & alia non pauca sapienter ageret: die nonâ Decembris Romæ moritur, qui eundem ablegaverat,

Pius

Pius IV. Pontifex; vel idcirco sempiternâ memoriâ dignus, quòd indefessâ ipsius operâ concilium Tridentinum cum æterno Catholicæ Religionis fructu non modò resumptum, sed etiam feliciſſimè absolutum sit. Id autem, cùm ægerrimè tulerint acatholici; Hamelmannus *præco Lutheranus detractorio calamo suo impudentissimè fingit, Pium IV. Pontificem *jam senem esse mortuum ex turpi concubitu*; & Wilhelmum Juliæ Cliviæque Ducem, audito ipsius obitu, dixisse ad convivas: *Bona nova! Papa Romanus etiam mortuus est; et hunc sua sanctitas et opera liberare non potuerunt à morte.* Sanè, si hoc non est fingere vel detrahere; non video, quis in posterum detractoris vel impostoris nomine culpari queat. Pium IV. *ex intemperantia victûs* in morbum incidisse, memoratur* à Spondano: ex turpi autem concubitu morbum vel mortem ejus profectam esse, hactenus non invenio; nec unquam apud aliquem scriptorem probi nominis invenire potero. Similiter & Wilhelmum Cliviæ Ducem tam imprudenter locutum esse de morte hujus Pontificis, quis homo sanæ mentis credat? præsertim, cùm Wilhelmus iste (quod Hamelmannus in dubium vocat) Catholicum se profiteretur; & in ea Fide se permansurum, tum sæpe *aliàs, tum etiam sequenti anno in comitiis Augustanis coram Legato * Apostolico testatus fuerit? Quòd si tamen absolutè velis hæc à Wilhelmo Duce dicta esse; æquè imprudenter locutus foret, ac si alius quisquam, auditâ Lutheri morte, proclamâsset: *Bona nova! Martinus Lutherus, qui Papæ mortem se fore dixerat, etiam mortuus est; neque hunc suæ doctrinæ novitas et sola fides liberare à morte potuit.* De reliquo prædictus Pontifex sacramenta omnia, moribundis administrari solita, à S. Carolo Borromæo nepote suo * pientissimè susscepit; paulóque pòst inter illa S. Simeonis verba: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace*, sensibus integris placidéque exspiravit, meritorum ac laborum suorum præmia à Deo præstolaturus. Vacantem ipsius Papalem cathedram communi Patrum purpuratorum suffragio adeptus est vir Sanctissimus Pius V, antea dictus Michaël Gislerius, ex Ordine S. Dominici, Cardinalis presbyter, electus initio sequentis anni postridie trium Regum; coronatus die decimâ septimâ Januarii in festo S. Antonii Abbatis.

Pius IV. Pontifex moritur die 9. Decemb.

*Hamelm. in hist. Evrenati pag. 1010.

*Spond. hîc n. 19.

*Pallav. in hist. conc. Trid. l. 15.

*Vide dicenda ad ann. seq.

*Spond. hîc n. 19.

In ejus locum ineunte Januario sequentis anni eligitur Pius V.

Canisius, priusquam ei comperta esset mors illa Pii IV, ad aulam Clivensem iêrat; ibidem pariter ea, quæ sibi Romæ demandata erant, Wilhelmo Duci propositurus. Ad alloquium admissus publicum (id enim indulgebat ei Princeps, etiamsi Pium IV. Pontificem jam defunctum esse diceret) ponderosâ & eleganti oratione Wilhelmum adhortatus est, ut in antiqua Fide Romano-

Canisii gesta apud Wilhelmū Juliæ, Cliviæ & Montium Ducē. Hamelmanni fabulæ de hac re.

Ca-

*Vita Canisii apud Sachin. Hamelm. in hist. Ev. renat. pag. 1010.

Catholica*pede immoto staret, neque in re tam sancta à laudatissimis Majorum suorum vestigiis deflecteret: concilium quoque Tridentinum in suis terris reciperet; atque, ut ab aliis etiam Principibus Catholicis in Germania reciperetur, industriam operámq; suam sedulò conferret. Quibus auditis per Cancellarium suum respondit Princeps: *in rebus Fidei Majorum suorum exempla sibi assiduè præ oculis fore; neque unquam commissurum se, ut ab antiqua eorum Religione deviet. Quod autem ad concilii Tridentini receptionem attineret, ea de re in comitiis proximis deliberatum iri: quidquid illic in commune receptum vel statutum fuerit, id etiam sibi ratum ac gratum fore.*

*Hamelm. loc. cit.

Hamelmannus, dum ista narrat, novas iterum fabellas pro virulento ingenio suo inspergit; asserítque, Wilhelmum Ducem* audito Canisii adventu stomachantis instar edixisse: *quid hic scelestius vult? optarem, illum ùt Patrem Jesuitam, ità reliquos omnes Jesuitas, Rheno immersos!* At, quis existimet, hæc à Principe Catholico dicta esse de viris probè Catholicis, nec adhuc ullius maleficii compertis? aut, si ab eo dicta sint, cur ergò Canisium cum socio suo ad se admisit? cur aurem ei tam benignam præbuit? cur ad ejus orationem Catholicam responsum adeò benevolum reddidit? Multa hujusmodi dicteria ac persecutiones non solùm ab inimicis Fidei nostræ; sed etiam interdum ab ipsis Catholicis, passa est Jesuitarum Societas nascens: ipsa tamen inter has adversitates mirum in modum semper crevit; eodémque illo tempore jam stabiliri cœperat Viennæ, Pragæ, Ingolstadii, Coloniæ, Treviris, Moguntiæ, aliísque pluribus in locis. Proinde non minùs verè,

*Spond. ad hunc annũ. n. 2.

quàm emphaticè scripsit*Spondanus, Episcopus Appamiensis in Gallia: *Nullus fuit unquam Ordo inter cunctas Religiosorum sodalitates, qui plures passus sit per universum orbem controversias et oppugnationes, nec qui glorioſtùs eas ubique superaverit. A Domino procul dubio factum est istud, et est miserabile in oculis nostris! Veréque possumus ac confidenter de eo dicere, nullum esse (his temporibus) in Ecclesia utiliorem; dum contineantur privati socii, ut sapiant ad sobrietatem.*

Hæc ego non alicujus jactantiæ causâ è Spondano protuli; sed eo duntaxat animo, ut malevolum os obstruerem Hamelmanno conviciatori, qui hujusmodi fabellis & ineptiis anilem historiam suam ubivis commaculat. Nunc etiam breviter adjungo ea, quæ Solimannus Turcarum Imperator hoc anno gessit adversùs insulam urbémque Meliten, fortissimum totius Italiæ propugnaculum. Obsidere eam cœperat mense Majo cum ingenti classe plùs quàm ducentarum triremium, ex quibus triginta & ampliùs armatorum millia in litus Melitense exposita sunt. Prima Turcarum impressio facta est in vicinum urbi castellum S. Erasmi, ab incolis

Insula & urbs Melite, seu Malta, cum ingenti classe obsidetur à Turcis.

Surius ad hunc annũ. Spond. hic n. 9.

colis dictum S. Elmo: quod, etiamsi à Christianis fortissimè defensum fuerit, postremo tamen assultu (cùm & omnes illius muri horrendo martialium tormentorum impetu concidissent) pridie S. Joannis Baptistæ in potestatem barbarorum venit. Indè omnis illorum furor conversus est in ipsam urbem, tunc adhuc longè minorem, divisámque tantùm in duas partes; quarum una dicebatur *Burgum*, altera verò *oppidum S. Michaëlis*. Utramque hanc urbis partem terrâ maríque eum in modum è septuaginta majoribus tormentis verberavêre, ut aliquibus in locis muri etiam curribus & plaustris pervadi possent. Neque tamen idcirco animi cecidérunt Melitensibus, quos ad egregiè resistendum diu noctúque incitabat supremus Ordinis Magister Joannes de Valetta. Decies & ampliùs mense Julio & Augusto, pertinacissimis assultibus in urbem incurrêre barbari: paritérque decies & ampliùs tantâ suorum clade à Melitensibus repulsi sunt, ut ultimâ vice non nisì propositis ingentibus præmiis ad iterandam pugnam excitari potuerint. Una res vehementer affligebat Christianos, quòd auxilia, jam ante tres menses à Siciliæ Prorege flagitata, in his angustiis tam diu emanerent: unde necesse erat, eos quotidianis penè decertationibus nimiùm delassari; cùm è diverso barbari, succenturiato semper novo milite, in assultum ruerent. Sed & huic malo tandem succurrebatur die quintâ Septembris, quando Prorex cum septuaginta duabus triremibus prope insulam applicuit, paulóque pòst octo millia virorum armatorum in litus exposuit. Ab his iterum devicti, nováque clade mulctati barbari, cum ingenti consternatione sese in suas naves retraxêre: ac demum convasatis omnibus die duodecimâ Septembris in Orientem, unde venerant, non sinè grandi ignominia revecti sunt; posteaquam viginti tria suorum millia quadrimestri obsidione perdidissent. Solutus hoc periculo magnus Magister Ordinis Valetta non modò celerrimè reparavit omnes Erasmianæ arcis ac mœnium ruinas; verùm etiam, ut urbem hanc adversùs omnes hujusmodi invasiones validiorem faceret, sequenti anno novam aliam urbem antiquæ urbi adstruere cœpit, quæ reliquis duabus partibus haud paulò major est, & ab ejus nomine appellatur urbs Valettæ, vel, ùt Itali loquuntur, *la Valetta*.

Melitenses fortissimè se defendunt. *Auctores iidem.*

Siciliæ Prorex tandem obsessis in auxilium venit cum octo millibus armatorum. *auct. iidem Spond. n. 11*

Turcæ fugiunt, amissis in quadrimestri obsidione viginti tribus suorum millibus. *Auctores iidem.*

Annus Christi 1566.

Pii IV. Pontificis 6.
Maximiliani II. Imperator. 1. & 2.
Remberti Episcopi Pad. 19.

SOlimannus Turcarum Imperator, à Melitensi obsidione se depulsum fremens, & aliunde simul à Joanne Sigismundo Tran-

Comitia Augustana, & petita in

iis auxilia contra Turcas.

Surius ad hunc annũ. Spond. hic n. 6.

Cardinalis Commendonus Principibus Catholicis ibidem persuadet receptionem concilii Tridentini, & animorum conjunctionem contra protestantes.

**Vita Joannis Francisci Commendoni l. 3. c. 2. pag. 234. & seq.*

silvaniæ Principe contra Cæsarem incitatus, apparabat hoc anno magnas barbarorum copias; cum quibus ipsémet in Hungariam, & illius provincias Austriacæ Domui subjectas, rueret. Id cùm audîsset Maximilianus Imperator, qui tunc erat in comitiis Augustanis mense Martio inchoatis, nihil istic impensiùs egit, quàm ut prævalida pecuniarum & militum auxilia à congregatis Principibus impetraret. Ne autem hoc ipsum fieret cum aliquo Religionis & rerum Catholicarum decremento; Cardinalis Commendonus, ad eundem conventum à Pio V. Pontifice missus, Principes omnes Catholicos ad peculiarem domi suæ congressum invitavit: in quo comparuêre simul *Daniel Elector & Archiepiscopus Moguntinus, Joannes Elector & Archiepiscopus Trevirensis, Fridericus Elector & Archiepiscopus Colonienſis, Marcus Altempsius, Cardinalis & Episcopus Constantienſis, Otto Truchsesius, Cardinalis & Episcopus Augustanus, Albertus Bavariæ Dux, Wilhelmus Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, Henricus Brunsvicensis, & alii Episcopi vel absentium Episcoporum Legati. Hos ille gravi nervosâque oratione primùm adhortatus est: *ut sacrilegis Lutheranorum Principum conatibus ardenter se opponerent; quemadmodum haud ægre possent, si in tutanda Religione veteri tam inter se concordes forent, quàm adversarii nostri in eadem evertenda: deinde, ut unanimi consensu etiam reciperent concilium Tridentinum, in quo et Fidei Christianæ dogmata à sapientissimis omnium nationum viris integerrimè discussa, et saluberrimæ leges ad reformandam Cleri populíque disciplinam summa cum industria constitutæ essent.* Finitâ hac oratione Archiepiscopus Moguntinus, post brevem hac de re consultationem cum reliquis Principibus habitam, de eorum sententia *respondit: *agnoscere se, vera esse hæc omnia, quæ de animis voluntatibúsque jungendis tam copiosè gravitérque disseruisset; ideóque et se magnopere adnixuros, ut remedia ab eo proposita suis vulneribus adhiberent. Concilium quoque Tridentinum à se recipi, sanctéque omnes polliceri, quòd ejusdem legibus citra omnem exceptionem obtemperare velint in iis, quæ ad Fidem et cultum sacrorum attinent. In aliis verò, quæ ad solam disciplinæ rationem spectant, aliqua reperiri, quorum executio huic tempori nondum conveniat; sed in aliud pacatius magísque tranquillum tempus differri debeat: atque ideò petere se ab eo, velut rerum germanicarum scientissimo, ut ad obtinendam eorum dilationem apud summum Pontificem auxilio sibi et adjumento sit.*

**Vita Commendoni ibid. pag. 237. Spond. n. 6.*

Principes acatholici frustra ibidem petunt relaxationẽ aliquam in pace Augustana de anno 1555.

Multùm ista privata conventio profuit ad infringendas machinationes acatholicorum Principum: qui, utì semper aliàs in turbido piscati fuerant; ità rursus bellorum Hungaricorum occasione satagebant, nova pacificationis Augustanæ laxamenta consequi, & Catholicæ Religioni fatalem ictum intorquere. Primaria ipsorum

rum *postulatio erat, ut in prædictæ pacificationis *Recessu* deleretur articulus ille, quo Archiepiscopi, Episcopi, & alii Ecclesiastici à Fide Catholica discedentes, jubebantur ocyùs dignitatem suam & beneficia sacra cum omnibus emolumentis fructibúsque annexis abs se dimittere. Sed hæc eorum consilia à Principibus Catholicis tam unanimi omnium refragatione disjecta sunt, ut Maximilianus Imperator non sinè singulari gaudio fateretur, nunquam antea *à se visam esse inter Catholicos tantam animorum conjunctionem & firmitatem. Quare tandem communi omnium Ordinum consensu decretum est, ut Augustanæ pacificationis leges prorsus inviolatæ *maneant; & ex earum præscripto nullæ sectæ vel opiniones, à Fide Catholica & Lutherana dissentientes, in Imperio terrísque germanicis tolerari debeant. Sed hinc iterum inter ipsos Protestantes nova altercandi materies orta est propter Fridericum Electorem Palatinum, quem ante paucos annos à Lutheро ad Calvinum desciviſſe, compertum erat. Accusabant eum hac de re Lutherani Principes; urgebántque apud Cæsarem, ut juberetur Fridericus, damna omnia scholis templísque suis illata, restituere. Contrà verò negabat ille, se Calvinianum esse; aut aliam, quàm Augustanæ Confessionis, doctrinam profiteri. Quod cùm iterum iterúmq; assereret è quibusdam corruptis Augustanæ Confessionis exemplaribus; non attentâ falsi evidentiâ à Calvinismo absolutus, & in corpus Evangelico-Lutheranum receptus est, non sinè magno Catholicorum risu ac sibilo. Certè Imperator, eam Principum Lutheranorum inconstantiam demiratus, cum indignatione dixit: *Augustanam *Confessionem non esse absimilem sacco, in quo recipiuntur sectæ quælibet: non ut intrà illud constrictæ maneant; sed ut postea perforato sacco vehementiùs iterum se effundant, et nova pariant Religionum dissidia, Germaniæ fortunam eversura.*

*Vita Commend pag. 239.

*Vita Commend. loc. cit. p. 240.

*Spond. hic n. 6. *Recess. August. de hoc anno.*

Fridericus Elector Palatinus à Lutheranis accusatur Calviniſmi: postea tamē ab iisdem recipitur inter asseclas Confessionis Augustanæ. *Sacchin. in hist. S. J. loc. c. n. 27.* *Sacchin. ibidem.

Ceterùm in conferendis auxiliis contra Solimannum tam liberales in his comitiis fuerunt Imperii Principes, ut antea vix ullus Imperator eosdem liberaliores expertus fuerit. Advenerat Solimannus cum ducentis*, vel (ùt alii referunt) centum & quinquaginta *armatorum millibus; cum quibus die sextâ Augusti ante Sigethum, Hungariæ inferioris munitissimum oppidum, castra metatus est. Contrà verò Maximilianus Imperator, decimâ quintâ Augusti *Viennâ egressus, ex Italis, Germanis, Hungaris, & Bohemis, ferè centum ac decem millia fortissimorum virorum in castris habuit. Cum quibus (tametsi egregium aliquid aggredi & efficere potuisset) meticuloso tamen quorundam consilio, qui bellum *sustinendum potiùs, quàm inferendum esse contendebant, ferè nil aliud egit; quàm quòd apud Jaurinum urbem procul ab

Solimannus in Hungaria Sigethum occupat, non impediente Maximiliano Cæsare. *Spond. hic n. 9. *Surius ad hunc annū. *Isthuanff. in hist. Hungar. *Isthuanff. ib. l. 23. pag. 311.

hostium conspectu staret, interímque Sigethum oppidum, omni auxilio destitutum, ab iisdem expugnari sineret. Unde & multi eorum, qui videndæ hujus expeditionis desiderio è terris alienis venerant, diuturnioris moræ fastidio ducti, in suam patriam ante tempus rediêre. Duo tamen haud parvi momenti commoda ex infelici hoc bello reportata sunt. Primum est, quòd obsidio Sigethana ferè septuaginta barbarorum *millia absumpserit: è quibus plùs quàm viginti millia, præsidiariorum militum & Zrinii gubernatoris fortitudine; ceteri verò peste aut aliis morbis vitam amisêre. Alterum est, quòd ipsémet Solimannus die quartâ Septembris ante Sigethum extinctus fuerit, relicto dissimili filio & successore Selymo; qui sub finem anni sequentis cum Imperatore Maximiliano octennales inducias pepigit.

*Spond. hic n. 11. Solimann⁹ triduo ante expugnationem Sigethi moritur, eique succedit Selymus fili⁹.

Sed eheu! dum à Turcis appropinquat quies; iterum à Calvinistis funestæ bellorum tædæ accensæ sunt in terris Belgicis. Mense Octobri superioris anni ad Margaretham gubernatricem allatæ erant Regis* Philippi literæ, quibus ad conservationem Fidei Catholicæ jubebat, concilii Tridentini decreta ab omnibus custodiri, Caroli V. Imperatoris edicta contra hæreticos evulgata constanter observari, in vitam & Religionem hominum aliunde adventantium sedulò inquiri, præceptores & ludimagistros ab Episcopis examinari de sua conditione, patria, Fide, & libris, è quibus docent; neque alios, quàm viros probè Catholicos, ad instruendos docendósque pueros in scholis publicis adhiberi. Mandata hæc prudentissima, cùm in principio hujus anni deferrentur ad Episcopos & magistratus omnes, mirificè percellebant animos quorundam acatholicorum: jam enim Calvinistæ Galli * non paucos Belgas in suam factionem traxerant; ne, dum ipsi intestinis dissidiis inter se collisi essent, laboranti in Galliis Religioni Catholicæ in auxilium accurrere possent. Itaque primò ab his in occultas conventiones itum, & ex iisdem *sparsus in plebem rumor; Philippi Regis literas eò solùm collimare, ut in Belgium introducatur famosa inquisitio Hispanica, quæ singulari diritate suâ ferè omnem tyrannorum ethnicorum immanitatem superet. Mox etiam à Nobilibus quibusdam viris pernicioſa fœdera contra Regem * & regimen modernum inita: sub eo quidem prætextu, ut Hispanicam inquisitionem à se averterent; reverâ tamen, ut pleniſſimam conscientiæ suæ libertatem à Philippo Rege obtinerent. Horum plurimi Bruxellis die quintâ Aprilis longo ordine ad Margaretham gubernatricem adeunt, moderationem in edictis Regiis petituri. Cùmque ipsa in eorum accessu timidiorem se ostenderet; Berlaimontius Comes, qui eidem aderat, edixisse *fertur: *Quid tibi metuis*

*Spond. Sur. Isthuanff. & alii. Calvinistarum turbæ & conspirationes in Belgio.

*Surius ad hunc annũ.

*Spond. ad ann. 1565. n. 5.

*Surius ad ann. 1566.

*Surius ad hunc ann. Hæreus in ann. brab. Calvinistæ in Belgio dicuntur Geusii; & unde?

*Surius ad hunc annũ.

ab

ab hominibus istis? Mendici sunt ac triobolares, vel, ùt ipse loquebatur Gallicè: *les gueux.* Quod ubi ab iisdem rescitum est; magna fœderatorum turba, ferè hominum trecentorum, paucis pòst diebus ad solenne convivium coëunt, liberali vino se perfundunt, intérque iterata pocula Baccharum ac Mœnadum instar certatim clamant: *vivent les gueux*, id est: *vivant Geusii.* Primarius etiam factionis illius tubicen Henricus Bredenrodius, multo jam potu madens, ligneam scutellam* instar mendici in manus accipit; infusóque mero vasculum illud convivis fratribus cum eadem acclamatione largiter propinat. Quo exemplo invitati reliqui intrà dies paucos nova sibi de panno cinericeo vestimenta comparant, scutellas ligneas lateri appendunt, iisdémq; foris infigi curant lamellam argenteam, cum hac*seditiosa inscriptione: *vivent les gueux!* Unde & factum, ut usque in hodiernum diem Calviniste in Belgio vocitentur *Geusii*; quemadmodum in regno Galliæ à Regis* Hugonis porta, apud quam in urbe Turonensi sua primùm conventicula instituerant, nominati sunt: *Hugonotti.* Ab his initiis processum est ad conciones præconum Calvinisticorum, à concionibus ad concursus ac tumultus publicos, à tumultibus ad invasiones templorum, expilationes monasteriorum, violationes altarium, profanationes hostiarum, dejectiones crucifixorum, confractiones imaginum, & alia hujusmodi, quæ à plebe Calvinistica Antwerpiæ, Boscoducii*, Gandavi, Aldenardæ, Ultrajecti, Valencenis, plurimísque aliis in locis, tanto cum furore peracta sunt, ut ferè calamum non invenias, tam infandis criminibus describendis parem. Fuerant inter alios, qui Venerabile Sacramentum pedibus conculcarent, qui oleo sacro calceos inungerent, qui ad imagines*Christi & Sanctorum intolerabili blasphemiâ dicerent: *Si tu es Christus Dei filius, si quis beatorum et cælitum es, si quid vales ac potes, dicito: vivent les gueux! et imagini tuæ parcituri sumus.* Bone Deus! quale hoc novum Evangelion, quod ex hominibus feras, è Christianis barbaros & vel ipsis Ottomannis æquales facit?

* *Auctores iidem.*

* *Surius ad hunc annũ.*

* *Spond. ad ann. 1560.*

Calvinistarum Belgicorum impietas in templa, altaria, imagines &c.

* Hertzogen-Busch.

* *Surius ad hunc annũ.*

Aliam hoc anno mutationem sinè Fidei dispendio vidit & experta est Monasterienſis Diœcesis in Westphalia. Reflоruerat ibi quidem Religio Catholica à temporibus anabaptismi indidem expulsi: cum ea tamen, per sinistram interpretationem decreti Carolini (quod appellabant *Interim*) ità simul invaluerant connubia Sacerdotum & Ecclesiasticorum, ut Clerus primarius non solùm occultè aut latenter; sed etiam in luce urbis publica suas passim uxores aleret. Ac tametsi hujusmodi nuptiæ in eodem edicto neutiquam probarentur; imò de Clericorum conjugiis, jam ante hoc edictum initis, expresè cautum esset: *super ea re generalis concilii senten-*

Bernardus de Raêsfeld, Ep. Monasterienſis renuntiat episcopatui: in cujus locum postulatus est Joannes de Hoja Ep. Osnabrug. *Chytræ. l. 21. Saxon.*

Masen. in mſ. collect. hiſt. Pad. *ſententiam exſpectari oportere*; nihilo minùs idem Clerus, etiam finito ac prohibente concilio Tridentino, adhuc ità perſiſtebat in abuſu iſto, ut ejuſmodi uxores ſuas, Præpoſitiſſæ, Decaniſſæ, Cantricis, Cuſtricis, aliísque honoratis officiorum vel dignitatum ſuarum titulis compellari faceret. Id cùm audîſſet Pius V. Pontifex, ad Bernardum de Raêsfeld Monaſterienſem Epiſcopum * ſeveras hoc anno literas exaravit, quibus eum non modò permiſſi, tolerative hujus abusûs arguit; verùm etiam per ſacra omnia obteſtatur, ut celerrimum graſſanti huic malo remedium adhiberet, neque tali viâ propinquas hæreſes in ſuam Diœceſim ingredi, atque in ea nidulari ſineret: alioquin fore, ut in ſupremo divini Numinis judicio ſeveram hac de re, & de omnibus animarum damnis indè ſecuturis, rationem reddat. Bernardus, tam potenti comminatione perterritus, in ſynodo * proxima, die decimo quarto Octobris habita, literas illas Clero congregato prælegit; ſimúlque mandat, Papalibus edictis morem geri, & ab illicito mulierum iſtarum commercio abſtineri. At unde laudem & exiſtimationem ſui nominis promereri debuit; indè ſummam indignationem * & plerorumque Eccleſiaſticorum offenſam retulit. Alii namque odioſis hujuſmodi mandatis palàm obſtrepere viſi ſunt: alii, ut ab expurganda domo propria initium faceret (nam & ipſe eodem concubinatûs vitio interdum laboraverat) inſolenter * objectare: alii denique Nobilitatem patriam, affinitate vel conſanguinitate proximâ ſibi conjunctam, adversùs ipſum incitare; accendere, & inflammare. Quam ob rem, ut ab hac invidia ſe liberaret, paulò pòſt (nimirum die vigeſimâ quintâ * Octobris) convocato in arcem Wolbecenſem Capitulo, Epiſcopale pedum à ſe dimiſit; & ætatis antè actæ nævos correcturus, ad vitam privatam abiît. Commendatur maximopere à prudentia, manſuetudine, ſtudio pacis, & ſyncero orthodoxæ Religionis cultu. Obiît Monaſterii, in multiplicibus pietatis & precum exercitiis uſque ad finem perfrequens, anno 1574 die vigeſimâ octavâ * Aprilis. Vacantem illius cathedram, intrà paucos à peracta * reſignatione dies, unanimi poſtulantium Canonicorum ſuffragio conſecutus eſt Joannes de Hoja, Epiſcopus Oſnabrugenſis, de cujus egregiis laudibus plura dixi ad annum 1553, quo ad infulam Oſnabrugenſem venit.

*Chytræus loc. cit. Maſen. ib.

*Auctores iidem.

*Auctores iidem.

*Maſen. loc. cit.

*Annales Monaſt. mſ.

*Vel, ùt alii ſcribunt, die 18. Apr.

*Chytræus refert, poſtulatum eſſe poſtridie reſignationis factæ.

Annus Chriſti 1567.

PII V. Pontificis 2.
MAXIMILIANI II. Imperat. 3. & 4.
REMBERTI Epiſcopi Pad. 21.

ANnus, quem ingredimur, in præcipuis Europæ regionibus turbarum ac tumultuum plenus fuit. In Anglia Catholicam

Re

regionem affligere ac pessundare pergebat atrocissima Catholicorum hostis Regina Elisabeth. In regno Scotiæ Maria Stuarta, Scotorum Regina, à Calvinianis subditis * per fraudem capta, & in arctissimam custodiam detrusa est. In Gallia rursus Hugonotti, Condæo duce, ad arma convolârunt; propéque * abfuit, ut Regem ipsum cum Regina matre interciperent. In Belgio cum seditiosis Geusiis persæpe ac feliciter decertatum est: unde & ità infracti sunt eorundem animi, ut ante finem Aprilis ferè omnes urbes ac provinciæ ad Philippi Regis obsequium reductæ fuerint. Neque parva spes erat, quin omnes antè acti motus brevi tempore ad optatam Religionis concordiam redituri essent: nisi mitiora Gubernatricis consilia disturbâsset à Rege missus, & exeunte Augusto Bruxellas veniens, Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, animi quidem intrepidi miles; sed in quo plus humanitatis ac moderationis à plerisque Belgarum Proceribus desideratum fuit. Is, tametsi in adventu suo reperisset iterum pacata omnia: quiete redditâ non contentus, post dies paucos Hornensem & Egmondensem Comites in captivitatem abripit, Bredenrodium aliósque fugitivos provinciarum istarum Proceres intrà dies quatuordecim iterum adesse jubet, novum criminale tribunal (quod à plebe *concilium sanguinis* appellatum est) ad exquirendos, plectendósque præteritorum tumultuum auctores instituit; eóque agendi ac sæviendi modo Belgarum animos ità à se avertit, ut rebellionem penè consopitam, velut oleo morituris ignibus affuso, novas iterum in flammas egerit, quemadmodum videbimus anno sequente.

Res in Anglia, Scotia, & Francia gestæ.

*Spond. hîc n. 2.

*Spond. hîc n. 12.

Geusiorum turbæ in Belgio comprimuntur.

*Spond. hîc n. 8.

Surius ad hunc annũ.

Haræus in ann. brab.

Ferdinand⁹ Dux de Alba ferocitate suâ rebellionem penè consopitam resuscitat.

Spond. hîc n. 10 & 11.

Haræus in ann. brab.

In Germania quoque tumultus admodum periculosos fabricare cœperat Joannes Fridericus Saxoniæ Dux, Joannis Friderici quondam Electoris, à Carolo V. capti & exauctorati, infelicissimus filius. Origo turbarum erat Wilhelmus de Grumbach Nobilis Franco, quem Chytræus non immeritò vocat *centaurum Franconicum*, quòd in castris Alberti Marchionis Brandenburgici, magni quondam Germaniæ turbatoris, ad omnem audendi licentiam adoleviset. Is cùm à Melchiore Zobelio, Herbipolensi Episcopo, feudis omnibus exutus esset propter iniquissimas deprædationes, quas in ejus Episcopatu cum prædicto Marchione exercuerat; furore novo incitatus, eundem Antistitem * die 15 Aprilis anno 1558 in ipso urbis & arcis Herbipolensis conspectu supra Mœni pontem crudeliter obtruncari fecerat. Accusatus ea de re, tametsi nondum convictus, recepit se in regnum Galliæ: indè postmodum reversus, clancularíis persuasionibus aggregavit sibi non paucos viros Nobiles, quos antè noverat perlubenter ex rapto vivere. Horum auxilio tandem anno 1563 die 2. Octobris per nocturnas tene-

Joannes Fridericus Saxoniæ Dux è mandato Cæsaris obsidetur in urbe Gotha, ob receptum à se Wilhelmũ Grumbachium, & alios rebelles.

Chytræ⁹ l. 21. Saxon.

Grumbachii prædicti scelera.

Crusius part 3. Annal. Suev. l. 12. c. 4. pag. 701.

bras

bras Herbipolim venit, portas malè custoditas celerrimè perfregit, urbem occupavit, eâque expilatâ majoris Ecclesiæ Canonicos per vim adegit, ut alicujus transactionis à se allatæ formulam subscriberent, & in ea non modò magnam pecuniam; sed etiam omnium bonorum feudalium restitutionem sibi faciendam adpromitterent. Proscriptus idcirco à Ferdinando Cæsare tanquam violator pacis publicæ, communi totius Imperii consensu roboratæ, confugit ad Joannem Fridericum Saxoniæ Ducem: atque (uti postmodùm ex literis, tum interceptis, tum in Ducali chartulario* receptis patuit) spem ei amplissimam fecit, curaturum se, ut conjuratæ sibi Nobilitatis auxilio non modò septemviralem dignitatem, genitori suo ademptam, reciperet; sed etiam depulso Maximiliano, qui Ferdinando mortuo jam successerat, Romanorum Imperator fieret. His illiciis inescatus Dux Grumbachium ad se in urbem Gothanam recipit. Ac, licèt Imperator (cui non minùs quàm Augusto septemviro res ista admodum suspecta erat) anno 1566 in comitiis Augustanis eundem Grumbachium, ceterósque Herbipolensis invasionis primipilos, unà cum omnibus ipsorum adjutoribus ac receptoribus denuo proscripsisset: nihilò tamen seciùs malitiosos hujusmodi socios ejicere noluit, quòd eorum ope sub initium veris multa equitum peditúmque millia pro se in campum proditura crederet. Cæsar itaque graviores motus à Joanne Friderico veritus, jubet ejus consilia quantocyus præveniri; urbémque ejus Gothanam, in qua ipse cum rebellibus & proscriptis erat, inopino Marte circumfundi. Belli curam in se recepit, qui vicinum hostem formidabat, Augustus, Elector Saxoniæ. Et hic ea cum celeritate ac silentio* expeditionem istam inchoavit, ut seditiosi mœnibus inclusi priùs audiverint funesta balistarum ac tormentorum fulmina; quàm se hostiliter invasum iri, pertimescerent. Initium hujus obsidionis fiebat à copiis Electoralibus, quæ exeunte anno superiore ante urbem advenerunt vespere ante festum Nativitatis Dominicæ. His autem intrà breve tempus adjuncta sunt validissima auxilia* quatuor circulorum, nempe Westphalici, Franconici, Saxoniæ inferioris, & Saxoniæ superioris: quorum adjumento prædicta urbs tam diu circumcincta, pressa, & impugnata est, donec tandem hoc anno Idibus Aprilis* unà cum arce Grimmensteiniana in Cæsaris potestatem venit, capto simul Joanne Friderico Duce, Wilhelmo Grumbachio, & aliis rebellibus. Ex horum numero, Wilhelmus Grumbachius, & Christianus Bruck, prædicti Ducis Cancellarius, die 16 Aprilis vivo corpore in quatuor partes dissecti, eorúmque membra sic divisa ad quatuor urbis plagas in viis publicis appensa sunt: alii vel suspendio, vel ampu-

* *Anonym. in vit. Duc. Saxon. Chytræus loc. cit.*

Obsidio ac deditio urbis Gothanæ.

* *Anonym. in vita Duc. Sax.*

* *Anonym. loc. cit.*

* *Anon. ib. Chytræ° l. 21. Saxon.*

Grumbachii & aliorũ seditiosorum pœna: Joannis Friderici

amputatione capitis, vel alio pœnarum genere, infelicem vitam conclusêre: demum etiam Joannes Fridericus Dux Imperatori traditus, & ab eo postmodum Neostadii in Austria custoditus est; ubi post annos viginti & octo in diuturna ac perdifficili captivitate ingloriam animam exhalavit anno 1595, die 9. Maji.

Ducis perpetua captivitas. *Anon. in vita Duc. Saxon.*

Tredecim diebus ante ejus captivitatem, nimirum die 31 Martii, Cassellis obiît Philippus Hassiæ Landgravius, magnus iste Lutheri cultor, bonorum Ecclesiasticorum invasor, & Augustanæ Confessionis defensor acerrimus: qui tamen, si quibusdam scriptoribus habenda fides, postremis vitæ annis à novo Evangelista suo ad Zwinglii errorem transiît. Cùm enim anno superiore à Legato Cæsaris rogaretur de colloquio Marpurgensi, ante annos triginta octo *Lutherum inter & Zwinglium instituto; hoc ei responsum *edidisse fertur: *Etsi non fuit is exitus colloquii, quem et sperâssem et optâssem, insigni tamen fructu non caruit. Siquidem ex illa collocutione multorum piis mentibus veritatis lux affulsit clariùs: et, ut de me confitear, ab illo tempore, quo abunde cum Luthero et Zwinglio sum collocutus, crassam illam et oralem corporis Christi manducationem in pane probare non potui.* Habuit in matrimonio non successivè, sed simul* duas conjuges: nempe Christinam Saxoniæ Ducem, quam sibi devinxit anno 1523; & Margaretham de Sala, quam ex Lutheri dispensatione priori conjugi superinduxit. Ex primo connubio provenêre decem liberi, è quorum numero Wilhelmus Landgravius lineam Cassellensem, & Georgius Darmstadianam condidit. Ex altero autem connubio simultaneo præter unam prolem femellam procreati sunt sex filii, qui deinde cum aliis fratribus, priori ex thoro natis, perpetuas controversias habuêre; nec fuisset altercationum finis, si, ùt ipsi concupiverant, ad honestas decentésque nuptias potuissent pervenire.

Philippus Hassiæ Landgravius moritur, & in fine propendet in Zwinglianismum. *Dilich. in chron. Has.*

*aõ 1529.

*Hartm. in hist. Hass. exercit. 13. thesi 153.

*vid. dicta ad an 1540

Ejus filii diviserunt familiam in duas lineas, Cassellensẽ scilicet ac Darmstadiensem. *Dilich. in chron. Has.*

Interea Joannes de Hoja Episcopus Osnabrugensis, quem anno superiore etiam ad Monasteriensem infulam postulatum esse, diximus, Romæ apud Pium V. Pontificem laborabat sedulò pro obtinenda confirmatione; eámque demum die vicesimâ tertiâ Julii feliciter adeptus est auxilio & operâ Cardinalis Joannis Francisci* Commendoni, cui ab insigni doctrina, pietate, zelo Fidei, aliísque virtutibus, jam pridem in amore ac pretio singulari fuerat. Expeditæ sunt in hunc finem duæ Papales literæ, quarum unæ complectuntur ejus translationem ab Episcopatu Osnabrugensi ad Monasteriensem; alteræ verò simul conferunt & adjungunt plenariam administrationem Osnabrugensis Ecclesiæ, & bonorum omnium ad eam pertinentium. Utræque literæ clauduntur hísce verbis: *Datum Romæ apud S. Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo*

Joannes de Hoja, aliàs Ep. Osnabrugensis, Papali confirmatione constituitur Ep. Monaster. & Administrator Osnabrug.

*Chron. Monast. apud Antonium Matthæũ tom. 8

quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, decimo Kalendas Auguſti, Pontificatûs noſtri anno ſecundo. Et in harum alteris* expreſsè additur: *Volumus autem, quòd antequam regimini et adminiſtrationi dictæ Eccleſiæ Oſnaburgenſis --- te in aliquo immiſceas, in manibus Venerabilium fratrum noſtrorum, Paderbornenſis et Acconenſis* Epiſcoporum, ſeu alterius eorum, fidelitatis debitæ præſtes juramentum juxta formam, quam ſub bulla noſtra mittimus introcluſam.* Præſtito hoc juramento, magnis animis quàm primùm ſtuduit, in Eccleſia Monaſterienſi laxatam Cleri majoris diſciplinam leniori quocunque modo reſtituere. Atque, ut ipſémet ſingulari pietatis exemplo omnibus præluceret; continuò ſtatuit, ſacros Ordines, quos hucuſque non habebat, è veteris Eccleſiæ ritu ſuſcipere, ſeſéque ad eoſdem accipiendos cum reverentia ac devotione debita præparare. Quod ubi factum; etiam die quintâ Octobris (quæ tunc erat Dominica decima nona poſt Trinitatis) in Bentlagenſi Patrum Crucigerorum cœnobio primam Deo hoſtiam obtulit, ibíque ſimul à Joanne Critio, Monaſterienſi ſuffraganeo, Epiſcopus conſecratus eſt, aſſiſtentibus tribus Abbatibus Benedictinis, Abdinghoffenſi, Liesbornenſi, & Iburgenſi.

*ex autographis literis Pii V.

* Acconenſis erat Joannes Crite ſuffraganeus Monaſter.

Menſe Octobri ſuſcipit ſacros Ordines, & conſecratur Epiſcopus.

chron. Monaſt. ſuprà cit. & alia mſ. vetera.

Fridericus de Wieda Colon. Archiepiſcopus dignitatem Archiepiſcopalem abdicat.

Utinam & exemplo tali Metropolim ſuam condecorâſſet Fridericus de Wieda, Elector & Archiepiſcopus Eccleſiæ Colonienſis! At ille quinto jam anno ſuæ ſedis, non ſolùm erat ſacerdotii; ſed etiam Pontificiæ confirmationis expers, quòd juramentum Fidei ac fidelitatis è recenti Romanæ Eccleſiæ formula, neſcio qua de cauſa, recuſaret edere. Monuit eum hac de re Cardinalis Commendonus in comitiis Auguſtanis anni ſuperioris, juſsúque ſummi Pontificis adhortatus eſt, ut in emittendo hoc juramento* moram ulteriorem non faceret: alioquin certò fore, ut ſede & Archiepiſcopatu ſuo privaretur. Quâ ignominiâ ſe percellendum veritus; cùm & ægro corpore non eſſet ampliùs ad regendum habilis; die vigeſimâ quintâ* Octobris Archiepiſcopalem infulam ſponte ac libere abdicavit; alteróque ſtatim anno Coloniæ in feſto S. Stephani protomartyris pientiſſimè defunctus, & in Eccleſia Patrum Dominicanorum honorificè tumulatus eſt. Peractâ reſignatione vacavit ſedes duobus ferè menſibus; ac tandem die 23. Decembris concordibus omnium Capitularium ſuffragiis honores Archiepiſcopales delati ſunt Salentino de Iſenburg, Decano ad S. Gereonem, viro propter ſingularem Catholicæ Religionis Fideíque zelum ſempiternâ memoriâ digno.

*Vita Pii V. to. 1. Ss. Maji n. 76.

*Kleinſorg, in hiſt. mſ.

In ejus locũ die 23 Decembris eligitur Salentinus Comes de Iſenburg.

Cratep. in catal. Archiep. Colon.

Eodem hoc tempore non lentis paſſibus ad cælum feſtinabat Rembertus Epiſcopus Paderbornenſis, cui in ſummo ſenio poſtremos ictus ad celeriùs decedendum intulit Martinus Hoitbandus,

Martinus Hoitband, Paderbor-

dus,

dus, forensis Ecclesiæ ad S. Pancratium Paderbornæ Pastor & Sacerdos. Docuerat hic ibidem per aliquot annos probè & Catholicè: reliquísque etiam in rebus, ad Sacramentorum administrationem pertinentibus, ità se gesserat, ut neque Episcopus, neque alii Primores urbis de eo conqueri, aut novationem aliquam ab eo faciendam, suspicari possent. At, ubi per æstatem anni superioris *Paderbornæ cœpit grassari pestis (quæ etiam *Tremoniæ, Monasterii, aliísque plurimis in locis vehementer desæviísse legitur) rebus adeò turbatis usus, primò Eucharistiam sub utraque specie civibus ægrotis obtulit; addidítque istum sumendi modum Christianis omnibus à Christo Domino præceptum ac perneceſſarium esse. Postea verò, cùm id ipsi non improspere cecidisset, ineunte quadragesimâ præsentis anni cœpit etiam cantus veteres de Beata Virgine abrogare, Lutheranas cantilenas iisdem substituere, cultum Sanctorum abjicere, sacrificium altaris abolere, purgatorios ignes ùt fabulam deridere, aliáque Augustanæ Confessionis dogmata citra omnem Episcopi consensum & voluntatem introducere. Monitus idcirco centies, tum ab Episcopo & statibus patriæ, tum à senatu & consulibus pleramque partem Catholicis, non solùm ab interdictis hujusmodi novationibus abstinere noluit; sed etiam contumaciſſimè perrexit, contra iteratas ipsorum prohibitiones pastoralem cathedram conscendere, Lutheranam doctrinam propalare, imperitum vulgus commovere, ad aliorum Principum interventionem se convertere, seditionem civium pro suis viribus confovere, & (quod impostor quilibet, etiam Arianus vel Eutychianus, oggerere posset) ore protervo dicere, se hujusmodi mandatis non obligari: tum quòd *oporteat obedire magis Deo, quàm hominibus*; tum quòd Isaias cap. 58 dicat: *clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.* Imò, cùm ab Episcopo & congregatis patriæ Proceribus die septimâ Junii *concluſum esset, eundem vel ex urbe ejiciendum, vel Ecclesiæ suæ ministerio exuendum esse: adhuc ausus est homo pertinax, bis ad Cameram Spirensem *proficiſci, de Episcopi & Procerum violentia conqueri, atque adversùs eos pœnale mandatum, de se in suis exercitiis non perturbando aut molestando, sollicitare. Ibi verò iterum ex Augustanæ pacificationis lege bis repulsus, bis iterum Paderbornam rediit; spretâque omni superiorum suorum prohibitione, parochialem cathedram & Sacramentorum administrationem repetivit. Quare tandem Episcopus, inauditam hominis contumaciam acrioribus remediis frangendam esse videns, gravissimâ pœnarum interminatione consulibus ac senatui mandat, ut, nisi ante solis occasum Hoitbandus urbem deseruerit, violentas manus eidem injici faciant; & omnes,

næ ad S. Pancratium Pastor, à Fide Catholica deficit.

*Hamelm. in hist. Ev.

*Chron. Tremon. & Monast.

Confessionis Augustanæ doctrinam in suam parochiam introducere nititur.

Rembert. Episc. in literis ad Landgrav. Hamelm. pag. 1346.

Proscriptus ab urbe & ministerio Verbi renuit parere:

*Hamelm. in hist. Evrenati pag. 1362.

*Hamelm. pag. 1363.

*Hamelm. ibid.

diu reluctatus, cogitur urbem deserere.

Hamelm. in hist. Evren. p. 1368

qui ipsum detenturi vel susceпturi sunt, jure civitatis privent. Quod cùm ipsi & fautoribus ejus die septimâ Octobris à senatu denuntiatum esset; eodem vespere, convasatis omnibus, urbem dereliquit.

Fugit Cassellas ad Wilhelmũ Hassiæ Landgravium. *Hamelm. ibid.*

Neque tamen idcirco destitit à perversis machinationibus, quas in urbe cœperat. Nam à Paderæ fontibus rectà Cassellas abiit: atque ut ibidem à Wilhelmo Hassiæ Landgravio faciliùs aurem, putidæque causæ suæ patrocinium obtineret; intrà paucas hebdomadas à veteribus parochianis eblanditus est novum libellum supplicem, quo desiderabant, ejus interventu Hoitbandum à se recipi, fidémque Lutheranam retineri. Motus eâ civium postulatione Landgravius, Rembertum Episcopum per literas rogat, ut Evangelii Lutherani cursum Paderbornensi in civitate non impediat, ejusdémque promovendi causâ, Martinum Hoitbandum ad forensem parochiam suam propediem reverti, sinat. At Episcopus, nec latum unguem à Fide Catholica discedere certus, humanissimè respondit Landgravio; petitionem civium pugnare contra varias transactiones & pacta ab iisdem jurata, Catholicam Fidem à primæva fundationis tempore in urbe ac Diœcesi nostra inviolatam hactenus perstitisse, Hoitbandi novationem sinè omni suo & aliorum Procerum consensu refractariè, ac temere inceptam esse: atque ideo, sicuti Landgravius nullo modo permissurus foret, ut aliquis in Principatu Hassiæ Religionem Catholicam sinè ejus consensu ac voluntate solidaret; ità à se nunquam permitti posse aut debere, ut iste Hoitbandus, aut alius quisquam ejusdem farinæ socius, Lutheranæ Religionis dogmata in suam urbem vel Diœcesim introduceret. Ecce hîc ipsas Remberti Antistitis literas*, Dringenbergæ hoc anno die duodecimâ Novembris datas, & ex Hoitbandi apologia fidelissimè à me in linguam latinam versas:

Landgravi⁹ ad Rembertum Ep. scribit, rogátq; Hoitbandum restitui: id quod Ep. constantissimè recusat. *Hamelm. ibid.*

Literæ Remberti mox citandæ.

Remberti Episcopi literæ, ea de re ad Landgravium datæ.

**extant in apologia Hoitbandi, impressa Marpurgi anno 1580.*

ILlustrissime Princeps, ac singulariter dilecte Domine et amice. Ea, quæ charitas vestra rogatu subditorum nostrorum, incolarum parochiæ forensis in urbe nostra Paderborna, scripsit et à nobis petiit, rectè accepimus, et eorundem argumentum satìs intelleximus. Sanè de prædictis subditis nostris nihil minùs opinati fuissemus; quàm quòd ad iniquas ejusmodi sollicitationes ac postulata, quæ contra tenorem publicum quorundam aliàs erectorum, et corporalis juramenti præstatione ab iisdem firmatorum recessuum pugnant, adeò temere fuissent animum adjecturi: quæ tamen de re modò nolumus plùs verborum facere. De cetero charitati vestræ ad cognoscendam rem præsentem amicissimè detegimus, quòd, postquam antiqua Catholica Religio ac doctrina hîc in urbe ac Diœcesi nostra à tempore fundationis ejus piè et constanter usurpata esset: ac subinde aliquis, nomine

mine Martinus Hoitband, forenſis Eccleſiæ ibidem Paſtor, juxta morem antiquæ et veræ Catholicæ Religionis, divini verbi prædicatione et ſacramentorum adminiſtratione, prædictæ Eccleſiæ ſuæ aliquot annis probè et ſyncerè præfuiſſet, ità ut nos et omnes incolæ ejuſdem functione et operâ bene contenti fuerimus: poſtea tamen in præterita quadrageſima citra omnem notitiam ac voluntatem noſtram, contráque propriam obligationem ſuam, ab antiqua veráque Religione Catholica receſſerit, et Auguſtanam Confeſſionem unà cum cerimoniis ritibúsque ſuis introducere, auſus ſit. Aquo etiam conatu et machinatione ſua, quanquam idcirco ſæpius à nobis conventus, prohibitúsque fuerit, nullatenus abſtinere voluit; adeóque ſemetipſum, vigore pacis Religioſæ, *à ſacro Romano Imperio conditæ, Paſtoratûs ſui exſortem fecit. Quare et nos ei non immeritò miniſterium verbi et ſacramentorum interdiximus; cui et ipſum, contra publicam noſtræ veræ, nobísque à teneris infuſæ Religionis Catholicæ profeſſionem, reſtitui neutiquam paſſuri ſumus. Neque in æternum de nobis dici aut affirmari cum veritate poterit, Auguſtanam Confeſſionem à nobis unquam permiſſam, ſubditísve noſtris indultam eſſe. Cùm igitur aliud nihil à nobis factum ſit, quàm quod è prædicta Religionis pace pro impoſito nobis officio facere debuimus; quódque et ipsámet charitas veſtra in Principatu ſuo citra dubium factura eſſet, ſi quis ibidem antiquæ Religionis uſum contra receptam Confeſſionem Auguſtanam ſinè præſcientia et conſenſu veſtro introducere, niteretur: amicè nobis perſuademus, fore, ut charitas veſtra benignè nos hac in re excuſatos habeat; ſimúlque ſubditos noſtros, ut in antiqua Religione ſibi tradita cum obſequio et obedientia debita perſeverent, ſeverè ac ſeriò cohortetur. Concionatores boni, qui eos verbo Dei, divinísque ſacramentis paſcant, nunquam illis Deo favente deerunt: pro ùt etiam ſinè veritatis offendiculo dicere non poterunt, aliquem in his defectum hactenus extitiſſe etc.--- Datum Dringenbergæ, die 12 Novembris, anno 1567.*

Hoitband fit Paſtor uxariæ ad S. Petrum, *Hamelm. in hiſt. Ev. Erben. in chron. Huxar. apud Paullin.*

His acceptis acquievit Landgravius: & Martinus Hoitbandus, urbe & patriâ ſe excluſum, omníque ſpe dejectum videns, Huxariam diſceſſit; ubi à ſenatoribus in Eccleſia Collegiata S. Petri ad verbi miniſterium admotus eſt, ſuffectúsque in locum Jacobi Reutelii, in urbem Eimbeckenſem evocati. Quemadmodum verò prædictus Epiſcopus noſter audenter à ſe rejecit memoratam petitionem Wilhelmi Landgravii; ità pariter à ſe amovit aliam petitionem, non minùs noxiam Wilhelmi Cliviæ, Juliæque Ducis. Retulerat huic Domina Catharina, Bernardi quondam Comitis Lippienſis relicta vidua, Hermanno Simoni, Comitis ejuſdem fratri, à Rembertо Epiſcopo noſtro, ceterísque ſtatibus Diœceſanis factam eſſe promiſſionem vel ſpem aliquam recipiendi in feudum comitatûs Pyrmontani, de cujus vacatione plura diximus ad annum 1557. Addiderat etiam, impuberis filii ſui conſiliarios laborare ſedulò,

Wilhelmus Dux Juliacenſis Paderbornæ ſollicitat, ut infeudatio comitatûs Pyrmontani conferatur etiam

Simoni, juniori Comiti Lippiensi,

dulò, ut hujus infeudationis & beneficii literis, nondum hactenus expeditis, simul inseratur suus & Bernardi Comitis Lippiensis filius (cui nomen Simon) unà cum omnibus hæredibus masculeis ex eo descensuris. Quod cùm hactenus impetratum non esset; rogaverat ipsum, ut ea in re perurgenda suum quoque patrocinium interponeret. Consensit huic postulato Wilhelmus Dux: primâque die Martii ad Capitulum nostrum, ceterósque Ordines Diœcesanos ex urbe Düsseldorpiensi literas perhumanas* dedit; quibus impensè petiit, Rembertum Episcopum ad concedendam ejusmodi infeudationem sedulò permoveri. At ille, cùm videret, concessionem hanc Diœcesi nostræ non parùm noxiam ac perniciosam fore, non solùm generosè repulit hoc postulatum viduæ; sed etiam, quàm diu vixit, Hermanno Simoni Comiti, qui defuncti Comitis Pyrmontani sororem duxerat, collationem istius feudi constanter denegavit ex causis, alio in loco allegatis ad annum 1557.

*hæ literæ sunt in Archiv. Cath. Eccl. Pad.

Rembertus Ep. infeudationem hanc non solùm negat Simoni; sed etiam ejus patruo, Hermanno Simoni.

Annus Christi 1568.

Pii V. Pontificis 3.
Maximiliani II. Imperator. 4. & 5.
Remberti Episcopi Pad. ultimus.

Maria Stuarta Scotiæ Regina, ad Elisabethã Angliæ Reginam fugiens, carceri mancipatur.

ITerum hoc anno turbæ, iterum funesta & gravia Catholicæ Religionis pericula in plurimis Europæ tractibus. Maria Stuarta, Scotorum Regina, à Calvinianis, rebellibúsque subditis ante annum capta, cùm è custodia sua ad Elisabetham Angliæ Reginam elapsa esset, ibidem pro quæsito solatio novos carceres, ac denique post novendecim annos truculentam suî necem invenit, feliciorem in cælis coronam habitura, quàm in terris. In Gallia rursus ab Hugonottis, Condæo duce, ad arma concursum est; multísque Pictonum & Engolismensium urbibus occupatis, adeò fœdè & inhumaniter desævitum in sacerdotes ac religiosos, ut alii variis membris truncati, alii sclopetariis militibus in scopum propositi, alii vivis corporibus humo infossi, alii lento igne aut oleo fervente tosti, alii denique ad trabes, sulphure copioso illitas ac postea incensas, alligati fuerint: visíque milites Calviniſtæ ad hujusmodi lucernas per noctem ludere. In Belgio seditiosorum Geusiorum Proceres, Wilhelmus Princeps Arausionensis, & Ludovicus Nassovius ejusdem frater, cum suis assecliis gravissima parabant bella in eversionem rei Catholicæ. Sed utrumque singulari vigilantiâ ac fortitudine suâ brevi

Hugonotti in Gallia, rursus ad arma versi, barbarè desæviunt in sacerdotes. *Spond. n. 14. & seq. Bussier. to. 2. hist. Franc l. 19. n. 21.*

In Belgio Ferdinand⁹ dux Alban⁹ feliciter devincit

brevi domuit Ferdinandus Dux de Alba, copiarum Hiſpanicarum ſupremus Præſes. Ludovicum Naſſovium non modò ſui adventûs famâ ab obſidione urbis Groninganæ depulit; ſed etiam paulò pòſt, die 21 Julii, in comitatu Embdenſi tam gravi prælio profligavit, ut è Geuſiis ferè ſeptem* millia occubuerint, & è caſtris Hiſpanorum vix ampliùs, quàm decem viri vitam amiſerint. Nec minori felicitate, quanquam ſinè cæde & ſanguine, triumphavit de ipſius fratre Wilhelmo Arauſionenſi. Veniebat hic Septembri menſe cum ingentibus Germanorum copiis, pretio conductis: Rhenúmque inter & Moſam ponebat caſtra, viſurus illic, an in agrum Luxemburgenſem, an verò in Hannoniam irrumpere vellet. At Ferdinandus Albæ Dux, jam è Friſica expeditione cum ſuis redux, continuò ſic* hærebat ipſius lateri, ut neque juſti certaminis copiam ei faceret, neque ſimul permitteret, eum ulteriùs poſſe in Belgium progredi. Atque illo cunctandi, & advigilandi modo conſecutus eſt, ut Arauſionenſis, tot militibus diu ſuſtentandis impar, tandem* ineunte Decembri exercitum ſuum debuerit exauctorare; divenditísque tormentis & impedimentis omnibus, pecunias pro ſtipendio ſolvendo cogere. Qua ex re, cùm ingentem ſuæ fortitudinis laudem promeruerit; ex alia tamen parte non immeritò bonis omnibus exoſus fuit propter ſingularem animi truculentiam, quâ deſæviît in omnes præteritæ ſeditionis quomodolibet incuſatos, maximéque in duos Comites bene Catholicos, Egmondanum & Hornanum. Hos ille die quintâ Junii Bruxellis in publico urbis foro produxerat in theatrum: ac, tametſi iterum iterúmque proteſtati fuerint, ſe nunquam ſiniſtri aliquid machinatos eſſe, &, quidquid egerint, id in Regis obſequium ſyncerè, & ex animo præſtitiſſe; eos tamen ſinè omni miſericordia plecti, reſectóque capite in vitam aliam transmitti, juſſerat. His autem, aliíſque plurimis truculenti animi exemplis ità à ſe avertit favorem populi, ut rebellio jam ſopita, quadriennio pòſt longè ferociùs recrudeſcere cœperit.

rebellium geuſiorum duces. *Spond. & alii.*

**Spond hic n. 10. Haræus in ann. brab.*

**Spond. hic n. 11. Haræus in ann. brab.*

**Haræus pag. 102. Spond n. 11*

Ejuſdem Albani Ducis truculentia in plectendo Comite Egmondano, Hornano, & aliis pluribus. *Haræus in ann. brab. Spond. hic n 9. & alii.*

In terris etiam Auſtriacis Religio Catholica non parùm hoc anno periclitata eſt ſub Maximiliano Cæſare. Convocaverat hic Ordinum Auſtriacorum comitia, petiturus ab iis expunctionem æris alieni, in præteritum bellum Turcicum inſumpti; quod ad octoginta millia librarum auri excreviſſe, refert Chytræus. Illi, ut in hac neceſſitate Cæſaris impetrarent, quod ſæpe hactenus, & truſtra ſollicitaverant; viciſſim ab eo petivêre liberum exercitium Religionis Lutheranæ: famáque erat, id iis jam indultum eſſe, vel certè propediem fore, ut permittatur. Attonitus hoc rumore Pontifex, continuò ad Cæſarem legat Cardinalem Commendonum,

Maximilianus Imperator Nobilitati Auſtriacæ permittit exercitium privatum Religionis Lutheranæ. *Chytræ° l. 22. Saxon. Spond. hic n. 25.*

num, qui vel istam concessionem pro suis viribus impediret; vel certè eam, si jam facta sit, iterum rescindi, ac revocari faceret. Simul etiam alios Principes* Catholicos, maximéque Philippum, Hispaniæ Regem, instantissimè rogat, ut à pernicioso ejusmodi proposito Cæsarem dehortentur. Quod cùm illi pro suo in rem Catholicam affectu copiosè præstitissent, Cæsar tandem animos æquiores induit. Ac tametsi exercitium illud jam antè permisisset Proceribus, & Nobilitati Austriacæ privatim in suis castris & ædibus; ea tamen concessio postmodum acerrimè restricta, & coarctata est hisce legibus: *Primò*, ut nulli civium, aut hominum plebejorum liceat avitos Ecclesiæ ritus deserere, & Lutheranam Religionem colere. *2dò*: ut nulli Nobilium impune sit, pro civibus, & plebejis, à Fide Catholica defecturis, intercedere; neque facta Nobilibus concessio priùs valeat, quàm ea de re Cæsari fidem, & securitatem dederint. *Tertiò*: ut, si quid ultra prædictæ concessionis terminos ab eorum aliquo tentaretur, *ac nominatim, si quid in fraudem jurium parochialium facerent, si in matrimonii contrahendi ritu, contra leges à concilio Tridentino præscriptas, agerent, si intrà quartum propinquitatis gradum ad celebrandas nuptias processuri essent; in eosdem non levibus pœnis, Diœcesani Antistitis judicio, animadverti debeat. Sed ejusmodi cautiones additæ processu temporis parùm profuêre: eóque tandem res evasit, ut non solùm *in multis oppidis, & pagis; verùm etiam in ipsa urbe Viennensi, quàm plurimi cives & plebeji Lutheranam Fidem publicè amplexi, & professi fuerint. Quod cùm apertissimè pugnaret contra leges concessionis; primùm ipsémet Maximilianus, ac deinde Rudolphus II, pientissimus ejusdem filius, & successor, exorbitans illud Lutheranæ Religionis exercitium* continuo sustulit; & concessionem hanc rursus, intrà primævos Nobilium Dominorum terminos, arctissimè constrinxit.

*Vita Pii V. to. 1. Ss. Maj in. 162 Spond. ib.

Simul tamè severè prohibet, ne quis hominum plebejorum aut civium ausit Catholicam Fidem deserere.

*Chytræus l. 22. Saxon.

*Hanſiz. in hiſt. Epiſc. Paſſav. pag. 630.

*Hanſiz. loc. cit.

*Chytræus & Hanſiz. loc. cit.

*Chytræus loc. cit.

Henricus junior, Dux Brunsvicensis, & acerrimus Catholicæ Religionis vindex, hoc anno moritur.

Atrociorem hoc anno plagam Romana Ecclesia cepit ex morte Henrici junioris, Ducis Brunsvicensis ferventissimè Catholici, quem anno suæ ætatis octogesimo dies undecima Junii è numero vivorum abstulit. Multa hic olim passus erat propter Fidem, cujus defensæ causâ à Philippo Hassiæ Landgravio, & sociis ejus vehementer impugnatus, è Ducatu suo bis ejectus, ultimâ vice captus, ac per biennium in severa custodia detentus est, usque dum variatâ fortunæ scenâ Landgravius pariter in Caroli V. Imperatoris captivitatem deveniret. Indè reductus in Ducatum, confestim omnes *Evangelii Lutherani præcones, à Landgravio introductos, expulit, & Fidem Catholicam integritati suæ restituit. Ex Maria Wirtenbergica, uxore primâ, consecutus erat antea tres filios, Carolum

*Chytræus l. 22. Saxon.

*Hamelm. in hiſt. Ev.

rolum Victorem, Philippum Magnum, & Julium: è quorum numero priores duo, viri probè Catholici, anno 1553 in prælio Sivershusano, contra Marchionem Albertum gesto, periêre. Tertius, qui supererat, ad Lutheri dogmata se propendere, non unis indiciis ostendebat: ideóque pater, ut eundem à provinciarum suarum* successione removeret, novi hæredis accipiendi spe accensus, anno ætatis suæ sexagesimo octavo novas iterum adivit nuptias cum Sophia, Sigismundi Poloniæ Regis, sorore. Sed cùm ex ea nullam prolem consequeretur; tandem vel invitus ferre debuit, ut Julius antè dictus ditionum suarum hæres fieret. Et ille statim animum à paterna pietate alienum prodere, Jesuitam, in aula patris commorantem, abdicare, sacerdotes alios, Romanæ Fidei sectatores expellere, Lutheranos concionatores eorum loco substituere, ac demum omnia, quæ ad cultum divinum pertinent, ex novorum dogmatistarum arbitrio reformare. Ità Ducis Henrici funus in terris illis etiam Catholicæ Fidei occasus fuit.

*Hamelm. ib pag. 897 Chytræus l. 18. Saxon. ad an. 1556 in fine.

Succedit ei Dux Julius, qui à morte patris Catholicam Religioné è Ducatu ejicit. Chytræ° l. 22 Saxon.

Senem hunc octogenarium quaternis mensibus in cælum præiit senex alius nonagenario major, & æquè Catholicus, Rembertus, Episcopus Paderbornensis, Dringenbergæ mortuus die duodecimâ Februarii, postquam Episcopatui suo per viginti & unum annos fructuosè, ac pientissimè præfuisset. Multis ille coruscabat virtutibus, tali Præsule, & animarum Pastore dignis. Justitiam & æquitatem curabat adeò sollicitè, ùt ferè semper in ore haberet *vulgatum illud: *fiat justitia aut pereat mundus.* Unde & eos, qui rapinas alienorum bonorum exercuerant, etiamsi Nobiles, & equestri familiâ prognati essent, nullo sanguinis, aut natalium discrimine comprehendi, & ultimo supplicio castigari fecit. Nec minor fuit ipsius mansuetudo, studiúmque pacis. Atque ideò, si quid hostile à vicinis Principibus metuendum erat, eosdem vel amicis verbis mitigare satagebat; vel precibus ad cælum fusis, malum *imminens à suorum subditorum cervicibus divino auxilio depellebat. Conservandæ Religionis ardorem jam olim apertissimè ostenderat, cùm adhuc Paderbornæ & Osnabrugi Cathedralium Ecclesiarum Canonicus esset. Nam & eo tempore cum Osnabrugensi Canonicatu simul conjunxit animarum regimen in parochiali urbis Ecclesia ad B. *MARIAM Virginem. Ac, licèt ibidem à seditiosis civibus, ad Augustanæ Confessionis doctrinam aspirantibus, è pastorali cathedra bis ejectus esset sub Francisco Episcopo, Lutheranis erroribus dedito; nihilo minùs iterum iterúmque ad eam regredi, veterémque stationem suam defendere, & quasi mordicus tueri non intermisit. Imò, dum postea Paderbornæ ad Episcopale solium evectus est, manutenendæ possessionis causâ Maria-

Rembertus de Kerssenbroich, Episcopus Paderbornensis die 12 Februarii moritur. Kerssenb. in catal. Episcop. Pad.

*Kerssenbr. ibid.

*Kerssenbr. loc. cit.

*manuscripta vetera.

*ex iisdem veteribus mſ.

ni illius Paſtoratûs titulum* Epiſcopali titulo adjungere non erubuit; uſque dum ex Auguſtanæ pacificationis edicto ab urgenda ejuſdem Paſtoratûs reſtitutione cogeretur deſiſtere. Quid ergo mirum eſt? quòd & Paderbornæ Martino Hoitbando, forenſis Eccleſiæ Paſtori Lutherano, tam egregiè ſe oppoſuerit; neque priùs acquievit, donec ille à magiſtratu & ſenatoribus ex urbe ejectus fuerit, utì prolixiùs oſtenſum eſt anno ſuperiore. Certè in hoc actu, ſi unquam aliàs, virum probè conſtantem, & imperterritum ſe probavit; etiamſi non ſinè maximo depontani corporis, & ſenilium virium detrimento. Nam ex ea contentione, quæ totum ferè annum tenuit, in morbum lethalem incidit; ac tandem ſenio, animíque mœrore* delaſſatus, ad capienda Fidei, & virtutum ſuarum præmia in cælum abiit. Corpus ejus è Dringenbergenſi caſtro Paderbornam revectum; ibíque in medio Cathedralis Eccleſiæ, non ſinè multis Catholicorum lachrymis, tumulatum eſt, cum hac inſcriptione, ad Auſtralem columnam ſempiterno æri infuſa:

*Kerſsenb. loc. cit.

Mille ubi quingentos et ſexaginta ſub octo
A Chriſto Februos lux duodena notat;
Occubuit Princeps, ſitus hac Rembertus in urna,
Kerſſenbrochiaco ſanguine clarus erat.
Præſulis officio ter ſeptem præfuit annis,
Conſilio pacem, juſtitiámque fovens.
Sed bis luſtra novem variâ dum mole gravatus*
Vixerat, ad ſuperûm tranſiit aſtra ſenex.

*hoc eſt nonaginta annos.

ANNA-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XXII.

JOANNES II.

Comes de Hoja,

ECCLESIÆ PADERBORNENSIS
EPISCOPUS XLII.

SALENTINUS

de Isenburg,

ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS,
ET
ECCLESIÆ PADERBORNENSIS
EPISCOPUS XLIII.

HENRICUS

Saxo-Lavvenburgicus,

ARCHI-EPISCOPUS BREMENSIS.
ADMINISTRATOR OSNABRUGENSIS,
ET
ECCLESIÆ PADERBORNENSIS
EPISCOPUS XLIV.

IOANNES II.

Comes de Hoja,

EPISCOPUS PADERBORNENSIS, MONASTERIENSIS, & OSNABRUGENSIS, Nostrorum Episcoporum XLII.

Annus Christi 1568.

Pii V. Pontificis 3.
Maximiliani II. Imperator. 4. & 5.
Joannis II. Episcopi Pad. 1.

Joannes de Hoja, Episcopus Monasterienſis & Osnabrugenſis, Paderbornæ postulatur.

REmberto è vivis evocato Cathedralis Ecclesiæ nostræ Canonici prudenter censuêre, sibi propter modernorum temporum pericula non diu cunctandum esse in surrogando novo Antistite. Prævidebant enim fore, ut Martinus Hoitbandus, ante annum expulsus, forensis Ecclesiæ Pastor apostata, vacante sede iterum se è latebris Huxariensibus in urbem nostram injiceret, eámque Lutherani Evangelii causâ novis tumultibus implicaret. Quare decimâ post mortem die, quæ erat vicesima 2da Februarii, Neuhusana in arce convenêre; ibíque votis concordibus ad vacantem cathedram postulârunt Joannem Comitem de Hoja, Monasterienſis, & Osnabrugensis Ecclesiarum Præsulem, ob insignia maximarum virtutum, ac scientiarum decora, tantis honoribus longè dignissimum. Rei peractæ nuntium accepit Joannes in Diœcesi Monasterienſi (illic enim paulò antè, die undecimâ Januarii, solennem ingressum celebraverat) statímque Romam festinatas literas misit ad Cardinalem Alexandrinum

drinum, qui, proposito Paderbornensis urbis periculo, postulationem de se factam, à Pio V. Pontifice confirmari, peteret. Abhorrebat quidem Papa sanctus à tot Episcopatibus in unam personam congerendis. Ne tamen interea, dum longiores Romæ consultationes fierent, Paderborna aliquid incommodi à Lutheranis pateretur; continuò per eundem Cardinalem, Joanni postulato rescribi fecit; Paderbornensis Ecclesiæ regimen tantisper ei à Pontifice commendari, donec petitæ confirmationis necessitas in Papali curia penitiùs excussa foret.

Ibidem vacantis Ecclesiæ curâ temporariâ accipit. *Ex literis Pii V. Pontificis infrà citandis.*

Commodùm advenerunt istæ Cardinalis Alexandrini literæ, cùm in urbe nostra Martinus Hoitbandus, ab Huxariensi exilio redux, novam populi seditionem, ac tumultum ageret. Crepabat is ubique verbum Dei, ex quo omnes hæretici, tam recentes, quàm antiqui, sua contra Ecclesiam tela malè deprompserunt: & quia simul ortu Paderbornensis erat, facilè rursus ad se attraxit multos è grege civium, qui ipsius doctrinis, ante annum prægustatis, denuo adhærescerent. Horum deinde adminiculo rursus ille forensis Ecclesiæ cathedram conscendere, Pastoratum sibi ademptum repetere, Confessionis Augustanæ suavitatem dilaudare, Beatæ MARIÆ Virginis cultum proscribere; atque, ut alia non pauca taceam, Wilhelmum Hassiæ Landgravium, aliósque Principes implorare, ne desistant, ejus doctrinam, personámque Paderbornensi magistratui commendare. Quo audito Postulatus noster, ne initia novæ seditionis in pejus vergerent, pro potestate sibi interim commissa, mense *Augusto Paderbornam properat; vocatóque in Abdinghoffense monasterium inquieto, *& jam sæpius rebelli capite, coram universo Clero: *Age*, inquit, *Hoitbande! tuæ novæ Religionis ac Fidei rationes hîc ante oculos nostros palàm expone. Si quid Fide Catholicâ melius, et veritatis patrocinio dignum attuleris, tuæ causæ non deerò: sin minùs; aut palinodiam cane, aut cathedrâ et urbe cede.* At ille sciens, quàm erudito, & in rebus Fidei exercitato Principi sese oppositurus esset, si quid in suæ causæ, doctrinæque patrocinium diceret; hanc aleam subiri noluit, maluítque videri minùs peritus, quàm errorum ac falsitatum suarum publicè convictus. Quare Princeps eidem ocyùs Pastoratu, & urbe interdicit; unáque simul Paderbornensi magistratui severè præcipit, ut, nisi protinus excedat mœnibus, eundem armatâ manu, vel satellitibus immissis, excedere cogat. Ità demum urbs præsentissimo corruptionis periculo subtracta est; & Hoitbandus, alterâ jam vice pulsus, à fontibus Paderæ *Susatum abiit: ubi stationem, apostatico ingenio suo dignam, in Ecclesia S. Walburgis consecutus est.

Martinum Hoitbandū, Huxariâ reducem, Lutheranæ doctrinæ & seditionis commotæ causâ rursus ab urbe pellit. *Kerssenb. in hist. Ep. Pad. Hamelm. in hist. Ev. Paderb. p. 1370. & sequent.* *Hamelm. pag. 1370. *Charta Paderb.* *Hoitband in apologia

Glo-

Propterea à Pio V. tandem confirmatur usque ad suũ & sedis Apostolicæ beneplacitum.

Glorioſum illud Poſtulati facinus magnum ipſi adjumentum attulit ad obtinendam, quæ hucuſque deerat, confirmationem ſummi Pontificis. Hic enim, quòd ægerrimè ferret, tot Epiſcopatus, contra ſanctiones Tridentinæ ſynodi, in unam perſonam confluere; jam certò conſtituerat, poſtulationem ejus, à Capitulo Paderbornenſi factam, non admittere. At ubi poſtmodum recentioribus è literis didicit, quæ & quanta Poſtulatus noſter Paderbornæ hoc anno contra paſtorem Lutheranum egerit, continuò mutavit animum; & eidem Poſtulato, velut Principi de Eccleſia noſtra præclarè merito, die ſextâ Novembris confirmationem Apoſtolicam impertivit: eâ tamen cautione additâ, ut adminiſtratio illi commiſſa durare ſolùm debeat uſque ad Romanæ ſedis beneplacitum. Superſunt hac de re adhuc binæ Pii V. Pontificis literæ, quarum unæ ad Joannem Epiſcopum, & alteræ ad Paderbornenſe Capitulum datæ ſunt. Priores ità habent:

Ex literis Pontificiis.

Literæ confirmationis. *ex archiv. Cath. Eccl.*

VEnerabili fratri Joanni, Epiſcopo Monaſterienſi, Pius Papa V. Venerabilis frater, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Moleſtè tulimus, non potuiſſe nos poſtulationem de perſona tua ad Eccleſiam Paderbornenſem, ab illius Capitulo factam (quod quidem negotium cum nonnullis venerabilibus fratribus noſtris, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, communicavimus, maturéque diſcuſſimus) obſtantibus Canonicis ſanctionibus, et ſacri concilii Tridentini decretis, admittere. Impediunt enim, venerabilis frater, ùt nôſti, aliarum duarum Eccleſiarum onera, quæ ſuſtines. Quia verò te, propter eximium tuum in Religionem Catholicam ſtudium, vehementer amamus, et egregiè de te ſentimus, magnáque cum lætitia intelleximus, quantam diligentiam et vigilantiam in ipſa regenda Eccleſia Paderbornenſi adhibueris, quantúmque profeceris, poſtquam ea tibi per literas dilecti filii noſtri, Cardinalis Alexandrini, noſtro nomine ſcriptas, commendata fuit: Nos, qui ipſi Eccleſiæ, quantum fieri poteſt, his turbulentis et periculoſis temporibus maximè conſultum cupimus, commendationis noſtræ tempus ad noſtrum, et Sedis Apoſtolicæ beneplacitum prorogamus; téque interim ejuſdem Eccleſiæ Paderbornenſis in ſpiritualibus et temporalibus Adminiſtratorem, ità quòd ejus fructus, reditus, et proventus percipere et exigere, ac in tuos, ipſiúsque Eccleſiæ uſus et utilitatem convertere, libere et licitè poſſis et valeas, authoritate Apoſtolicâ tenore præſentium ad ſimile beneplacitum conſtituimus et deputamus. Mandantes dilectis filiis, Capitulo, Clero, et populo, Eccleſiæ, civitatis, et Diœceſis Paderbornenſis, ut te interim, tanquam ejuſdem Eccleſiæ Adminiſtratorem, animarúmque ſuarum Paſtorem, humiliter ac devotè ſuſcipientes, tibi debitam reverentiam et obedientiam præſtent et impendant; vaſallis verò et ſubditis, ut conſueta ſervitia et jura, tibi ab eis debita integre exhibeant. Non obſtantibus conſtitutionibus et ordinationibus Apoſtolicis, ac

ac in synodalibus et provincialibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, et ipsius Ecclesiæ Paderbornensis juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, die VI. Novembris MDLXVIII. Pontificatûs nostri anno tertio.

Alteræ ejusdem Pontificis literæ, eodem die, mense, & anno, ad Paderbornense Capitulum datæ, hoc modo sonant:

Dilectis filiis, Decano et Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis, Pius Papa V. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Postulationem, de persona venerabilis fratris Joannis Episcopi Monasteriensis, ad Ecclesiam Paderbornensem, per literas vestras factam, re cum nonnullis venerabilibus fratribus nostris communicatâ, maturéque examinatâ, de eorum consilio nequaquam admittendum duximus, obstantibus Canonicis sanctionibus, ac sacri Tridentini concilii decretis, propter onera, quæ is sustinet, aliarum duarum Ecclesiarum. Quia tamen ipsius Episcopi persona nobis valde probata est, magnáque cum lætitia intelleximus, ejus curam, operam, et vigilantiam, isti Ecclesiæ, postquam ei fuit per literas dilecti filii nostri Cardinalis Alexandrini, nostro nomine scriptas, commendata, maximè utilem et salutarem fuisse, et majora etiam ex eo speramus: ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem, cui his turbulentis et miseris temporibus, quantum cum Deo possumus, consultum cupimus, commendationem prædictam ad nostrum, et Apostolicæ Sedis beneplacitum duximus prorogandam, ipsum Administratorem in spiritualibus et temporalibus Ecclesiæ Paderbornensi constituentes. Hortamur itaque vos, atque etiam vobis mandamus, ut ei, tanquam Administratori Ecclesiæ Paderbornensis, debitam obedientiam ac reverentiam præstetis; ipsíusque in regenda Ecclesia vestra custodiam et diligentiam adjuvare, pro vestra parte enixè studeatis, vitam, actiones, et omnia studia vestra, ad Dei honorem, et Catholicæ Religionis cultum augendum, salutémque animarum et populorum vestrorum quietem procurandam dirigentes, sicut vos facturos esse confidimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die VI. Novembris MDLXVIII, Pontificatûs nostri anno tertio.

A Maximiliano II. Imperatore accipit Regalia pro Episcopatu Paderbornensi.

Paulò pòst, nimirum die trigesimâ Novembris, etiam expeditæ sunt Viennenses literæ, quibus Imperator Maximilianus, Joanni Episcopo, vel Administratori nostro consueta Principum regalia contulit; ejusdémque rogatu simul omnia Paderbornensis Ecclesiæ privilegia, donationes, fundationes, immunitates, & alia hujusmodi jura, benignissimè confirmavit. Operæ pretium non est, eas hîc adducere: tum quia nimis longæ sunt, & linguâ Teutonicâ scriptæ, tum quia nihil singulare continent, quod ad nostræ historiæ scopum queat conducere. Tempus autem, quo

Ex diplomate Cæsareo, in archiv. Cathed. Eccl.

datæ

datæ sunt, in fine earum additur hísce verbis: *Datum in urbe nostra Vienna, die ultimâ Novembris, anno post nativitatem Christi Domini nostri millesimo quingentesimo sexagesimo octavo, Regnorum nostrorum, Romani* septimo, Hungarici sexto, Bohemici vigesimo.*

**annus hic desumitur ab anno 1562, quo electus est Romanorũ Rex, patre adhuc vivente.*

Annus Christi 1569.

Pii V. Pontificis 4.
Maximiliani II. Imperat. 5. & 6.
Joannis II. Episcopi Pad. 2.

Joannes Episcopus Neuhusii cum urbe Paderbornensi benignè transigit de rebus in seditione præterita gestis: *Ex Recessu Episcopi Joannis de Hoja, in archiv. Cath. Eccl.*

JOannes Episcopus noster, postquam, exeunte anno superiore, à Pio V. Pontifice confirmatus, & à Maximiliano Cæsare consuetis Regalibus impertitus esset; continuò se accinxit ad capiendam, ùt primùm posset, Diœcesis nostræ possessionem. Itaque mense Februario Neuhusanam ad arcem, Paderbornæ vicinam, cum egregio apparatu venit: atque, ut in solenni urbis ingressu pacata omnia inveniret; priùs illic de rebus omnibus, quæ in seditione præterita, propter Hoitbandum & ejus doctrinam, gestæ erant, cum senatu & civibus benignè transigendum duxit. Evocati in hunc finem primaria statuum Diœcesanorum capita: & quidem nomine majoris Capituli (cujus Decanus ante dies paucos exspiraverat) Wilhelmus de Westphalen, Præpositus, Philippus de Westphalen, Senior, & quidam alii: nomine Ordinis equestris, Joannes Dynasta in Büren, Fridericus de Westphalen, satrapa Dringenbergensis, Philippus de Hôrde, Dominus in Boke, & Schônenbergius de Spiegel, Dominus in Desenberg: denique nomine civitatis Paderbornensis & aliarum urbium, consules Paderbornenses, Warburgenses, & Brakelenses. Horum operâ & consilio tandem die undecimâ Februarii dissidium illud cum urbe & civibus compositum est his conditionibus. *Primò*: ut senatus ac tota civium communitas Recessus omnes, ac transactiones, tam veteres, quàm novas, constantissimè servet; & quidquid ad alendam pacem, quietem, concordiam, & obedientiam debitam conferre potest, cum omni industria præstet. *2dò*: ut Paderbornenses cives nullam in Religione mutationem vel novationem facere præsumant; neque Ecclesiæ ministros, in forensi templo, & alibi ab Antistite suo constituendos, perturbent, aut perturbari sinant: & si fortè id fieret, ejusdem facti reos ad supplicium deposcant, vel Episcopali Celsitudini suæ puniendos tradant. *3tiò*: ut consules ac senatores Paderbornenses, quòd annis proximè elapsis, in diversis civium suorum tur-

turbis, seditionibus, concursationibus, rebellionibus, & iniquis machinationibus, nimiâ conniventiâ usi fuerint, neque earum auctores & reos tempestivè in pœnam traxerint, ideóque ab Episcopali Celsitudine sua pro excusatis, aut penitùs innoxiis haberi nequeant; nonnullorum quidem Procerum & consiliariorum intercessione, in gratiam recipiendi sint: ità tamen, ut illæso honore, statu, & officio suo, humillimam deprecationem præstent; ac deinceps in imposito sibi munere debitam obedientiam, fidámque synceritatem exhibeant. *4tò*: ut Episcopali Celsitudini suæ sinè omni obstaculo & reclamatione liberum sit, præteritorum tumultuum auctores, primipilos, concitatores, & consortes, cujuscunque conditionis ii sint, processibus debitis ad pœnam deposcere, vel ad gratiam & reconciliationem rursus admittere. Quæ omnia, licèt pervicacissimè neget Hoitbandus in apologia sua, anno 1580 Marpurgi edita; fusissimè tamen legi, & videri possunt in transactione vel Recessu Joannis de Hoja, in archivis nostris adhuc optimè custodito, cujus finis est: *Actum Neuhusii anno Domini nostri JESU Christi millesimo quingentesimo sexagesimo nono, die Veneris, undecimâ Februarii.*

His peractis, Joannes Episcopus & Administrator quatriduo pòst, nimirum die decimâ quintâ Februarii, solenni pompâ, ac trecentorum ferè hominum comitatu, urbem ingressus est, juramentum fidelitatis à civibus recepit, synceram in antiqua Fide constantiam inculcavit, noxarum præteritarum condonationem fecit, ac demum, adornatis omnibus, quæ ad felicem administrationem, publicámque tranquillitatem pertinent, aliorum negotiorum causâ Monasterium rediit. Vix autem discesserat Paderbornâ, cùm illic iterum nova dissidia coorta sunt inter ipsos Cathedralis Ecclesiæ Canonicos. Obiérat quarto Nonas Februarii, priusquam Episcopus adveniisset, Reverendissimus Dominus Volbertus de Brencken, Decanus Major, vir antiquæ Fidei: novæque electionis dies à Capitulo constituta erat dies nona mensis Martii. Congressu inito, frustráque exire jussis, qui excommunicati, suspensi, irregulares, aut alio quovis modo ad eligendum inhabiles essent, cum protestatione debita processum est ad scrutinium: eóque habito compertum est, plurima quidem vota stetisse pro Domino Wilhelmo de Schilder; saniorem verò partem pro Domino Henrico de Meschede. Huic enim, præter nonnullos alios ad eligendum inhabiles, adhærebant Wilhelmus de Westphalen, Major Præpositus, Philippus de Westphalen, Senior, Rabanus de Hôrde, Scholasticus, Godefridus de Raêsfeldt, ac Theodoricus de Meschede, omnes in sacris Ordinibus constituti, viríque tales, in quorum vota

Ac dein die 15 Februarii solenni ritu, Paderbornam ingreditur. *Kerssenb. in catal. Ep. Pad.*

Ibidem, post obitũ Decani Volberti de Brencken, per dissidiũ eliguntur duo decani, nempe Henricus de Meschede, & Wilhelmus de Schilder. *Acta electionis in archiv. Cath. Eccl.*

*Pius V. in Bulla infrà cit.

& * personas cadere non poterat ulla exceptio. Contrà verò inter eos, qui elegerant Wilhelmum de Schilder, erant septem in sacris Ordinibus non constituti, duo absentes illegitimè sinè justa causa, & alii duo irregulares vel excommunicati, quòd in ultimo bello * militâssent hæreticis contra Philippum, Hispaniæ Regem: quorum suffragiis rejectis tantùm remanebant ei duo vota valida, nimirum Domini Bernardi de Büren, Subdiaconi, ac Domini Wilhelmi ab Hatzfeldt, in sacro Diaconatûs gradu constituti. Re ad litem deductâ, appellatum est ad summum Pontificem, Pium V. Qui examinato electionis processu (cùm videret, saniora quinque vota stetisse pro Domino Henrico de Meschede) sequenti anno, die decimâ nonâ Aprilis, electionem ejus approbavit; & alteram Wilhelmi de Schilder, utpote in duobus tantùm suffragiis jure validis, consistentem, Apostolicâ auctoritate repudiavit, uti constat è prolixa ejusdem Pontificis Bulla, quæ adhuc supereſt, & ità claditur: *Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septuagesimo, tertio decimo Kalendas Maji, Pontificatûs nostri anno quinto.* Atque hic ille laudatissimus Decanus, cui præter Theodorum Fürstenbergium, paulò seriùs advenientem, Paderbornensis Ecclesia potissimùm debet, quòd in antiqua, veráque Religione Catholica etiamnum perseveret; uti è sequentium annorum decursu clariùs eluceſcet.

*ex eadem Bulla & ex actis electionis.

Pius V. Papa sequenti anno causâ hanc decidit pro D. Henrico de Meschede, qui & mox decanalem dignitatem adiit.

Bulla Pii V. in archiv. Cath. Eccl.

Interea Joannes Episcopus noster, retardatæ, multísque abusibus corruptæ, justitiæ consulturus, in Monasterienſi Diœceſi sua instituit hoc anno judicium Aulicum, vulgò **das Hoff-Gericht**: cui primus ipse (veluti vir legum gnarus, & qui jam antè Spirensis Cameræ Assessor ac Præses fuerat) Rheinensi in oppido summa cum auctoritate præsidebat. Subinde & primum suo loco judicem in eo tribunali posuit Engelbertum de Langen, celebratæ eruditionis virum; cui & alios duos Assessores, utriusque juris peritissimos, pro faciliori justitiæ cursu adjungi, voluit. Postremò etiam, ut iidem judices & Assessores intrà certos rerum agendarum cancellos adstringerentur; librum integrum (cui titulus est: *Joannis de Hoja, Monasterienſis Episcopi, ordinatio judicii Aulici*) magnâ industriâ conscribi, à Maximiliano Cæsare approbari, ac demum biennio pòst * Monasterii typo dari, & evulgari fecit. His autem rectè, ac laudabiliter institutis, exeunte Augusto Paderbornam rediit; ibíque postridie Kalendarum Septembrium, pro more veteri, diem solennem egit, quo Vasalli omnes coram Principe clientelam suam profiteri, ab eóque omnium bonorum feudalium confirmationem, renovato fidelitatis juramento, flagitare debent. In eo magnorum Vasallorum conventu etiam sistebat se Hermannus

Joannes Ep. Monasterii instituit judicium Aulicum.

chron. Monast. ms.

**impressa est Monasterii anno 1571. Paderbornæ die 2. Septembris*

curat à suis Vasallis accipi novas infeudationes.

Ex veteribus ms.

nus Simon, defuncti Comitis Lippiensis frater, & Comes Spiegelbergicus: qui ex Ursula conjuge, postremi Comitis Spiegelbergensis, ac Pyrmontani, sorore natu maxima, jam pridem arrogaverat sibi jus, & successionem beneficiariam in comitatum Pyrmontanum. Sed, cùm id ei hactenus negatum esset à Remberto Episcopo, femineam successionem rejiciente; Joannem successorem ejus iteratis multorum intercedentium precibus tandem hoc anno *in sua vota pertraxit: eâ tamen lege, ut beneficiaria concessio Pyrmontani comitatûs masculinam ejus progeniem non excederet. Hæc autem post annos paucos iterum exaruit in Philippo, Hermanni Simonis, unico filio, de cujus obitu plura dicemus ad annum 1583.

Hermanno Simoni, defuncti Comitis Lippiensis, fratri, comitatum Pyrmontanum concedit pro sola ejus progenie masculâ.

*Hamelm. l. 3. de familiis emortuis, lit. P. pag. 754.

De rebus à Maximiliano Imperatore gestis memorabile nihil hoc anno suppetit. In Belgio Geusiorum vires per decursum anni superioris cum in modum acciſæ erant, ut eorum furor jam ferè penitùs elangueſceret. Nova tamen graviorum bellorum semina pro futuris temporibus jacta sunt à Duce Albano, quòd immodicis pecuniarum postulationibus plebem ægre quieſcentem hoc anno premeret. In Gallia Hugonotti, cùm assiduè adversùs Regem & Catholicos in armis essent, acerrimis duobus præliis vehementem hoc anno cladem accepêre. Primum ex iis die decimâ tertiâ Martii commissum est in provincia *Engolismensi, Jarnacum inter & castrum novum: ubi Ludovicus Princeps Condæus, Hugonottorum antesignanus, unà cum plurimis ipsorum primariis ducibus infelicissimè periit, reliquo eorundem exercitu vel à Regiis deleto, vel in fugam præcipitem verso. Alterum longéque truculentius prælium die tertiâ Octobris initum in provincia Pictavensi prope oppidum *Monconturium: ubi Regales copiæ, cum Hispanicis, ac Pontificiis auxiliis conjunctæ, tam insignem de Hugonottis victoriam retulêre, ut soli milites Pontificii, ductore Sanct-Florio, septem & viginti signa iisdem eripuerint. Desiderati è Catholicis tantùm quingenti; ex hæreticis autem ferè decies vel duodecies mille: plures, ne perirent, à supervenienti nocte protecti fuêre: tormenta eorum omnia cum cetero apparatu bellico in prædam accepta: Gaspar Collignius, Hugonottorum præcipuus ductor, celeriori fugâ periculum evasit; morti magis ignominiosæ post unius triennii lapsum reservandus.

Belgæ, quiescentibus geusiis, premuntur nimiis exactionibus à Duce Albano,

Haræus in ann. brab.

Hugonotti in Gallia cæduntur duob⁹ non parvis præliis.

*Spond. hic n. 1.

Vita Pii V. to. 1. Ss. Maji n. 111.

*Spond. hic n. 6.

Vita Pii V. ib. n. 124.

Annus Christi 1570.

PII V. Pontificis 5.
MAXIMILIANI II. Imperator. 6.&7.
JOANNIS II. Episcopi Pad. 3.

Selymus Turcarum Imperator invadit Cyprum, *Gabut. in vita Pii V. to. 1. Ss. Maji, l. 4. c. 1. n. 203. Spond. ad hunc annũ. Chytræ° l. 22. Saxon.*

NOva belli tempestas Christianæ Reipublicæ hoc anno intentata est à Turcarum Imperatore Selymo, quem ante annos quatuor, in expeditione Sigethana, Solimanno patri suffectum esse, diximus. Hic, tametsi paulò antè renovâsset pacem cum Venetis; eâ tamen superbè ruptâ, Legatum Venetias misérat, qui vel insulam Cyprum sibi tradi poscéret, vel senatui, populóque Veneto bellum indiceret. Mirari tam insolentem postulationem Veneti; statímque Legatum hunc à se rejicere, cum hac brevi responsione, perferenda Selymo: *nullam à se causam fœdifragis ejusmodi invasionibus datam esse; atque ideo, si innoxiis bellum inferre cogitet, sperare se, divinum sibi auxilium non defore.* Mox etiam à Pio V. Pontifice per Oratorem suum petere, ut iniquè oppressis auxilium ferret, & aliorum quoque Principum subsidia, contra communem hostem, præproperè sollicitaret. Neque defuit sanctissimus Pontifex tam devotis Venetorum precibus: misítque illico suos Oratores, qui ab Hispaniæ, Galliæ, ac Lusitaniæ Regibus, auxilia maritima contra Selymum invasorem poscérent. Interea Turcæ ad insulam Cyprum adnavigabant cum ingenti classe ducentarum & ampliùs instructissimarum navium, è quibus, nullo resistente, quinquaginta peditum selectorum millia in terram exposuêre. Ab his ductore Mustaphâ, qui terrestri exercitui cum imperio supremo præerat, exeunte Julio, primùm obsideri cœpta est Nicosia, totius insulæ caput & metropolis. Et quia hæc urbs debiliori præsidio tenebatur, neque classis Christiana, quæ ob ducum suorum dissensionem cum octoginta, centúmque navibus otiosè hærebat ad insulam Cretam, satis maturè in urbis auxilium venit; post quadraginta dierum obsidionem, sexto Iduum*Septembris à Turcis expugnata est, occisis eâ die Christianorum viginti millibus, reliquis verò in miserrimam servitutem abductis.

Et primariã ejus urbem Nicosiam expugnat. *Gabut ib. n. 212. Spond n. 13 Chytræus loc. cit.*

**Gabut. ib. l. 5. n. 259.*

Famagustæ urbis obsidionem inceptam deserit, *Spond. n. 15 Chytræ° ib.*

Urbe captâ, reliquæ Cypriorum urbes & oppida facillimè in prædicti Mustaphæ potestatem devenêre, præter Famagustam, situ & arte munitissimam. Quam ut metu ac terrore cogeret, Nicolai Dandali, Nicosiensis Præfecti, caput, Marco Antonio Bragadeno, Famagustensi Præfecto, misit, severè, barbaréque comminans, eandem ipsi fortunam subeundam esse, nisi urbem istam quan-

quantocyus dederet. Sed, cùm ille hujuſmodi minas flocci faceret, jámque Ottomannis aliquoties à primis aggreſſionum ſuarum initiis oſtendiſſet, ſibi cum viris fortiſſimis rem gerendam eſſe; tandem, de hac urbe ante hiemem potiunda deſperans Muſtapha, receptui cecinit, relictóque intrà inſulam ſufficienti præſidio, Conſtantinopolim reverſus eſt. Oportuerat vel tunc eos, qui claſſi Chriſtianorum præerant, inſigne aliquid in hoſtem aggredi, ne tanti bellorum apparatus inutiles forent. At, cùm illi propter continuas animorum diſſenſiones omnem aliquid audendi occaſionem è ſuis manibus elabi ſinerent; inſupérque Joannes Andreas D'oria, Hiſpanicarum navium Præfectus, ineunte Octobri maturaret reditum in Siciliam: totus hic annus, nullâ re præclarè geſtâ, infructuoſiſſimè conſumptus eſt, cum ingenti non modò ſumptuum impenſorum; ſed etiam plurimarum navium, adverſis tempeſtatibus in infelici reditu diſpereuntium, detrimento.

Nihil interim agente Chriſtianorum claſſe, ferè centũ & octoginta navium. *Gabut. loc. cit. n. 212. Spond. hic n. 15 & 16. Chytræ⁹ ad hunc annũ.*

Maximilianus Imperator, cui tunc temporis adhuc fluebant induciæ cum Turcis initæ, bellum iſtud quietis oculis aſpectabat: interímque duas filias, nempe Annam natu majorem, Philippo, Hiſpaniarum Regi, & Eliſabetham ſedecim annorum adoleſcentulam, Carolo IX, Galliarum Regi, in matrimonium tradidit. Prior harum ſextili menſe uſque in Belgium deducta eſt à Joanne de Hoja, Paderbornenſis, Monaſterienſis, & Oſnabrugenſis, Eccleſiarum, Epiſcopo: altera verò menſe Octobri in Galliam deducta eſt à Jacobo, Trevirorum Archiepiſcopo, ex antiqua & perilluſtri Eltziorum familia, genito.

Maximilianus Imperator filias ſuas, Annam & Eliſabetham, Hiſpaniæ, galliæque Regibus in matrimonium tradit. *Spond. hic n. 19. Chytræus l. 22. Saxon. ad hunc annum.*

Ambarum nuptiæ, atque indè ſecuta trium Regum potentiſſimorum conjunctio, plurimùm contulêre ad conſervandam Germaniæ pacem: quâ Epiſcopi non pauci ad ſuarum Eccleſiarum reformationem pientiſſimè uſi ſunt. Etenim (ut omittam alios, qui extra Weſtphaliam ſunt) Joannes de Hoja, Epiſcopus noſter in Oſnabrugenſi Diœceſi ſua, Lutheranis erroribus non parùm dedita, ſeveriſſimè præcepit, ut ibidem bis in anno, videlicet in vere & autumno, celebretur ſynodus Diœceſana; & omnes Clerici, qui huic non interfuerint, gravioribus pœnis, etiam per imploratio-nem brachii ſecularis (cùm opus fuerit) ad obediendum compellantur. Literæ Joannis Epiſcopi, ea de re ad Conradum **von der Burg**, Officialem, ſeu Vicarium Oſnabrugenſem datæ, hoc modo ſonant:

Joannes de Hoja, Oſnabrugenſis Epiſcopus, graviſſimè præcipit, ut Oſnabrugi bis in anno celebretur ſynodus Diœceſana. *ex actis ſynodalibus Eccleſiæ Oſnabrug. Coloniæ impreſſis anno 1653.*

JOannes, Dei et Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Epiſcopus Oſnabrugenſis, Monaſterienſis, et Paderbornenſis etc. Quanquam ſacroſanctis œcumenicis conciliis, et Canonicis conſtitutionibus, pro conſervatione doctrinæ Catholicæ ſalubriter cautum et proviſum eſſe, reperiatur, ut quolibet an-

anno bis Diœcesana Synodus celebretur, in cáque omnes jurisdictioni Diœcesanæ subjecti Prælati, sacerdotes, et Pastores, sub pœnis Canonicis obedientissimè comparere teneantur: hisce tamen non obstantibus, non sinè magna animi nostri perturbatione comperimus, hujus nostræ Diœcesis Osnabrugensis Pastores, nostræque ordinariæ jurisdictioni subjectos Curatos, non solùm in magnum Canonicarum constitutionum contemptum; sed et in notabile secularium scandalum, hoc præcipuè deplorato, et dissidiis intricato tempore, potissima ferè ex parte ex dictis annuis Synodis contumaciter omnino et absque legitima causa emanere. Cùm autem officii nostri Pastoralis sit, similibus gravioribus excessibus opportunis remediis in tempore occurrere, tibi seriò, et clementissimè committimus, quatenus omnes et singulos Pastores, ceterósque alios Ecclesiastici statûs viros, Diœcesanæ nostræ jurisdictioni subjectos, et Synodalibus conventibus de jure, vel de consuetudine interesse obligatos, moneas, iísque districtè nomine nostro, sub comminatione pœnæ, sacris Canonibus contra similes contumaces expressæ, et alterius insuper notabilis arbitrariæ mulctæ pecuniariæ mandes, ut rejectâ omni remorâ, in consuetis nostris Osnabrugensibus Synodis, obedientissimè compareant, nec sub ullo quæsito colore (nisi urgente et legitima ex causa, vel corporis adversa valetudine, de quibus tamen certam fidem facere teneantur) ab iis emanere præsumant. Si jam verò spretis hisce nostris salutaribus monitionibus (quod tamen de nullo confidimus) unus vel plures se à sæpè dictis Synodis absentare, obstinatè præsumerent; tibi hisce expressè mandatum volumus, contra tales rebelles, et contumaciter absentes non solùm ad pœnas Canonicas; sed et ad comminatam mulctam pecuniariam, summariè in cotinenti procedas: eósque in pœnam utramque incidisse declaratos, ad actualem solutionem competentibus mediis de facto constringas. Quo etiam promptiùs et expeditiùs seriam hanc nostram voluntatem per omnia exequaris; vigore hujus omnibus nostris Drossardis, Quæstoribus, et Officiatis secularibus quibuscunque seriò mandamus etc. - - - Data ex nostra Episcopali Residentia Iburgensi, Veneris die XIII Januarii, Anno MDLXX.

Idem Paderbornensi Capitulo mandat, ut omnes Archidiaconi suas Ecclesias visitent earúmque statum sibi exponant. *ex antiquis MSS.*

Non minori sollicitudine idem Joannes Episcopus curavit rem Catholicam in Episcopatu nostro Paderbornensi. Audiêrat, & hîc aliquam Religionis novationem recenter attentatam esse in quibusdam pagis & oppidis, præsertim verò in Baronatu Büirano; ubi ante unum alterúmve annum Joannes Dynasta ac Nobilis Dominus de Büren ab antiqua Majorum suorum Fide ad Evangelii Lutherani dogmata transgressus erat. Itaque ut hujus mali progressum quantocyus præpediret, die 23 Januarii literas admodum severas ad Capitulum Cathedrale dedit: jussítque, ut omnes Archidiaconi suas Ecclesias quàm primùm visitent; &, quis earum status, quæ Religio in parochianis, parochísque sit, Celsitudini suæ singil-

singillatim exponant. Paruerunt ii protinus huic mandato; antéque alios Wilhelmus de Westphalen, majoris Ecclesiæ Præpositus, cujus Archidiaconatui Dynastia Bürana suberat, de suarum Ecclesiarum statu, die septimâ Aprilis, hoc modo * retulit: *Visitationem synodalem præteritâ quadragesimâ diligentissimè à se peractam esse per suos Commissarios, Georgium Holthusen, Ecclesiæ Forensis in urbe Parochum, et Jodocum Otterjâger, summæ ædis Beneficiatum. Ex eorum fideli relatione parochiales Ecclesias, Saltzkottensem, Delbrugensem, Eltensem, Bokensem, Thülensem, Vernensem, Borchensem, Bekensem, Schwaneiensem, Dahlensem, Dornhagensem, Bödekensem, Harensem, Brenckensem, ac Tudorpiensem* (vulgò *Tüerpke*) *adhuc esse in optimo statu; nihilque inibi repertum esse, quod Catholicæ Religioni, et antiquæ nostrarum Ecclesiarum consuetudini adversetur. Contrà verò Bürenæ, et in pagis ad Bürensem Dynastiam pertinentibus, Pastores omnes esse hæreticos, et Fidei Catholicæ desertores: non comparuisse in synodo, non habere oleum pro infirmis, non asservare in templis Venerabile Sacramentum, non adhibere in baptismo aquam benedictam, omnáque alia more Lutherano agere. In pago etiam, castróque Wewelsburgensi* (quod eo tempore à Dynastis Bürensibus, ex Erici Antistitis oppignoratione, tenebatur) *ab iisdem Dominis intrusum esse Præconem aliquem Lutheranum, Brunsvico adductum, nullísque sacris Ordinibus initiatum: qui non modò vicinis Pastoribus novo Sacramentorum, verbíque ministerio suas oviculas abstrahere satagat; verùm etiam ante dies paucos, cùm vir aliquis probè Catholicus, mortíque proximus extrema sacramenta sibi ritu Catholico ministrari, petiísset, modis omnibus id impediverit, edixerítque * moribundo, eum, si Catholico ritu præmunitus mortem oppeteret, certissimè damnatum iri, neque unquam ad æternæ salutis gaudia pervenire posse. Denique etiam Paderbornæ intrà urbem Pastores omnes ritu quidem Catholico hucusque vivere, agere, ac docere; eos tamen hoc anno sibi conquestos esse, quòd in proximo festo Paschatis nemo ipsorum numeraverit ultrà decem vel duodecim viros adultos, divino epulo refectos: ceteri verò omnes, contempto sacerdote proprio, aut Wewelsburgum verint ad præconem suprà dictum; aut in Oistschlangen, Lippiaci comitatûs pagum, tribus ferè horis Paderbornâ dissitum.*

Wilhelmus de Westphalen, majoris Ecclesiæ Præpositus, denuntiat, Joannem Dynastam Büranum recenter à Fide Catholica defeciſſe & cum eo simul omnes Ecclesias in Baronatu Bürano sitas: * *Litera Wilhelmi Præpositi, in archiv. Bürensi.*

* *ex iisdem literis.*

Addit insuper, cives Paderbornenses aliorsum excurrere ad Prædicantes acatholicos.

Hæc & alia prolixè memorat Wilhelmus Præpositus in suis literis ad Capitulum Cathedrale datis, addítque insuper, se jam ante medium annum contra novationes, in Dynastia Bürana cœptas, auxilium flagitâsse à Joanne Episcopo: hujus autem cunctatione non modò pestem illam tam celeriter increvisse; verùm etiam adhuc majora illius incrementa formidari posse, nisi ab Episcopali Celsitudine sua, primis hæreticarum novationum principiis, efficaciùs obsistatur. Quo audito Joannes Episcopus, ne qua rei istius culpa

culpa in suam tarditatem refundi posset, continuò securim arbori apposuit. Ac tametsi Dynastam Büranum à doctrinæ Lutheranæ complexu divellere non valeret: parochias tamen omnes, in ipsius Baronatu ac dominio sitas, ab hæresibus expurgavit, Pastores illegitimos, aut Catholicæ veritatis desertores ejecit, novos alios, antiquæ Fidei defensores iisdem substituit, gravissiméque simul præcepit omnibus tam Paderbornæ, quàm aliarum urbium aut pagorum inquilinis, ut in posterum nemo, verbi divini aut sacramentorum accipiendorum causâ, extra suam parochiam ad alios aliorum locorum concionatores adeat; sed in sua quisque parochia legitimo Pastori suo & ejusdem doctrinæ fideliter adhæresçat. Id quod etiam pro singulari, quâ pollebat, auctoritate & potentia sua sic effecit, ut eo vivente Lutherana hæresis in Episcopatu nostro pedem, sedémque figere non potuerit.

Joannes Episcop⁹ jubet omnes Pastores acatholicos ex Diœcesi Paderbornensi ejici. *Ex veteribus mss.*

Simúlq; severè præcipit, ne quis extra Episcopatum ad alios concionatores Lutheranos eat.

Coloniæ per hæc tempora Laurentius Surius, Carthusianus, vir in omni literatura versatissimus, post evulgatam sui temporis historiam summo studio se applicuit ad conscribendas veterum sanctorum vitas; quarum tomus prior, sive Januarius, hoc anno editus, & Pio V. Pontifici transmissus est. Legit hic volumen istud non sinè maxima voluptate animi, simúlque auctorem ejus benignissimis literis impensè adhortatus est, ut in opere incepto pergat; nihílque dubitet, saluberrimum hunc laborem à Deo, bonorum omnium retributore, copiosè remuneratum iri. Qua de re supersunt hujusmodi literæ, tomo primo præfixæ:

Ex veteribus mss.

Laurentius Surius Carthusianus Coloniæ cœpit hoc anno edere vitas Sanctorum. *Ex literis Pii V. ad Surium.*

Laudatus idcirco à Pio V, Pontifice.

Plus Papa V. Dilecto filio, F. Laurentio Carthusiano. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Librum, sanctorum Patrum vitas continentem, à te nuper editum, atque ad nos missum, libentissimè accepimus. Qui quidem eo etiam gratior nobis fuit, quòd opus in se contineat à nobis semper desideratum, et ad refellenda hæreticorum in easdem sanctorum Patrum historias maledicta aptissimum. Laudamus vehementer pium hunc laborem tuum: téque, quòd coram Domino vacuus apparere nolueris; sed in ejus domum, pro facultate tibi ab eo concessa, quidquid potueris, ultro obtuleris, debitis in Deo laudibus commendamus. Cujus tamen laudabilis laboris tui gloriam in primis ei tribuendam esse, memento, à quo accepisti et velle et perficere, quod et à nobis, et ab omnibus piis et Catholicæ Religionis studiosis, meritò laudaretur. Hortamur autem te, ut hujusmodi opere prosequendo, et de Ecclesia Dei bene mereri, et tibi apud omnipotentem Deum merita augere, ne desistas, securus, te à Redemptore nostro laborum tuorum centuplum esse fructum percepturum. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 2. Junii, MDLXX. Pontificatûs nostri anno quinto.

AN-

Annus Christi 1571.

PII V. Pontificis 6.
MAXIMILIANI II. Imperator. 7. & 8.
JOANNIS II. Episcopi Pad. 4.

MAgnam hujus anni partem consumpsêre Veneti in percutiendo fœdere triplo cum Pio V. Pontifice, & Philippo, Hispaniarum Rege. Tandem verò hoc negotium, decimo tertio Kalendas Junii, feliciter confectum est multis conditionibus: quarum prima ac præcipua erat, ut à fœderatis in bellum Turcicum apparentur triremes ducentæ, onerariæ centum, copiarum pedestrium quinquaginta millia, equestrium verò quatuor millia & quingenti. Sed, priusquam hæc omnia pararentur, classis Turcica jam in mare Ægeum iêrat: exspoliatísque multis Venetorum insulis, Famagustam urbem situ & arte munitissimam (quæ sola Venetis in Cypro adhuc supererat) medio ferè Majo obsidere cœperat, expositis in terram quinquaginta & ampliùs Turcarum millibus. Præerat huic urbi Marcus Antonius Bragadenus, Patritius Venetus; qui eam singulari virtute & fortitudine sua per bimestre spatium tam egregiè defendit, ut æternam sui nominis memoriam promeruerit. Nec minorem animi generositatem ostendêre ceteri ejusdem urbis inquilini. Nam & ipsæ mulieres in suos manipulos distributæ, præeunte & imaginem crucifixi præferente Græco monacho, quotidie procurrebant in urbis mœnia; & ubi fortior Turcarum assultus erat, vel arreptis armis in eosdem irruebant, vel saxa, truncos arborum, & quidquid ad hostes avertendos idoneum videbatur, indefessis conatibus apportabant. Sed, quia post longas mensium duorum moras, & assiduas concertationes nulla à Venetis auxilia comparuêre; tandem Bragadenus, plurimorum civium sollicitatione victus, ineunte Augusto deditionem cum Turcis pepigit hísce legibus: *ut Italici pedites cum suis ducibus, armis, et impedimentis omnibus in insulam Cretam perferrentur: Epirotæ et Græci perducerentur, quocunque ipsimet vellent: ceteri verò Græcorum civium, qui abire nollent, unà cum uxoribus, liberis, fortunísque suis, non solùm ab omni injuria immunes essent; verùm etiam in Christiana Religione sua tutò permanere, eámque in duobus templis, ipsorum usui permittendis, exercere et colere possent.*

Hi deditionis articuli, quarto Nonas Augusti, à supremo Turcarum præfecto Mustapha subscripti, & juramento in Mahomet is Alcoranum edito confirmati sunt; postea tamen ab eo rursus

Veneti contra Turcas percutiunt fœdus cum Pio V. Pontifice, & Philippo Hispaniæ Rege. *Spond. hic n. 2 & 3. Gabut. in vita Pii V. to. 1. Ss. Maji. n. 223 & seq.*

Famagusta, Cypri urbs, à Turcis invaditur, & superatur. *Spond. hic n. 10 & 11. Gabut ib. n. 259.*

Bragadenus, gubernator urbis, contra datam

fidem crudelissimè necatur: *Spond. hic n. 12.*

fœdissimè rupti. Cùm enim Bragadenus urbe deditâ, priusquam navigaturus in Cretam pelago se committeret, unà cum reliquis belli ducibus ac militibus suis, honoris exhibendi causâ, ad Mustaphàm accessissèt; nescio, qua de causa irritatus barbarus, post familiaria quædam colloquia, eosdem omnes comprehendi jussit. Et Bragadenus quidem inter varias illusiones continuò ambabus auribus mutilatus fuit, cum hac blasphema interrogatione: *ubi est Christus tuus, qui tibi opem ferat?* Deinde post dies aliquot, cùm ad abjurandam Religionem Catholicam sæpe frustra sollicitatus esset; nudo corpore ad columnam vinctus, & inspectante, jubentéque Mustaphâ, membratim suâ pelle vivus exutus est. Quod ille supplicium, inter assiduas divini auxilii invocationes, invictâ animi constantiâ ac fortitudine tam diu generosè pro Christo pertulit; donec tortore ad umbilicum progresso, è copiosiore sanguinis erumpentis profluvio, pientissimam animam exhalaret. Nec multò mitior fuit ejusdem tyranni furor in omnes alios Venetorum duces ac milites: utpote quos eodem perfidiæ exemplo, vel triremibus addixit, vel vario mortis ac suppliciorum genere è vita sustulit. Hunc finem habuit celeberrima illa Famagustæ urbis occupatio, quæ post Nicosiam, anno superiore captam, Cypri totius possessionem ac dominium Ottomannico Imperio dedit.

Alii duces, militésque Itali, vel neci dantur vel triremibus addicuntur. *Spond. ib.*

Neque ad eam recuperandam valuit Christiana classis, tandem exeunte Septembri veniens. Nam eo tempore terrestrium copiarum Prætectus Mustapha cum ingenti præda jam rediêrat Constantinopolim, & immansuetior anni tempestas non permittebat ampliùs graviorem obsidionem aggredi. Classis tamen Ottomannica hærebat adhuc apud insulas Echinadas (hodie mutato nomine *Curzolari* dictas) ubi illa, Nonis Octobribus, exoriente sole in conspectum nostrorum venit. Eâ visâ Christiani statim comparârunt se ad prælium: atque ut omnia feliciter evenirent, primùm omnes brevi peccatorum confessione expiati sunt, cum plenaria culparum indulgentia, à Pio V. concessa. Mox etiam Joannes Austriacus, Caroli V. Imperatoris, filius nothus (qui navali huic militiæ cum summo imperio præerat) conscensâ celoce mediam aciem circumvectus est; simúlque idipsum in cornu dextero per Ludovicum Requesenium, & in sinistro per Marcum Antonium Columnam fieri præcepit. Una horum trium adhortatio erat: *ut quisque locum suum teneret fortiter, animóque suo reputaret, præclarè secum agi, sive in prælio caderet, sive ex eo incolumis rediret. Si caderet: gloriosum ei fore pro Deo mori, et obtentâ peccatorum suorum indulgentiâ beatis spiritibus in cælo consociari. Si autem incolumis evaderet: gloriosum pariter ei fore, tam felici (ùt sperabatur) prælio interfuisse.* His auditis miri-

Christianorum classis duce Joanne Austriaco seriùs advenit: *Spond. hic n 14. Gabut. in vita S. Pii V.*

Animosè tamen classem Turcicam adoritur, & usque ad internecionẽ cædit, Nonis Octobris. *Spond. n. 15 & seq.*

mirificè accensi sunt Christianorum animi, quorum egregia classis plùs quàm ducentis navibus, & selectissimo ducum, ac militum flore, instructa fuit. Initium certamini datum circa meridiem, pugnatúmque solùm per quatuor horas: quarum spatio Christiani, favente Deo, tam insignem à Turcis victoriam retulêre, ut fermè à condito Romano Imperio nulla major in mari obtenta fuerit. Nam hoc prælio in Christianorum potestatem venêre Turcicarum navium ferè centum & nonaginta, omni apparatu bellico & commeatu refertissimæ: octoginta aliæ biremes, ac triremes, aut flammis exustæ, aut scopulis diffractæ, aut alio modo lethalibus undis absorptæ sunt. Numerus occisorum hostium ascendisse fertur ad viginti quinque, vel triginta millia; quos inter ipsorum Archithalassius Halis, matrimonio conjunctus cum sorore Selymi Imperatoris: captivorum verò ad tria millia, & quingentos, inter quos pariter multi viri præcipui cum duobus, Archithalassi occisi, filiis, è Selymi sorore genitis. Denique & hac victoriâ è servitute Turcica in libertatem redière quindecim millia Christianorum, qui annis prioribus capti, & ad remos in barbarorum navibus constricti fuerant: contrà verò ex parte fœderatorum cecidêre tantùm septies mille, quingenti, & sexaginta sex.

Captæ sunt hoc prælio, Turcarum naves ferè centum & nonaginta; octoginta aliæ penitùs eversæ. *Spond. hic n. 20. Gabuti[o] in vita Pii V.* Occisa Turcarum ferè triginta millia, ter mille & quingenti capti, redempti è servitute barbarorũ quindecies mille Christiani, *Gabut. loc. cit. n. 289. Spond. ib.*

Prodigiosæ hujus victoriæ nuntius, ùt primùm ex oriente in occidentem perlatus est, incredibilem toto orbe Christiano lætitiam peperit. Et Pius V, qui triumphum hunc Beatæ MARIÆ Virginis patrocinio potissimùm adscribebat, in perpetuam rei tantæ memoriam Litaniis Lauretanis æternùm inseri, atque inscribi *jussit hæc verba: *Auxilium Christianorum, ora pro nobis.* Communis omnium existimatio erat, victoriam hanc aliarum plurium victoriarum prodromam, & quasi matrem fore; præsertim cùm ex primo ejus rumore Constantinopolis tota cum universa Thracia, ac Peloponneso contremisceret. Sed eheu! fructum alium non attulit, quàm quòd Christiani Turcis ostenderint, nullam eorum vim adeò præpotentem esse, quæ à Christianis vinci nequeat, si vires & arma socient. Nam interea, dum fœderati suas naves repararent, ac dividerent spolia; October ad finem properans, ob imminentes hiemis procellas, domuitionem suadebat. Et quia Pius V, tanquam præcipuus Christiani illius fœderis & consociationis auctor, sequenti anno celeriori morte è rebus humanis abiit; etiam illud sanctum fœdus paulatim elangueścere, ac demum penitùs dissolvi cœpit: cùm Veneti statim altero post mortem anno clanculum ferirent pacem cum Selymo, & Cyprum, insulam potentissimam, in ejus manu relinquerent.

Pii V. gaudium de tali victoria.

*Spond. hic n. 11.

quam Christiani, prô dolor! persecuti non sunt annis sequentib[o], *Gabut. loc. cit. n. 312. & 297.*

Etiam insulâ Cypro in Turcarum manibus relictâ. *Gabut. n. 312.*

Joannes de Hoja Episcopus jubet in Osnabrugensi diœcesi sua promulgari concilium Tridentinũ, & recipi catechismũ ex ejusdem concilii decreto editum.

Memoravi hæc paulò fusiùs, quòd Cyprii belli fama eo tempore totius Europæ aures & ora compleverit. Nunc in Westphaliam redeo; & ea, quæ à Joanne Antistite nostro per hunc annum gesta sunt, breviter adjungo. Studuerat ille diu, in suis Episcopatibus, ac præcipuè in Osnabrugensi, Lutheranis erroribus magìs infecto, Catholicæ Religionis cultum nitori pristino restituere. At, ubi postmodum experientiâ magistrâ didicit, omnem probæ, Catholicæq; institutionis defectum ex eo maximè proficisci, quòd ipsi animarum curatores, & parochi in rebus credendis minimè versati sint, neque satìs nôrint, Catholicæ Religionis dogmata à Lutheranis erroribus discriminare: tandem hoc anno Tridentini concilii doctrinam per Diœcesin Osnabrugensem promulgari; & Catechismum, ex ejusdem concilii decreto editum, ab omnibus animarum curatoribus examussim observari ac teneri jussit. Literæ mandatoriæ, ea de re ad Osnabrugensem Officialem seu Vicarium generalem datæ, hoc modo habent:

Ex actis synodalib° Eccl. Osnabrug.

Literæ Joannis Episcopi hac de re, *ex iisdem actis.*

JOannes, *Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopus Osnabrugensis, Monasterienſis, et Paderbornenſis, Comes de Hoja. Honorabilis, et syncerè nobis dilecte etc. Cùm non sinè maximo animi nostri mœrore intellexerimus, jam dudum varias, erroneas, et orthodoxæ nostræ Religioni contrarias, etiam in punctis Fidei passim à Pastoribus, præcipuè per hanc nostram Diœcesin Osnabrugensem, doceri opiniones, eásque in rudi et simplici populo perniciosissimè disseminari: causam verò hujus mali indè vel maximè profluxisse adverterimus, quòd rudibus et indoctis plerumque Pastoribus certa et aperta Christianæ veritatis articulorum breviter comprehensa, ac typis divulgata methodus (secundùm quam pede inoffenso et se, et suos simplices subditos dirigant) ubique ferè defuerit; et hoc quidem per incuriam eorum, qui, licèt in specula vigilantiæ Episcopalis constituti fuerant, hisce tamen malis hactenus inexcusabili torpore indormiêrunt: Nos itaque, pro officio nostro Pastorali, damnatis illis dogmatibus tandem aliquando finem imponere satagentes, Jacrosanctam generalem et œcumenicam Tridentinam synodum, nec non ab eadem synodo præscriptum Catholicum, et orthodoxum catechismum (utpote in quo Romana Catholica Religio ordinatè, fundamentaliter, et integre continetur, quémque propterea primâ die imprimi curabimus) per dictam nostram Osnabrugensem Diœcesin observari, volumus. Ne autem Pastores, tanquam hujus nostræ decretæ resolutionis ignari, ullam habeant excusationem prætendere, hisce clementissimè tibi committimus, et mandamus, ut hanc nostræ mentis intentionem in proxima vernali synodo, cum prælectione nostri adjuncti synodalis decreti de recipiendo et servando in posterum per Diœcesim nostram Osnabrugensem concilio Tridentino, ejúsque catechismo, debitè insinuari, publicari, et intimari facias: iisque proinde nomine nostro sedulò et*

et severè injungas, ut sese (sicut in decreto transmisso latiùs continetur) per totam Diœcesim nostram Osnabrugensem, tam in cerimonialibus, quàm doctrinalibus, sub comminatioñe gravissimæ mulctæ, imò et actuali privatione suorum Pastoratuum, et curæ commissæ, sæpe dictis Tridentinæ synodo et catechismo conformiter per omnia gerant. --- Quod nostrum propositum, quò faciliùs et maturiùs effectui demus, et per hoc quoscunque inutiles et inqualificatos Pastores penitùs exterminemus; aliam adhuc reformationem confici, tibique extradi curabimus. --- Ex Residentia nostra Episcopali Iburgensi, XVIII Martii, Anno MDLXXI.

Idem hic fieri jubet in Diœcesi Paderbornensi & Monasteriensi: eóque fine Pius V. ei concedit facultatem recudendi & evulgandi catechismum Romanum.

Non minori curâ & sollicitudine laudatissimus hic Episcopus concilium Tridentinum, & catechismum ex ejusdem concilii decreto editum, promulgari, ac recipi fecit Paderbornæ, ac Monasterii. Qua de re, licèt hactenus nullum in archivis nostris mandatum viderim, absolutam nobis evidentiam & certitudinem ingerunt Pii V. Pontificis literæ, inferiùs apponendæ. Ab hoc enim Joannes Episcopus licentiam hoc anno petiit, non solùm pro Diœcesi Osnabrugensi; verùm etiam pro ceteris Diœcesibus suis, earúmque subditis, catechismum suprà dictum recudendi, &, ubi opus fuerit, in sermonem germanicum fideliter transferendi. Id quod ei pro salute suorum subditorum benignissimè indultum est hisce literis Pontificiis:

Literæ Pii V. ea de re. *Habentur in fronte catechismi Romani, à Joanne Hojano editi.*

Pius Papa V. Venerabili fratri Joanni Episcopo Monasterienſi, ac Osnabrugensis, et Paderbornensis Ecclesiarum, Administratori. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Exponi nobis nuper fecisti, quòd pro tibi injuncto munere Pastorali, hoc tempore maximè cuperes, quàm plurima catechismi Romani, ex decreto sacri concilii Tridentini, editi exemplaria in tuis civitatibus et Diœcesibus, ac earum oppidis, villis, pagis, ac monasteriis haberi et divulgari; ac in unaquaque Cathedrali, Collegiata, Claustrali, parochialique Ecclesia, unum exemplar appendi, quò populus ex eo erudiri, et ab omnibus legi, et palàm inspici possit. Verùm, quia tot exemplaria in istis partibus vix haberi possunt, ut pio huic tuo desiderio satisfieri valeat; Nobis humiliter supplicari fecisti, ut in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, Pastoralem hanc Fraternitatis tuæ circa gregem tibi commissum curam et sollicitudinem plurimùm in Domino commendantes, hujusmodi supplicationibus inclinati, tibi et impressori tuo catechismum prædictum, tam latinum, quàm in vulgarem germanicum sermonem, per aliquem virum doctum, et in Catholica Religione probatum, fideliter translatum, pro usu tuarum civitatum, Diœcesium, et locorum prædictorum, juxta tamen exemplum Romanum, nihil prorsus addito, vel imminuto, aut mutato, imprimendi, seu imprimi faciendi auctoritate Apostolicâ tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus constitutionibus Apostoli-

stolicis, prohibitionibúsque nostris super hoc emanatis, ceterísque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die III Novembris, MDLXXI. Pontificatûs nostri anno VI.

Catechismus Romanus, juxta normam Tridentini concilii, anno sequente editur & evulgatur Coloniæ.

Acceptâ hac licentiâ catechismus ille prelo statim commissus, & sequenti anno Coloniæ typis Caleniis latinè evulgatus est cum hoc titulo, fronti præfixo: *Catechismus ex decreto concilii Tridentini ad Parochos, antè quidem Pii V. Pontificis maximi jussu conscriptus; nunc autem in IIII. libros, certáque capita distributus, et summariis capitum, pluribúsque ad marginem scripturarum, ac Patrum testimoniis illustratus, nihil interim prorsus in textu addito, imminuto, aut mutato. Mandato et authoritate Reverendissimi in Christo Patris, S. R. I. Principis et Domini, D. Joannis, ex Comitibus de Hoja, Episcopi Monasterienſis, nec non Osnabrugenſis, et Paderbornenſis Ecclesiarum, Administratoris perpetui, editus Coloniæ apud Geruinum Calenium, et hæredes Quentelios, Anno Christi nati MDLXXII.* Neque dubito, quin utilissimum opus illud etiam paulò pòst pro usu totius populi in linguam germanicam translatum fuerit; nisi forsan præmatura ejusdem Episcopi mors meditatam editionem sufflaminaverit.

Mortuo Theodorico, Plessensium dynastarum ultimo, Wilhelmus Hassiæ Landgravius dynastiam Plessensem occupat. *Dilich. in chron. Hass.*

Fatalis etiam hic annus fuit perantiquæ dynastarum Plessensium familiæ; quorum ultimus, nomine Theodoricus, posteaquam è defuncto filio suo Christophoro prolem masculam non recepisset, vitam ac seriem suorum decessorum hoc anno clausit die vicesimâ 2dâ Maji. Dynastiam hanc, arcémque Plessensem continuò post mortem ejus occupavit Wilhelmus, Hassiæ Landgravius: quò autem id jure vel obtentu fecerit, nusquam apud auctores mihi notos invenio. Sanè locum istum unà cum prædiis quàm plurimis ex donatione B. Meinwerci ad Paderbornensem Ecclesiam pertinuisse, liquet ex ejusdem Episcopi vita, quæ tomo 1 Ss. Junii c. 4. in fine, sic habet: *Episcopus autem de bonis hæreditariis in Saxonia positis, urbem sitam in loco, qui Plesse dicitur, cum undecies centum mansis jam antè Ecclesiæ traditis, ipso die* (quo*nimirum dedicata est major Basilica) *recognoscendo et reiterando Ecclesiæ delegavit et confirmavit.* Ac tametsi postmodum anno 1192 Bernardus II. Paderbornensis Episcopus, Plessense castrum Henrico VI. Imperatori cesserit, illúdque permutârit cum aliis quibusdam bonis ac prædiis* vicissim redditis; ea tamen permutatio triennio pòst, nimirum anno 1195, ab eodem Imperatore propter apertam Ecclesiæ nostræ læsionem novo diplomate* revocata & rescissa est, adjectis hísce verbis: *Mandamus igitur, et districtè præcipimus, quatenus jam dictus Episcopus, et Ecclesia Paderbornensis castrum Plesse, et universa ejus pertinentia cum omni jure et plenitudine, sicut priùs habuerant, deinceps teneant, et in pace possideant, et in nullo unquam in iisdem bonis et castro mole-*

Paderbornensis Ecclesiæ antiquum jus in eandem dynastiam. **vide Schaten. ad annum 1015.*

**Literæ Henrici IV. Imperatoris de anno 1192.*

**Diploma hoc vide apud Schaten. ad annum 1196.*

molestentur. Post aliquot deinde annos, uti refert eruditissimus Adolphus* Overham, Plessensis Dynastia ab Episcopo Paderbornensi feudi titulo concessa est familiæ Nobili, à qua Plessenses Dynastæ orti, dictique. Et anno 1300 Joannes Nobilis de Plesse Bernardo Episcopo, & Ecclesiæ Paderbornensi homagium, ut vocant, præstitit *ratione castri Plesse, & villæ Hammenstede, circa festum Ss. Apostolorum Simonis & Judæ. Nec ambiguum est mihi, quin plures aliæ talium infeudationum literæ adhuc inveniendæ sint in archivo nostro Diœcesano; dummodo veteres illius tabulæ eo modo, quo tabularium Ecclesiæ Cathedralis, diligenter perquisitæ, & in bonum, perfectúmque ordinem redactæ forent.

*in Notis ad vitam B. Meinwerci pag. 351.

*Overham loc. cit.

Annus Christi 1572.

Pii V. Pontificis	ultimus.
Gregorii XIII. Pontificis	1.
Maximiliani II. Imperat.	8. & 9.
Joannis II. Episcopi Pad.	5.

Multa & magna hoc anno moliebatur Pius V. Pontifex ad prosequendam superioris anni victoriam, & obtendas Turcarum vires. At in medio fortunæ cursu pia ejus consilia intercepit præmatura nimis & propera mors. Mense Januario sanctus vir graviùs affligi cœperat ex morbo, quem dysuriam vocant. Ac tametsi non multò pòst ex eo paululùm respirârit; subinde tamen mense Martio & Aprili malum illud longè pejùs recruduit, & accedente senio vires corporis ità enervavit, ut brevi tempore ad extrema deductus, & consuetis Ecclesiæ sacramentis maturè præmunitus, Kalendis Maji beatam animam exhalârit. Papalem ipsius thronum, concordibus omnium Cardinalium votis, eodem mense conscendit Hugo Boncompagnus, electus die decimâ tertiâ Maji, & coronatus die vicesimâ quintâ, in festo Pentecostes: qui assumpto nomine Gregorii XIII. laudatissimè præfuit, vir omni ex parte magnus, & Catholicæ Religionis ubilibet propagandæ studio incensissimus, uti è sequentium annorum decursu manifestum fiet.

Pius V. Papa sanctus, moritur Kalendis Maji. *Spond. hic n. 5. Gabut in vita Pii V. to. 1. Ss. Maji. l. 5. c. 5.*

In cujus locum eodem mense eligitur Gregorius XIII, dict⁹ antea Hugo Boncompagn⁹. *Spond. n. 7.*

Interea motibus luctuosissimis ardebat Belgium, Albani Ducis ferociâ longè magis, quàm ab infestis Geusiis, ad seditiones & furias concitatum. Potuisset ille Regis Philippi nomine tranquillum, pacatúmque regimen obtinere; dummodo victoriâ, ante quadriennium contra Geusios obtentâ, paulò moderatiùs novisset uti. At ipse, fastu Hispano tumidus, ac timeri magis, quàm amari cupiens,

Belgæ, propter ferociâ Albani Ducis, non pas rùm nutant in Fide vel obsequio Regis Hispaniarum.

cupiens, primò in arce Antwerpiana ſuperbum ſibi de ſubacta Nobilitate, populóque Belgico trophæum condidit, non ſinè maximâ omnium offenſa. Tum deinde ad emungendos provinciarum oculos progreſſus, inauditum aliquod, novúmque tributi genus imperavit: nimirum * ut de omnibus bonis penderetur ſemel centeſima pars; poſtea verò in quacunque venditione rerum, de mobilibus penderetur decima, de immobilibus vigeſima. Quæ omnia cùm Albanus imperiosè magis, quàm providè niteretur extorquere; eam ſibi invidiam conflavit in populo, durioribus imperiis inaſſueto, ut ferè jam nihil aliud ad publicam ſeditionem deeſſe videretur, quàm novus tympanotriba, qui ferali pulſu commotæ plebis animos ad rebellandum concitaret. Optatiſſimum id erat Wilhelmo Arauſionenſi, Geuſiorum primipilo (quem vulgò Orangium nominant) credebatque, jam tempus eſſe maturandi ſeditionem illam, quam ante quatuor aut quinque annos fruſtra cœptaverat. Volabat ad ejus obſequium per Hollandiæ, Friſiæque oras non parva claſſis prædatoriarum navium ferè quadraginta, jam pridem è rapinis & ſpoliis victitantium: jámque nihil aliud ad majora tentandum deerat, quàm portus aliquis, è quo & ſecuriùs in Oceanum iri, & urbium vicinarum deditio faciliùs urgeri poſſet. Hunc autem, ut obtineret, fortuna viam aperuit per Wilhelmum Lumæum, Comitem de Marca, ejúsque ſocios, in mari prædam exercentes. Interceperant hi duas naves pretioſis mercibus oneratas, Hiſpanicam unam, & Antwerpienſem alteram: de quibus in tutum reducendis deliberantes, adverſâ ventorum vi in Vornam, Hollandiæ inſulam, propelluntur. Ibi pro mercatoribus tempeſtate ejectis habiti, periculo in audaciam verſo, Briêlam inſulæ iſtius portum adoriuntur: &, priusquam oppidani pro mercibus bellum advehi, intelligerent, inſuperabili ſucceſſu non modò urbem, nemine obſiſtente, capiunt (quod ineunte Aprili contigit) ſed etiam omnes inſulanos adigunt, ut, rejectis Albani Ducis imperiis, Wilhelmo Orangio tanquam legitimo Hollandiæ Præfecto, ſacramentum dicant.

*Haræus in ann. brab. Strada de bello Belg. Dec. 1. l. 7.

Geuſii, Lumæo Duce, Briêlam occupant, inſulámque totam adigunt in obſequium Principis Arauſionenſis, quem vulgò Orangiũ vocant.

Strada loc. cit.

Haræus in ann. brab.

Mirum! quàm funeſta rerum converſio ad occupatæ hujus inſulæ famam, veluti ad elatum ſeditionis inchoandæ ſignum, toto ferè Belgio derepente conſecuta ſit. Plures urbium fœderatis ultro favere, nonnullæ etiam eos ad ſe invitare, aliæ inter fœderatos, Regiósque mediæ, nec Albanum pati, nec à Rege ſuo deficere: pauciſſimæ ſui obſequii & jurisjurandi memores, pro Hiſpanis libenter arma induere. Fliſſinga, Zelandiæ portus, in ſolenni die Paſchatis (utì refert Famianus Strada) Hiſpanum præſidium ejecit, & in Orangii partes abſceſſit, ipſómet parocho, ſuoſmet

Multæ urbes Hollandiæ & Zelandiæ, Ducis Albani odio deficiunt ad Geuſios, eorúmque Ducem Orangium.

auct. iidem

met subditos inter concionandum adhortante, ut libertatem ab Hispanis læsam vindicarent. Nec multò pòst exemplum illud catervatim secutæ sunt Enckhusa, Horna, Alcmaria, Edamum, Guda, Lugdunum, Dordracum, Gorcomium, Harlemum, & omnis ferme Hollandia. Quo autem furore ibidem Geusii in res, personásque Deo sacras debacchati sint, longum esset hoc loco prosequi; mihi satis est, pauciſſimis verbis attingere ea, quæ ab ipsis Gorcomii gesta sunt cum diversis religiosis & sacerdotibus, Catholicæ Religionis odio postmodum trucidatis. Occupaverant hanc urbem Geusii die vicesimâ sextâ Junii; proximâque nocte etiam in arcem, huic urbi contiguam, recepti erant *eâ lege per jusjurandum firmatâ, ut Catholici omnes, qui ibidem erant, salvi & incolumes abire possent. Verùm, quæ fides haberi potest hominibus Deo perfidis, gentíque non sanctæ? arce deditâ, comprehenduntur illico religiosi omnes & sacerdotes, qui salutis causâ in eam se receperant: nimirum ex Ordine S. Franciſci de strictiore observantia P. Nicolaus Picus, Gorcomiensis monasterii Guardianus, cum aliis octo sacerdotibus, ac duobus Laicis ejusdem Ordinis: è Canonicis Regularibus S. Augustini, Joannes Oisterwicanus, Gorcomiensium sanctimonialium Præses: demum etiam è Clero seculari, Leonardus Vecchelius, Gorcomiensis urbis Pastor primarius, Nicolaus Poppelius, Pastor secundarius, & Godefridus Dunæus, Presbyter, tenui sacerdotio in eadem Ecclesia præditus. Quindecim illi primùm contra juratam Fidem ab hæreticis crudeliſſimè habiti, in tetrum, fœtidúmque *carcerem detrusi, verberibus affecti, pugnis contusi, calcibus impetiti, multísque aliis opprobriis & cruciatibus diu divexati sunt. Deinde nocte illâ, quæ inter diem quintam, *sextámque Julii intercedit, navali itinere Briêlam abducti ad Wilhelmum Lumæum, hominem truculentum, & Ecclesiastici sanguinis profundendi sitientiſſimum. Qui eosdem rursus acerbiſſimis ludibriis, contumeliis, & carceribus fatigatos, tandem die nonâ Julii (quâ festum ipsorum ex Ecclesiæ præscripto agitur) unà cum aliis quatuor aliunde Briêlam adductis, nimirum Joanne, *parocho Hornarienſi, ex Ordine S. Dominici; Adriano, Parocho in pago Münster, Ordinis Præmonstratensis, Jacobo Lacopio, ipsius adjutore, ejusdem Ordinis; & Andreâ Walteri, presbytero seculari, Parochóque Heinortensi, iniquiſſimè necari, & in vicini Rüggensis monasterii horreo è duabus trabibus suspendi fecit. Omnes illi martyrium hoc fortiſſimè pertulerunt: nihilque ægriùs eosdem habuit, quàm quòd alii duo Franciscani Gorcomienses (quos idcirco è Martyrum sanctorum numero prætermisi) in ipso mortis ingressu Fidem, Ordinémque suum

Geusiorum furor erga res, personásque Deo sacras, paucis ostenditur ex historia Ss. Martyrum Gorcomiensium.

*Estius in hist. Mart. Gorcom. to. 2. Ss. Julii l. 1. c. 1. & 2.

*Estius ib. l. 1. c. 6. & sequent.

*Estius ib. l. 3. n. 303. & seq.

Omnes isti, numero novendecim, fortiſſimè subeunt martyrium.

ſuum abjurârint. Primus horum erat Henricus, Novitius, octodecim annorum juvenis: qui tamen poſtea juvenilem hunc timorem deflens, ad Ordinem à ſe deſertum rediit, & in eo vitam pientiſſimè concluſit. Alter, Wilhelmus nomine, erat multorum annorum Profeſſus; & idcirco poſtea divinæ punitionis triſtiſſimum exemplum fuit. Cùm enim à deſerto Ordine ad militiam Geuſicam ſe adjunxiſſet, in eáque brevi tempore ſe in omnem vitæ licentiam præcipiti lapſu projeciſſet: eodem anno furtorum causâ comprehenſus eſt; & ſuſpendium, quod pro Chriſto ſubire noluit, propter commiſſa ſcelera perferre debuit, menſe tertio poſt necem beatorum Martyrum.

Alius Franciſcanus metu ſuſpendii Fidem abnegat; factúsque miles, eodem anno furtorũ causâ ſuſpenditur. *Eſtius ibid. n. 319.*

Non minori facilitate procedebant Geuſiorum res in Tranſiſalania, Geldria, Friſia, aliísque locis, quæ Germaniam confinem habent. Nam & ibi Wilhelmus, Bergenſis Comes, qui Orangii ſororem duxerat, ſeditiones contra Albanum cœptas non inſtrenuè promovebat: brevíque tempore ſic invaluit, ut Zutphania, Dodecomium, Dûisburgum, Hardevicum, Elburgum, Oldenſalia, Swolla, Vollenhovia, Stavera, & aliæ urbes non paucæ, vi aut metu ad Geuſiorum partes pertranſiêrint. At nihil æquè inter hæc infauſta nuntia Albanum perculit, quàm quòd interim audiret, etiam Hannoniæ **Montes*, urbem amplam ac præmunitam, à Ludovico Naſſovio, Gallorum hæreticorum ope, interceptam eſſe. Verebatur enim, ne & Carolus, Galliarum Rex, inter iſtas oppidorum & urbium defectiones, velut in amne turbido piſcari vellet: certúmque erat, Regem hunc à Gaſpare Collignio, Hugonottorum præcipuo duce, perſæpe verbis & ſcripto ſollicitatum eſſe, ut in hujuſmodi tumultibus Belgicis Philippo Regi bellum inferret, neque tam egregiam victoriarum inibi conſequendarum occaſionem è ſuis manibus elabi ſineret. Itaque, ut Albanus primùm ex eo latere periculoſius bellum præpediret; neglectâ maritimarum civitatum curâ, ad recuperandos Hannoniæ Montes continuò ſe accingit, iiſdémque obſidendis Fridericum filium, cum aliqua legionum ſuarum parte, præmittit, ipſe cum exercitu reliquo propediem ſecuturus. Neque defuit fortuna cœptis. Nam paulò pòſt, ſex vel ſeptem Hugonottorum millia, quæ Collignius obſeſſæ urbi ſuppetias miſerat, à Friderico, Albani filio, die decimâ ſeptimâ Julii ad internecionem delata ſunt: & altero menſe pòſt, etiam ipſe Collignius, acerrimus Belgicorum tumultuum promotor, unà cum præcipuis Hugonottorum capitibus truculentâ morte ſublatus fuit. Hujus autem lanienæ ſeries, è Spondano & aliis rerum Gallicarum ſcriptoribus, ferè in hunc modum ſeſe habuit.

Wilhelmus Comes Bergenſis magnam Geldriæ, Friſiæq; partẽ Hiſpanis eripit. *Haræus in ann. brab. Strada de bello Belg.*

**vulgò Mons germanicè* Bergen im Hẽnegaw. Montes Hannoniæ, vulgò *Mons* auxilio Hugonottorũ capiuntur à Ludovico Naſſovio: ſed paulò pòſt feliciſſimis initiis obſidentur à Friderico, Ducis Albani filio. *Spond. ad hunc annũ. n. 2. Haræus loc. cit. Strada ib.*

Pro-

Promiserat Carolus, Galliarum Rex, Margaretam, sororem suam, Henrico Navarræo, Regi hæretico; & Gregorius Papa, licèt ægre admodum, dispensaverat in impedimento consanguinitatis, quâ invicem obstricti erant. Sponsalia magno apparatu celebrata sunt Parisiis die decimâ septimâ Augusti, & postridie solennes nuptiæ; quibus etiam Condæus & Collignius, cum præcipuis aliis Hugonottorum capitibus, interfuerunt: specie quidem, ut Regis Navarræi nuptias honorificentiùs concelebrarent; re verâ autem, ut partium suarum vires, frequentiore Nobilium accessu, confirmarent. Quatriduum deinde conviviis, choreis, ludicrisq; spectaculis, & certaminibus datum est in arce Lupara, quæ Parisiis Regale palatium est, vulgò dictum *le Louvre*. His autem peractis, dum Collignius die vicesimâ 2dâ Augusti ad hospitium se reciperet, paulóque tardiùs ingrederetur propter epistolam, quam legebat; præter omnem exspectationem suam sclopeto, è fenestra vicinæ domûs explosо, tangitur: nullo tamen alio nocumento, quàm quòd è manu dextera unus digitus eidem excussus, & in brachio sinistro plaga gravior ipsi inflicta fuerit. Sunt, qui scribant, vulnerationem hanc, biduóque pòst secutam Hugonottorum præcipuorum cædem, jam pridem antè in secretiori Regis concilio adornatam esse. Sunt etiam alii, qui id apud Spondanum negent; puténtque, vulnerationem Collignii, Rege inscio, vel saltem eo non consentiente, nec jubente factam. Ut ùt ista sint, jaculator ille statim equo conscenso per posticum fugit; & Carolus Rex, per Collignii nuntios de facinore perpetrato monitus, constantissimè simulavit, sibi nullam percussionis attentandæ notitiam præluxisse. Quin & saucium perhumaniter invisit Rex; addixítque, modis omnibus laboraturum se, ut percussorem deprehenderet, & injuriam hanc non aliter, ac si ea sibimet ipsi inflicta esset, acerrimè vindicaret. At quia Collignius ne tum quidem à minis abstinebat, oggerebátque Regi, nisi pro adjuvandis Geusiis contra Hispanos arma caperet, eventurum fortè, ut à suísmet subditis brevi bellum experiretur: Carolus Rex, pejora veritus, confestim alia consilia cum suis iniit, maluítque periculosum hominem cum suis interimere; quàm ab eo seditionem novam cum sui capitis & coronæ periculo præstolari. Itaque statim alterâ die, nimirum vicesimâ tertiâ Augusti, militibus omnibus, civibúsque Parisinis mirabili taciturnitate mandat, ut sequenti nocte, quæ diem sancto Bartholomæo sacram aperiebat, audito ad S. Germanum campanæ signo, confestim omnes ad arma currerent; cunctósque Hugonottos, quotquot in urbe degerent, præter Navarrum & Condæum, sinè ullo personarum discrimine

Henricus Rex Navarræ, vir hæreticus, Parisiis agit nuptias cũ Margareta regis Galliæ sorore, præsentibus Condæo, Collignio, & aliis primariis Hugonottorũ capitibus. *Spond. hic n. 11. Buffier. to. 2. hist. Franc. l. 20.*

Collignius, peractis nuptiis ad hospitium redux, è vicinæ domûs senestra duabus glandibus vulneratur. *Auctores iidem.*

Regem ad se venientẽ verbis minacibus instigat contra Hispanos in Belgio. *Spond. ib.*

Carolus Rex, pejora veritus, nocte in festo S. Bartholomæi jubet Collignũ & omnes Hugonottos tota urbe interfici, exceptis Navarræo & Condæo. *Spond. hic n. 13 & 14.*

cæderent, mactarent, perderent. Initium huic tragœdiæ datum paulò pòst medium noctis: primúsque ante omnes gladio ferali cecidit Gaspar Collignius, multis vulneribus confossus, ac deinde è superiore fenestra in subjectam aream præcipitatus. Alteras post eum pœnas dedêre Franciscus Comes * Rupefucaldius, Telinius Collignii gener, & alii quàm plurimi: ità ut hac unâ nocte è Nobilitate Gallica interfecti esse dicantur quingenti viri, sago, togâq; inclyti; è civibus verò, & reliqua Hugonottorum turba, quorum laniena adhuc triduo continuata est, ferè quatuor millia.

*Gallicè Rochefoucaut, quod oppidum latinè dicitur Rupes Fucaldi.

Similis Hugonottorũ cædes tentatur in aliis urbib⁹ non paucis.

Parisiensium exemplo protinus ad similem carnificinam concitatæ sunt urbes aliæ non paucæ, in quibus Catholici prævalebant: auctórque est Bussierius, Lugduni, Meldis, Burdigalæ, Trecis, Aureliæ, Tolosæ, & alibi, ad viginti quinque Hugonottorum millia pari tumultu interempta esse. At nullus omnium fuit, in quem acerbiùs à furenti populo desævitum sit, quàm in Collignium sæpe dictum: cujus pœna, etiam ultra ipsam vitam, in cadaver ejus fœdissimè prorogata est. Et primò quidem jacentis in area caput à cervice revulsum: deinde corpus truncum, abscissis manibus, ac pudendis, toto triduo per vicos urbis raptatum: postremò etiam ad furcas Monfalconias abreptum, ibíque catenâ ferreâ de pedibus suspensum, & igne suppositò ustulatum. Quæ omnia suo modo præsagire visus est medicus aliquis probè Catholicus, qui, auditâ ipsius in Ecclesias & sacerdotes Catholicos impietate, biennio priùs ità de eo cecinit:

*Spond. hic n. 18. Bussier. ib. n. 5.

Furor populi in Collignii jacentis cadaver. Spond. n. 13 Bussier. n. 3

*Spond. n. n. 13.

Infausto quòd sim Colligni nomine dictus,
Haud dubiè dictum cælitus esse puta.
Seu collum ligno, seu collum junxeris igni,
Conveniet rectè nominis hoc etymon.
Jam pridem admisi, quæ sunt dignissima flammis,
Admisi pariter crimina digna cruce.
Pendebo è ligno, posito pendebo sub igne,
Próque meo referam nomine supplicium.

Orangius, Montensem obsidionẽ soluturus, auditâ Hugonottorũ & Collignii cæde confestim fugit

Famosa ista Hugonottorum cædes (quam & *nuptias Parisienses*, & *Matutinas Bartholomæanas*, appellârunt posteri) plurimum adjumenti attulit ad occupandos, recipiendósque Hannoniæ Montes, urbem, ùt antè diximus, ab Albano Duce, ejúsque filio hactenus obsessam. Properabat ad eam liberandam Wilhelmus Orangius cum ingentibus equitum, peditúmque copiis, quas è terris Protestantium contraxerat in Germania: neque dubitabat, quin & Collignius antè dictus è Regno Galliæ sibi non parva Hugonottorum auxilia transmissurus esset. Jámque occupatâ per fraudes Mechliniâ, levioribus quibusdam præliis decertare cœperat cum Alba-

Strada de bello Belg. Dec. 1, l. 7.

Albano, visurus, an eundem posset è suis castris egregiè præmunitis in arenam prolicere. At, ubi non multò pòst è singulari castrorum Hispanicorum lætitia comperit, memorabilem illam Collignii & sociorum cædem Parisiis perpetratam esse; desperatâ Hugonottorum ope, famelicum exercitum à se dimisit, fratrémque Montibus inclusum admoneri fecit, ut saluti, rebúsque suis quacunque meliore viâ maturè consulat. Ità Montensis urbs tandem Septembri mense ad Hispanos rediit; eâque receptâ, etiam brevi tempore Mechlinia, Aldenarda, Teneramunda, Zutphania, Swolla, Vollenhovia, Duisburgum, Hardervicum, & aliæ pleræque urbes, quæ vel ab Orangio nuper, vel à Comite Bergensi captæ erant, ad Hispani Regis obsequium rediêrunt.

Montes deduntur Hispanis, multæque postmodũ urbes aliæ, ab Orangio & Comite Bergensi priùs occupatæ. *Strada loc. cit.* *Haræus in ann. brab.*

Annus Christi 1573.

GREGORII XIII. Pontificis 2.
MAXIMILIANI II. Imperat. 9. & 10.
JOANNIS II. Episcopi Pad. 6.

CArolus IX. Galliarum Rex, Hugonottorum reliquias persecuturus, ineunte hoc anno Sancerram simul & Rupellam urbes, ad quas confugerant, bipartito exercitu obsidere cœpit: sed parvo Catholicæ Religionis incremento. Rupella enim, postquam à mense Februario acerrimè se defendisset, sub initium Julii novam pacem à Rege impetravit iis conditionibus, *ut Fidei Catholicæ cultus ibidem restituatur: cuique tamen in toto Regno concedatur libertas conscientiæ; et iis etiam Nobilibus, qui majorem jurisdictionem obtinebant, à Rege permittatur, domi suæ conciones et sacramenta Calviniano ritu celebrare.* Nec longè pòst etiam Sancerrana civitas, adeptâ religionis & conscientiæ libertate, in deditionem, gratiámque Regis admissa est; multis impensè demirantibus, quòd improvidus Rex ad ea civium postulata tam facilem assensum dederit. Jam enim diuturnâ suæ urbis obsidione ad ejusmodi famem redacti erant, ut non modò cattis & muribus; verùm etiam antiquis equorum pellibus, librorum involucris, animalium capistris, ephippiorum integumentis, imò & brutorum, hominúmque stercoribus vescerentur. Proinde, licèt nulla Religionis libertas iisdem indulta foret, nihilo minùs, cogente fame, urbem diu pressam dedere, cervicésque suas ad Regis obsequium flectere debuissent.

Carolus Galliæ Rex Rupellam & Sancerrã urbes Hugonottorũ ad deditionem cogit: sed malè simul permittit omnibus in toto Regno libertatem conscientiæ. *Spond. hic n. 5. 6. & 7. Bussier. to. 2. hist. Franc. l. 20*

Majori constantiâ & fortitudine rem Catholicam contra Geusios promovebat Ferdinandus Dux de Alba, peritissimus bellator; sed

Ferdinand⁹ Dux de Alba exeunte anno superiore adornat bellum contra maritimas Belgarum oras *Hæus in ann. brab.*

sed in homines bello victos nimiùm truculentus. Postquam is præcedente anno ferè omnes urbes, in terra continente sitas, à Geusiis repurgâsset; etiam eas, quæ mari adjacent, & aquatilium Geusiorum sedes erat, pari felicitate aggredi, & ad Regis obsequium cogere, nisus est. Primos illic armorum impetus experta sunt minora quædam oppida: his autem faciliùs occupatis, exeunte anno superiore, tota belli moles conversa est contra Harlemiam, urbem amplam & locupletem; sed Hispanico nomini summè infensam. Occupatísque aliquot minoribus oppidis, etiam Harlemum obsidione circumdat. *Hæus ib.* Offerebatur hujus urbis incolis præteritorum delictorum venia, dummodo, non exspectatâ armorum vi, ad Philippi Regis obsequium se reciperent. At illi, his invitationibus nihil moti, non solùm omnia pacis consilia *superbè rejecerunt; verùm etiam, ut accipiendæ reconciliationis viam sibi præcluderent, adventu Hispanorum cognito, in primaria urbis templa violenter irruperunt: fractísque Divorum imaginibus palàm contestati sunt, se in posterum, despectâ Religione Catholicâ, nullam ab Hispanico Rege veniam, gratiámque præstolari. Quin & his non contenti, post aliquot menses, dum obsidio ferveret acriùs, longè diriori spectaculo Hispanis militibus insultârunt. Nam, ùt inquit Famianus Strada, *ludo impio in editioribus mœnium tumulis altaria constituunt, Divorum statuis exornant, supplicantium ritu circumeunt, sacris vestibus induti: mox etiam ludo isto in furorem verso, straminеas sacerdotum, monialium, et Hispanorum imagunculas è mœnibus ostentatas, flagris cædunt, confodiunt, amputatísque capitibus in castra dejiciunt.* Sed non impunè sic lusum est à sacrilegis ludionibus. Nam ex eo tempore (ùt notavit idem Strada) cœperunt Harlemensium res quotidie in peius ruere, donec tandem post septimum obsidionis mensem extremâ & lamentabili fame, quâ & proprios calceos & equorum, vaccarúmque pelles in cibum coxerant, sese ad arbitrium Hispanorum dedere, coacti sint. Exinde continuato plurium dierum supplicio in præcipua seditiosorum capita gravissimè animadversum: ferúntque, è militibus præsidiariis nongentos, è civibus verò, & aliis inquilinis ferme quadringentos, quorum plerique aut hæreseos administri, aut præteritæ rebellionis incentores fuerant, aut ferro plexos, aut laqueo strangulatos, aut colligatis binorum ac binorum dorsis in lacum dejectos, & aquis vindicibus interemptos esse.

Harlemenses post varias Catholicorum rituum & sacrorum irrisiones, tandem vindicante Deo cogunt. tur se ad Albani arbitriũ dedere, *Hæus & Strada loc. cit.* & sceletum perpetratorum pœnas dare. *Auctores iidem.*

Philippus Hispaniæ Rex maritimã classem, Geusiis immittendã, ingenti suo damno mittit.

Potuisset eo tempore Philippus Rex totam rursus Hollandiam, aliásq; maritimas aquatilium Geusiorum sedes, ad imperium, sceptrúmque suum revocare; dummodo præstantissimam, quam habebat, classem contra perduelles in Oceanum emisisset. Nam hucusque Amstelodamum adhuc manserat Regi Philippo fidum: &

Mid-

Middelburgum, primaria Zelandiæ civitas, contra diuturnas Geusiorum impugnationes fortissimè se defendebat. At ipse, contemptis rebellium viribus, classem illam præcipiti consilio misit in Africam, ad occupandum inibi regnum Tunetanum, olim à Carolo V. genitore suo captum; postea verò per intestinas Maurorum dissensiones à Turcis debellatum. Qua ex re, quantum sibi, rebúsque suis detrimentum accersiverit, experientiâ nimis funestâ & serâ didicit. Licèt enim Joannes Austriacus, quem Philippus Rex Africanæ huic expeditioni præfecerat, Regno Tunetano felicissimè potitus fuerit; anno tamen sequente *Hispani rursus toto eo Regno ejecti sunt à Selymo, Turcarum Imperatore: & interea per maritimas Belgarum oras diffusi Geusii, qui à prædicta Hispanorum classe facillimè potuissent opprimi, quotidie majora virium suarum incrementa accepêre. Errorem hunc Philippi Regis prope diem consecutus est error alius, priori non longè minor: nimirum, quòd exeunte hoc anno Ferdinandum Albanum unà cum Frederico Filio è provinciis Belgicis in Hispaniam revocârit; substituto in ejus locum Ludovico Requesenio, magno Equitum S. Jacobi Magistro. Quamvis enim negari nequeat, virum istum inhumano, ferocíque ingenio suo plurimùm nocuisse tranquillitati Belgicæ; ex alia tamen parte non minùs certum est, quòd bellandi peritiâ ac felicitate sibi parem vix habuerit. Quare non immeritò censuerunt multi, virum hujusmodi* aut nunquam debuisse mitti in Belgium, ne rebellio ista nasceretur; aut nunquam è Belgio dimitti, ut rebellio ista faciliùs finem acciperet.

tit ad occupandum in Africa Regnum Tunetanum.

*Spond. ad ann. 1574. n. 11.

Nec felicios re consilio Ferdinandũ Albæ Ducẽ è Belgio revocat, substituto in ejus locum Ludovico Requesenio.

*Spond. ad hunc annũ.

*Strada de bello Belg. Dec. 1. l. 7.

Inter ista Catholicæ Religionis turbamenta Gregorius Pontifex, Germanorum periclitantium saluti consulturus, fundavit hoc anno Romæ Collegium Germanicum; in quo ejusdem nationis adolescentes per assidua doctrinarum studia formarentur ad statum Ecclesiasticum. Initium saluberrimi hujus operis jam antè fecerat Julius III. *anno 1552, qui & viginti quinque adolescentes Germanos, tum suâ, tum aliorum Cardinalium benignitate, ibidem aluit. Sed quia hic nondum stabiles, certósque reditus eidem Collegio deputaverat; ipso è vivis evocato, laudatissimæ hujus institutionis primordia* non parum concidêre, donec Gregorius XIII. divino consilio ad supremi Pontificatûs apicem provectus est. Is, cùm esset propensissimo in Germanicam nationem animo, non modò jacentem illius Collegii fortunam restauravit; sed etiam insigni liberalitate fundationem ei tam copiosam addidit, ut ex annuis ejus reditibus ferè centum alumni *perpetuis temporibus instrui, & enutriri possint. Quâ munificentiâ plerisque Germaniæ provinciis maximopere profuit, effecítque, ut ex eo Collegio postmodum,

Gregorius Papa XIII. Romæ fundat Collegium Germanicum.

*Hist. Soc. part. 1. l. 12. n. 8. & 9.

*Spond. ad hunc annũ. n. 14.

*Spond. ib. & alii.

modum, velut ex equo Trojano, prodiêrint innumeri viri illustrissimi, qui vel in officio Episcopali, vel certè in Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum subselliis, Catholicam Religionem strenuissimè tutati sunt.

Joannes Episcop. Monaster. Osnab. & Paderbornensis, propter infirmitatem suam urget electionem Coadjutoris. *Ex veter. MSs.* Monasterii jam ante annum Coadjutor postulat. erat Joannes Wilhelmus Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux. *Annales Monast.* Paderbornenses & Osnabrugenses recusant Coadjutorem. *Ex veter. MSs.* Burchardi ab Oberg Episcopi Hildesiensis mors, & ejusdem egregia laus. *Ex catalogo recentiore Episcop. Hild.*

In Diœcesi nostra Paderbornensi Joannes Episcopus adhuc solerter invigilabat, ne vicinum Lutheranæ doctrinæ virus in ovile nostrum se infunderet. Pejusculè tamen habere cœperat ejusdem valetudo non parùm inclinata: atque ideo, Catholicæ Religionis conservandæ studio, sollicitè apud suos ursit, ut pro majori securitate Coadjutorem sibi aliquem, tam zelo Fidei, quàm vicinâ potentiâ præditum, legendo substituerent. Propositionem hanc, ùt æquitati ac prudentiæ consonam, quantocyus approbârunt Monasterienses Ecclesiæ Canonici, ideóque & anno præcedente Coadjutorem postulavêre Wilhelmum, Wilhelmi Ducis Clivensis & Juliacensis, filium, tunc adhuc decennem puerum. Contrà verò Paderbornenses, & Osnabrugenses opponebant se huic propositioni, non sinè summo posterioris Ecclesiæ damno, utì prolixiùs videbimus ad annum proximè sequentem.

Hildesiensem Ecclesiam hucusque magno cum fructu rexerat Burchardus ab Oberg, ex antiqua ac perillustri Obergiorum familia Præsul egregiè Catholicus. Erat ille vir excelsi & generosi animi, eâque simul pietate ac devotione præditus, ut in Cryptabeatæ MARIÆ Virginis infra templum Cathedrale, unà cum sacerdote domestico noctes integras precando soleret exigere, etiam in lachrymas, tenerrimæ devotionis indices, persæpe effusus. Initio Pontificatûs aditi (quod ob diuturnas dissentientium Canonicorum altercationes non nisì sexennio post ejus electionem contigit) omnium Ordinum sacerdotes & Clericos, ad se convocatos, magnificâ, & Episcopo dignâ oratione ad vitam & mores Clericali statui consentaneos, ardentissimè cohortatus est. Sonum campanarum ad officia divina convocantium, supplicationes publicas, psalmodiam, & cantum solennem Ecclesiarum, aliáque pietatis exercitia, pluribus jam antè annis intermissa, summo Catholicorum gaudio, ad usum pristinum revocavit. Arcem Stürwaldensem, ab inutili decessore suo Friderico malè oppignoratam, triginta sex imperialium millibus redemit: ac tandem senio, curis, & laboribus confectus, in eadem arce Stürwaldensi hoc anno pientissimè exspiravit die vicesimâ tertiâ Februarii. Cadaver ejus quatriduo pòst, magno omnium Ordinum ac Prælatorum comitatu, Hildesium ad ædem Cathedralem deportatum, & ibidem haud procul à sacrario sepultum est cum hac inscriptione cippi mortualis:

Hîc jacet Hildesiæ Præsul Borchardus ab Oberg:
Ille Pater patriæ est, Altitonantis ope. Se-

Sedes Episcopalis ab ejus obitu vacavit solùm per dies duodecim; septimâque die Martii in demortui locum suffectus est Ernestus Bavarus, Alberti Bavariæ Ducis filius, & Episcopus Frisingensis: qui sequentibus annis etiam Colonienſem, Leodienſem, & Monasterienſem infulas, in suum unius caput, ob singularem Catholicæ Religionis integritatem, comportari vidit, uti suo loco memorabitur.

Cui in Episcopali cathedra successit Ernestus Dux Bavariæ. *Ex eodem Catalogo.*

Annus Christi 1574.

GREGORII XIII. Pontificis 2. & 3.
MAXIMILIANI II. Imperat. 10. & 11.
JOANNIS II. Episcopi Pad. ultimus.

IN Regno Galliæ omnia turbata erant post concessam Hugonottis libertatem conscientiæ. Detecta adversùs Regem periculosa multorum conspiratio, in quam & ipse Regis frater Franciscus Alenzonius à sectariis, & malè contentis pertractus erat: eâ specie quidem, ut suam, Regisque matrem unà cum Guisiis, aliisque exteris rerum publicarum administratione pellerent; re verâ tamen, ut ejectâ Religione Catholicâ doctrinam Calvinianam toto Regno stabilirent. Capti è conjuratis plurimi, variisque suppliciis affecti: Alenzonius, & Rex Navarræ in libera custodia detenti: Henricus Condæus in Germaniam fugiens Argentorati latibulum invenit. In alios dum inquisitio severa fieret, ipsémet Galliarum Rex Carolus IX (quem ab aliquo tempore infirmior valetudo presserat) die tricesimâ Maji in festo Pentecostes obiit, nullâ prole masculâ è legitimo conjugio post se relictâ. Successit in thronum ejus Henricus III, Regis defuncti frater, natu major, qui eodem hoc anno Poloniæ Rex coronatus erat Cracoviæ in festo S. Matthiæ Apostoli. Et ille statim, relictis inquietorum Polonorum rebus, in Galliam se recepit, ubi mense Februario sequentis anni in urbe Remis, consueto Regum Francorum ritu, inauguratus est.

In Gallia consurgit nova multorum conspiratio adversùs Regem. *Spond. hic n. 3. Busser. n. 11.*

Hac detectâ & puniri cœptâ, Carolus IX. Gallorum Rex è vivis evocatur: *Spond hic n 4. & 5. Busser. ib.*

Cui succedit Henric⁹ III. Regis defuncti frater, jam coronatus Poloniæ Rex. *Spond. n. 6.*

In Belgio quoque Hispanos inter & Geusios adhuc utrimque fortuna procedebat ambiguis passibus. Etenim Geusii navali prælio devicerunt Hispanos, cùm hi annonam ac militem conarentur inferre Middelburgo, ultra annum à Geusiis obsesso, paulóque pòst iisdem dedito. Contrà verò Hispani campestri prælio ità Geusios & eorum auxiliares prostraverunt in Geldria prope Mockam pagum, ut supremi ipsorum duces, nimirum Christophorus Palatinus, Ludovicus Nassovius, ejusdémque frater Henricus Nassovius, ac ferè

In Belgio Hispani à Geusiis vincuntur prælio navali; sed paulò pòst eosdē egregiè vincunt prælio

campestri, cæsis eorundem præcipuis ducibus. *Spond. hic n. 10.* *Haræus in ann. brab.* **Spond. hic n. 11.*

omnes legionum Præfecti ibidem occubuerint. Ex aliis militibus gregariis periêre circitèr quatuor millia, capti ferè trecenti, reliqui derelictis omnibus impedimentis ac triginta signis militaribus, in præcipitem fugam dissipati. Jámque ad subigendos Geusios maritimos, utpote re navali superiores, id unum deerat, ut Hispana classis, quæ anno superiore in regnum Tunetanum iverat, hoc anno in Hollandiæ, Zelandiæque oras procurreret. At illa in Siciliæ finibus colligebat se contra Turcarum classem, Tunetano* Regno incumbentem: quæ & regnum illud, priusquam Hispana classis adveniret, velocissimè recepit; adeóque sumptus omnes, priori anno in Tunetanam expeditionem à Rege Catholico factos, ad nihilum redegit. Ità nimirum persæpe accidit, ut, qui foris nova regna quærit, domi suas ditiones amittat.

Joannes Episcopus Monaster. Paderborn. & Osnabrugensis moritur die 5. Aprilis. *Ex Annal Monaster. mss. & aliis veteribus chartis.*

Inter hæc Diœcesim nostram, imò totam ferè Westphaliam, non parùm hoc anno contristavit improvisa ac nimiùm præmatura mors Joannis de Hoja, Paderbornensis, Monasterienſis, & Osnabrugensis, Ecclesiarum, Episcopi. Cœperat hic à biennio circitèr non modò lentâ absumi tabe; sed etiam affligi simul epilepsiâ, morbóve Herculeo. Cúmq; malum istud rediret crebriùs & magnâ vi; tandem & viribus fractus, & nimio mœrore consumptus, extremum sibi diem appropinquare sensit in arce Ahusana. Illuc igitur ex urbe Monasterienſi accersi jussit Ecclesiæ Transaquensis Decanum, Melchiorem Ruperti, virum eruditione pariter ac religione spectatissimum: à quo consuetis omnibus Catholicæ Ecclesiæ Sacramentis maturè præmunitus, inter ardentes erga Deum affectus placidissimè exspiravit die quintâ Aprilis, anno ætatis quadragesimo quinto.

Ejusdem sepultura. *Ex Annal. Monast. mss.*

Funus ejus magnis honoribus deportatum est Monasterium Westphaliæ, ibíque in Ecclesia Cathedrali conditum ad latus Australe chori: multis acerbè deplorantibus, in uno Principe tam innumeras naturæ, gratiæque dotes unà simul in terram defodi. Nam præter egregiam septem linguarum peritiam, non modò in jure civili & Canonico; sed etiam in studiis Theologicis, rebúsq; omnibus ad Fidem ac disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, apprime versatus erat.

Et egregius zelus pro tuenda Fide Catholica.

Quàm verò probè & integre semper steterit pro tuenda, retinendáque in suis terris Religione Catholica; sole clariùs eluceſcit partim ex omnibus ipsius actis, partim ex decreto 2dæ synodi Osnabrugensis de anno 1571. In hoc enim præter alia complura, quibus miserabilem Osnabrugensis Ecclesiæ statum incusabat, ità de se ipso loquitur: *In hoc tam deplorando rerum statu, si quid à nobis oppressæ Ecclesiæ adjumenti potuisset adferri, officio nostro nequaquam nos defuturos fuisse, existimari debet. Illud certè, quod unum istis temporibus vel maximè subditos movere posse arbitrabamur, studiosè, dili-*

diligentérque præstitimus; ut videlicet ab omni hæreseos suspicione alieni, sanctam Catholicam Fidem et Religionem palàm ac publicè constanti, infractóque animo, prædicaremus, profiteremur, atque etiam sequeremur, (cujus rei testimonium omnes, qui nos vel publicis, vel privatis in rebus paulò noverunt familiariùs, facillimè nobis perhibere poterunt) existimantes futurum, ut hoc nostro exemplo, si nulli alii, saltem subditi nostri, qui variis doctrinis à via veritatis abducti essent, excitati, ad gremium matris Ecclesiæ redire satagerent. Præfuit Osnabrugi annis viginti & uno, Monasterii septem & aliquot mensibus, Paderbornæ sex & paulò ampliùs. Breve ejus encomium complectuntur hi pauci versus, ex Kerssenbrochio * desumpti, & paululùm emendati:

* *Kerssenb. in catal. Ep. Pad.*

Hîc jacet Hojana Præsul de stirpe JOANNES,
Qui fuit Aonidum, Pieridúmque decus.
Relligionis erat rigidus defensor avitæ,
Quæ tanto hîc semper vindice tuta stetit.
Bis tribus ad Paderam, vix ultrà, præfuit annis;
Ac mœstâ demum tabe necatus obit.

SALENTINUS

Comes de Isenburg,

ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS,

ET

ECCLESIÆ PADERBORNENSIS EPISCOPUS XLIII.

Annus Christi 1574.

GREGORII XIII. Pontif. ùt suprà.
MAXIMILIANI II. Imper. ùt suprà.
SALENTINI Episc. Paderb. 1.

Monasterii defuncto Joanni Episcopo succedit ejusdē Coadjutor, Joannes Wilhelm⁹, Cliviæ dux. *Annales Monast. Chytræ⁹ ad hunc annū.*

DEfuncto Joanne Episcopo, Monasterienſis Eccleſia facilè recepit conſtitutum antea Coadjutorem ejus, Joannem Wilhelmum, Juliæ, Cliviæ, & Montium Ducem, Wilhelmi Ducis adhuc viventis filium. Sed quia is adhuc admodum juvenis, & nondum duodenario major erat: eidem adjunctus eſt Conradus de Weſterholt, majoris Eccleſiæ Scholaſticus, & quidam alii non ſolùm è Capitulo; ſed etiam ex equeſtri Nobilitate præluſtres viri, qui Monaſterienſem Diœceſin per octo annos nomine ipſius regerent. Eadem gubernandi methodus etiam inducenda fuiſſet in Diœceſin Oſnabrugenſem, ſi & ibi Cathedralis Eccleſiæ Canonici, quemadmodum rogati erant, in prædictum Joannem Wilhelmum ſua vota contuliſſent. At ipſi, neſcio quibus vel promiſſis irretiti, vel heterodoxæ doctrinæ illecebris invitati, magno iſtius Eccleſiæ malo ſua vota converterunt ad Henricum Saxo-Lawenburgicum, tunc Bremenſem Archiepiſcopum; ſed erroribus Lutheranis deditum, & Catholicæ Religionis oſorem peſſimum. Qua de causa nunquam à Sede Romana agnitus, aut confirmatus eſt.

Oſnabrugi magno iſti⁹ Eccleſiæ malo poſtulatur Henricus Saxo Lawenburgic⁹, Bremenſis Archiepiſcopus Luthero deditus. *Annal. Oſnabr. mſs.*

Mul-

Paderbornæ postulatur Salentinus Comes de Isenburg Coloniensis Archi-Episcopus, vir probè Catholicus. *Kerssenbr. in catal. Ep. Paderb. Chytræus, & vetera mss. Pad.*

Multò circumspectiùs Paderbornæ apud nos egerunt Cathedralis Ecclesiæ nostræ Canonici, quibus antiquæ Religionis Catholicæ vigor adhuc majori in pretio erat. Hi enim, indicto Capitularium suorum conventu, die vigesimâ primâ Aprilis concordibus votis postulavêre Salentinum Comitem de Isenburg, primævæ Religionis cultorem studiosissimum. Præfuerat hic jam à septem annis Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienſi: intereáque se, tam in rebus Ecclesiasticis, quàm in profanis, adeò præclarè sanctéque gesserat, ut inter optimos istorum temporum Antistites non immeritò censeri posset. Unde etiam Gregorius Papa, licèt eum sacerdotii expertem esse, non ignoraret, ei facilè confirmationem Apostolicam impertivit, cum plenaria potestate, ut ea, quæ sunt Ordinis Episcopalis, per Antistitem suffraganeum expleri faceret. Ecce hîc Papales *literas, die 4tâ Septembris Romæ datas:

Qui & eodem anno confirmatur à Gregorio XIII. Pontifice: *Ex Archiv. Cath. Eccl. Pad.

*Venerabili fratri Salentino Archiepiscopo Colonienſi, Gregorius Papa XIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Cùm, sicut accepimus, nuper Dilecti filii Decanus et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis, Ecclesiâ ipsâ tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis olim Episcopi Monasterienſis, qui, dum viveret, ex concessione Apostolica eandem Ecclesiam Paderbornenſem in administrationem obtinebat, extra Romanam curiam defuncti, Pastoris solatio destitutâ, Te, qui Ecclesiæ Colonienſi ex simili concessione Apostolica præes, etiam in Episcopum Paderbornenſem postulaverint: Nos, qui pro nostri universalis Pastoris officii sollicitudine utilitati Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium, quantùm cum Deo possumus, his potissimùm turbulentis et periculosis temporibus, ne illæ longæ vacationis exponantur incommodis, néve propterea in spiritualibus aut temporalibus detrimenta patiantur, diligenter providere studemus, sperantes, quòd, dirigente Domino actus tuos, præfata Ecclesia Paderbornensis sub tuo felici regimine utiliter regetur, et prosperè dirigetur: Te dictæ Ecclesiæ Paderbornensis in eisdem spiritualibus et temporalibus Administratorem auctoritate Apostolicâ tenore præsentium ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum facimus, constituimus, et deputamus. Tibíque possessionem ipsius Ecclesiæ Paderbornensis et illius bonorum, seu quasi, vigore præsentium per te vel alium, quem ad hoc duxeris deputandum, capiendi et retinendi, nec non illius mensæ Episcopalis fructus, redditus et proventus, petendi, exigendi, et percipiendi, ac debitis consuetis ipsius Ecclesiæ Paderbornensis supportatis oneribus, quod supererit, in tuos licitos et honestos usus convertendi, ac Pontificalia officia, quo ad ea, quæ sunt Ordinis, durante tuâ administratione hujusmodi, per suffraganeum à te deputandum in civitate et Diœcesi Paderbornensi exercerifaciendi, ceteráque in præmissis et circa ea necessaria seu quomodolibet opportuna gerendi, mandandi, et exequendi, plenam et liberam facultatem et

et potestatem concedimus. Mandantes dilectis filiis Capitulo et Vasallis dictæ Ecclesiæ Paderbornensis, ac Clero et populo civitatis et Diœcesis Paderbornensis, ut juxta præsentium tenorem tibi, tanquam Ecclesiæ hujusmodi Administratori, ac Patri et Pastori animarum suarum, humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam ac reverentiam debitas ac devotas: Vasalli verò et subditi consueta servitia et jura tibi ab eis debita integre exhibere, procurent. Non obstantibus Apostolicis, in provincialibúsque et Synodalibus ac generalibus conciliis, editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus, et Ecclesiæ Paderbornensis prædictæ, etiam juramento, confirmatione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis illi concessis et confirmatis, --- ceterísque contrariis quibuscunque. Hortamur igitur te plurimùm in Domino, ut hoc munus regendæ et administrandæ Ecclesiæ Paderbornensis, tuis per nos impositum humeris, sic exercere studeas sollicitè, fideliter, ac prudenter, quòd illa, sicut speramus, provido et fructuoso Administratori gaudeat se commissam; Túque in nostro et ejusdem Sedis conspectu te semper meritorum præmiis digniorem constituas, Nósque proinde ad uberiores gratias tibi faciendas per amplius invitemur. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris die IIII. Septembris MDLXXIIII. Pontificatûs nostri anno tertio.

Ac dein die 9. Decembris solenni pompa Paderbornam ingreditur. *Kerssenbr. in catal. Ep. Pad. Chytræ° l. 23. Saxon. & vetera mss. Pad.*

Post hæc Salentinus, commissæ Diœcesis possessionem aditurus, die nonâ Decembris cum egregio mille equitum comitatu Paderbornam ingressus est. Et quia nondum sacerdotio initiatus erat, non in habitu Episcopali (uti veteres Episcopi solebant) sed in veste militari, totúsque cataphractus & obarmatus, Cathedralem Basilicam subiit, ut vel hoc ipso apparatu Martio Paderbornensibus civibus, aliísque subditis commonstraret, se pro Ecclesiæ sibi commendandæ juribus, veteríque Fide Catholica, quantùm in Domino posset, constanter pugnaturum. Id quod etiam eâdem die in domo Capitulari pollicitus est per solenne juramentum; cujus primam, ultimámque partem, brevitatis consectandæ studio, juvat hîc apponere:

Ejusdem juramentum, eâdem die præstitum de tuendis Ecclesiæ Paderbornensis juribus. *Ex archiv. Cath. Eccl. Paderb.*

NOs *Salentinus, Dei gratiâ sanctæ Colonienſis Ecclesiæ Archiepiscopus, sacri Romani Imperii per Italiam Archi-Cancellarius, Princeps Elector, Westvaliæ et Angariæ Dux, Administrator Paderbornensis etc. Redditus Episcopi Paderbornensis, et Episcopalis mensæ ejusdem, non alienabimus; sed integraliter conservabimus: alienatos pro posse nostro recuperabimus, nec recuperata alienabimus. Præpositum, Decanum, et Capitulum, ac singulos de Capitulo et Ecclesia Paderbornensi, in disciplina, in jure suo, in libertatibus et consuetudinibus licitis et honestis conservabimus; et universa bona, ad Capitulum et singulos pertinentia, sicut nostra conservabimus ac defensabimus. etc. - - - Omnia et singula suprà dicta*

dicta Nos Salentinus Archiepiscopus et Administrator suprà dictus libenter servabimus, et Capitulo nostro Paderbornensi promittimus. Sic nos Deus adjuvet et sancta Dei Evangelia. Datum sub nostro sigillo et manûs nostræ propriæ subscriptione, die Jovis, nonâ mensis Decembris. Anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo quarto.

Annus Christi 1575.

GREGORII XIII. Pontificis 3. & 4.
MAXIMILIANI II. Imperat. 11. & 12.
SALENTINI Episc. Paderborn. 1. & 2.

Jubileum celebratur Romæ insolito accursu hominum. *Spond. ad hunc annũ.*

REferatâ à Gregorio summo Pontifice ante annum in pervigilio Nativitatis Domini consueto ritu januâ sanctâ Ecclesiæ Vaticanæ ad obtinendas toto hoc anno indulgentias jubilei, ingens nunc quorumvis hominum Romam accursus ex omnibus Europæ regionibus; quin & ex Æthiopia, Arabia, Armenia, Græcia, aliisque provinciis orientalibus tantâ multitudine, ut centena millia toto jubilei tempore Romæ numerata fuerint. Placuisse pietatem Superis ex eo arguebant plurimi, quòd Romanam urbem immunem servârint sævissimâ peste, quæ per varias Italiæ urbes, totâque Sicilia grassabatur; & quamvis complures ex contagiosis locis Romam adirent, nihil tamen contagionis ab his allatum fuit, quod in tanta populi frequentia multis miraculo visum simile. Obiit tamen ibidem *ex peregrinis Germaniæ Proceribus Carolus Fridericus, Wilhelmi Cliviæ, & Juliæ Ducis, filius primogenitus, consumptus febri in flore ætatis, de cujus vita & præclaris dotibus & quanto cum luctu Domûs Clivensis decesserit, alibi dicetur.

**Pighius in Her. prodicio.*

In Belgio congressus de pace initus successu irrito dissolvitur. *Spond. hic n. 3. Haræus in ann. brab. Chytræus in Saxon. ad hunc annum.*

Cùm Romæ eum in modum ferverent pietatis exercitia, Maximilianus Imperator pacis negotia cum Geusiis tractanda sumpsit; eáque de causa misit illuc Guntherum Comitem de Schwartzenburg, quem ideo valiturum authoritate & gratiâ apud Orangium putabat, quòd hujus soror Gunthero in matrimonium collocata esset. Guntherus igitur re cum Requesenio, Belgii gubernatore, communicatâ, se itineri dedit Dordracum versùs, eóque adnitente congressus ambarum partium 2 Martii institutus est in urbe Bredana, ad quam diversi tam Catholicorum quàm Geusiorum Legati convenêre. Sed pacis desiderio majore, quàm spe, & fructu: quàm primùm enim novæ offensionis lapis positus à Geusiis, postulantibus, ut Hispani tanquam exteri toto Belgio excluderentur; totúmque negotium, tum de rebus ceteris, tum de Religione tractan-

ctandum daretur convocatis omnium provinciarum Proceribus; id, cùm à Philippo Rege negaretur, asserente, Gallos, Germanos, Anglos, ac ceteros, qui Orangio militarent, potiùs exteros habendos, non verò Hispanos, qui non minùs, quàm ipsi Belgæ ad ditionem Regis pertinerent; neque generalem Provinciarum conventum, nisi arma priùs poneret Hollandia, ac Zelandia, à se permissum iri; Indè jam de futuro infelici totius congressûs eventu existimari facilè poterat; proposita tamen ad tentandos animos hæc concordiæ capita: *privilegia, leges, ac jura omnia conservarentur, Erepta utrimque, quæ extarent, restituerentur. Captivi sine pretio dimitterentur; ità tamen, ut urbes, arces, munitiones, naves, machinæ bellicæ, Regi bonâ fide traderentur, et Religio Catholica Romana ubique et NB sola constitueretur; permisso iis, qui eam profiteri nollent, bonis suis intra certum tempus divenditis, aliò migrare.* Hoc ultimum maximè Geusios pungebat, qui pertinacibus animis exercitio suæ Religionis retinendo inhærebant, obfirmati, nec deserere Belgium, nec à possessione bonorum decedere. Igitur conventus ille post inanes trium, quatuórve mensium consultationes dissolutus est. Præcipua tamen impeditæ hujus pacificationis causa meo judicio fuit, Orangii Principis obstinatio, qui, ut antiquæ Fidei æternùm valediceret, eodem illo tempore, dimissâ legitimâ conjuge suâ, novo matrimonio sibi devinxerat Charlottam Borboniam, virginem Deo consecratam, & cœnobii Jotrensis ex Ordine S. Benedicti Abbatissam profugam. Ità novis istis quinti Evangelii sectatoribus omnia, quæ libent, licent; neque ampliùs apud eos valet illud Ecclesiastæ: c. 5 ℣. 3. *Si quid vovisti Deo ne moreris reddere, displicet enim ei infidelis et stulta promissio*

Hæc Geusiorum in recusanda pace pertinacia non impunita mansit; finito enim congressu, cùm arma resumerent, solitò infeliciùs pugnatum est. Præter nonnulla oppida in Zelandiæ insulis amissa, ex toto ferè continente in eas conjecti sunt angustias, ut viribus suis diffidentes, ad potentioris vicini Principis auxilia, ne penitus interirent, confugere, necessum duxerint; atque in primis Elisabetha, Angliæ Regina, opem rogata, tametsi initio difficilior videretur magnorum bello gerendo sumptuum metu, & inimicitias Hispanorum verita, post tamen suppetias non parvas addixit.

Rudolphus Maximiliani II. filius Ratisbonæ eligitur & coronatur Romanorum Rex.

Sereniorem hoc anno fortunam vidit Maximilianus II. Imperator in comitiis Ratisbonensibus, pro deligendo novo Romanorum Rege, cum ejusdem assensu habitis. Proposuerat ibi Cæsar vires suas jam deficere, seséque ex earum imminutione non immeritò suspicari de suæ mortis proximitate; proinde ut Electores

per

per novam electionem tranquillitati Germaniæ maturè consulant, sibi maximè in votis esse, longéque jucundissimum sibi fore, si Rudolpho filio suo, jam creato Bohemorum & Hungarorum Regi, coronam Imperii decernant. Quæ propositio, cùm ab omni septemvirorum, Principúmque cœtu maximopere laudaretur, Rudolphus antè dictus, viginti quatuor annorum Princeps, die vigesimâ septimâ Octobris Romanorum Rex pronuntiatus, & Kalendis Novembribus in festo omnium Sanctorum, cum ingenti Cæsaris lætitia, coronatus est. *Spond. hic n. 9. Chytræus in Sax. ad hunc annũ. & alii.*

Optatissima quæque sibi pariter per hæc tempora Diœcesis nostra Paderbornensis sub auspiciis novi Episcopi pollicebatur; nisi quòd non parùm anxia esset ob pestem in vicinia grassantem, ne & illa in hanc urbem, totámque patriam proserperet ex civitate Monasterienſi, quam ab hoc anno per biennium ferè miserandum in modum afflixit, tantámque de medio sustulit hominum multitudinem, ut contumulandis cadaveribus ingentes ruri fossas agere, necessum fuerit. Accessit alius in eadem urbe timor, ortus ex rumore sparso, cogitare Joannem Wilhelmum, quem præcedente anno ad Monasterienſem insulam perveniſſe, diximus, abdicato Episcopatu redire ad Clivensem domum inito matrimonio propagandam, postquam Carolus Fridericus frater, designatus familiæ propagator, Romæ obiêrat. Ex eo ob evidentissima introducendæ hæreseos pericula non parvæ difficultates in eligendo novo, probatæque Religionis Antistite, orituræ timebantur, qua de causa abdicatio Episcopatûs *in decennium ex voluntate summi Pontificis dilata fuit, uti triennio pòst videbimus. Pestis in urbe Monasterienſi. *Stangefol. chron. Monast. ms.* ** chronicon Monast.*

Annus Christi 1576.

GREGORII XIII. Pontificis 6.
MAXIMILIANI II. Imperator. 12
RUDOLPHI II. Imperator. 1.
SALENTINI Episc. Paderb. 2. & 3.

TUrbatissimus rerum status hoc anno visus est in toto Belgio. Ludovicus Requesenius, Provinciarum istarum gubernator, sub exitum præcedentis anni non parvos armorum progressus fecerat in una Zelandorum *insula, cui nomen Scaldia, vulgò *Schowen*. Jámque aliis munitionibus, urbibúsque occupatis, castra moveri jusserat ad primariam illius urbem Ziriczeam, cujus obsidio usque in æstatem hujus anni protracta est. Eâ durante, vir ille præstantissimus die sextâ Requesenius gubernator Belgii, inter felices armorum progressus moritur. ** Hæreus in ann. brab. ad an. 1575*

Martii peſtilenti febre ſublatus obiit; & rerum adminiſtratio à Philippo Rege tam diu commendata eſt concilio Statuum, donec alius gubernator mitteretur. Læti hoc nuntio Belgarum Proceres obſidionem Ziriczææ vehementer promovent; eâque demum expugnatâ, in tantum pavorem conjecêre Geuſios cum Orangio ipſorum duce, ut, qui antea Bredanam pacificationem rejecerant, nunc in eam facilè conſenſuri viderentur. Conſiderabant enim, Ziriczæâ captâ totam Scaldiam in manibus Hiſpanorum eſſe, Tolam inſulam huic vicinam in Regis obſequio perſtitiſſe, ac proinde Zelandiam reliquam iſtarum inſularum interjectu ab Hollandia ſeparari: his autem ab auxilio mutuo impeditis, & hanc & illam facilè ab Hiſpanis recuperatum iri; præſertim cùm in Hollandia adhuc urbes variæ, maximéque Amſtelodamum & Harlemum, ab Hiſpanis tenerentur. Sed præclaras hujuſmodi ſpes derepente rurſus intervertit inopina militum Hiſpanorum ſeditio. Iſti enim rapaciſſimi ſocii Ziriczæâ deditâ, priusquam victoriæ continuandæ causâ in vicinam Walachriam ſe transportari ſinerent, reſiduorum ſtipendiorum causâ ferociſſimè in ſuos duces inſurrexêre: & quia tot pecuniæ tam celeriter ab iis expediri non poterant; expilatâ, relictâque Scaldiâ, turbulento impetu in Brabantiam, vicinámque Flandriam proruperunt, ibidem undique hoſtiliter diſcurrentes, ex urbium ac pagorum ſpoliis crumenam ſuam repleturi. Tum verò Belgarum Proceres, qui jam antè ſimilibus rapinis non ſemel irritati, ideóq; & militum Hiſpanorum ferociam peroſi erant, collatis inter ſe capitibus tandem de Hiſpanis toto Belgio expellendis agere, ad arma convolare, militem conſcribere, Orangium cum ſuis invocare, ac demum eò furoris devenire, ut percuſſo cum Geuſiis fœdere ſémet invicem adjuvare, & unitis viribus in Hiſpanos ire, conſtituerint. Huic autem iniquiſſimo fœderi, quod in urbe Gandavenſi, ſexto Idus Novembris concluſum eſt, non modò ſubſcripſerunt Ordines Catholici; verùm etiam (quod mirêre) nonnulli Abbates, ac Prælati Eccleſiaſtici, putantes, conſcientiæ ſuæ per hoc ſatis factum eſſe, quòd in fœderis antè dicti tabulis expreſsè caverint; *ne quid in Belgio Catholico ab Hollandis, Zelandíſque Geuſiis contra Catholicam Religionem aut ejus exercitium attentetur.* At hîc ipſi poſtmodum ſerò nimis experti ſunt, nullum fœdus tolerabile vel ſecurum eſſe, quod oves cum lupis ineunt.

Ziriczæa Zelandiæ urbs ab Hiſpanis ad deditionem cogitur, trepidante cum ſuis Orangio.

Haræus ad hunc annũ. Strada de bello Belg.

Hiſpani in ſeditionem verſi, Brabantiam, Flandriámque Regi fidam conantur expilare.

Unde commoti Belgarum Proceres, fœdere cum Geuſiis inito, nituntur eos expellere toto Belgio.

Auctores iidem. Chytræ° l. 23. Saxon. ad hunc annum.

Henric° III. Galliæ Rex ab Alenzonio fratre, & Henrico Principe Condæo

Neque pacatius hoc anno fuit Regnum Galliæ, in quo Catholicam Religionem everſum ibant Henricus Princeps Condæus, & Franciſcus Dux Alenzonius, Regis Henrici frater. Prior horum, cùm ante biennium conſpirationis detectæ causâ in Germaniam aufugiſſet, ibidem cum Joanne Caſimiro, Palatini Electoris filio, ingen-

gentem conscripserat exercitum, quem viginti duo millia peditum, equitúmque Germanicorum fuisse complexum, asserunt. Cum his per initium hujus anni magnis itineribus * properat ad Alenzonium; qui & ipse belli concitandi causâ præterito Septembri ex aula fraterna fugiens, non parvas armatorum copias collegerat in regno Galliæ. Conjunctione amborum factâ circa undecimam diem Martii, numerata sunt in toto exercitu plùs quàm triginta selectissimorum virorum millia. Quibus cùm Henricus Rex parem exercitum tam celeriter opponere non posset; avertendæ hujus invasionis causâ, tandem mense Majo ad propudiosam, reíque Catholicæ nocentissimam pacem * adactus est: nimirum, *ut Hugonotis in toto Regno permittatur facultas libera, non modò suam Religionem exercendi; verùm etiam congregandi et celebrandi synodos. Ut iidem non minùs, quàm Catholici ubivis admittantur ad honores et magistratus publicos. Ut in supremis Regni tribunalibus* (quæ parlamenta vocant) *pari numero constituantur judices è Catholicis et Hugonottis. Ut nihil controversiæ moveatur contra sacerdotum et monachorum conjugia jam contracta; eorúmque liberi censeantur tanquam legitimi. Postremò etiam, ut Alenzonio tribuatur Ducatus Andegavensis cum pensione annua centies millium aureorum etc.* Sed hæc repentina & coacta pacificatio rursus intra annum concidit; adeóque fuit instar glaciei, quæ hieme rigente coit, & sole æstivo solvitur, uti videbimus anno sequente.

cogitur ad perniciosissimam pacem ineundam cum Hugonottis: *Spond. hic n. 3. Busser. to. 2. hist. Franc. l. 20*

* *Spond. hic n. 4. Busser. loc. cit. n. 19.*

Quæ tamen intra annũ rursus dissoluta est.

Similem suæ Religionis libertatem, pro terris omnibus Romano Imperio subditis, flagitabant hoc anno Principes Lutherani in comitiis Ratisbonensibus. Convocaverat ea Cæsar ad petenda Principum Germanicorum auxilia contra Turcas, qui præcedente anno Hungariæ Christianæ fines invaserant, novásque iterum invasiones videbantur minitari. Neque magna difficultas erat in inclinandis eò Principum Catholicorum animis. At verò Lutherani seu Protestantes (qui jam sæpe aliàs per eam occasionem favores plurimos obtinuerant) vicissim rogavêre Cæsarem, ut in omnibus Imperii terris generali indulto permittatur absoluta libertas Religionis: paritérque ut omnes illi, qui in posterum Confessioni Augustanæ se adjungerent, vel jam antè adjunxissent; neque ab adeundis Cathedralium Ecclesiarum dignitatibus ac beneficiis prohiberi, neque ab iisdem antè habitis, mutatæ Religionis causâ, excludi vel privari debeant. Quod cùm Imperator non solùm constantissimè recusaret; sed etiam nullo modo in consultationibus publicis tractari sineret: multi ipsorum ausi sunt insolenter edicere & comminari; nihil auxiliorum ad infringendas Turcarum invasiones à se contributum iri, nisi novis hujusmodi postulatis Imperator

Lutherani Principes in comitiis Ratisbonensibus petunt, libertatem Religionis permitti etiam in terris Catholicis, cum potestate ibidẽ adeundi & retinendi Canonicatus ac dignitates. *Chytræus in Saxon. ad hunc ann.* sed hæc postulata, paci Religionis contraria, non so-

lùm rejiciuntur à Catholicis; verùm etiam à septemviro Saxonico.

perator consentiret. At imprudentes illæ comminationes propediem repressæ sunt, non solùm à Principibus Catholicis (inter quos Jacobus Eltzius, Archiepiscopus Trevirensis, edixisse fertur: *malle se, sibi vivo cutem à corpore universo detrahi, quàm istam Religionis libertatem comprobare*) verùm etiam, quod magìs admirêre, ab ipsómet *Augusto*, Saxoniæ septemviro, Lutherano quidem; sed juris & æqui tenacissimo. Nam & hic teste * Chytræo judicabat, *per hujsmodi postulata perforari pacem Religionis; adeóque et in Cæsaris potestate non esse, Catholicos Principes contra pacis antè dictæ leges compellere, ut Religionem aliam, quam ipsi hactenus non probâssent, suis subditis indulgerent: alioquin pari jure etiam in Cæsaris potestate fore, ut Augustanæ Confessionis Principes ad Religionem Catholicam suis subditis permittendam cogat.* Ità rursus ab iniquis ejusmodi postulatis destitum; ac tandem impetratis iis, quæ Cæsar expetiêrat, comitia hæc die duodecimâ Octobris optato fine concluſa sunt.

*Chytræus hic l. 23. Saxon.

*Laureacensis, nunc Passaviensis.

Maximilianus II. Imperator, Ratisbonæ moritur. *Spond. hic n. 14. Chytræus & alii.*

Erat hæc ipsa dies S. Maximiliano quondam Laureacensi *Episcopo & Martyri sacra: eâdémque die etiam Imperator Maximilianus, cùm decreta comitialia, præsente ipsius filio Rudolpho Romanorum Rege, in palatio senatorio publicarentur, diuturnâ corporis ægrotatione confectus, ad vitam in cælis immortalem abiit, anno ætatis quinquagesimo inchoato. Fuit hic Princeps admodum literatus, pius, pacificus; & quod omnium caput est, Catholicæ Religionis, Fideíque antiquæ retinens. Nec ferè aliud quidquam in eo carpitur, quàm quòd ante aliquot annos Nobilibus Austriacis, Luthero deditis, privatum suæ Religionis exercitium indulserit. Sed ad hoc graviſſimâ pecuniarum necessitate inductus est. Atque ideo, cùm videret postmodum, eosdem extra orbitam ire, contráque præstiti juramenti fidem etiam alios plebejos homines ad Lutherum pertrahere; facinorosam hanc audendi licentiam severissimè compescuit, uti Marcus * Hansizius refert hísce verbis: *Nulla unquam ætas Austriacis Principibus pares referet gratias: qui nisi fuissent eâ, quâ erant, constantiâ; actum erat in Austria de re Catholica. Maximilianus Cæsar, cùm videret, quò res evaderet, Nobilibus istis frenos adduxit; gravibúsque edictis primùm, deinde etiam pœnis, veluti perjuros, læsaque Majestatis reos compressit: quo ex capite nonnullos etiam è Palatio et officiis publicis jussit facessere.*

*Hansiz. in hist. Episc. Passav. pag. 631. n. 6.

Succedit ejusdem filius Rudolphus II. Romanorum Rex.

Vacantem Imperii thronum à morte patris capessivit ejusdem filius, Rudolphus II, ante annum coronatus Romanorum Rex: cui, post consueta funerum solennia, de Imperatoria dignitate inter primos gratulatus est Salentinus Archiepiscopus, Paderbornensis Ecclesiæ nostræ Administrator. Hic enim adhuc agebat Ratisbonæ, cùm comitia finirentur; nec multò pòst cum perilluſtri viro

viro Caſparo de Fürſtenberg, & aliis intimorum conſiliorum arbitris, ad Rhenum inferiorem rediît, Eccleſiarum ſuarum commodo proſpecturus. Nihil optimo huic Præſuli ſyncerioribus in curis erat, quàm utramque Diœceſim ſuam à luporum invaſionibus cuſtodire, Catholicæ Religionis florem reducere, ſcholas pro juventute meliùs formanda inſtituere, præfecturas, arcésque oppignoratas ab ære alieno expurgare. Et quidem (ut de rebus hoc anno geſtis incipiam) die viceſimâ octavâ Maji, priusquam ad Imperii comitia ſe conferret, præclariſſimum diluendi æris alieni ſpecimen dedit in redimendo Metropolitanæ Colonienſis territorio, quod vulgò *Veſtam Recklinghuſanam* nominant. Hanc ab annis ferè centum & quinquaginta poſſidebant illuſtriſſimi Comites Schawenburgici; quibus hæc olim, ſub Electore & Archiepiſcopo Theodorico de Môrſa, pignori data erat pro ſeptendecim florenorum aureorum millibus, ac præterea quingentis & quinquaginta. Neque omnium ſucceſſorum ullus ab eo tempore inventus eſt, qui tam ingentis pecuniæ debitum expungere, conaretur. Quod cùm indignum duceret Salentinus; magnis animis rem aggreſſus, ingentem illam pecuniarum vim hoc anno Schawenburgicis Comitibus, licèt admodum invitis, reddidit: ſimúlque *Veſtam Recklinghuſanam*, alieno rurſus à nexu liberam, cum immortali ſui nominis gloria Metropolitano Capitulo tenendam, ac poſſidendam tradidit.

Salentinus Archiep. Colon. à Comitibus Schawenburgicis Veſtam Recklinghuſanam redimit. *Dethmar. Müller. in chron. Tremon. Merſſæus Cratepol. in annal. Archiep. Colon. ſub Salentino.*

Nec minora ſuæ caritatis & Paſtoralis curæ ſpecimina Diœceſi Paderbornenſi præbuit, cùm è comitiis Ratisbonenſibus in Ducatum Weſtphaliæ, indéque Neuhuſium & Padibornam rediît. Nam, ùt refert Kerſſenbrochius, Beverungam arcem & oppidum, in ripa Viſurgis poſitum, redemit; Nihemenſes decimas, & molas aliquas prope Saltzkottenam, à pignore alieno ſolvit; inſignem ſupellectilem argentariam, Rege dignam, pluribúsque florenorum aureorum millibus æſtimatam, ſucceſſoribus Principibus pro Epiſcopali menſa liberaliſſimè donavit; ac demum, quo nil magìs Paderbornæ neceſſarium erat, pro meliori juventutis inſtitutione novum inibi litterarum gymnaſium prope majorem Eccleſiam adornavit, quod ab ejus nomine *Salentinianum* appellatum eſt. Primum hujus novæ gymnadis Rectorem dixit Magiſtrum Hermannum Kerſſenbrochium, virum apprime doctum, & à deſcripta Monaſterienſium Anabaptiſtarum hiſtoria celebrem: qui & biennio pòſt in evulgato Paderbornenſium Epiſcoporum catalogo utitur *hoc titulo: *M. Hermannus Kerſſenbroch, ſcholæ Padibornenſis et collegii Salentiniani moderator.* Huic deinde plures alios Magiſtros ac Præceptores addidit; antiquum, deſertúmque monaſterium

Idem, ùt Epiſcop⁹ Paderbornenſis, multa ibidem redimit,

Argentariã ſupellectilẽ pretioſam Eccleſiæ Paderbornenſi donat. *Kerſſenbr. in catal. Ep. Pad.*

Et Gymnaſium Salentinianum Paderbornæ inſtituit. *Keſſenbr. ibid.*

**in præfatione ad Epiſcopum.*

Mino-

Minoritarum unà cum omnibus ejuſdem bonis ac reditibus Magiſtrorum ſuſtentationi applicuit, novos alios proventus, tum à ſe, tum à Majori Capitulo aſſignatos, in augmentum fundationis adjecit: ac demum, ne ſaluberrimum illud opus ex defectione inſpectionis rurſum in pejus rueret, ineunte Februario ſequentis anni quatuor earundem ſcholarum Proviſores conſtituit, qui perpetuam aſſignatorum redituum curam gerant, bona aliis oppignorata redimant, Præceptoribus & Magiſtris tempore debito ſuum ſtipendium aut minerval ſolvant, & omnia, quæ ad hujus gymnaſii conſervationem, florémque pertinent, ſedulò procurent. Hi autem Proviſores erant viri ſelectiſſimi, & in ſumma auctoritate conſtituti: nimirum è Clero primario, Cathedralis Eccleſiæ Decanus, Senior, & Scholaſticus; è ſecundario autem, Curiæ Epiſcopalis judex Eccleſiaſticus, quem aliàs vulgò *Officialem* vocant, utì docent hæ ejuſdem fundatoris literæ, è lingua vernacula in latinam verſæ:

cui ſequenti aõ præfecit quatuor Proviſores & Inſpectores perpetuos.

Literæ Salentini de hac re. *Ex veteribus mſs.*

SAlentinus, Dei gratiá ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, S. R. I. per Italiam Archicancellarius, - - - Paderbornenſis Eccleſiæ Adminiſtrator etc. Cùm Nos rei Chriſtianæ, boníque publici promovendi causâ, nec non ad rectam juventutis educationem et inſtitutionem, in urbe noſtra Paderborna emendationem et reformationem ſcholarum fieri, cásque idoneis Præceptoribus adornari curaverimus: bona etiam, reditúsq; certos unà cum Capitulo noſtro eum in finem ſepoſuerimus, unde Præceptores ali, et ſcholarum fabrica in poſterum conſervari debeant: hæc autem bona ac reditus fortaſſe jacturam aliquam vel detrimentum capere poſſint, niſi è præcipuis viris proviſores et inſpectores aliqui à nobis ordinati ac deputati fuerint: idcirco proviſores, inſpectores, et curatores deputavimus et ordinavimus, deputamus etiam et hiſce literis ordinamus Reverendos, Doctiſſimos, et Honorabiles Conſiliarios noſtros et Officialem, dilectos ac devotos, Henricum de Meſchede majoris Eccleſiæ Decanum, Philippum de Weſtphalen Seniorem, Wilhelmum de Schilder Scholaſticum, et Lubertum Mejer juris utriusque Licentiatum: iisdem ſeriò demandantes, ut ſcholarum ſuprà dictarum proventus, reditus, ac bona in hoc Epiſcopatu noſtro Paderbornenſi ſita, ad easdem applicent; res pignori innexas redimant; cuilibet præceptori ſeorſim ſuum ſtipendium aſſignent, ac tempore debito perſolvi curent; inſupérque ſedulò proſpiciant ſemper, ut idonei præceptores admittantur, iíque ſumma cum induſtria ſuas functiones in ſcholis obeant. Quem in finem etiam prædicti proviſores miniſtrum aliquem inſtituere vel adornare poterunt, qui ipſis annuas omnium acceptorum et expenſorum proventuum rationes reddere, nobísque et noſtris ad Paderam ſucceſſoribus ea de re plenariam informationem ac notitiam exhibere queat. Ut autem hæc ordinatio, cura, et inſpectio futuris temporibus

bus non intereat, sed perennet; vigore harum literarum ulteriùs constituimus, ut hujusmodi cura et inspectio scholarum continuè penes Decanum, Seniorem, et Scholasticum prædictæ majoris Ecclesiæ, nec non penes Officialem, vel Curiæ nostræ Ecclesiasticæ judicem, in posterum perseveret, et per eosdem assiduè peragatur. - - - In cujus rei testimonium hisce literis arcanum sigillum nostrum appendi jussimus. Id quod factum est anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo, die ſextâ Februarii.

Annus Christi 1577.

GREGORII XIII. Pontificis 5. & 6.
RUDOLPHI II. Imperat. 1. & 2.
SALENTINI Episcopi Pad. ultimus.

NIsi noſtræ me fallant literæ, Salentinus Episcopus à fine præcedentis anni permagnam hujus hiemis partem Neuhusii & Paderbornæ manſit, ut ibidem interea temporis expediret omnia, quæ ante Episcopatûs ſui abdicationem, hoc anno factam, expediri & confici peroptaverat. Inter alia adhuc eidem ſummopere in votis erat, ut Paderbornenſes inter & Colonienſes componeretur diuturna controverſia de jurisdictione in duobus Angariæ pagis, Erwete & Weſterenkotten, nec non ſalinariis Weſterenkottenſium officinis. Paderbornenſes jurisdictionem illam ſibi arrogabant partim ex diuturno illius exercitio, partim ex antiquiſſima donatione Conradi II. Imperatoris, qui anno ſupra milleſimum vigeſimo ſeptimo Curtem Regalem Erwete, cum omnibus ad eam pertinentibus *areis, ædificiis, terris cultis et incultis*, imò etiam *cum banno et mercatu apud eandem curtem haberi ſolito, Paderbornenſi Eccleſiæ perpetualiter habendam tradidit*, utì videre eſt apud Schatenium. Contrà verò Colonienſes jus & juriſdictionem ſuam fundabant in eo, quòd Fridericus I. Imperator anno 1180.* totum Weſtphaliæ & Angariæ Ducatum Colonienſi Eccleſiæ dederit (quaſi verò ex Henrici Leonis exuviis donare plus potuerit, quàm in devicti Ducis poteſtate fuit) ſimúlq; allegabant aliqua uſurpatæ illius jurisdictionis exempla. Itaque, ut ſpinoſo huic diſſidio finem imponeret Salentinus; eò rem deduxit, ut hoc anno ab utraque parte conſtituti fuerint duo arbitri, qui partium ambarum jura diligenter examinent, &, quod æquum, rectúmque viderint, collatis inter ſe conſiliis pronuntient. Quid autem ab his effectum, & quomodo lis iſta poſtmodum in plures adhuc annos protracta fuerit, ſuo tempore explicatiùs enarrabitur.

Salentinus Epiſcopus Paderb. & Archiepiſcopus Colon. pleràq; hiemis parte moratur Paderbornæ: *Ex variis literis Pad.*

Conatur inter Colonienſes & Paderbornenſes componere litem de pagis Erwite & Weſterenkotten. *Ex veteribus mſs.*

* *Vide Schaten. ad iſtũ annum.*

Appe-

Visitat Paderborn. Diœcesim & vetera illius monumenta: *Ex veteribus mss.*

Appetente subinde vernali tempore, zelosissimus Episcopus non minimam Diœcesis partem visitandarum parochiarum causâ peragravit. Atque eâ occasione, præter alia complura, quæ ad salutem animarum curandam pertinent, etiam suis oculis inspicere dignatus est singulares aliquas Diœcesis nostræ antiquitates & monumenta: puta, fontem Altenbekanum, vulgò dictum **Bullerborn**, quotidie per aliquot horarum intervalla nunc aquis omnibus destitutum, nunc eas iterum cum ingenti sonitu per herbas & gramina copiosè provolventem: tum desertum Sennæ, veterésque campos & saltus, olim Varianâ clade & Arminii victoriâ celebres: indè rursus prope Wewelsburgum & Brenckam pervetustas Hunnorum fossas & aggeres, ab Henrici Aucupis triumpho claros; aliáque id genus monumentorum Paderbornensium vestigia, quæ Ferdinandus Episcopus toto libro doctissimè complexus est. His autem perlustratis, Arensbergam abiit, ibidem pariter, & in vicino Westphaliæ Ducatu, curaturus ea, quæ ad subditorum salutem, & Catholicæ Religionis integritatem profutura cerneret.

Defuncto Præposito Wilhelmo Westphalen, electionem Theodori Fürstenbergii confirmat. **vid. dicta ad ann. 1570.*

Interea die septimâ Julii Paderbornæ moritur Reverendissimus ac Perillustris Dominus Wilhelmus de Westphalen, Cathedralis Ecclesiæ Præpositus. Cujus obitus vel idcirco plurimùm deplorandus erat, quòd pro tuenda Fide Romano-Catholica curam semper egregiam ac singularem gereret, utì liquet ex dictis *alibi. Verùm (quæ Deo laus & gloria) tam illustris viri decessum octiduo pòst compensavit ejusdem successor, Reverendissimus ac Perillustris Dominus, Theodorus de Fürstenberg, Cathedralium Ecclesiarum Trevirensis ac Paderbornensis Canonicus, peculiari dispositione Numinis electus die Lunæ, decimâ * quintâ Julii. Erant id temporis Canonici Capitulares Paderbornæ, præter Theodorum electum, Henricus de Meschede, Decanus, Philippus de Westphalen, Senior, Mauritius de Spiegel, Bernardus de Büren, Georgius de Spiegel, Jodocus de Borch, Camerarius, Wilhelmus ab Hatzfeldt, Walterus à Brabeck, Roserus de Westrem, Zerchius de Westrem, Alhardus de Quernheim, Melchior de Plettenberg, Wilhelmus de Schilder, Scholasticus, Joannes de Hôrde, Hermannus de Winckelhusen, Henricus à Pappenheim, Fridericus de Wendt, Theodoricus de Raesfeldt, Rotgerus ab Horst, & Joannes de Hanxleden. Hi omnes & singuli (utì ex instrumento electionis constat) eâ concordiâ & unanimitate sua vota contulerunt in Theodoricum suprà dictum, ut aperto scrutinio ne vel unus omnium repertus fuerit, qui in cujuspiam alterius per-

perſonam inclinârit. Proinde electionem hanc, non ſinè Superum afflatu factam, continuò transmisêre Salentino Epiſcopo, qui adhuc agebat in Ducatu Weſtphaliæ: rogantes & ſupplicantes, ut eam auctoritate ordinariâ (ſic enim ferebat iſtorum temporum conſuetudo) ratam habeat, & clementiſſimè confirmet. Id quod etiam ab eo factum Arensbergæ, die viceſimâ ſextâ menſis Auguſti; utì docent hæ ejuſdem literæ, Theodoro electo* miſſæ:

*Literæ Salentini, in archiv. majoris Eccleſiæ.

SAlentinus, Dei gratiâ ſanctæ Colonienſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, Sacri Romani Imperii per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Weſtvaliæ et Angariæ Dux, nec non Adminiſtrator Eccleſiæ Paderbornenſis, Comes et Dominus in Iſenburg etc. Venerabili, devoto, nobis dilecto Theodoro à Fürſtenberg, Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Paderbornenſis Electo Præpoſito, ſalutem in Domino. Cùm ſuperioribus diebus, proximus prædeceſſor tuus Guilielmus Weſtvaêl, prætactæ Eccleſiæ, dum viveret, Præpoſitus, vitam cum morte commutâſſet; eâque ratione, defuncto illo, Decanus et Capitulum, Eccleſiæ conſultum iri volentes, alium in demortui locum ſubrogare ſategerint: compertum, relatúmque nobis eſt, te vocatis vocandis, omnium concordantibus ſuffragiis in Præpoſitum ſæpe dictæ Eccleſiæ electum eſſe: ſupplicatúmque ſit, ut te, Majorum noſtrorum more, auctoritate noſtrâ ordinariâ confirmare, dignaremur. Itaque hujuſmodi precibus inclinati, decretóque electionis præfatæ nobis præſentato, ac per noſtros ad hoc deputatos Commiſſarios, utì moris et juris eſt, diligenter diſcuſſo, et Rotulo teſtium per eos examinatorum per nos viſo et examinato, quùm ſuprà dictam electionem de perſona tua rite et Canonicè factam conſtet, eandem auctoritate noſtrâ ordinariâ approbavimus, admiſimus, et confirmavimus: prout approbamus, admittimus, et confirmamus; tibique (recepto abs te primitus juramento ſolito) præſentium tenore committimus, ut munus Præpoſituræ ſubeas, omniáque, quæ huic provinciæ atque dignitati incumbunt, expedias, faciásque. Non obſtantibus, in contrarium facientibus quibuſcunque. In cujus rei teſtimonium, ſigillum noſtrum præſentibus, manu noſtrâ propriâ ſubſcriptis, appendi fecimus. Datum ex caſtro noſtro Arnspergo, die viceſimâ ſextâ menſis Auguſti, Anno à Nativitate Domini milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo.

Paderbornenſem Epiſcopatum die 5. Septembris; *Kerſſenbr. in catal. Ep. Paderb.

Poſt hæc Salentinus, tandem acturus id, quod emorientis familiæ propagandæ causâ jam pridem animo volutaverat, ex Arenſbergenſi caſtro Padibornam rediît; ibidémque die quintâ Septembris* in Capituli majoris conſeſſu Paderbornenſem infulam abdicavit, non ſinè maximo omnium ſubditorum dolore: qui, utì venientem cum gaudio ſuſcepêre; ità recedentem penè cum lachry-

Coloniensē verò Archi-Episcopatū die 14 ejusdem abdicat, & paulò pòst uxorem ducit. *Brower. in annal. Trevir. Kerssenbr. loc. cit. Cratepol. in annal. Archiep. Colon.*

mis prosecuti sunt. Tum deinde citatis itineribus Coloniam Ubiorum properans, etiam illic die decimâ quartâ Septembris in senatu Capitulari Archiepiscopatûs & septemviratûs insignia deposuit: nec longè pòst, nimirum IV. Idus Decembris, ut labanti Comitum Isenburgicorum prosapiæ masculeam prolem suscitaret; adhuc Ordinum sacrorum expers, cum Antonia Wilhelmina, Joannis Comitis Arembergensis filia, solenne matrimonium Bonnensi in oppido contraxit. Præfuit utrique Diœcesi cum summa laude, Princeps verè pius, prudens, Catholicus, religiosè parcus, & munificus: verbo talis, in quo nihil culpari potuit, quàm quòd Episcopus non maneret. Certè hac odiosâ renuntiatione non modò sibi; sed & utrique Episcopatui à se dimisso vehementer nocuit. Sibi quidem, quia è tanta dignitate ad exigui Comitatûs angustias devenit; & familia Isenburgica, quam ab interitu vindicare voluit, postea tamen in Ernesto ipsius filio* prorsus intercidit. Suis verò Episcopatibus, quia tam Coloniæ, quàm Paderbornæ, infelicissimâ Capitularium electione tales (prô dolor!) successores habuit, qui suis Diœcesibus extremam ferè perniciem attulêre; uti ex annorum sequentium decursu manifestum fiet.

Imhoff. in notit. Proc. S. R. I l. 6. c. 7. n. 3.

HEN-

HENRICUS
Saxo-Lavvenburgicus,
ARCHI-EPISCOPUS BREMENSIS.
ADMINISTRATOR OSNABRUGENSIS,
ET
ſolo nomine tenus
EPISCOPUS PADERBORNENSIS
XLIV.

Annus Chriſti, ùt ſuprà.

GREGORII XIII. Pontif.	6.
RUDOLPHI II. Imper.	2.
HENRICI Admin. Paderb.	1.

PRæclariſſimè ſe habuerant Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Canonici, cùm ante paucos menſes in locum defuncti Præpoſiti, Wilhelmi de Weſtphalen, communi ſuffragio delegerant Theodorum Fürſtenbergium, Catholicæ Religionis defenſorem ac tutatorem optimum. At paulò pòſt, egregium hunc ardorem, zelúmque orthodoxæ Fidei, turpiſſimo facto corruperunt; cùm Salentinus Præſul, conjugales thalamos amplexurus, Paderbornenſi Epiſcopatui nuntium remiſiſſet. Erant adhuc eo tempore in Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Collegio non pauci viri præſtantiſſimi ac probè Catholici: è quibus (utì poſtmodùm Theodori Fürſtenbergii exemplo patuit) facillimè deſumi poterat Epiſcopus, mitrâ Paderbor-

Paderbornæ in locũ Salentini improſperè deligitur Henricus, è Domo Saxo-Lawenburgica, Archiepiſcop⁹ Bremenſis &c. *Kerſſenbr. in catal. Ep. Pad. Chytræus in Saxon.*

nensi dignus; nisi plurimorum judicia censuissent, ad ejusmodi honores in his temporum difficultatibus adsciscendum esse Principem: auctoritate & armis maximè valentem. Talem verò credebant fore Henricum Saxo-Lawenburgicum, Archiepiscopum Bremensem, Administratorem Osnabrugensem, & Episcopatûs Monasteriensis competitorem, Coloniæ quondam in studiis enutritum. Is enim, licèt ad Lutheranæ Religionis dogmata non mediocriter affectus, ideóque nondum à Sede Pontificia ad Osnabrugensem Cathedram admissus aut confirmatus esset; eam tamen animi sui propensionem ambidextrâ simulatione etiamnum obtegebat: vidíque literas ipsius de anno 1575, in quibus *dolore crocodilino queritur: *se apud Sanctitatem Pontificiam humillimè, et cum omni obsequentia debita, pro obtinenda confirmatione sua institisse: ab ea tamen impetranda sinistris aliorum invidentium denuntiationibus præter omnem exspectationem hactenus impediri; neque tamen adhuc penitùs desperare, quin eâ tandem pro suo, suorúmque voto potiturus sit.* Itaque his, aliísque fucis & simulationibus fascinati Canonicorum plurimi (frustra dissuadentibus aliis, qui anguem sub herba latitantem verebantur) demum die decimâ quartâ *Octobris Henricum antè dictum ad Ecclesiæ nostræ Administrationem postulavêre: simul additâ hac lege, ut singulis annis per tres menses in Diœcesi *Paderbornensi, per tres etiam in Osnabrugensi, & per semestre spatium in Archiepiscopatu Bremensi, aulæ suæ sedem, vel, ùt vulgò nominant, *Residentiam* caperet. Id quod etiam die decimâ sextâ Novembris ab eo acceptatum, & subscriptâ manu propriâ roboratum est.

qui Catholicam Religionem egregiè simulabat, licèt animo Lutheranus esset. *ex variis mss. veteribus.*

*Literæ ex autographo Archivi Osnabr.

*Kerssenb. in catal. Ep. Paderb. & alia vetera mss.

*Chytræus in Saxon. Hamelm. in chron. Oldenb. pag 436.

Infelicissima quidem fuit hæc electio seu postulatio viri, de puritate Fidei Catholicæ tam suspecti. At longè infelicior fuit ea, quâ Capitulum Colonienſe die quintâ Decembris, postposito Ernesto Bavaro, Hildesiensi & Frisingensi Episcopo, in Salentini locum delegit Gebhardum Truchsesium: illum, inquam, Truchsesium, qui postea sacrilegis nuptiarum suarum tædis non modò Diœcesin Colonienſem; sed etiam Westphaliam penè totam in flammas bellorum egit. Erat is ex perantiqua familia Truchsesiorum de Waldburg, laudatissimi quondam Principis, Ottonis Truchsesii, Cardinalis & Episcopi Augustani, ex fratre nepos, & Præpositus Augustanus. Honores Archiepiscopales potissimùm consecutus est arte & operâ Hermanni Comitis Neuenarii, hominis apprime Lutherani, ideóque Ernesti Bavari potentiam & zelum syncerum veriti. Is enim Canonicos illos, quos vel pede non satis firmo stare, vel ad partes Protestantium nonnihil propendêre noverat, sigillatim adiit: eósque partim blandiloquâ sui oris elo-

Coloniæ in Salentini locum die 5. Decembris deligitur Gebhardus Truchsesius, *Michaël ab Isselt l. 1. belli Colon. Klockner. in hist. Paderb. mss. part. 3.*

quen-

quentiâ, partim etiam promissionibus aut inductionibus subdolis, in Gebhardi vota sic pertraxit; ut, cùm in senatu Metropolitano ad suffragationem veniretur, Gebhardus uno voto Ernestum Bavarum anteceſſerit. Et hic initio quidem, nisi insignis, perfidúsque simulator fuerit, præferebat animum probè Catholicum. Etenim sequenti anno Confluentiæ, die vigesimâ quartâ Aprilis, juramentum illud, quod Ecclesia Romana ab Episcopis & Archiepiscopis juxta sacrorum Canonum præscripta postulat, Jacobo Archiepiscopo Trevirensi, tanquam Apostolicæ Sedis delegato, in præsentia multorum præstitit; nihilque aliud, quod ad veram Catholicæ Fidei confessionem requiri potest, prætermisit. Qua de causa etiam Gregorius XIII. Romanus Pontifex, repudiatâ Ernesti Bavari contradictione (qui ad Curiam Papalem appellaverat) non modò Gebhardi electionem confirmavit; verùm etiam, ùt in literis iisdem additur, penitissimè persuasus fuit, neminem illo magis idoneum, & *Religionis orthodoxæ studiosiorem, aut Ecclesiasticæ disciplinæ observantiorem fore.* Hæc autem spes quâ & quali unius Dalilæ seductione postmodum interversa fuerit, suo tempore declarabo.

Qui & aõ sequente publicam Religionis Catholicæ professionẽ fecit, *Klockner et Isselt loc. cit.*

Et paulò pòst à Gregorio XIII. Papa confirmatus est *Auctores iidem.*

Ceterùm & hoc anno Warendorpii in Episcopatu Monasterienſi casus admodum funestus die trigesimâ Aprilis contigit. Civis aliquis domi suæ mactaverat vitulum, qui fortè paulò antè, quòd à matre divulsum se doleret, multum clamoris dederat. Id cùm sollicitè observâsset ejusdem filiolus; conversus ad eum pater, cultrúmque lanionium ostendens, dixerat: *sic et tibi fiet, si in posterum vocifereris, et inconditos in domo mea ploratus edas.* Credidit puer hanc esse pœnam parvulorum, qui multùm vociferantur & ejulant. Paulò pòst uterque parens aliquantisper exibant ædibus; & alium pusionem, adhuc in cunis jacentem ac dormientem, commendat mater filiolo suprà dicto, donec ipsa protinus reversa fuerit. Interim evigilat in cunis pusio, &, ùt fieri persæpe solet, ingentem simul vagitum edit. Quem ubi filiolus natu major compescere non valeret; memor verborum sui patris, lanionium cultrum haud procul à se jacentem arripit, & vagienti fraterculo suo jugulum abscindit. Qui & indè, velut re bene gestâ glorians, matri suæ, post breve tempus redeunti, procurrit obviàm; & ei cultrum adhuc sanguine madentem exhibet: *ecce!* ait, *ô mater! quia noster in cunis pusio tam acerbè flevit, nec absistere à ploratu voluit; ego eidem perinde, ac pater meus vociferanti vitulo, guttur abscidi.* Consternata hoc viso mater, & præ dolore subitaneo penè, quid ageret, facerétque, nescia, continuò sanguineum cultrum filiolo suo è manu eripit, & cordi ipsius ità intorquet, ut exanimis in terram

Funestissimus casus, qui hoc anno contigit Warendorpii. *Dethmar. Müller. in chron. Iremon.*

cade-

caderet. Indè verò adhuc magìs exterrita, & velut amens dolore facta, rursus cultrum ex corde ipsius extrahit; séque ipsam è vestigio confodiens, miserabili catastrophe tragœdiam infaustam claudit.

In Belgio Joannes Austriacus, à Rege constitutus gubernator. *Haræus in ann. brab. Strada de bello Belg. Dec. 1. l. 9.*

Satìs hæc de rebus ad Westphaliam & vicina loca pertinentibus. Nunc etiam delibanda sunt pauca de rebus extraneis; & in primis quidem de Belgio, ubi adhuc omnia perturbata ac plena confusionis erant. Advenerat illuc sub finem anni præcedentis Joannes Austriacus, à Philippo Rege designatus gubernator; studebátque istarum Provinciarum Ordines omni humanitatis & officiorum genere sibi plurimùm devincire: ità, ut etiam ipsorum pacandorum causâ Hispanos, exterósque milites, de quorum insolentia potissimùm conquesti erant, cum Philippi Regis consensu ab se dimitteret. Placebant hæc summopere Statibus Catholicis: neque jam aliud ad quietem Belgii reducendam deerat; quàm ut etiam Orangius & ejusdem socii in communem pacem, cum Joanne Austriaco à Catholicis initam, suos animos inclinarent. At ille, ùt erat pestilens hæreticus, non modò pacem illam cum stomacho rejecit; verùm etiam Catholicorum virorum plurimis falsissimè persuasit, eam animi facilitatem in Joanne Austriaco simulatam esse, neque ad finem alium, quàm ad eosdem postea fraudulentiùs opprimendos tendere. His autem susurrationibus effectum est primò, ut in multorum animis nasceretur aliqua in Joannem diffidentia. Deinde etiam processu temporis adversùs eum effusi sunt seditiosi quidam & infames libelli, qui hujusmodi igniculos jam accensos alerent. Ad extremum denique, flamma ista sinistris quarundam literarum interpretationibus eum in modum crevit, ut Joannes Austriacus die septimâ Decembris à seditiosis Ordinibus velut publicæ tranquillitatis perturbator declaratus; & Matthias Archi-Dux, inscio fratre suo Rudolpho Imperatore, in ejus locum evocatus fuerit. Quæ res iterum diuturno tristissimóque bello feralem scenam aperuit, Geusiis interim sub Orangio duce suo fortunam ad vicina quælibet explicantibus.

Paulò pòst, in eâ apud omnes invidiam trahitur, ut ab iisdem patriæ hostis declaratus sit, *Haræus & Strada loc. cit.*

Vocato in locum ejus Matthiâ Archiduce. *auct. iidem*

In Gallia pacificatio, præcedente anno cum Hugonottis inita, rescinditur occasione novi fœderis Catholici. *Spond. ad ann. 1576.*

In Galliis interim Catholica Religio nonnihil iterum attolli cœpit occasione novi Catholicorum fœderis; quod, quia contra hostes antiquæ Fidei percussum erat, *fœdus sacrum* appellari voluêre. Auctores illius fuerant quàm plurimi viri Nobiles in Picardia & Pictavia: qui, cùm vidissent anno superiore nocentissimam illam pacificationem, quâ Henricus Rex, armis Hugonottorum obrutus, omnem illis exercendæ hæreseos libertatem indulserat; tacitus tam indignum aversati, se, suáque omnia, etiam usque ad sanguinis & vitæ profusionem, devoverunt pro tuenda Fide Catho-

tholica, & excludenda cujuslibet alterius Religionis libertate. Notitia illius tam pii, ſacríque fœderis primùm ad Regis aures permanavit in comitiis *Bleſenſibus, exeunte anno priore cœptis. Deinde in iiſdem comitiis actum, & ad inſtantiſſimas prædictorum fœderatorum ſollicitationes concluſum eſt, pacificationem anni prioris, velut Catholicæ Religioni nocentiſſimam, reſcindi ac revocari oportere. Poſtremò etiam, cùm Hugonotti id recuſarent, iterúmque ſe ad arma in Regem verterent; immiſſis duobus exercitibus eum in modum domiti & oppreſſi ſunt, ut protenſis ferme ambobus brachiis ad pacem anhelaverint. Quæ & illis poſtea die quintâ Octobris conceſſa fuit his conditionibus: *Religio Catholica reſtituatur in omnibus Regni urbibus et locis, unde ejecta fuerat. Exercitium Calviniana Religionis permittatur ſolùm in iis locis, quæ ejuſdem exercitio ante hoc bellum ultimum deputata ſunt. Liberum Hugonottis eſto, ſinè ſuæ Religionis exercitio habitare, quocunque in loco velint: ità tamen, ut ibidem feſta Catholicorum ſervent, et in matrimoniis contrahendis etiam obſervent conſanguinitatis et affinitatis gradus, à Romana Eccleſia præſcriptos.*

*Spond. ib. n. 8.

Hugonotti, Regiis armis devicti, adiguntur ad novam pacificationem Catholicæ Religioni magìs faventē. *Spond. ib. n. 6 & 7. Buſſier. to. 2. hiſt. Franc. l. 20*

Annus Chriſti 1578.

GREGORII XIII. Pontificis 6. & 7.
RUDOLPHI II. Imperator. 2. & 3.
HENRICI Admin. Paderb. 1. & 2.

PRopè aberat, ut Catholica Religio novam hoc anno plagam accepiſſet in Weſtphalia, niſi imminens illud malum egregio quorundam virorum zelo ac ſollicitudine fuiſſet præpeditum. Joannes Wilhelmus, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, cùm ob mortem ſui fratris Caroli Friderici, triennio abhinc defuncti, in ſucceſſionem paternorum Ducatuum vocaretur; Monaſterienſi Capitulo non ità pridem propoſuerat, ſe libenter ab Epiſcopatu Monaſterienſi deceſſurum, dummodo ſibi ſpem non obſcuram facerent de ſurrogando, ùt ipſe cuperet, conſobrino ſuo, Erneſto Bavaro, Hildeſienſi, & Friſingenſi Epiſcopo. Placebat id ſummopere Cathedralis Eccleſiæ Decano Godefrido à Raesfeldt, & aliis antiquioribus, Romanæ Sedi, veteríque Fidei addictiſſimis. Jam enim ex rebus, Hildeſii ab eodem geſtis, perſpicuè nôrant, eſſe Principem probè Catholicum, atque ejuſmodi, in quo ſyncera Majorum noſtrorum Fides ac pietas cum avito ſplendore generis feliciſſimè conjuncta ſit. Contrà verò Conradus à Weſterholt, Scho-

Henricus de Saxen-Lawenburg Monaſterienſē Epiſcopatū adipiſci nititur fraude & operâ Conradi Weſterholtii, ejuſdem Eccleſiæ Scholaſtici. *chron Monaſt. mſ. Chytræus l. 23. Saxon. ad an. 1574*

Scholasticus, & Pro-Princeps Monasterienſis, etiamſi exteriùs fronte & ore ſimularet, ſe etiam ſtare pro Erneſto Bavaro; occultè tamen collimabat in Henricum Saxo-Lawenburgicum, Bremenſis, Oſnabrugenſis, & Paderbornenſis, Eccleſiarum Antiſtitem poſtulatum: pro quo etiam plurimorum Canonicorum, præcipuè verò juniorum, vota tacitiſſimè collegerat. Subinde fraudem fraude cumulaturus, non ſolùm Raesfeldii Decani & ſeniorum; ſed etiam ſua, ſuorúmque juniorum vota ad Erneſtum defert: mentitúrque, eum certò, conjunctis horum ſuffragiis, ad Monaſterienſem infulam aſſumptum iri, dummodo Joannes Wilhelmus legitimis tabulis Epiſcopatui, juríque ſuo renuntiet. Credidit Erneſtus aſtutæ huic, ſubdolæque vulpi. Nec multò pòſt etiam Joannes Wilhelmus, ab Erneſto monitus, abdicationis ſuæ tabulas expediri fecit, eásque Legatis Monaſterienſibus in manus tradidit: cum ea tamen expreſſa proteſtatione * ad Dominos Capitulares à ſe perferenda, quòd, ſi in hac re fraudem aliquam animo tegerent, & Erneſtum poſtea dolosè præterirent; hujuſmodi abdicatio à ſe facta nullius planè roboris aut valoris eſſe debeat. Non prævideratWeſterholtius hanc proteſtationem, die 23 Februarii unà cum literis abdicatoriis in Capitulo propoſitam. Eâ tamen auditâ, ne continuò vulpem detegeret, permiſit intrà dies paucos ad novi Antiſtitis electionem pergi. Scrutatores votorum deſignati erant, præter Weſterholtium, duo Canonici Erneſto Bavaro addictiſſimi: quibus de more adjuncti fuêre Capituli Syndicus, Notarius, ac alii duo teſtes. Hos Godefridus Raesfeldius Major Decanus, Weſterholtii & juniorum conſpirationem non imprudenter veritus, jam antè præmonuerat, ut aliquo pedum ſtrepitu ſignum ederent, ſi Weſterholtius forſan, aliter ac ſimulaverat, pro Henrico Lawenburgico ſuffragium ferret. Proſperrimum ſanè conſilium! imò & ejuſmodi, ex quo pependit ſalus totius Dioeceſeos! cùm enim Weſterholtius paulò pòſt Henrico Lawenburgico ſuffragatus eſſet; atque ideò Capituli Syndicus, quaſi ſputum aliquot extriturus, pedum ſuorum ſtrepitu fraudem ejus detegeret: Raesfeldius Major Decanus continuò aſſurrexit, & ſuſpenſæ hodiernæ electionis actu è Capitulari congreſſu abiit, reliquis etiam Canonicis abeuntem è veſtigio conſequentibus.

Tum verò in comitiis Dioeceſanis, die decimâ quartâ Martii, Monaſterienſi in urbe habitis, Joannis Wilhelmi abdicatio, ab ejuſdem & Erneſti Legatis, publicè revocata eſt propter defectum conditionis non impletæ: ſimúlque Weſterholtius primùm infidelitatis ac perfidiæ convictus coram Statibus patriæ; deinde & Romæ apud Gregorium Pontificem accuſatus, velut homo ſuſpectus de hæreſi,

*Chytræus ibid. chron. Monaſt. mſ.

Sed ea fraus artificiosè detegitur à Decano Godefrido Raesfeldio. chron. Monaſt. mſ.

Joannis Wilhelmi, Cliviæ Ducis, reſignatio à Gregorio Pontifice pronuntiatur irrita. chron. Monaſt. mſ.

hæresi, Principíque Lutherano magìs, quàm Catholico & probato favens. Quo audito Gregorius Papa, nascenti huic malo occursurus, continuò duplex edictum expediri jussit: unum, quo Joannis Wilhelmi renuntiationem, velut absque Pontificio consensu factam, pronuntiavit irritam ac inanem; alterum verò, quo præcepit Westerholtio, ut intrà sexaginta dies Romæ se præsentem sistat, ibidémque in persona propria de criminationibus contra se adductis causam dicat. Ridebat hæc primùm vir ambiguæ fidei: imò non solùm ridebat ea; sed etiam (ut omnem Romanæ Sedis reverentiam videretur exuisse) literas illas Apostolicas, quibus Romam citabatur, intrà ædium suarum septa prælta ex arbore suspendit, non sinè magno Decani & aliorum seniorum opprobrio. At ubi postmodum sequebatur altera, multóque acrior citatio (quâ eidem omnia beneficia & proventus Ecclesiastici tam diu jubebantur subtrahi, donec Romæ se purgâsset) Jovi tandem fulminanti cedens, Curiam Papalem adiit: indéque rursus re infectâ Monasterium veniens, abdicato Canonicatu suo & honoribus antè habitis, apud Oistfrisiæ Comitem Cancellariatûs officio potitus est. Joannes autem Wilhelmus ex eo tempore Monasterienſem insulam adhuc retinuit usque ad mortem Henrici Lawenburgici; quæ magno omnium Catholicorum gaudio tandem contigit anno 1585, utì suo loco fusiùs exponetur.

Westerholtius ob hæreseos suspicionem citatur ad curiam Romanam: *chron. Monast. mss.*

Indéque causâ vulneratâ, perditâque rediens, Canonicatum abdicat. *chron. Monast. mss.*

Paderborna interim, quæ eundem Lawenburgicum jam antè ad Episcopale regimen depoposcerat, non sinè lachrymis hoc anno vidit, cuinam lupo Christianas oves commendaverit. Licèt enim ille nullum ad Catholicam Fidem ejurandam cogeret; vel ex eo tamen veræ Christi Ecclesiæ plagam admodum luctuosam intulit, quòd subditorum suorum cuilibet plenissimam Lutheranæ fidei complectendæ libertatem daret. Nam hoc ostio aperto, non solùm Paderbornenses cives, quorum animi jam pridem ad Lutherana dogmata propensi fuerant; sed etiam ipsímet Parochi & animarum curatores plenis passibus ad novi Evangelii pascua procurrerunt. Hos inter primus erat Georgius Holthusius, Cathedralis Ecclesiæ concionator, & Pastor ad S. Pancratium, homo quidem disertus & ore promptus; at ejusmodi simul, qui prô dolor! teste *Kersenbrochio, jam pridem *volaverat inter utrumque*. Is, ùt primùm sub acatholico Principe nactus est occasionem effundendi venenum in corde latens; continuò rejectâ Fide Catholicâ Lutherum induit, & mulierculam, quam diù deperiêrat, in urbis totius oculis uxorem duxit. Neque multum temporis intercesserit, quin & alii Pastores urbis in eandem silvam iêrint, Holthusii præeuntis exemplo tracti. Certè is, qui in æde Bustorffiensi parochialem

Henricus Administrator, Paderbornæ, cum ingenti Religionis damno, permittit libertatem doctrinæ Lutheranæ: *Ex veteribus mss.*

**Kersenb. in catal. Ep. Paderb. sub Joanne de Hoja.*

Ipsis etiam animarum curatoribus ab antiqua Fide recedentibus. *Klockner. in hist. Paderb. mss.*

cathedram obtinebat Hermannus Kersting, Wiedenbrugensis (etsi per hunc annum se adhuc abstinuerit à matrimonio, visurus fortasse, quid Holthusio præcessori fieret) à doctrina tamen Catholica se aversum exhibere; & Lutheranum virus, quod hucusque texerat, confluenti populo suaviloquis verbis instillare non desiit. Oppositi sunt quidem huic novatori Bustorffiensis Ecclesiæ Canonici; neque permiserunt amplius, ut ibidem aliquid ageret vel attentaret, quod Lutheranam, & Romanæ Ecclesiæ dissentaneam doctrinam saperet. At ille nihil indè motus, derelicto Bustorffiensi templo repentè se recepit ad sacellum S. Laurentii in vicina platea *vulturea: ibique magno civium favore & applausu tam diu perrexit Lutheranam doctrinam evulgare, Catholicæ Ecclesiæ ritus explodere, & Eucharistiam sub utraque specie accurrenti populo ministrare, donec haud multò pòst, subitaneâ & improvisâ morte infelicem animam ad inferos ejectaverit, *sinè luce*, ùt ajunt, *et cruce mortuus*. Neque has & aliorum Apostatarum insolentias coërcere poterant Cathedralis Collegii Proceres: quia & ipsi jam didicerant, vereri Principem infausto sidere postulatum, & hic acerrimè pro concedenda civibus conscientiarum suarum libertate stabat. Ità factum, ut repentè urbe totâ Lutheranum Evangelium reciperetur; intráque unum alterúmve annum vix unus & alter in senatu aut plebe fuerit, qui antiquam Fidem Romano-Catholicam syncero corde sectaretur.

*vulgò die Geyer-Straß.

Paderbornensem Diœcesim ingreditur, *ex antiquis mss.*

Inter hæc tristia suæ administrationis initia, Henricus pseudo-Episcopus noster mense Julio Neuhusium ac Paderbornam venit: ubi inter alia gratulationum officia etiam Hermannus Kerssenbrochius, Salentiniani apud nos gymnasii Rector, catalogum Episcoporum Paderbornensium à se conscriptum, typísque Lemgoviensibus editum, novo Principi in xenium obtulit. In eo poterat videre Princeps, quàm probi, sanctíque Præsules Paderbornensi sedi à primis Ecclesiæ nostræ incunabulis præfuerint: è quorum numero (si unum excipias Hermannum Wiedanum, postea exauctoratum) hucusque nemo fuerat, qui doctrinam à Fide Catholica alienam coleret. Sed hæc vel non vidit, vel potiùs videre noluit, quia *oculus* ejus jam erat *nequam*; sive talis, qui virtuti vitium & præceptis Ecclesiasticis novam vivendi libertatem ac licentiam antefebat. Paderbornâ subinde post moram aliquam profectus est ad alias nostræ Diœcesis urbes & oppida: inter quæ etiam Saltzkotena, à salinariis officinis admodum celebrata, honorem habuit, venientem ad se Principem intrà sua mœnia complectendi. Ibi controversiam aliquam de pendendo salis tributo, quæ sub ejus decessore Salentino mota & nondum finita erat, consentiente majori

Saltzkottenam visitat, controversiam aliquā ibi componit, novásq; molas ædificari jubet.

majori Capitulo feliciter composuit; vetera Dominorum salinatorum jura, libertates & privilegia, die vigesimâ 2dâ Augusti gratiosissimè confirmavit; simúlque molam novam frumentariam, olearíam, & fulloniam, pro commodiore civium & accolarum usu ab imis fundamentis erigi ac fabricari, jussit, utì ex literis diversis constat.

Digresso Principe, cùm omnis materia, ad exstruendas hujusmodi molas necessaria, studiosè convehi & comparari cœpta esset; repentè fontes *Hederæ** fluvii, qui aliàs copioso fluxu Saltzkottenam alluebat, aquam solito parciorem protrudere, visi sunt. Factâque tandem investigatione sedulâ compertum est, suprà dictam amnis imminutionem proficisci ex eo, quòd Canonici Regulares in Bôdeken, ut uberiorem aquam ad molendina sua derivarent, in flumine *Alma* voraginosos aliquos terræ fauces obstrui & obturari fecerint. Quo intellecto Henricus Administrator, qui eo tempore jam in Osnabrugensem Diœcesin reversus erat, Saltzkottensi Gogravio suo quantocyus imperavit, ut hujusmodi foramina ac subterraneos meatus recludi faciat, atque undis in terram subsidentibus fluxum aliàs consuetum curet. Ecce hîc ipsas Henrici Antistitis literas, hac de re ad Gogravium Saltzkottensem datas, & è lingua germanica latinè redditas:

**vulgò* die Heder.

Foramina quædam & hiatus terræ in Alma flúvio à Bôdecensibus obturatos, pro Saltzkottensium commodo recludi jubet.

Ex literis Henrici Administr. in urbe Saltzkottensi.

Dilecte fidelis. Jam edocti sumus, quòd Pater, et Conventus monasterii nostri Bödecensis, voragines quasdam vel hiatus terræ in flu-
vio nostro Alma, *ex quo rivus noster* Hedera *non parvum incrementum accipit, obturare, atque eâ ratione nobis et molendino nostro in urbe Saltzkottena nocumentum aliquod inferre, conati sint. Id quod ab iis minimè exspectavimus; ideóque meritò inducimur, occasionem congruam circumspicere, quâ his ipsorum ausibus vicem aliquam rependamus. Ne autem interea nobis detrimentum aliquod ea ex parte accidat; hisce tibi præcipimus, ut non minùs, ac ab aliis memorati molendini nostri curatoribus hactenus factitatum est, prædictorum hiatuum obturamenta excutias, fluvialibus undis cursum liberum restituas, neque ullatenus te ab hujusmodi rebus exequendis abstrahi vel retardari sinas. Id si fiat abs te, seriam voluntatem nostram effeceris etc. Datum Fürstenaviæ in Residentia nostra, die septimâ Novembris, anno 1578.*

In Belgio per decursum præsentis anni adhuc omnia tam plena turbis ac tumultibus erant, ut Ordines Catholici, ad avertendum antiquæ Religionis interitum, penè semper alia ex aliis consilia caperent. Matthias Archidux, quem adversùs Joannem de Austria sub finem anni superioris in Belgium evocaverant, non regebat ibi; sed regebatur ab Orangio, vicario suo: qui ejusdem juventute abusus, non modò multis ex urbibus Religiosos & Catholi-

In Belgio Matthias Archidux, ab Ordinibus ad regendum evocatus, non regebat; sed regebatur ab

Orangio, cum ingenti damno rei Catholicæ.

tholicorum Primores expulit; sed etiam Amstelodamum, Philippo Regi hactenus fidissimum, diuturnâ obsidione ad se dedendum ac submittendum compulit. Contrà verò Joannes de Austria, revocatis ex Italia militibus Hispanis, quos amore pacis ante annum

Haræus in ann. brab.

abire jusserat, novum adunavit exercitum virorum circitèr octodecim millium; deditque eis pro vexillo primario triumphalem

Joannes de Austria insigni clade fœderatorũ exercitum fundit apud Gemblacum.

Domini crucem cum hac inscriptione: *in hoc signo vici Turcas, in hoc signo vincam Hæreticos.* Tum deinde cum Alexandro Farnesio notæ pariter virtutis milite, quem ex Italia unà cum Hispanicis legionibus obtinuerat, summa cum fiducia processit contra fœderatos; eosdémque pridie Kalendas Februarii prope Gemblacum* oppidum tam admirabili clade protrivit, ut ejus diei victoria prodigio magis, quàm robore militari parta videretur. Ceciderunt ex Hispanis vix decem viri; è fœderatis verò octo vel decem millia: captus eorundem belli dux Goignius, multíque milites Belgæ: relata ab hostibus militaria signa quatuor ac triginta, unà cum impedimentis, curribus, tormentis: &, quod magis admirêre, tota hæc victoria solùm à duabus equitum legionibus reportata est, priusquam reliquus miles ad pugnam deveniret. Altero mox die Gemblacum oppidum, ubi sedes belli à fœderatis constituta fuerat, in potestatem Hispanorum venit; & cum eo simul ingens armatura, multorúmque mensium commeatus. Nec multò pòst etiam Lovanium, Tirlemontium, Bovinianum, Sichemium, Diestemium, Nivella, Philippivilla, Limburgum, & aliæ non paucæ urbes atque oppida, vel armis admotis domita, vel spontaneâ deditione in Philippi Regis fidem recepta sunt. Jámque nihil aliud ad plenè debellandum deerat, quàm uberiora militum auxilia, & (qui præcipuus belli nervus est) copiosiores pecuniæ, ad persolvenda militum stipendia necessariæ. Quas cùm Joannes de Austria diu frustra petiisset ab Hispania, neque tamen aliud indè reciperet, quàm sola verba, *quibus bella* non geruntur*: tandem ex ægritudine animi in morbum lethalem incidit; & consuetis Ecclesiæ sacramentis maturè præmunitus, die primâ Octobris pientissimè in Domino obdormivit. Successorem in officio gubernatoris habuit, quem ipse ante mortem designaverat, Alexandrum Farnesium, Parmæ Ducem, innumeris penè victoriis annorum subsequentium decursu inclytum, uti suo loco denarrabitur.

Auctores iidem.

*vulgò Gemblours

Occupat multas urbes & oppida.

Auctores iidem.

Incidit in morbum & moritur, succedente in ejus locũ Alexandro Farnesio.

Haræus ad hunc annũ.

Spond. hic n. 4.

Strada dec. 1. l. 10.

Strada ib.

An-

Annus Christi 1579.

GREGORII XIII. Pontificis 7. & 8.
RUDOLPHI II. Imperator. 3. & 4.
HENRICI Admin. Paderb. 2. & 3.

PAulò antè, quàm anno superiore moreretur Joannes de Austria, rursus in Belgio se ostentare cœperant ingentes Ordinum Belgicorum copiæ, post Gemblacense prælium è diversis aliorum Regnorum provinciis accersitæ. Quæ tamen singulare nihil contra Hispanos & Regios profecêre; quòd ipsímet seditiosi Belgæ magnis animorum dissensionibus à se invicem distracti, ac minimùm in tres diversas factiones divisi essent. Prima earum stabat pro Matthia Archiduce nuper accito; cui favebant Flandro-Belgæ, Brabantini, Frisii, Transisalani. Altera pro Francisco Alensonio, tunc Andegavensium Duce, è Galliis evocato; cui favebant Hannonienses, Artesii, & Flandro-Galli. Tertia pro Wilhelmo Principe Arausionensi vel Orangio; cui perditè adhærebant Hollandi, Zelandi, Geldri, & Ultrajectini, cum Joanne Casimiro Ludovici Electoris Palatini fratre. Observabat hæc sollicitè è suis castris, probissimè communitis, Alexander Farnesius, Parmæ Dux, quem defuncto Joanni Austriaco surrogatum diximus. Ac tametsi res Hispanicæ tunc temporis jam in eas angustias redactæ essent, ut è septendecim provinciis Belgii solæ tres, nimirum Luxemburgica, Namurcensis, & Limburgensis, unà cum aliis nonnullis urbibus & oppidis in Philippi Regis fide constantes manserint; sperabat tamen, eam Ordinum Belgicorum dissensionem sibi & exercitui suo ad prosperos armorum progressus non parùm profore. Nec fefellit ipsum hæc opinio. Nam Alensonius, cùm ad explenda suorum stipendia non sufficeret, exauctorato milite suo sub finem anni superioris in Galliam reversus est; nullo alio tantorum impendiorum fructu, quàm quòd inani titulo *defensor Belgicæ libertatis* à quibusdam appellatus esset. Similiter & Joannes Casimirus, qui præcedenti æstate multa equitum, peditúmque millia in Belgium adduxerat; eâdem pecuniarum difficultate pressus, ineunte Januario hujus anni in Angliam discessit, visurus illic, ut Elisabetham Reginam flecteret ad privatas, publicásque Ordinum Belgicorum necessitates, præsenti pecuniâ sublevandas.

In Belgio magnus fœderatorũ exercitus, ante annũ conscriptº, exeunte eodem aõ per intestinas discordias iterum dilabitur. *Spond. ad ann. 1578. Strada dec. 2. l. 1. in initio. Haræus & alii.*

Alensonius, Galliæ Regis frater, exauctorato milite in Galliam revertitur. *auct. iidem*

Joannes Casimirus Palatinus, deficiente suorum stipendio, abit in Angliam, *auct. iidem*

Lætus hoc eventu Farnesius mense Januario exercitum suum in hostes duxit: captísque primùm levioribus quibusdam oppidis ac munitionibus, per quas annona fœderatis intercludi ad Mosam

Alexander Farnesius, cognito utriusque

po-

abitu, Joannis Casimiri copias ineunte hoc aõ cogit in Germaniam regredi: *Strada de bello Belg. Dec. 2. l. 1. Haræus in ann. brab.*

poterat, castra movit ad opprimendas Joannis Casimiri copias, in Arschottanis confiniis hiemantes, & ingenti stipendiorum inopiâ fatigatas. Quas cùm ibidem unâ aut alterâ velitatione aliquantulùm attrivisset; in eas tandem angustias compulit, ut omnis ille miles domuitionem suam libero, securóque in Germaniam commeatu libentissimè pactus fuerit. Nec multò pòst etiam ipsémet Joannes Casimirus, qui die decimâ quartâ Februarii ex Anglia Fliessingam renavigaverat, suorum abscessu cognito, sinè gloria sinè milite, sinè omni honore bellico, properatis itineribus in Palatinatum se recepit. Tum verò Farnesius, à residuo fœderatorum exercitu nihil adversi metuens, celerrimè se Trajectum ad Mosam vertit; urbémque illam, satìs amplam & optimè communitam, die duodecimâ Martii totis castris incingere cœpit, priusquam ab Ordinibus fœderatis copiosior miles injici vel infundi posset. Multa quidem ab Orangio tentata sunt ad hanc urbem liberandam. Sed quia Farnesii castra validiùs præmunita erant, quàm ut sinè periculo novæ cladis invadi possent; urbs ea demum in extremas necessitates acta, & in festo sanctorum Petri & Pauli armatâ manu à militibus Regiis expugnata est.

Ac deinde Trajectum ad Mosam obsidet, illúdque die 29 Junii tandem expugnat. *Strada ib. l. 2. & 3. Haræus ib. Spond. hic n. 8.*

Interea Rudolphus Imperator, volente & consentiente Philippo Hispaniarum Rege, pro tentanda Belgicorum tumultuum pacificatione splendidissimum Colonienſi in urbe congressum instituerat; in quo, præter complures ambarum partium Legatos, nomine Cæsaris comparuêre Gebhardus Elector Colonienſis, Jacobus Elector Trevirenſis, Julius Episcopus Herbipolenſis, & Otto Henricus Comes de Schwartzenburg. Hi ut suorum tractatuum ac negotiationum felicius initium caperent, pridie Kalendas Maji solennem in urbe supplicationem adornârunt; in qua diviniſſimum Christi Corpus, unà cum innumeris Divorum Reliquiis, apparatu maximo circumlatum est. Juxta illud incedebant suprà dicti duo septemviri, & in medio eorum Nuntius Apostolicus, Joannes Baptista Castaneus, Archiepiscopus Rossanenſis in Italia. Ponè sequebantur Julius Herbipolenſis, Legatus Imperatoris, quem ab utroque latere conducebant Carolus, Terræ novæ Dux, Legatus Regis Catholici; & Philippus Dux Arschottenſis, Legatus Ordinum Belgicorum. Tum deinde egregii duo Abbates ab iisdem Ordinibus missi, unà cum ceteris Legatis, Oratoribus, Legatorum consiliariis, & innumera Clericorum, Religiosorum, populíque Agrippinenſis multitudine, quæ Venerabile Sacramentum anteibat, vel devotis cantibus prosequebatur. His initiis præmissis, die septimâ Maji processum est ad consultationes pacis: magnâ quidem animorum contentione; sed longè minore fructu.

Coloniæ pro tentanda Belgarũ concordia instituitur conventus publicus, solenni supplicatione inchoatus. *Spond. hic n. 9. Isselt l. 1. de bello Colon. Haræus & Strada loc. cit.*

fructu. Licèt enim Rex ibidem Ordinibus Belgicis amore pacis concederet omnia, quæcunque salvâ auctoritate suâ & Catholicâ Religione poterat (*nimirum ut omne Belgium externâ militiâ liberetur; ut ejus loco deligatur alius exercitus, Belgarum populo magìs gratus, et bello sustinendo par; ut ad civitatum, arciúmque præfecturas, aliáque honoratiora munia, in posterum non admittantur, nisì soli Belgæ; ut acatholici, qui in provinciis extra Hollandiam et Zelandiam habitant, impunè ibidem sinè exercitio suæ Religionis degant; ut ad suprema provinciarum gubernacula à Rege non admoveatur alius, quàm Regii sanguinis Princeps, et ejusmodi, de quo justam conquerendi causam non habeant*) Hæc, inquam, & alia Belgis faventissima licèt amore pacis concederet Philippus Rex; nihilo minùs tamen Orangius, cui pax & concordia neutiquam in votis erat, semper aliis atque aliis exceptionibus & effugiis rem istam ità involvere studuit, ut cassò tandem eventu congressus ille, die decimâ tertiâ Novembris, cum ingenti partium indignatione dissolutus fuerit. Singulari tamen consilio providêre Superi, ut obliquè, vel, ùt ajunt, *indirectè*, ex eodem conventu non parva rerum conversio in Philippi Regis utilitatem prosiliêrit. Nam inter ista pacificationis tentamenta, Hannonienses, Artesienses, & Flandro-Galli, cùm viderent, Orangium nihil aliud, quàm Catholicæ Religionis interitum velle, ideóq; & æquissimis concordiæ articulis præfracto animo dorsum obvertere; non exspectato ceterorum Ordinum consensu, pacificationis oblatæ leges unanimiter complexi, & in Regis Philippi gratiam promptissimè recepti sunt. Idem fecêre postea quinque ex Legatis Ordinum, de Colonienſi congressu reduces; maximéque Philippus Dux Arschottensis, & alii complures Belgarum Proceres, eorundem exemplo tracti. Qui & omnes juramento edito spoponderunt, se in posterum Regi suo constantissimè parituros, & Fidem Romano-Catholicam usque ad vitæ ac sanguinis profusionem defensuros esse.

Philippus Hispaniæ Rex faventissimos concordiæ articulos Ordinibus fœderatis offert. *Spond. ib. Haræus ad hunc annũ. pag. 296.* Qui cùm ab Orangio & suis obstinatè rejicerentur, conventus ille tandem eventu cassò dissolvitur. *Spond. & alii.* Hannonia, Artesia, & Flandro-Gallia, ad sui Regis obsequium redeunt; spondéntq; se in Fide Catholica usque ad mortem persistere velle. *Haræus in ann. brab. Strada dec. 2. l. 1. & 3.*

Utinam laudatissimo hoc Religionis, Fideíque zelo arsisset etiam, qui suprà in congressu pacificationis nominatus est, Gebhardus Ecclesiæ Colonienſis Archiepiscopus, & sacerdos consecratus. Memorat quidem Klocknerus auctor coævus, eum Coloniæ in congressu prædicto coram pluribus asseverâsse, *quòd in furcam agi malit, quàm à Fide Catholica recedere; aut libertati Religionis, quæ à multis in Belgio petebatur, consentire.* Sed, an id seriò ac synceriter; an verò fictè & solùm fuci faciendi causâ ab eo dictum fuerit, quis divinet? certè jam eo tempore propudiosis mulierum amoribus implexus erat, multísque* noctibus furtivè in cubili suo versabatur cum Agnete Mansfeldica, domicellaris Collegii Gerris-

Gebhardus Archiepiscopus Colon. eo tempore jam ardebat propudiosis amoribus Agnetis Mansfeldicæ.

**Isselt. l. 1. de bello Colon.*

heimen-

Similiter & Henricus Administrator Ecclesiæ Paderb. deperibat Annâ Bestorpiam Doctoris Colonienſis filiam. *Klockner. in hist. Pad mſ. part. 2.*

heimensis Canonissa, quam deperibat. Nec hilo pilóve melior fuit hac in re Henricus Archiepiscopus Bremensis, Paderbornensis & Osnabrugensis Ecclesiæ Administrator. Nam & ipse è civitate Colonienſi, ubi jam antè inter Canonicos majores vixerat, concubinam habebat Annam Bestorpiam Colonienſis Doctoris filiam: quam egregiè comptam, & meretricio ornatu splendidam, assiduè ducebat secum, non sinè pessimo Clericorum & sacerdotum in antiqua Fide nutantium exemplo. Unde & eo regente Paderborna ferè tota, quam hucusque priores Episcopi in Catholicæ Religionis gremio retinuerant, unà cum omnibus animarum curatoribus in Evangelii Lutherani complexum proruit; vidítque verum esse id, quod ex concilio Tridentino ait Cratepolius: *Integritas præsidentium salus est subditorum; totiúsque Dominicæ familiæ status et ordo nutabit, si, quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite.*

Paderborna ferè tota ej⁹ exemplo Fidem antiquâ deserit.

Eodem aō in Diœcesi Paderbornensi detegitur perditissima quædam latronum societas, *Klockner. in hist. Pad. mſ. part. 3.*

Ceterùm hic annus Paderbornensi Diœcesi nostræ non parùm felix & auspicatus fuit ob detectam ac dissipatam scelestissimorum aliquot latronum societatem. Auctor illius erat Bernardus quidam, vilissimo loco natus in pago *Haren*, ad campum Sintfeldicum sito. Is, cùm ferè sex vel septem annorum esset, quotidie cum aliis id genus mendicabulis jacebat ad portam vicini monasterii Bôdecensis. Et quia formosulus, rectíque corporis adolescens erat; ejusdem monasterii Frater Laicus (cui rei agrariæ cura commissa erat) misericordiâ Christianâ motus, assumpsit eum, effecítque, ut ex illo mendiculorum grege melioris educationis causâ ad monasterii culinam admitteretur. Ibi, dum horis otiosis ad focum sedens continuò scriptitaret in cineribus, communi ceterorum lixarum joco *Scribonius* appellatus est: quod ei nomen ità semper adhæsit postmodum, ut etiam adultioribus annis haud alio quàm *Scribonii* vel scriptoris nomine vocatus fuerit. Subinde in monasterio Bôdecensi mansit per annos decem & ampliùs; eóque tempore cum prædicto Fratre Laico frequenter egrediens & regrediens, didicit omnia secreta ejus: nimirum, quâ clave portam cœnobii aperiret (poterat enim suorum negotiorum causâ summo mane vel sero vespere exire vel redire) ubi cubiculum ipsius esset, quo in loco pecuniam ex re lignaria vel agraria collectam reponeret, & plura alia. Pòst, ubi jam circiter octodecim annorum esset, exibat semel ad parentes suos in pago *Haren*. Cúmque ibidem per dies aliquot moraretur; fortè fortunâ contigit, ut peregrinus mercator aliquis, præcipiti nocte à via seductus, ad paternum ejus mapale adveniret, pretióque oblato peteret, se deduci ad commune diversorium. Respondit illico scelerata mater: *diversorium adhuc procùl distare, et viam adeò cænosam esse, ut ægerri-*

Natus hic in pago Haren, & in monasterio Bôdekensi educatus,

Anno ætatis propè decimo octavo ad parentes revertitur, Et cum eis nocte intempestâ mercatorē peregrè venientem obtruncat. *Klockner. ibid.*

mè

mè illuc inter ejuſmodi tenebras pervenire queat: quod ſi autem in hoc mapali commanere ſecum non dedignetur, ſe eidem pro ſuis viribus inſervituram. Acceptabat id homo de via feſſus ac famelicus; apertóque ſtatim ſacculo, pecuniam ei dedit, quâ cereviſiam & alia ad frugalem cœnam neceſſaria compararet. Sed eâdem nocte, poſtquam jucundè cœnatum, bibitúmque fuerat, infelix advena ſecuri percuſſus & crudeliſſimè interfectus eſt, ſceleratâ matre maritum, filiúmque ſuum ad ejuſmodi facinus inſtigante.

Spolio accepto lætus eam latrocinandi artem ulteriùs factitare ſtatuit, *Klockner. ibid.*

Præda ſatis opima, quam ex latrocinio conſecuti ſunt, eum in modum placuit *Scribonio*, ut in poſterum omni vitâ ſuâ hanc artem factitare, conſtituerit. Eóque in propoſito mater venefica non modò confirmavit ipſum; ſed etiam, ut ſecuriùs latrocinari poſſet, ei calamum aliquem, veneficiis imbutum, tradidit, cum ea ſponſione diabolica; quòd hoc amuleto, manu ſiniſtrâ tento, humanorum oculorum aciem effugiturus, omniáque vincula ſibi injecta facillimè ſoluturus vel excuſſurus ſit. Lætus hoc dono *Scribonius* confeſtim ſibi ſocios complures adlegit: qui, ut firmiùs invicem ſe aſtringerent, ſanguinem ſuum ex inciſo digito promanantem ſibi mutuò propinârunt, intermixto ſimul hoc avernali juramento: *quòd nunc et in æternum ſanctiſſimæ Trinitatis, JESU, MARIÆ, ſanctorum omnium, et quorumlibet Chriſtianorum, infenſiſſimi hoſtes vivere, et mori velint.* Quo peracto mox decrevêre, primum ſuæ improbitatis experimentum capere in illo Fratre Laico, qui in Bôdecenſi monaſterio *Scribonium* educaverat. Itaque ſub veſperum collocabant ſe in ejuſmodi loco; ubi eundem, è ſilvis, agríſque reducem, certò tranſiturum noverant. Ibi miſerum protinus invadunt, verberant, humi fundunt, veſte religioſâ exuunt, ſimul claves & omnia, quæ habebat, eidem auferentes. Cúmque infelix Frater *Scribonium* ſuum triſtiſſimo vultu intuitus, diceret: *Hæccine merui abs te, fili mi?* ille nihil indè mitigatus, adhuc ferociùs in inſontem irruit, linguam ipſi evellit, genitalia membra exſcindit, fruſtráque obluctantem in abſtruſiſſimo ſaltu craſſis funibus ad arborem prægrandem alligat; ubi nudo, mutilóque corpore per totum ferè quatriduum ſtare debuit, & vitam vel ipsâ morte duriorem agere. Tum verò trifurciter iſte religioſam ejus veſtem induere; ceterísque ſociis in vicina ſilva præſtolari juſſis, ad Bôdecenſe monaſterium pergere, portam exteriorem clave acceptâ reſerare, cubiculum Fratris introire, arcas omnes evacuare, pecunias ab eo cuſtoditas auferre, ſpolióque non parvo dives, eâdem nocte ad ſuos regredi. Illi tam optato ſucceſſu hilares, triduo proximo jucundè litârunt Baccho: interímque miſerrimus ille Frater, cujus veſtem inter abdita dumorum texerant, circa fatalem arbo-

Socios complures in ſcelerum ſocietatem adſciſcit; *Klockner. ibid.*

Ejuratóque Deo & Sanctis omnib⁹ *Klockner. ibid.* primum latrocinandi experimentum cum iis capit in Fratre Laico Bôdekenſis monaſterii: *Klockner. ibid.*

quarto die pòſt eum interficiunt

corpore ejº inter vicinas lignorũ ſtrues occultato. *Klockner. ibid.*

rem ſuam difficillimâ vitæ, mortísque luctâ eum in modum ſeſe circumegerat, ut eidem injecti funes continuâ ligati corporis gyratione profundum huic arbori ſulcum induxerint; quemadmodum ſuis oculis vidit, qui hæc deſcripſit Martinus Klôckner. Quarto autem die, cùm ad arborem redirent, Fratrémque morti proximum, & ante oculos ſuos exſpirantem offendiſſent; cadaver ejus inter vicinas lignorum cæduorum ſtrues abdidêre: ubi tandem adultâ hieme poſt avecta culinaria, focariáque ligna inventum eſt, non ſinè magno Religioſorum Bôdecenſium gaudio; quippe qui jam pridem ſuſpicati fuerant, eum unà cum pecuniis ſibi creditis à Fide & Ordine ſuo profugiſſe.

Poſt hæc in omnem latrocinandi licentiam effuſi, toto ferè biennio cædes innumeras perpetrant, etiam quandoque ſolius voluptatis causâ.

Poſt hæc in omnem latrocinandi ac libidinandi licentiam effuſi, per totam undique Diœceſim, præcipuè verò in ſilvis prope Dalhemium, Kleinenbergam, Hardehuſium, Stattbergam, aliíſque in locis proximioribus, tam innumeras hominum itinerantium cædes per biennium perpetrârunt, ut nullum ferè calamum iiſdem recenſendis vel deſcribendis parem invenire liceat. Neque ſolùm id agebant lucri vel quæſtûs faciendi gratiâ; ſed etiam quandoque ſolius diabolicæ voluptatis explendæ causâ: ità ut ſubinde non minùs in mendicos obvios, quàm in homines pecunioſos deſævirent. Sanè pauperculum adoleſcentem ex pago Rôſenbeck, dum ex oppido Stattbergenſi domum rediturus, levandæ ſitis causâ in vicinum fonticulum prono ventre procumberet; *Scribonius* à tergo involans, tam diu in aquis tenuit, uſque dum in iis violentâ morte præfocatus eſſet. Ac tametſi puer iſte, vermiculi morientis inſtar, miſerabili corporis inflexione fatorum neceſſitati ſic oblucta-retur, ut & ipſi lapides commiſeratione tangi aut frangi poſſe viderentur: *Scribonius* tamen huic ſpectaculo non ſolùm hilariter adriſit; verùm etiam eâ de re paulò antè extremum ſupplicium interrogatus, aſſeruit: *hanc adoleſcentis morituri luctam ſibi admodum delectabilem, visúque jucundam fuiſſe.* Pari truculentiâ tres mulieres prægnantes, ac nullo ferme peculio præditas, unà cum ſuis commilitonibus interemit; earundem uterum diſſecuit; fetum inibi latentem protraxit; ea ſolùm ex cauſa, ut videret, an prolem maſculinam gererent, quâ ad ſuas præſtigias, artésve magicas abuti poſſet. Cúmque in illis tribus non nisi prolem femellam reperîſſet; cum ingenti ſtomacho comminatus eſt, non priùs deſtiturum ſe ab occidendis hujuſmodi mulieribus, donec è diſſectis earum uteris fetu maſculo potiretur. Quod autem in his malis triſtiſſimum erat, ſceleſti nebulones iſti incredibili celeritate commigrabant ex uno loco in alium: ità ut, ſi hac horâ prope Dalhemium viſi eſſent; non multò pòſt apud Kleinenbergam, Hardehuſium,

Statt-

Statthergam, aut Breidelariam conſpecti fuerint. Unde etiam communis hominum perſuaſio erat, eos arte diabolica ex uno loco in alium transportari.

At non ità in his permittendis dormiebat cæli oculus, quin demum evigilaret in interitum *Scribonii* & ſociorum ejus. Prima omnium pœnas dedit, promiſcuæ libidinis mulier, cognomento **Schnakenkopff**; quæ iiſdem cibaria in ſilvis afferebat, eâque occaſione perſæpe illis multorum itinerantium vitam prodiderat. Hæc tandem ab excubitoribus ubique poſitis comprehenſa, ſeveris quæſtionibus preſſa, condemnata, capite plexa, & prope Kleinenbergam rotæ impoſita eſt. Nec multò pòſt etiam *Scribonius*, Haræ in pago ſuo natalitio captus, Wewelsburgum ducitur, arctiſſimis ibidem vinculis prælta in turre conſtrictus. Ac tametſi rurſus ex iiſdem, non ſinè dæmonis auxilio, poſt unam alterámve noctem eluctatus fuerit; in ea tamen fuga & præcipiti lapſu (quem in petram ſubjectam fecit) præſtigioſum calamum, ſibi nuper à matre traditum, non ſinè magna animi conſternatione perdidit. Unde & ipſe poſtmodum conqueſtus eſt, vereri ſe, ne amiſſo hoc amuleto, vitæ ſuæ & latrociniorum præteritorum finis appropinquet. Id quod etiam non longè abhinc evenit, eâ occaſione & rerum ſerie, quam hîc adjungo.

Mulier, latronum iſtorum ſocia, capitur, & extremo ſupplicio punitur prope Kleinenbergã. *Klockner. loc. cit.*

Scribonius etiam comprehenſus, ope dæmonis è carcere elabitur; amiſſo tamen amuleto, quod acceperat à matre venefica *Klockner. loc. cit.*

Deamabat mulierem aliquam in vicinia Marienlohæ & Benhuſii natam, ex qua violenter oppreſſa filiolum conſecutus erat. Huic ille ſæpius intentaverat, ut vel ubilibet locorum ad ejus obſequium curreret; vel certè, nisì id ità vellet, extrema omnia, necémque indubitatam à ſe, ſuísque ſociis exſpectaret. Perculſa his minis femina (cùm videret, ſe vel occidendam à *Scribonio*; vel, ſi ille tandem caperetur, percutiendam eſſe manu carnificis) accurrit clanculum ad Aulæ noſtræ Miniſtros; promisítque, ſi vitæ gratiam ſibi fecerint, curaturam ſe, ut *Scribonius* nullo ferè negotio in manus ipſorum veniat. Libentiſſimè id acceptabant Miniſtri Principis. Et, quia mulier iſta liberali ſimul præmio ſe donandam intellexerat, ſi telam hanc fortunatè poſſet pertexere; continuò *Scribonium* ſuum rogat, ut in pervigilio S. Andreæ Apoſtoli, non procul Paderbornâ, veniat ad eam officinam laterariam*, quæ ab urbe ſemotior eſt, ibi ſe futuram cum parvula prole ſua, & paraturam omnia ad jucundè convivandum neceſſaria. Quod cùm ipſe protinus amore prolis addixiſſet; rurſus illa ad eoſdem Aulæ Miniſtros regredi, *Scribonii* reſponſum aperire, diem adventûs ejus prodere, ſimúlque eis hoc ſignum faciendæ invaſionis dare, ut executores tunc in ædes condictas irruant, quando ipſa lotos pueruli ſui panniculos in oſtio domûs explicaret.

Rurſus tamen ab alia amaſia ſua, poſt promiſſam vitæ gratiam, judicibus proditur: *Klockner. ibid.*

*vulgò am ferren Ziegelhauß auf den Clueß

Subinde rerum hujusmodi administer Joannes Rambock, die constitutâ, priusquam diluceſceret, ibidem adest cum expedito armatorum virorum agmine, quos obtegendi consilii sui causâ quaquaversum in latibulis propinquis occulit. Nec multò pòst etiam *Scribonius* advenit, ædes intrat, amasiam suam salutat, puerulum sibi genitum peramanter excipit, amplectitur, deosculatur, bombardâ & bipenne suâ tantisper ad parietem vicinum positâ. Interea domûs illius hospita, rerum agendarum probè conscia, scopas arripit, culinam everrit, aream emundat; &, quò longiùs expurgando progreditur, eò magìs ac magìs inobservato motu bipennem & bombardam ejus de loco priore demovet. Similiter & *Scribonii* amasia, linteorum infantilium lotione peractâ, accedit propiùs ad ostium domûs; panniculísque supra illud explicatis, Rambockio & sociis ejus è condicto signum dat aggressionis inchoandæ. Quo viso ille derepente cum suis advolat; vigiliísque circa domum totam dispositis, ipse cum quaternis vel quinis per posticum intrans, ait: *Ave hospita! quos et quales hîc habetis advenas?* Consternatus indè *Scribonius*, puerum, quem tenebat, furibundo similis in terram projicit; frustráque circumspiciens bombardam ac bipennem suam (utraque enim protinus ab astuta hospita per fenestram ejecta est) pleno impetu in anteriorem januam & panniculos ibidem explicatos insilit, ut ex ea parte fugiendi viam inveniret. Sed & hîc à constitutis excubitoribus prægrandi clavâ percussus, ac retrorsum in ædes recidens, tandem ab accurrente multitudine comprehenditur, ligatur, stringitur, funéq; toti etiam inferiori corpori circumjecto, & posteriùs per braccam exeunte vinctus, Neuhusanam in arcem deportatur. Ibi mox in quæstionem severam tractus, fidiculis in equuleo distentus, & horrendam scelerum suorum Iliadem confessus, experientiâ ferali didicit, verum esse Horatianum illud:

Rarò antecedentem scelestum
deseruit pede pœna claudo.

Supplicii locus, intrà octiduum circitèr, ei constitutus est prope monasterium Dalhemense; ubi plura, quàm in locis aliis latrocinia exercuerat. Illuc ùt avectus erat, assiduè circa illum steterunt sacerdotes varii, qui ad Christianam pœnitentiam, piámque mortem hortarentur: nec tamen ullus ipsorum tam felix aut potens, qui incarnatum hunc diabolum (sic enim potiùs, quàm hominem appellari, convenit) vel eò saltem perducere ac permovere potuerit, ut Sanctissimum JESU nomen invocare; ne dicam alias orationes fundere, aut conscientiam suam per salutares actus à peccatis expiare vellet, Unicum ipsius ad omnia pia monita responsum

Et astu vaferrimo in manus insidiatorum traditur. *Klockner. p. 3 hist. Paderb. mss.*

Capitur, abducitur, & condignâ morte condemnatur. *Klockner. ibid.*

Dalhemiũ deinde avehitur, *Klockner. ibid.*

sum erat: *Deo et ejus amicitiæ se æternùm renuntiâsse; sacrum JESU et MARIÆ nomen sibi pridem in odio fuisse; juramento se obligatum ad perpetuam hostilitatem erga Deum et sacra omnia; nec ullatenus commissurum, ut ejusdem promissi violatione dæmoni perjurus fiat.* Unde & ab omni scelerum suorum dolore ac detestatione tam procùl aberat, ut etiam de iisdem perpetratis maximopere lætaretur, & indubitanter diceret: *Vos quidem arbitramini, me jam neci dandum esse; at ille, cui ego me in æternum devovi, non omittet, me de manibus tortorum eripere, et à suppliciis omnibus expedire.* Ergo, postquam totâ nocte superiore frustra laboratum erat in lavando hoc æthiope, sequenti mane rursus in finale judicium adductus est. Ubi, cùm abominanda ejus flagitia publicè recitata, & ab eo intrepidè affirmata essent; postrema capitis sententia hoc modo in eum pronuntiata est: *Scribonius ob infanda scelera sua in assere vel tabula quadam fortissimè constringitor: forcipibus ignitis, ubicunque ejus caro prehendi et interprimi potest, vivo corpore lacerator: postea venter ejus lictorio cultro inciditor, impiissimum cor in ejus faciem incutitor, corpus totum in quatuor partes dissecator, singuláque illa segmenta versùs quatuor mundi plagas in exemplum ac terrorem omnium appenduntor.* Quis non putâsset, feram hanc audito hujusmodi supplicio nonnihil terrefactum iri? At ille vultu nihil immutato, non modò non expavit; sed etiam totâ viâ, quâ ad locum supplicii vehebatur (præsertim quando virgines & mulieres innuptæ aderant) impudentissimis, turpissimísque verbis, devotam orco animam oblectavit. Imò cùm ad aream pœnalem advenisset, ibidémque in ferali tabula jam extendi cœptus, intueretur ignes illos, qui ad accendendas forcipes præparati erant; confrictis ambabus manibus joculari verbo adhuc dicere ausus est: *Adducite mihi hos ignes, ut manus meas nonnihil calefaciam!* cui tamen perbellè vicissim carnifex: *Habe, obsecro, adhuc parùm patientiæ; et ego te abunde calefactum dabo.* His auditis, aliquantulum ei cadebat animus: præsertim cùm videret, adhuc nullum sibi auxilium ab orco vel dæmone, ùt speraverat, affulgere. Ajunt quidem, eo tempore prægrandem, nigerrimúmque corvum inter vicinas arbores consedisse, & *à Scribonio* semper in cruciatu suo fixis oculis observatum esse. At funesta avis illa, si sub ea dæmon aliquis delituerit, certè hujus adstrictissimi amici sui liberatorem se minimè exhibuit: atque ideò, cùm ad ignitas forcipes iteratò ac sæpius processum foret; homo desperatissimus, & furiæ infernali similis, tam horrendùm immugiit, ut ipse carnifex, animi defectionem ex nimio terrore passus, alteri succedaneo ulteriorem executionem committere debuerit. Et hic deinde reliqua omnia, pro ut per sententiam suprà dictam imperata erant, tam

In Dei inimicitia se morituram profitetur. *Klockner. ibid.*

Ac demum morte severissimâ plectitur. *Klockner. ibid.*

Frustra ab amico dæmone se liberandum sperans. *Klockner. ibid.*

tam diu fortiter ac imperterritè fuit executus, donec perditissimus ille trifurcifer sceleratam animam ad æternos ignes exhalaverit. Acta sunt hæc mense Decembri præsentis anni, ferè tredecim diebus ante Natalem Domini.

Paulò pòst etiam capitur primarius ejusdē socius, paríque supplicio afficitur: sed sinè ullo pœnitentiæ signo. *Klockner. in hist. Pad. mss. part. 3.*

Mactatâ hac diaboli sue, paulò pòst etiam primarius ejusdem socius (cui nomen **Crumhenßken**) homo pariter adhuc juvenis & imberbis, Wewelsburgi interceptus; & ibidem *prope latam quercum*, eodem, quo *Scribonius*, cruciatuum ac suppliciorum ordine ad inferos demissus est. Nec ille pariter ad cælestia se convertere, aut ullum salutaris pœnitentiæ signum emittere, visus est; sed velut homo desertus à Deo, quidquid piarum admonitionum à sacerdotibus adhiberetur, obstinatâ mente cum risu & sibilo semper explosit: non secùs, ac si decrevisset ad infernum ire; & eidem consociari in pœnis, cui consociatus fuerat in flagitiis. Simili modo alii duo Dringenbergæ, alii verò aliis in locis propediem apprehensi, & ad condigna supplicia raptati sunt: ità, ut ex putidissima illa scelerum colluvie intrà breve tempus ferè nemo ampliùs in vivis degeret; quàm, quæ malorum istorum auctor & origo erat, *Scribonii* occisi mater venefica. Sed & hæc, licèt ocyùs in Hassiam vicinam profuga, ibíque virum sub assumpto militari habitu mentita fuerit; brevi tamen detectis hujusmodi fallaciis agnita, & Cassellis ad severum tribunal evocata (nescio quo mortis & cruciatuum extremorum genere) sceleratam vitam nece infami clausit.

Aliis alibi condemnatis, postremò etiam Scribonii mater venefica Cassellis plectitur *Klockner. ibid.*

Annus Christi 1580.

GREGORII XIII. Pontificis 8. & 9.
RUDOLPHI II. Imperator. 4. & 5.
HENRICI Admin. Paderb. 3. & 4.

Mense Februario Paderbornæ moritur Sacerdos apostata, Georgius Holthusius, concionator summæ ædis & Pastor ad S. Pancratium. *Klockner. in hist. Pad. mss. part. 3.*

LUtherana fides Paderbornæ sub auspicio Lutherani Principis jam ità invaluerat, ut passim erecto collo, magnísque gressibus per totam urbem ac Diœcesin iret: cùm ex improviso nova syncerioris doctrinæ lux ibidem oritur ex introducta in hanc urbem Societate JESU. Decedebat in Februario Georgius Holthusius, Cathedralis Ecclesiæ concionator, simúlque Pastor ad S. Pancratium: qui, tametsi biennio abhinc rejectâ Fide Catholicâ ad Lutheri placita deflexisset, ut uxorem, quam deperibat, cum sacerdotali gradu conjungeret; à majori tamen Capitulo, offensæ Principis evitandæ causâ, tolerari in officio debuit, quàm diu vixit. Ne autem in posterum similis vipera in cathedram veritatis irrepe-

ret;

ret; Canonici Cathedrales, pro majori securitate sua, parochialem Ecclesiæ Pancratianæ curam à supremi concionatoris officio iterum sejunxêre, utì jam aliàs ante Holthusium fieri consueverat. Et Pastoratui quidem Pancratiano admotus est Hermannus Tünneken, vir idoneus, ùt initio videbatur; sed qui postea majoris Capituli & proborum omnium exspectationem turpiter fefellit. Etiamsi enim priùs, quàm ad hanc parochiam admitteretur, in domo Capitulari coram Reverendissimo Domino Theodoro de Fürstenberg, tunc adhuc majori Præposito, non solùm examinatus; verùm etiam in præsentia Notariorum ac testium, antiquam verámque Fidem Catholicam adjuncto corporali juramento professus fuerit: nihilo minùs haud multò pòst, conculcatâ ejusdem jurisjurandi fide, Lutheranum præconem induit, veterémque Religionem Catholicam acerrimè insectatus est. Contrà verò (quod urbi ac Diœcesi nostræ felicissimum fuit) ad cathedram summæ ædis à majori Capitulo evocatus est sacerdos aliquis è Societate JESU. Quem ut certiùs impetrarent; continuò Decanus & Capitulum, die decimâ nonâ Februarii, ad Fuldensis & Heiligenstadiensis collegiorum Rectores expediêrunt sequentes literas, zelo Fidei & sancto fervore plenas:

Ad Ecclesiã Pancratianam seu forensem promovetur Hermannus Tünneken, sacerdos: pòst etiam apostata. *Klockner. loc. cit.*

Jesuitæ vocantur Fuldâ & Heiligenstadio Paderbornam.

Hist. Collegii S. J.

PRæviâ officiorum delatione, Reverende et admodum erudite Domine. Cùm nobis incumbat, veram nostram et veterem Catholicam Religio*nem omni conatu pro posse nostro vindicare, propugnare, et conservare; in quem finem, hisce dubiis temporibus, opus esset nobis in doctrina Theologica viro benè versato, qui concionandi munere in summa nostra æde præclarè fungeretur, et per hebdomadem aliquot horas lectionibus Theologicis impenderet: Referatur verò à viris fide dignis, huic obeundo officio admodum idoneos, facundos, multâ eruditione pollentes, in isto* Collegio *reperiri. Quare humanissimè ad Reverentiam vestram petendo recurrimus, ut ad tuendam et propagandam veram* Catholicam Religionem *omni meliore modo nobis velit esse adjumento; et personam requisitâ eruditione politam, cui de honesta et Ordini vestro conveniente sustentatione providebimus, sub festa Paschalia mittere, non dedignetur. In eam spem venimus, id nos impetraturos: cùm sit Deo gratum, nobis ad communem animarum utilitatem necessarium, et à bonis omnino desideratum. Cui beneficio nobis præstando ut respondeamus; omnem curam et cogitationem collocabimus. Exspectamus certum et gratum responsum. Datæ Paderbornæ, Anno 1580, die 19. Februarii. Decanus et Capitulum Ecclesiæ Paderbornensis.*

Laudabili huic desiderio hujatis Capituli, quod eo tempore penè solùm & unicè velut murum aheneum se opposuit pro domo Dei, perlubenter obsecundatum est à Præside Provinciali Socie-

Mittitur Heiligenstadio P. Christianus

Halverius S.J. *Hist. Collegii Paderb.*

Societatis; missúsque primùm è collegio Heiligenstadiensi Pater Christianus Halverius, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, & vir amabilis omnibus. Qui die 26 Martii, pridie Palmarum, unà cum fratre laico Paderbornam veniens, in Abdinghoffensi monasterio apud Patres Benedictinos, nostrorum quoque laborum avidos, familiari hospitio exceptus fuit. Huic deinde, post prægustatos exhortationum sacrarum fructus, rogante eodem Capitulo in incepti laboris partem adjunctus est Pater Stephanus Lohn, non minori virtute, quàm doctrinâ præditus: qui &, remisso ad Heiligenstadienses fratre laico, die vicesimâ sextâ Julii Padibornam attigit. Sed amica hæc amborum consociatio brevi iterum dissipata est celeriore unius morte. Halverius enim, cùm in Septembri negotiorum provincialium causâ Moguntiam accitus esset, indè redux, in collegio Fuldensi ex illapsa corporis ægritudine cum ingenti nostrorum dolore obiit; suámque stationem Padibornæ cœptam, reliquit successòri suo P. Leonardo Rubeno, viro insigniter docto, pio, ac devoto. Interea Pater Stephanus operam suam tam in concionibus, quàm in catechismis, ità probaverat Illustrissimo Capitulo, ut ab eo non solùm de retinendo Patrum binario; verùm etiam de eodem augendo & amplificando sollicitissimè cogitatum, actúmque fuerit. Quem in finem, die 24 Octobris, primùm duobus Patribus antè dictis assignata est antiqua domus concionatoris, in colle Idonis* infrà majorem Ecclesiam sita; deinde etiam, pridie Kalendas Novembris, vicinum S. Bartholomæi sacellum pro celebrando sacrificio quotidiano, aliísque sacris functionibus, instituto & vocationi nostræ consentaneis. Ibi cùm incepissent habitationem, sedémque suam figere; initio quidem rarissimus pœnitentium & communicantium accursus fuit: ità, ut etiam in festis natalitiis Christi Domini non ampliùs, quàm duodecim homines, ad accipienda pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta accedere, visi sint. Sed hoc facilè concedendum erat malignitati istorum temporum: cùm & universa penè civitas Lutheranis erroribus infecta esset; & apud Catholicos, qui pauci tantùm supererant, frequentia sacramentorum jam ità exoleviſſet, ut non modò in desuetudinem, sed ferme etiam in contemptum venerit. His tamen Patres minimè absterriti, Apostolicæ vocationi suæ in sacris exedris ferventer institêre; nihil interim ambigentes, quin progressu temporis & Catholicorum numerus incrementum aliquod acceptu-rus, & sacramentorum frequentior usus è concilii Tridentini norma Deo auspice restituendus sit. Neque hæ duorum sacerdotum curæ solis Padibornæ mœnibus includi se, ferebant; sed etiam in Diœcesin totam, ubi major animarum utilitas vel necessitas postula-

Huic deinde adjungitur P. Stephanus Lohn; paulóque pòst Halverio mortuo succedit P. Leonardus Rubenus, *Hist. Collegii.*

**vulgò* am Ikenberge.

duobus Patribus assignatur sacellum S. Bartholomæi cum aliqua domo vicina. *Hist. Collegii Paderb.*

stulabat, quaquaversum diffusæ, cunctósque homines pari charitatis affectu pro suis viribus complexæ sunt. Certè Novembri mense unus eorum à Paderæ fontibus excurrere debuit ad monasterium Gerdense virginum, indéque paulò longiùs ad monasterium Patrum Benedictinorum ejusdem Ordinis in Marienmünster. Et quia templum utriusque loci satìs amplam parochiam sibi adjunctam habet: præter exhortationes varias, privatim ad Religiosum conventum habitas, etiam persæpe ad frequentem populi multitudinem cum ingenti animarum fructu peroratum est; provisúmque, ne qua hæresum vicinarum lues in utramque parochiam se infunderet.

Mense Novembri unus eorum evocatur ad monasteriũ Gerdense, ac deinde ad monasterium B. M. V. in Marienmünster. *Ex eadem historia.*

Dissimulavit ista Henricus, Paderbornensis Ecclesiæ Administrator, & Pseudo-Episcopus. Multa enim reservabat in tempora secutura; & hoc anno potissimùm satagebat, ut in Monasterienſem Episcopatum, à quo ante biennium per sententiam Apostolicam exclusus erat, per vim & fraudem se intruderet. Quam ob rem die 24 Aprilis cum insigni comitatu è Diœcesi Osnabrugensi Monasterium venit, ejusdem urbis & plurium Canonicorum, sibi nuper faventium, animos tentaturus. Exceperunt hìc illum omnes eo honore, qui Principi externo deferri solet: simúlque, ùt ad portam*Salvatoris adventavit, curulium tormentorum grandiores machinæ ad eundem salutandum explosæ sunt. Exinde complures dies, majori Canonicorum simulatione, quàm syncerâ voluntate ac studio, consumpti sunt in transigendo præteritæ electionis negotio. Henricus enim, cùm probè sciret, ante biennium plura Canonicorum vota stetisse pro se; quàm pro Ernesto Bavaro, cui soli seniores potissimùm adhæsêre: adhuc atrociter minabatur, se nullatenus à jure suo abstiturum, nisì & seniores Canonici pariter ab Ernesto Bavaro se retraherent. Commodùm hísce turbis ac disceptationibus intervenit Wilhelmus Cliviæ & Montium Dux, à senioribus quibusdam secretò monitus. Is (ùt primùm hæc ausa comperit) unà cum Joanne Wilhelmo filio suo, qui Monasterienſi Episcopatui jam pridem habito nondum legitimè renuntiârat, contractis illico magnis equitum armatorum turmis properavit Monasterium: primâque suî adventûs famâ Henricum, huic mitræ insidiantem, ità conterruit, ut relictâ quantocyus urbe & Capitulo, in Diœcesin Osnabrugensem festino cursu revolaverit. Subinde uterque Dux, pater & filius, tantâ urbis totius lætitiâ per Ægidianam portam introductus est, ut facilè appareret, non adesse merum Episcopalis infulæ competitorem; sed verum, legitimúmque Principem Diœcesanum. Displosa statim circa urbem tormenta quælibet, cives omnes bis mille circitèr ac

Henricus Ecclesiæ nostræ Administrator Monasteriũ venit ad consequendam infulã istius loci. *chron. Monast. ms.*

**vulgò* die höchster Porte.

Sed repellitur ab adveniente Wilhelmo Clivorum duce, ejúsq; filio Joanne Wilhelmo *chron. Monast. ms.*

ducenti pulcherrimo ordine ab utroque platearum latere in armis refulgebant, Clerus denique universus ac tota Nobilitas patria tali veneratione ac reverentiâ ambos Principes excepêre, ut majorem ab iis requirere nemo posset. Ne autem Ordines Diœcesani tam citò novas paterentur molestias ab Henrico Saxone; magnis precibus egerunt cum utroque Principe, ut Joannes Wilhelmus, tunc solùm annos octodecim natus, administrationem hujus Episcopatûs tam diu gereret ac retineret, usque dum ætate magis provectâ ad nuptiales thalamos transiret. Quod cùm utrimque constitutum, & à Monasterienſibus quorundam oppidorum traditione firmatum esset; Henricus tandem acquiescere debuit, nec unquam postea ad eandem infulam pervenire potuit, utpote celeriori morte sublatus anno 1585, utì suo loco referetur.

Qui & Monasterienſe Episcopatū retinuit usque ad obitum Henrici Saxonis. *chron. Monast. ms.*

Interea, dum hæc agerentur in Westphalia, fortunam Belgii non modicè retroëgit Philippi Hispaniarum Regis cupiditas; qui jam alterâ vice deserebat propria, ut acquireret aliena. Obiêrat hoc anno pridie Kalendas Februarii Henricus Lusitaniæ Rex, familiæ totius ultimus: de cujus hæreditaria successione, præter Philippum Hispaniæ Regem, contendebant complures alii. Hos ut ille præverteret antè, quàm eorum vires diuturniore morâ per amicorum suorum factiones crescerent; per æstatem hujus anni cum ingentibus armatorum copiis, terrestri simul & navali bello, in Lusitaniam irruit: eámque Albani Ducis felicitate sic infregit, ut intrà paucos menses ferè tota ad ejusdem Philippi Regis obsequium se incurvaret. Sed dum ibidem triumphabat contra Catholicos; vicissim ab acatholicis in Belgio multa sibímet eripi, & in rebellium Calvinistarum potestatem devenire, sivit. Neque ad avertenda hujusmodi mala sufficere poterat edictum publicum, quo primarius ejusdem concitator Orangius à Rege proscriptus; ac velut perduellis, etiam constituto in occisorem illius viginti quinque millium aureorum præmio, declaratus est. Quid enim prosint ejusmodi paginæ, si non adsit robur in armis? Conabatur quidem Alexander Farnesius, quantum pro viribus suis poterat, inimicas Geusiorum invasiones frangere: nec instrenuè adjuvabant eum Hannonienses, Artesienses, & Flandro-Galli, quos anno superiore ad Regis Catholici fidem rediîsse, diximus. At longè infirmior ipsorum vis & potestas erat, quàm ut Orangium & fœderatos debellare, vel obterere possent. Deerat miles ad bella necessarius: quia Farnesius, ex pacificatione ante annum inita, Hispanicas, Italicásq; legiones è suis castris dimittere debuerat. Aberant pecuniæ ad novum alium exercitum conscribendum requisitæ: quia Philippus Rex omne ærarium hoc anno insumebat in bellum Lusitanicum.

Philippus Hispaniæ Rex Lusitaniam occupat Henrico illius Rege defuncto. *Spond. ad hunc annū Haræus in ann. brab.*

Idem edicto publico proscribit Orangium seductorem Belgii: *Spond. hic n. 9. Haræus in ann. Brab.* Sed nulla contra eum auxilia præstat Alexandro Farnesio gubernatori Belgii: *Auctores iidem. Chytræus l. 25. Saxon.*

Neque

Neque aderat ullus alius belli nervus, unde ea, quæ deficiebant, expromi possent: quia paucæ illæ provinciæ, quæ in Regis obsequio persistebant, nequaquam ità pecuniis abundabant, ut ad omnes belli impensas condignam auri, argentíque copiam valerent suppeditare. Sic igitur sinè magnis ambarum partium victoriis hic annus abiit: nec ferè quid aliud ab iis gestum, quàm quòd fœderati Mechliniam, Diestemium, & Campos, Regii verò Cortracum & Grôningam interceperint.

Atque ideo singulare nihil efficitur adversùs illum & Geusios. *Auctores iidem.*

Porrò cùm Orangius in id unum collimaret, ut omne Belgium Catholico Regi subtraheret; fœderatis Ordinibus hoc anno rursus proposuit: *nullam spem apparere concordandi cum Hispano, ideóque huic omne Belgarum regimen abrogandum esse, deferendúmque alteri cuidam Principi, qui et impugnatis opem vicinam ferre, et belli diuturni sumptus copiosiore nummorum impendio sustinere valeat. Ad hoc autem ferè neminem sibi magis idoneum videri, quàm Franciscum Alensonium, nunc Andegavensium Ducem, et Regis Galliarum fratrem: quippe qui et regnandi cupiditate flagret, et jam aliàs à fœderatis Ordinibus defensor Belgicæ libertatis compellatus fuerit.* Quæ Orangii sensa cùm à plerisque ipsorum probarentur; tandem Alensonius, post multas consultationes, ad capessendum Belgii Principatum legatione solenni accitus est: sed, utì Spondanus inquit, *adeò duris, servilibúsque conditionibus, ut appareat, eum valde ambitiosum fuisse, qui oblati ejus imperii umbram tanti emerit.* Acerbè res ista pupugit Matthiam Archiducem, qui triennio abhinc ab iisdem Ordinibus in Belgium accersitus; plurimísque falsis promissionibus ad capienda istarum Provinciarum gubernacula, invito Rege & Cæsare, seductus erat. Jam pridem ille non sinè maximo cordis dolore viderat, Orangium illic omnia pro suo solius arbitrio gerere: se autem è diverso non gubernatorem Belgii; sed potiùs inane aliquod simulacrum gubernatoris agere. Atque ideo (cùm primùm audiit, Ordinum fœderatorum vota se neglecto in Alensonium verti) prædicto gubernatoris titulo suâ sponte se palàm abdicavit; menséque Martio sequentis anni fœderatis Ordinibus valefecit, relicto hoc prudenti monito: *Restituo vobis, quidquid auctoritatis et potestatis in me conferri à vobis potuit: vos eâdem sic utamini, ut hac de re non solùm Regi; sed etiam Deo vestro valeatis respondere.*

Imò Orangius, eâ proscriptione magìs effectus, Principatum Belgii defert Francisco Alensonio, Regis Galliarum fratri. *Spond. hic n. 9. & 10. Hæreus in ann. brab.*

Quo audito Matthias Archidux gubernationem, sibi nuper à fœderatis oblatam deserit. *auct. iidem*

Annus Christi 1581.

GREGORII XIII. Pontificis 9. & 10.
RUDOLPHI II. Imperator. 5. & 6.
HENRICI Admin. Paderb. 4. & 5.

Gerardus Episcopus Leodiensis exeunte anno priore moritur. *Annales Boici part. 2. l. 12. n. 2 Haræus ad hunc annũ.*

IN fine anni superioris, die vicesimâ octavâ Decembris, vitam integerrimam fine beato clausit Gerardus à Groêsbeck, ex perillustri apud Geldros familia Cardinalis, & Episcopus Leodiensis. In quo, licèt omnia fuerint præclustria, laudúmque maximarum plena; ante cetera tamen laudatissimum illud fuit, quòd illis turbulentis periculosísque temporibus Leodiensem Episcopatum ab omni hæresum vicinarum contagio prorsus intactum conservaverit. Obtulêre se quidem protinus multi magníque candidati, qui vacantem ipsius cathedram diversis Principum aliorum patrociniis vehementer affectabant. Sed quia Gerardus Episcopus, dum adhuc in vivis ageret, Cathedralis Ecclesiæ Canonicos præmonuerat, nihil magìs è re Catholica fore, quàm si Ernestum Bavarum, tunc Episcopum Hildesiensem & Frisingensem, ad susciplenda pariter Leodiensis Ecclesiæ gubernacula postularent: sapienti hoc monito instigati, eundem Ernestum perhumaniter invitârunt, ut ad constitutam electionis futuræ diem Leodiensi in urbe se præsentem sisteret. Quod cùm ab eo confestim fieret, unanimi omnium Canonicorum consensu pridie Kalendas Februarii postulatus; ac deinde, post adeptam Romanæ Sedis confirmationem, die decimâ quintâ Junii magnificè inauguratus est, cum ingenti urbis totius gaudio & gratulatione.

In cujus locum hoc aõ postulatur Ernestus Bavarus. *Annal. Boici loc. cit. Haræus loc. cit.*

Gebhardus Truchsesius Archiepisc. Colon. inter amores illicitos egregiè simulat ardorem Fidei Catholicæ. *Klockner. in hist. Pad. mss. part. 3.*

Felicem te, Colonia! si & tu quadriennio ab hinc (utì id temporis complures voluêre) eundem Ernestum ad Archiepiscopale solium admisisses pro Gebhardo Truchsesio, rerum tuarum & Catholicæ Religionis eversore pessimo. Ardebat hic jam à biennio tristissimis illis amoribus, qui eundem haud multò pòst, non modò ad matrimonium sacerdotio suo conjungendum; sed etiam ad impetendum Romanæ Ecclesiæ jugulum, ferociter adegerunt. Et tamen inter ejusmodi turpitudines videri voluit probè Catholicus. Nam, utì Kleinsorgius & Klocknerus coævi scriptores referunt, die septimâ Aprilis anni superioris, Rüdæ in Ducatu Westphaliæ peculiari scripturâ statuit, ut in curiam, cætúmque senatorium nemo alius adsciscatur, quàm qui Ecclesiæ Romano-Catholicæ adhæresçat. Similiter & hoc anno die primâ Decembris, ejusdem Provinciæ vel Ducatûs Consiliarios tam verbo, quàm scripto monuit;

nuit; jussítque eos omni studio in id incumbere, ut pro tuenda Catholica Religione collegium aliquod & gymnasium Societatis JESU Werlis aut alibi conderetur. Qua de re etiam sequente anno plures consultationes jubente eodem Gebhardo habitas & institutas esse, ex iisdem auctoribus liquet. Sed hæc & alia complura, vel erant meræ tantùm simulationes & fallaciæ, ad interiorem vulpem obtegendam compositæ; vel certè liquidò & apertè monstrant, quàm potenter mulierum insanus amor hominem suis retibus innexum teneat, eúmque agat & circumagat, quocunque velit, juxta illud Lucretii:

Nam vitare plagas, in amorem ne jaciamur,
Non ità difficile est; quàm captum retibus ipsis
Exire, et validos Veneris dissolvere nodos.

Hæc sunt præcipua, quæ de rebus in circulo Westphalico gestis ad calamum affluxêre: nunc etiam brevi compendio juvat addere quædam de rebus Belgicis, utpote quæ sequentibus annis cum historiarum nostrarum scopo fuerunt admodum conjunctæ. Mense Julio insolentissimum edictum à fœderatis Belgarum Ordinibus pro exauctorando Rege suo publicatum est, hoc titulo: *Edictum* Ordinum generalium, Provinciarum unitarum; per quod ex rationibus, in eodem edicto prolixè recitatis, declaratur, Hispaniæ Regem excidisse præfecturis et dominiis dictarum Provinciarum: et prohibetur, ne quis deinceps ejus nomine aut insigniis in dictis Provinciis utatur. -- Datum Hagæ Comitis, die 26 Julii anno 1581.* Præcipuam hujus improbæ exauctorationis causam afferebant Philippi Regis tyrannidem, & edicta sanguinaria, contra Geusios, novarúmque Religionum sectatores jam pridem edita. Sed hæc ratio (si tamen ratio & non potiùs rationis aberratio vocari debeat) longè magis verberabat ipsos, quàm Philippum Regem. Quis enim nescit, quàm nefanda & impia commiserint ipsímet Geusii contra Catholicos in suis oppidis & urbibus occupatis? Quot monachos in illis truculentis motibus non fecerunt Martyres? quot sacerdotes non trucidârunt? quot innocentes non occiderunt? quæ templa non profanârunt? quæ altaria non everterunt? quas Divorum imagines aut reliquias non tradiderunt igni? testis est Antwerpia, Mechlinia, Bruxellæ, Harlemium, Ambstelodamum, & aliæ urbes innumeræ, in quibus contra Catholicos barbarum in modum grassati fuêre! testes quoque Martyres Gorcomienses, & alii aliorum locorum sacerdotes, de quorum nece & sanguinariis cruciatibus plura diximus ad annum 1572! Hæc autem & alia hujusmodi, si volebant sibi licere Geusii; cur non vicissim, longéque magis licebat Regi, in eosdem velut avitæ Fidei desertores animadvertere, & edicta

Fœderati Belgæ Regi suo Provinciarum Belgicarum imperium publico edicto abrogant: *Hæreus in ann. brab. to 3. p. 328. Spond. hic n 9. Strada & alii.

Sed futilib' de causis; imò talibus quæ magis contra ipsos. Auctores iidem.

edicta sanguinaria in ipsos evulgare? Nónne Rex in suo regno potestatem habet, novas hæreses prohibendi, sanguinísque pœnam statuendi in omnes, qui studeant eas per vim ac tumultus publicos introducere? Nunquid etiam sciebat Rex, Geusios, omnésque alios Calvini assecias manifestæ hæreseos condemnatos esse judicio universalis Ecclesiæ, quæ sola semper infallibilem discernendarum hæresum potestatem habuit? Certè privata Geusiorum judicia hac in re sequi vel exspectare nullatenus debuit: alioquin Rex nec Anabaptistas, nec Manichæos, nec Arianos, nec quidquid veterum hæreticorum est (si & illi se per vim ac tumultus publicos in ejus regnum infundere niterentur) supplicio capitis mulctare posset; cùm & ipsi, non minùs ac Geusii, præfractè ac obstinatè negent se hæreticos esse.

Rege bellis, rebúsq; aliis occupato, Alexander Farnesius, necessario milite destitutus, contra fœderatos non multũ proficit: *Spond. hic n. 7. & alii*

Non fuisset admodum difficile Regi, perniciosis hujusmodi turbis Belgium expedire, si vel exemplo sui patris Caroli V. nonnunquam ex Hispania in Belgium advenisset; vel certè misisset illuc sufficientem belli nervum cum pecuniis, ad conscribendum, alendúmque exercitum, necessariis. At ille ex his duobus neutrum præstitit; & hunc annum consumebat iterum in componendis rebus Lusitanicis: magis utique sollicitus, ut nova regna potestati suæ adjungeret; quàm ut vetera conservaret. Ità factum, ut Alexander Farnesius Belgii gubernator, tametsi animo ac prudentiâ militari parem vix haberet, sufficienti militum auxilio destitutus, etiam hoc anno ferè aliud nihil contra fœderatos Geusiorum Ordines potuerit efficere; quàm quòd urbem Bredanam per stratagema, Tornacensem verò post bimestre obsidium armatâ manu iisdem eripuerit. Neque Geusii Farnesianis hujusmodi ausis multùm obniti poterant. Nam & ipsi, diuturnitate bellorum pressi, non parvâ nummorum penuriâ premebantur; ideóque magnis desideriis anhelabant ad adventum Francisci Alensonii Andegavensium Ducis, quem anno superiore ad capiendum Belgii Principatum solenni legatione accersiverant. Et ille quidem cum ingenti Gallorum exercitu (quem Haræus viginti quinque millia, alii verò tantùm quatuordecim vel septendecim millia complexum asserunt) mense tandem Augusto in Belgium venit; & urbem Cameracensem à diuturna Alexandri Farnesii obsidione liberavit. Sed quia potissimum exercitûs prædicti robur constabat ex meris volonibus; magnáque insuper illius pars aut assiduis velitationibus imminuta, aut ex defectu stipendiorum ante hiemem dilapsa erat: captis aliquot levioribus castris præmaturè se in Picardiam recepit; indéque non multò pòst in Angliam ad Reginam Elisabetham abiit, inani Britannicarum nuptiarum spe se ibidem oblectaturus.

Iis tamen Bredam ac Tornacum eripit. *Spond. ib. Haræus, Strada, & alii.*

Alensonius cum ingenti apparatu in Belgium venit; nullâq; re magni momenti gestâ abit in Angliam, inanes Elisabethæ nuptias prensaturus *auct. iidem*

AN-

Annus Christi 1582.

GREGORII XIII. Pontificis 10. & 11.
RUDOLPHI II. Imperat. 6. & 7.
HENRICI Admin. Pad. 5. & 6.

REm æternâ memoriâ dignam Gregorius XIII. Romanus Pontifex hoc anno præstitit in correctione antiqui Calendarii; quod à tempore Julii Cæsaris (unde Calendarium Julianum dicebatur) totis integris decem diebus jam exerrare cœperat, non sinè magna diei Paschalis, aliorúmque festorum ex eo pendentium confusione. Origo hujus erroris erat, quòd in Calendario Juliano constitutum esset, ut in posterum constaret annus trecentis sexaginta quinque diebus, horísque sex; quæ singulis quadrienniis ob residuas viginti quatuor horas unum diem intercalarem facerent. Hæc autem computatio, tametsi in ceteris accurata fuerit; in eo tamen adhuc paululùm deviabat, quòd antè dictæ sex horæ putarentur esse omnino integræ: cùm tamen aliquæ brevissimi temporis particulæ (quas communi vocabulo *minuta* vocant) ad earum integritatem desint. Quod cùm à veteribus observatum non esset; diuturno seculorum lapsu paulatim evenerat, ut hucusque jam decem dies, ultrà quàm oportuisset, in Calendario numerati sint: ideóque & æquinoctium vernum, quod aliàs incidere debebat in diem vicesimam primam Martii, præpostero modo jam incideret pridie Kalendas Aprilis. Errorem hunc, aliorum plurium errorum fontem, jam pridem adverterant multi viri docti. Sed ejus correctioni manum admovere majori cum auctoritate nemo poterat, quàm Romanus Pontifex. Qui auditis Mathematicorum peritissimorum consiliis, primò ad restituendum æquinoctium vernale statuit, ut prædicti decem dies in Octobri hujus anni omitterentur; atque ideo post diem quartam istius mensis, quæ S. Francisco sacra est, continuò scriberetur decima quinta. Deinde verò, ne similis error in posteriora secula rursus illabi posset, perpetuo edicto sanxit, ut præsenti quidem seculo annus centesimus adhuc maneret intercalaris: postea verò singulis quatuor seculis tres primi anni seculares vel centesimi diem intercalarem omitterent; & quartus annus secularis, vel centesimus, eam rursus adhiberet, utì videri potest in ejusdem Pontificis constitutione, signatâ Tusculi VI. Kalendas Martii Anno 1582. Correctio hæc apprime necessaria, utì à Principibus Catholicis non parvum applausum retulit; ità è diverso à multis acatholicis

Gregorius XIII. Papa Calendariũ Julianum hoc anno corrigit, *Spond. hic n. 14. & 15*

Non sinè magna plurium aca-

tholicorum invidia & contradictione. *Spond.n.17 & alii.*

cis non solùm ore maledico, sed etiam libellis famosis graviſſimè appetita est. Imò & eorum aliqui in eam audendi licentiam prolapsi fuêre, ut imprudenti populo voluerint persuadere, nullum certiùs Antichristi signum esse, quàm annos & eorum tempora emendare. Alii tamen Lutherani, quibus paulò emunctior nasus erat, correctionem istam vehementer approbârunt: sapientissimè opponentes, eam, licèt à Pontifice facta sit, rectitudini temporum accomodatam esse; neque hac in re spectari oportere personam corrigentis; sed veritatem & rectitudinem rei correctæ.

Daniel Archiepiscop⁹ & Elector Moguntin⁹ moritur die 22. Martii. *Serar. l. 5. rer. Mog.*

Haud multò pòst, quàm ista Pontificis constitutio in lucem publicam prodiîsset, mortalis vitæ lucem amisit Metropolitanus noster Daniel, ex perillustri Brendeliorum familia Archiepiscopus & Elector Moguntinus, defunctus Aschaffenburgi die vicesimâ 2dâ Martii. De hujus laudatissimi Principis virtutibus & glorioſis meritis multa copiosè descripsit Nicolaus Serarius in historia Moguntina. Mihi brevitatem sectaturo satìs est, breve laudum ejus compendium hîc adscribere ex ipsius epitaphio, quod ità habet: *Daniel, Dei gratiâ Archiepiscopus Moguntinensis, S. R. I. per Germaniam Archicancellarius, Princeps Elector, et è Nobili familia Brendel ab Homperg, anno 1555, ætatis suæ trigesimo tertio electus, Ecclesiam annis 27 optimè, pacificéque rexit, haud paucis emolumentis auxit, justitiam coluit, Religionem promovit, carus omnibus extitit, duos Imperatores, Maximilianum II. et Rudolphum II. coronavit, inculpatè vixit, Sacramentis Catholicè perceptis, piè, placidéque quievit, ac desiderium sui, luctúmque cunctis reliquit. Obiît Aschaffenburgi anno 1582 die 22. Martii.*

In ejus locũ eligitur Wolffgangus, Camerarius de Dalberg. *Serar. ibid.*

Vacantem ipsius cathedram sequenti mense consecutus est Wolffgangus Camerarius de Dalberg, electus die vicesimâ Aprilis, & eodem anno à Sede Pontificia confirmatus: vir & prudentiâ singulari præditus, & integritate morum conspicuus; &, quod potissimùm in Principibus Ecclesiasticis commendari debet, Catholicæ Religionis cultor ardentissimus.

Sectariorũ Aquisgranensium turbæ, ante biennium cœptæ, & usque in hunc annũ continuatæ **Chytræ⁹ l. 25. Saxon. Noppius in chron. sedis Regiæ Aquisgran.*

Erat eo tempore ad Rhenum inferiorem periculosissimus rerum status: quem ut ordinatiùs proponam; à civium Aquisgranensium turbis, jam ante biennium cœptis & hucusque nondum consopitis, initium scribendi faciam. Ab annis ferè quindecim, nescio quâ Magistratûs & Senatorum indulgentiâ, nidulari in hac urbe cœperant Lutherani quidam & Calviniſtæ, partim ex Belgio *vicino profugi, partim ex aliis Principum Lutheranorum terris adventantes. Hi, cùm ibidem & numero, & mercimoniorum suorum prosperitate, valentiores fierent; anno ejusdem seculi septuagesimo quarto humillimè supplicârant urbis Magistratui, ut saltem unum alterúmve è suis asseclis in senatum admitti sinerent:

pro-

promittere se vicissim, quòd in summa tranquillitate ibidem vivere, pacem colere, superioribus constanter obedire, nec ullam in rebus fidei novationēm inducere vel tentare velint. Consensit huic petitioni Magistratus, fraudulentis eorum promissis improvidè credens. At brevi didicit, quàm verum sit illud Svidæ: *omnis echinus asper est*; vel, ùt ex Aristophane vertit Erasmus: *è scabro in lævem nunquam vertetur echinus.* Nam post annos paucos, nimirum anno hujus seculi *octogesimo, quando jam civium Aquisgranensium plures diuturnâ familiaritate & colloquiis in societatem suorum traxerant, contra fidem antè datam protervè ausi sunt etiam publicum suæ Religionis exercitium intrà hanc urbem petere. Cúmque id iis à Magistratu tam civili, quàm ecclesiastico negaretur; contemptâ omni prohibitione nihilo minùs perrexerunt novationem suam violenter introducere, templísq; aliquot occupatis conciones publicas instituere, & cœnam Eucharisticam, aliáque sacra novo ritu ministrare. Cæsar ea de re monitus, continuò severissimis literis mandavit civibus, ut hujusmodi res novas abolerent, & sectarios concionatores quàm primùm ex urbe pellerent. Quin etiam sequenti *anno (cùm adhuc iteratis ejusmodi monitis ac præceptionibus dorsum obverterent) Ernesto Episcopo Leodiensi, & Wilhelmo Juliacensium Duci negotium dedit, ut per Legatos *eò missos non solùm Cæsarea mandata perfici, & veterem doctrinam retineri, facerent; verùm etiam in proxima renovatione Magistratûs nullum alium inter senatores aut consules admitti, sinerent, quàm qui juxta pristinas ejusdem civitatis leges Religionem Romano-Catholicam profiteretur. Sed frustra hæc omnia! cantata est fabula surdis! Mense Majo, dum ad nova senatorum comitia veniretur, cives iterum in duas partes distracti sunt; nec minùs Lutherani & Calviniste suos, quàm Catholici *suos consules & senatores elegêre: ídque non alio fine, quàm ut urbis totius regimen amotis Catholicis paulatim ad se pertraherent. Quod cùm impedire vellent Principum commissariorum Legati; ideóque solos consules, à parte civium Catholicorum sibi oblatos, auctoritate Cæsareâ confirmarent: repentè cives alii, Luthero & Calvino dediti, gravissimos in urbe *tumultus concitare, mandata Cæsaris pro nihilo ducere, portarum claves Catholicis extorquere, plateas obductis catenis claudere, forum insidere, armamentarium effringere, tormenta extrahere, turres & valla contra Catholicorum vim & aggressiones præmunire. Imò consulum sectariorum unus, cùm ad eam violentiam coërcendam alia atque alia Cæsaris mandata cum iteratis pœnarum aggravationibus advenirent, non solùm ea pervicaciter contemsit; sed etiam impudentissimo * ore dixisse*

*Chytræus ad an. 1580 Klockner. in hist. Paderb. ad eund. ann.

*aõ 1581.

*Palat. in Aq. Austr. ad an. 1581 Chytræ° ib.

*Palat. ad ann. 1581. Chytræ° ad annũ. 1580.

*Palat. loc. cit. Helvic. in theat. hist. univers. ad an. 1581 *Wejer de ortu & occasu August. Conf.

dixisse fertur: *etiamsi Imperator mulum clitellarium, literis, mandatisq; prægravatum, ad eos mitteret; se tamen idcirco minimè ab inceptis abstituros.*

Comitia Augustana, ad comprimendas Aquisgranensium turbas indicta.

Tum verò Cæsar, nihil ampliùs cunctandum ratus, Wilhelmo Juliacensi mandatorum suorum executionem præcipere, Aquisgranense territoriolum circa festum S. Michaëlis* occupare, ejusdem subditos in suam fidem adigere, annonam urbi intercludere, vias omnes ad importandum commeatum* præstruere; ac demum post initium sequentis anni octogesimi 2di (de quo nunc agimus) nova Principum Germanicorum comitia* pro decernendis rebellium pœnis ad urbem Augustanam conscribere. Sed heu! tristia, & acerbis lachrymis deploranda tempora! Cùm ibidem congressus Principum aperiretur, & jam agi cœptum esset de puniendâ Aquensium rebellione; ecce tibi! iterum ex urbe ac Diœcesi Colonienſi deferuntur nova mutandæ Religionis pericula. Gebhardo Truchsesio, Colonienſium Archiepiscopo, dudum fuerat consuetudo pessima cum Agnete Mansfeldica, uti jam aliàs persæpe diximus. Et jam amor iste, qui diu furtivus erat, paulatim omnem lasciviendi verecundiam ità abjecerat, ut omnium ferè hominum linguis & sermonibus percrebesceret. Quapropter ejusdem Agnetis fratres velocissimè Bonnam profecti, maximâque animi commotione Gebhardum sic adorti sunt: *Quâ fronte ausus esset, sororem suam, tam illustri loco natam, suis flagitiis conspurcare? si scortari libuisset, quærendam fuisse aliam plebeji generis; non verò puellam tam excelsis natalibus ortam. Huic illatum dedecus redundare in probrum totius familiæ: ideóque eam nunc, aut secuturis nuptiis cohonestandam esse; aut, nisi id velit, alia sibi consilia non defore, quibus eam injuriam severè vindicent.* Perterritus indè Præsul sub initium hujus anni, præsente Petro Ernesto Mansfeldiensi Comite & aliis cognatis, matrimonii secuturi fidem Agneti dedit: promisitque, eam, quàm primùm id occasio ac tempus ferret, nuptiali thalamo sibi conjungere; etiam relictâ, si aliter fieri non posset, Ecclesiæ Colonienſis dignitate. Gratissimum id erat Adolpho* Comiti Nüenario, & aliis Calvini assectis. Nam ex ea matrimonii promissione dilucidè cognoscebant, eum à Religione Catholica recessurum: cùm in hac nullatenus permittatur, matrimonium conjungere cum sacerdotio jam antè habito. Ne autem idcirco aliquod amittendi Archiepiscopatûs periculum incurreret; promittebant ei, se laboraturos, ut & urbs Colonia ad expetendam Religionis libertatem concitetur, eâque impetratâ, plenis cursibus in opiniones à Fide Catholica alienas proruat.

*Chron. Trem. ms.

*Chytræus ad an 1580.

*ab Isselt l. 1. de bello Colon.

Truchsesius Archiep. Colon. matrimonium promittit amasiæ suæ Agneti Mansfeldicæ.

*Michaël ab Isselt loc. cit. pag. 15. Palat. in Aq. Austr.

*Isselt ibid. pag. 16. & alia ms.

Habe-

Habebat jam Colonia multos acatholicos, tum ex aliis provinciis pulsos, tum ex eorum doctrina & conversatione depravatos. Hi, dum Augustensium comitiorum initia propediem imminebant; à Nüenario & aliis instigati, Magistratum audacter adeunt, multitudinem suorum sectatorum superbè jactitant, porrectóque insuper libello supplice ardenter ab eo flagitant, ut sibi liberam potestatem faciat, Augustanæ confessionis fidem, in Imperio permissam, exercitio publico ibidem profitendi: *contestari se vicissim per salutem animæ suæ, quòd in summa pace cum aliis victuri sint, neque ea petitio ad ullam seditionem aut rebellionem vergat.* Speciosa verba! sed eorum voluntati minùs consona. Nam, ùt primùm senatus Colonienſis, Aquensium exemplo doctus, petitioni huic assentiri noluit; statim illi homines pacifici, neglectâ senatûs auctoritate, in propinqua Mechterensi villa Calvinianæ Religionis exercitium instituêre, præsente Comite Nüenario, ad eosdem protegendos quatuor manipulis militum circumfuso. Offensus indè Magistratus, neque talem insolentiam in ipsius urbis conspectu ferens, novo protinus edicto cavit, ne deinceps oppidanorum, civiúmque suorum aliquis, nisi jure civitatis excidere velit, ad peregrinas hujusmodi concione⁼ adeat. Cùm autem id nihilò seciùs ab eorum pluribus attentatum esset; tandem senatus, pacificos hominum istorum animos apertè videns, tertiâ vice pernicioſum illud conventiculum repentinâ tormentorum suorum explosione disturbavit. Atque ut in posterum à contumaci illo hominum genere urbem liberaret; non multò pòst communi omnium suffragio pœnale hoc edictum condidit, & solenni ritu per urbem publicavit: *quicunque exteri ab anno hujus seculi sexagesimo sexto in hanc urbem commigrârunt, neque ritu Catholico vivunt aut vivere volunt, intrà quatuor hebdomadas urbem deserunto; reliqui verò, qui contra senatûs prohibitionem, vel concionibus in pago Mechterano habitis, vel aliis clancularıis conventiculis interfuêre, in pœnas alias huic temeritati vel contumaciæ debitas reservantor.*

Conatur evincere per suos, ut Magistrat⁹ Colonienſis permittat omnib⁹ libertatem Religionis. *Kleinsorg. in diario hist. Truchſes. Iselt l. 1. de bello Colon. Spond. hic n. 20.* Sed opponit se Magistratus, ac tandem omnes acatholicos ex urbe ejicit. *Iselt l. 1. de bello Colon. Spond. ib.*

Ità demum prima illa Truchsesii machinatio eventu casso in fumum & ventos abiit. Neque multò fortunatius fuit consilium ipsius alterum, priori longè pestilentius. Agnoscebat homo versipellis, Legatos illos, qui à se & Collegio Metropolitano ad Augustana comitia missi fuerant, maximéque Casparum Fürstenbergium Satrapam Bilsteinianum, & Franciscum Burchardt Cancellarium, esse viros in Catholica Fide constantissimos; quíque in rebus ad Religionem nostram pertinentibus ne vel unicum latum unguem cessuri essent. His igitur in sua causa nihil fidendum ratus, finitis propè comitiis misit illuc duos alios Calvinianæ doctrinæ deditos

Truchſesius in comitiis Augustanis evincere nititur, ut sibi permittatur matrimonium Archiepiscopatui suo conjungere: sed frustrà. *Auctores iidem.*

ditos, qui secretò & quasi per cuniculos cum Protestantium Legatis agerent; viderèntque, an in his comitiis perurgeri nequeat, ut & Principes Ecclesiastici, si relictâ Fide Catholicâ ad statum conjugalem transeant, suorum Episcopatuum aut Prælaturarum administrationem retineant? inclinârunt in hanc partem* quàm plures Protestantium Legati: non enim ignorabant, id proponi à Truchsesio; & per ejus apostasiam fore, ut in posterum plerique septemviri doctrinam ab Ecclesia Romana alienam teneant. Contrà verò Catholici Principes, cum Rudolpho Cæsare, propositionem hanc unanimi voto rejecerunt: utpote quæ *Religionis paci* directè contraria sit; ideóque ab ipsismet adversariis approbari vel admitti nequeat, nisi totam Religionis pacem eodem impetu eversam aut proculcatam velint. Sed, cùm ea disceptatio videretur esse prolixior, quàm ut intrà breve tempus absolvi posset; quæstio illa, & plures aliæ ad Religionis tranquillitatem pertinentes, in alium conventum rejectæ sunt. Atque ità mense Septembri ab his comitiis* discessum fuit, etiam Aquisgranensium controversiâ in suspenso relictâ.

Helvic. in theat. hist. univers.

Iselt l. 1. pag 45.

In Ducatu Westphaliæ degens, externè simulat se Catholicũ esse: *Kleinsorg. in diario hist. Truchs.*

Interea Truchsesius, qui tunc agebat in Ducatu Westphaliæ, exteriùs callidissimè præferebat, se Catholicæ Religionis promovendæ studiosissimum esse. Præterquam enim, quòd ibidem sacrificio divino frequentissimè interfuerit; etiam die decimâ nonâ Augusti Præposito Conventûs S. Walburgis intrà urbem Susatensem perscribi jussit, ut omnes novationes à se inceptas abrogent, & antiquæ Fidei Romano-Catholicæ perseveranter se addicant. Item die octavâ Septembris *Petrum Michaëlis, Societatis JEsu sacerdotem ac Theologum, qui id temporis apud eum Hirtzbergæ in Westphalia fuerat, Werlas ad Gerhardum Kleinsorgium juris utriusque Licentiatum ablegavit; jussítque ibidem inter eos consultari de Collegio & Gymnasio Societatis JEsu intrà hanc urbem erigendo, uti constat ex ipsis Truchsesii literis ea de re ad Kleinsorgium datis. Postremò etiam die ultimâ Octobris (hoc est biduo priùs, quàm è Westphalia Bonnam reverteretur) eorundem locorum consiliarios Arnsbergam convocavit, de Catholica Religione conservanda* cum iisdem egit, tenuiora quædam beneficia in Geseke, Brilon, & Rüden, pro meliore unius Vicarii sustentatione uniri voluit, suffraganeum Colonienſem pro sacramento Confirmationis administrando in hásce terras mittendum esse appromisit; atque, ut alia multa præteream, pro Catholicæ juventutis institutione de fundando Werlis Patrum Jesuitarum collegio sollicitissimè deliberari præcepit. Sed hæc omnia merissimæ tantùm fictiones & simulationes erant fraudulenti hominis; qui per

Kleinsorg. loc. cit.

Kleinsorg. ibid.

hu-

hujusmodi artificia nihil aliud intendebat, quàm sub Catholicæ Religionis pallio sese contra Catholicam Religionem potentiùs obarmare. Nam eodem illo tempore, quo ista nequiter simulavit, Henricum Paderbornensis Ecclesiæ nostræ Administratorem, & Archiepiscopum Bremensem, Joannem Nassovium Principis Orangii fratrem, aliósque Dominos Luthero & Calvino deditos in Ducatum Westphaliæ ad se accersiit, cum iisdem Septembri & Octobri mensibus mutandæ Religionis consilia contulit, eorum auxilio copiosum ubique militem pro se tuendo conscribi studuit; ac demum aliquos è Nobilitate viros, & aliquos urbium Angaricarum consules, per Ottonem de Wolmeringhausen tacitissimè sollicitari fecit, ut sibi, suísque civibus plenam Religionis libertatem concedi peterent. Id quod tamen eo tempore apud Nobiles, consulésque illos nullum planè succession habuit.

Sed occultè ibidem studet, apostaticas machinationes suas stabilire. *Kleinsorg. in diar. cit.*

Rebus in hunc modum subdolè institutis, Truchsesius die 2dâ Novembris Arensbergâ discessit; acceptísq; in itinere multis equitum, peditúmque turmis, die quartâ Novembris Bonnam ingressus est, ut ibi fraudum suarum telam pertexeret. Cum eo simul intrabat copiosus miles, clancularío delectu conscribi jussus; quem ad avertenda hostium occultorum bella sibi * necessarium esse fingebat. Paulò pòst Arensbergam ad supremum Quæstorem emittuntur literæ, quibus jubetur Henricum Saxonem, Ecclesiæ Paderbornensis Administratorem Lutheranum, velut singularem Truchsesii amicum gravioribus in rebus consulere, eíque in Ducatu Westphaliæ castra & oppida omnia, cùm voluerit, aperire. Leguntur deinde majores equitum, peditúmque copiæ: imponitur præsidium monasterio Dietkirchensi pulsis virginibus: opplentur militibus Poppelsdorpium, Godesberga, Kessenichium, & alia cum pagis vicinis oppida: auferuntur è Brülensi castro omnia vasa aurea & argentea, militari stipendio in posterum servitura: extorquentur Magistratui Bonnensi claves urbis, exarmantur cives, ejiciuntur Minoritæ, violantur Ecclesiæ jura. Verbo, tota urbis & aulæ facies talis erat, ut ibi non Archiepiscopum cum Pastorali pedo & mitra; sed magnum aliquem belli Imperatorem cum suis tribunis, centurionibus, & chiliarchis residere crederes: eo tamen discrimine, quòd ejusmodi belli dux plerumque castiùs & moderatiùs vivat; ille autem penè semper in scortationibus & immani compotatione viveret.

Redit Bonnam cum ingenti comitatu militum,

* *Isselt l. 1. belli Colon. pag. 50.*

Consilia sua confert cum Henrico Administratore Paderborn. *Kleinsorg. in diar. cit.*

Multa loca circa Bonnã præsidiis impositis firmat, *Isselt l. 1. belli Colon.*

Quis putaret inter istos vapores crapulæ, vel inter istas libidinum spurcitias, æternæ beatitudinis viam inveniri posse? Et tamen ille (si superis placet) inter hujusmodi turpitudines æternæ veritatis radio tam copiosè collustratus est, ut extemplo viderit, Reli-

Et publicè profitetur, se Religioni Catholicæ nuntium remisisse. *Isselt l. 1. belli Colon. pag. 81.*

Religionem Catholicam non nisi puras, putásque tenebras appellandas esse; quemadmodum scribit ipsémet in edicto suo, die decimâ nonâ Decembris edito contra eos, quibus videbatur Diœcesim hanc ad suos filios ac nepotes hæreditario titulo transmittere velle. *Cùm*, inquit, *benignissimus Deus se ex tenebris Papatûs in lucem et cognitionem sancti et salutiferi verbi sui asseruerit; nihil ampliùs postulari à se, quàm ùt in vocatione et officio suo bonâ et tranquillâ conscientiâ vivere, et fidelibus sibi ab eodem Deo commendatis subditis publicum veræ atque incorruptæ doctrinæ exercitium, usúmque sacramentorum legitimum permittere posset. Interim se nullius conscientiæ vim inferre velle; sed utriusque Religionis exercitium juxta pacem Religionis instituere. Polliceri etiam, se majoris Ecclesiæ Capitulum electione suâ liberâ non spoliaturum: ità ut, si sua Celsitudo ex hac lachrymarum valle abripiatur, electio sinè ulla contradictione ad Capitulum reversura sit.* Ità cæco huic Principi tenebræ lumen erant.

Paderbornæ Patres Jesuitæ salutem animarum promovent cum ingenti fructu. *Hist. Collegii Paderb.*

Paderbornæ interim hæc novatio Truchsesiana magnopere profuit ad conservandam inibi Societatem JESU, in colligendis animarum fructibus egregiè desudantem. Cùm enim Henricus, Ecclesiæ nostræ Administrator Lutheranus, hoc anno totus in eo esset, ut in Archiepiscopali Sede Colonienſi Truchsesium sustineret; de Jesuitarum Paderbornensium ejectione cogitare ferè nihil aut parùm potuit. Aliunde tamen avocationis faciendæ periculum timebatur ab ipso Patrum eorundem Provinciali Præside. Qui, cùm videret, Paderbornæ sub heterodoxo & solùm tricenario Principe tam citò spem non esse fundandi collegii, non modò P. Leonardum indè misit in Livoniam; sed etiam haud longè pòst Cathedrali Capitulo denuntiari fecit, duos alios Patres aliis in locis expeti, & propediem revocandos esse. Res ea maximopere percu-

P. Provincialis conatur eos Paderbornâ revocare: sed ejus voluntati strenuè se opponunt Primores Capituli, ac tandem impetrant, ut in statione incepta maneant. *Hist. Collegii Paderb.*

lit Cathedralis Ecclesiæ Decanum Henricum de Meschede, atque ideò gravissimè commotus respondit: *non sperare se, Patrem Provincialem in hac voluntate perstiturum esse; alioquin sese precaturum, ut illa dies, quâ Patres hîc abirent, sibi fatalis et suprema in terris fiat. Quantum erit in suis viribus, obnixurum se huic intentioni: utpote quam sinè evidenti nostræ Diœcesis incommodo, certissimáque plurimarum animarum jactura exequi non liceat. Periclitari hoc modo totam patriam, Cathedrale Capitulum in apertum fidei discrimen conjici, Clerum deinceps non ausurum publicè ad celebrandum officium divinum convenire: eò quòd Patres insolentem hæreticorum pervicaciam, tum concionibus publicis, tum allocutionibus privatis, tum etiam suæ vitæ ac morum integritate, hactenus coërcuerint.* Eadem senserunt alii Cathedralis Ecclesiæ Primores: qui & literis efficacissimis, hac de re ad Patrem Provincialem datis, continuò id impetrârunt, ut reliqui sacerdotes ad avertenda

Reli-

Religionis & animarum pericula, cum ingenti urbis ac Diœceſis totius commodo, Paderbornæ manſerint. Epiſtola ipſorum, quæ etiam nunc aſſervatur, *data eſt Scharmæ die 24 Octobris anno 1582*; eíq; primariorum Canonicorum nomina cum ſigillis propriis adjecta ſunt hoc ordine: *Theodorus Fürſtenberg Præpoſitus, Henricus de Meſchede Decanus, Melchior de Plettenberg Camerarius, Wilhelmus Schilder Scholaſticus.* Benedicere dignetur divina bonitas glorioſis cineribus tantorum heroum, qui de Religione, de republica, de Societate JESU Paderbornæ tam præclarè meriti ſunt; inclinatæque in ruinam patriæ ſuccollantes, fundamenta jecerunt, quibus Catholica Fides, in priſtinum vigorem erecta, ſolidiùs poſtmodum firmaretur.

Alenſonius in Belgium redux, Antwerpiæ proclamatur Dux Brabantiæ: ſed infelici omine. *Haræus in ann. Brab. Spond. hîc n. 2. & alii.*

Quod attinet ad ſtatum Belgii, fortuna Alenſonii (quem anno ſuperiore illuc adveniſſe, nec longè pòſt inanium nuptiarum ſpe in Angliam abiiſſe, diximus) ferè eum in modum ſeſe habuit, ut potiùs comœdum aliquem aut hiſtrionem; quàm provinciarum fœderatarum Ducem egiſſe videatur. Die nonâ Februarii ex Anglia reverſus erat Fliſſingam in Zelandia, multis armatorum millibus, cùm è Gallia præmiſſis, tum verò etiam ex regno Angliæ comitantibus. Indè verò poſt decem dies Antwerpiam à fœderatis Ordinibus occupatam veniens, magnis omnium lætitiis exceptus, ac Brabantiæ Dux feſtivo ritu proclamatus fuit. Sperabant Catholici, ſe à novo Duce nunc impetraturos eſſe, ut ſibi liberum ſuæ Religionis exercitium in hac urbe reſtitueretur. Sed quia fœderati Ordines poteſtatem ejus ità conſtrinxerant, ut nihil aliud poſſet, quàm quod ipſi vellent; ſola S. Michaëlis Eccleſia Catholicis permiſſa eſt: ídque eâ duntaxat lege, ut, quisquis hoc templum adire voluerit; priùs omnem Catholici Regis jurisdictionem ejeret, novóque Duci Alenſonio perpetuæ fidelitatis & obſequentiæ ſacramentum dicat. Quæ fœdiſſima conditio, cùm à ſervo Duce comprobata vel acceptata fuerit; etiam brevi tempore non uno indicio didicit, ambitioſum illud, penitúsque ſervile regimen infauſto ſidere ſuſceptum eſſe. Etenim die octavâ Martii in urbe Antwerpia novi Ducis inſignia, quæ Philippi Regis inſignibus tumultuariè ſuperinduxerat, procelloſo ventorum turbine revulſa, & in vicinum flumen abrepta ſunt. Deinde rurſus die decimâ octavâ Martii, quæ ejuſdem Alenſonii natalis erat, non multùm abfuit, quin ipſe cum ſuis Gallis intrà urbem Antwerpiam populari tumultu caderet. Cùm enim eâ die peregrinus adoleſcens Orangium occidere conatus eſſet, exploſo in ejus caput parvo ſclopeto, repentè commota plebs non ſolùm adornati hujus flagitii ſuſpicionem conjecit in Alenſonium; ſed etiam tam inſano furore in eundem

Ab Antwerpienſibus in tumultu civíco penè opprimitur cum ſuis. *Haræus loc. cit. Spond. n. 3.*

dem infremere cœpit, ut nisi Orangius, ex vulnere accepto saucius, culpam omnem ab eo protinus removisset, procul dubio inter accurrentium Geusiorum gladios inquietam animam exspuisset. Neque tamen idcirco vir infelix destitit à Principatu malè parto: donec iterum sequente anno longè pejùs intrà urbem eandem habitus, probrosâ fugâ in Galliam se recipere debuit, ibidémque haud multò pòst celeriore fato arrogantes animos in obscuro sepulchro claudere; uti suo loco prolixiùs exponetur.

Et sequente anno Belgiũ rursus desefere cogitur.

Annus Christi 1583.

GREGORII XIII. Pontificis 11. & 12.
RUDOLPHI II. Imperat. 7. & 8.
HENRICI Admin. Pad. 6. & 7.

Alensonius temere nititur, Belgiũ acatholicũ suæ solius potestati subdere. *Spond. ad hunc annũ. Hareus in ann. brab. Strada de bello Belg. dec. 2. l. 5.*

HActenus Alensonius inane Ducis nomen in Belgio turbato gesserat. Nullam ferè urbem tenebat solus; munitorum locorum præsidia constabant simul ex aliis Arausicano Principi devotis; belli sumptus non solvebantur; miles Gallicus laborabat magnâ victûs inopiâ; deerat omnis imperandi auctoritas, tota rerum summa vel potestas erat penès Arausicanum & Ordines fœderatos, qui novo Duci ferè nihil præter inanem dignitatis umbram reliquerant. Itaque ut ex hísce tædiis quàm primùm se expediret; præcipiti consilio statuit, simul uno die, nimirum decimo septimo Januarii, Antwerpiam, Ostendam, Neoportum, Brugas, Dunkerckam, Dixmüdam, Tenaramundam, & alia quædam oppida, per improvisum Gallicani militis tumultum suo solius juri ac imperio subjicere. Evenit res illa prospere in aliquibus locis, ubi numero vincebant Galli; putà Dünckerckæ, Dixmüdæ, ac Tenaramundæ: contrà verò minùs prospere Neoporti, Brugis, & Ostendæ, ubi major erat civium & aliorum præsidiariorum copia. At nullo in loco res infeliciùs gesta, quàm in urbe Antwerpiensi, cujus occupationem & subactionem pro majore gloria sibi delegerat Alensonius ipsémet. Multas equitum, peditúmque suorum copias ante hanc urbem congregari jusserat, sub ementito prætextu mittendi eas in hostem. Ibi dum à biduo constitissent; circa prandium diei præstitutæ cum ingenti militum, ac Nobilium suorum comitatu extra urbem vehitur, quasi exercitum ad bella promptum lustraturus. Transeunti primam portam, & jam consistenti in secunda, per speciem honoris exhibendi obviàm ei de castris veniunt nonnullæ equitum Gallicorum turmæ. Statímque Alen-

Dünckerckam, Tenaramundã & Dixmüdã feliciter per tumultum occupat. *Auctores iidem.*

Antwerpiã ex insidiis oppressur⁹, fœdâ suorũ clade rejicitur. *Auctores iidem.*

Alensonius, ad suos conversus, urbémque manu monstrans: *Eja*, inquit, *filii mei*, *jam vestra est Antwerpia.* Quo audito miles omnis, qui præstò erat, occisis excubitoribus portas occupare, in urbem ruere, socios è vallis advocare, insequentéque mox toto exercitu per plateas & compita se dividere, propugnacula conscendere, tormenta in urbem vertere, mercatoriam domum invadere, obstantes interficere, victoriam inclamare. Mirabantur primò cives, quò hæ voces, quò arma tenderent. At ubi paulò pòst viderunt, imperium urbis proditoriè à Gallis peti; etiam ipsi ad resistendum se accingere, campanæ signo plebem convocare, arma capere, præsidiario militi se conjungere, plateas catenis obductis claudere, pleno impetu in Gallos dispersos ruere, gladiis, hastis, bombardis, clavatis fustibus, & omni obviorum instrumentorum genere in eosdem ità desævire, ut intrà unius horæ spatium totâ urbe rursus ejecti fuerint. E civibus in hoc tumultu periêre circitèr octoginta: è Gallis verò mille & quingenti, inter quos non minima pars è præcipua Nobilitate, præter complures alios bello captos.

Idcirco à Belgis malè habitus, abjectâ Principatûs retinendi spe in Galliam revertitur. *Spond. n. 2. Hæus, & Strada, loc. cit.*

Proditorium illud, fraudibúsque plenum facinus novo Duci non modò summum odium apud omnes Belgas; sed etiam repentinam Principatûs malè cœpti jacturam attulit. Nam ex eo tempore, ab Antwerpianis in fugam pulsus, à Belgis aliis derelictus, annonâ intercluso, inopiâ pressus, reconciliationis obtinendæ spe dejectus, tandem exeunte Junio, convasatis omnibus, è portu Dünkerckiano Calêtum abiit; indè ulteriùs in Galliam, unde venerat, non sinè ignominia ac dedecore, discessit. Tum verò Alexander Farnesius, gravi metu & hoste liberatus, continuò Dünkerckam adhuc à Gallis infestam obsidet; eámque, desperato Ordinum Geusicorum auxilio, intrà sedecim dies acerrimâ oppugnatione in sui Regis potestatem redigit. Sequebantur mox urbes aliæ, simili armorum impulsu domitæ; scilicet Neoportum, Winoxberga, Furna, Dixmüda, Menina, Steinberga, Alostum, Zutphania, cum diversis oppidis infirmioribus: in quibus ubilibet Religionem Catholicam in statum antiquum restitui jussit, Calvinianis omnibus domo pulsis, & in alia loca demigrantibus. Neque dubium est, quin laudatissimus hic belli dux (cui Hispanorum, aliorúmque militum externorum revocatio præcedente anno rursus ab Ordinibus Catholicis permissa erat) victricia signa longè ampliùs toto Belgio fuisset extensurus, dummodo Philippus Rex, Lusitanico bello etiamnum impeditus, majores Hispanorum copias cum amplioribus pecuniarum subsidiis in Belgium transmisisset. Qua de re Farnesius ipsémet apud Regem conquestus est* hisce verbis:

Eo abscedente Farnesius Dünkerckam, Neoportú, & alias urbes fœderatis eripit. *Spond. ib. Hæus & Strada loc. cit.*

* *Strada de bello Belg. dec. 2. l. 5.*

bis: *si ab Hispania mitterentur auxilia, quibus exercitum abunde augeret; sperare se Deo duce, intrà annum universâ Brabantiâ potiturum. Imò si semel vis omnis, quanta ab Regum potentissimo exseri potest, ad profligandos hostes adhiberetur; eosdem, qui nunc divisis Hispanorum conatibus pares sunt, conjunctis in unum viribus impares fore, ac demum fortiori sese dedituros esse. Contrà verò, si totâ belli mole in eos non incumbatur; vereri se, ne bellum infinitè protrahatur, et Regis curæ adhuc annis compluribus in extinguendo hoc incendio fatigentur.*

Truchsesius Colon. Archiepiscop⁹ à Pontifice, Imperatore propriisq; subditis frustra monitus, **Isselt l. 1. belli Colon. pag. 76.*

Ruinam Alensonii propediem consecuta est ruina fidentissimi clientis ejus, Gebhardi Truchsesii, Colonienſis Archiepiscopi. Jam ab anni superioris exitu pervenerant ad hunc diversæ legationes ac literæ, ab ejusmodi personis missæ, quibus Ecclesiæ Colonienſis incolumitas cordi esse poterat ac debebat. Monuerat eum Gregorius Papa, ne quid in rebus Fidei *novandis ageret, unde sibi, subditisque suis æternum animæ detrimentum pareret. Monuerat Rudolphus Imperator: cogitet, ea, quæ ab ipso agi ac procudi ferebantur, esse contra sacros Canones, esse contra veteres Romani Imperii constitutiones, esse contra *pacem Religionis* compluribus abhinc annis communi Principum consensione stabilitam, esse contra omnia jura, tam nova, quàm antiqua. Monuerant bini alii Electores Ecclesiastici, ne concupitæ mulieris amore Fidem avitam deserat: à Principibus Catholicis nunquam permissum iri, ut matrimonium conjungat huic infulæ; &, si id ipsis invitis agat, pomum Eridos ab eo jaciendum esse, quo tota Imperii machina disturbetur. Monuerant denique non solùm Canonici Metropolitani, & alii Proceres, Ordinésque Rhenani; sed etiam omnes* Consiliarii provinciales Ducatûs Westphaliæ, qui adhuc recenter humillimis literis, Arensbergæ duodecimâ Januarii datis, eundem obtestati fuerant: *curaret omnes discordias, inter ipsum et Capitulum excitatas, periculosis hisce temporibus per viros pacificos exæquari, ne in hoc laudatissimo Archiepiscopatu necessaria capitis et membrorum concordia dirumpatur: alioquin vereri se, ne calamitates Belgicæ, jam à pluribus annis ante oculos ipsorum positæ, etiam in hunc Archiepiscopatum se diffundant; atque ità hîc etiam impleatur illud Christi: omne regnum in se divisum desolabitur.* His tamen omnibus flocci habitis, pertinax in impuro amore Agnetis suæ ipso festo Purificationis Beatæ MARIÆ Virginis, cum eadem sacrilego matrimonio se conjunxit. Atque, ut suorum subditorum aliquos novi sceleris approbatores inveniret; septendecim diebus antè, nimirum decimâ sextâ Januarii stylo veteri, publicum edictum edidit, in quo Diœcesanis omnibus conscientiæ & Religionis libertatem indulgebat hisce verbis: *Illustres, Nobiles, et plebejos quosdam in Diœcesi sua peti-*

*Kleinsorg in diario hist. Truchses. in adj. sub lit. H.

Matrimonium init cum Agnete sua. *Isselt l. 2. belli Colon.* & in tota Diœcesi libertatem Religionis permittit *Isselt ibid.*

petiisse à se libertatem Religionis, usúmque sacramentorum in Ecclesiis, Augustanæ Confessioni deditis, exerceri solitum. Hæc verò postulata, salvâ conscientiâ suâ, à se rejici neutiquam potuisse, ne divinis mandatis obstrepat; negligátque officium boni Principis, cujus est, Regi gloriæ portas attollere, eúmque venientem expansis brachiis excipere. Quapropter, habitis amicorum suorum consiliis, perlibenter se permittere, et omnibus Prælatis, Comitibus, Dominis, vasallis, urbibus, pagis, et aliis communitatibus in sua Diœcesi constitutis, generalem facultatem dare, ut ea, quæ ad Religionem et sacramenta pertinent, juxta formulam Confessionis Augustanæ (sub qua etiam se tegebant Calvinistæ) *sinè ullo judicum aut Magistratuum impedimento palàm instituere et adornare valeant: ità tamen, ut aliis, qui Catholicam Fidem retinere et in ea perseverare volent; nullam planè molestiam creent, aut eosdem oppugnare, persequi, vel calumniari ausint.*

Capitulum Colonienſe in cauſa Truchſeſiana convocat comitia provincialia.

Erant adhuc id temporis in Capitulo Metropolitano complures viri integritate & zelo Religionis præstantissimi, non solùm ex eorum Ordine inferiori, quos vulgò presbyteros nominant; sed etiam ex illustriori Ordine Ducum, Principum, & Comitum, quos adhuc antiquæ Fidei & spiritûs divini fervor impleverat. Nôrant illi, quanta sibi in Truchsesium potestas esset ex antiqua, juratáq; Ordinum* provincialium unione: nempe ut, *si Archiepiscopus antiqua Diœcesis pacta vel conventiones infringat, si invitis Ordinibus militem conscribat, si suis arcibus et castris externum præsidium imponat, aut* (quod anno 1550 post Hermanni Wiedani exaugurationem communi Ordinum consensu appositum est) *si in negotio Religionis* novationem aliquam contra veterem Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem instituere præsumat, neque, à Capitulo Metropolitano monitus, ab hujusmodi rebus et machinationibus absistat: prædictum Capitulum status omnes Diœcesanos ad comitia generalia convocare debeat; eóque facto iidem Ordines vel Status patriæ à juramentis Archiepiscopo suo præstitis exsoluti, cum Capitulo se conjungere, eidémque soli in posterum obedire ac parere debeant.* Hac igitur potestate in modernis turbis utendum rati, universis Statibus per circulares literas indixêre, ut vi *unionis* antè dictæ die vicesimâ septimâ Januarii Coloniam veniant, atque ibidem postridie interfint generali Ordinum conventui, in causa Truchsesiana & novationibus ab eo factis instituendo.

Iſelt l. 2. belli Colon. pag. 130.

*vulgò Land-Vereinigung.

erklärte Land-Vereinigung de anno 1550, apud Kleinſorg. ibid.

Nomina Capitulariũ qui in his comitiis pro; vel contra Truchſeſiũ ſtetêre.

Subinde locus comitiorum opportunè constitutus fuit in amplissimo Patrum Dominicanorum cœnobio; totúsque Rhenus inferior cum vicina Westphalia suspensus erat ad eventum periculosi hujus conventûs. Pro Truchsesio stabant è Capitularibus Georgius Comes de Witgenstein Metropolitanæ Ecclesiæ Præpositus, Hermannus Adolphus Comes de Solms, Thomas Baro de Kriechingen,

Iſelt l. 2. belli Colon.

chingen, Joannes Baro de Winnenberg, & Henricus è Ducum Saxo-Lawenburgicorum familia Archiepiscopus Bremensis & Administrator Paderbornensis; qui die decimâ nonâ Januarii Coloniam venerat, periclitanti amico suo fidelem operam præstiturus. Contrà verò in Truchsesium acerrimè stabat ejusdem Bremensis Archiepiscopi frater Fridericus Chorepiscopus ac Thesaurarius, Antonius Comes de Schawenburg Decanus, Christophorus Comes de Tengen Vice-Decanus, Adolphus Comes de Manderscheid Scholasticus, Wilhelmus & Joannes Comites de Salm, ac reliqui ferè omnes; quibus egregios animos addidêre Legati Cæsaris, aliorúmque Ducum & Principum Catholicorum. Primo die comitiorum in consessu publico recitata, prælectáque sunt ea, quæ à Truchsesio contra antiquam, juratámque *Ordinum provincialium unionem* perpetrata fuerant: simúlque rogati sunt Ordines Diœcesani, ut pro bono totius patriæ maturè deliberent inter se, an insolentissimas hujusmodi violationes tolerare; an verò iisdem cordatè se opponere, veterémque *unionem* suprà dictam communi virium & animorum consociatione sartam, tectámque conservare velint? Consultatum est hac de re toto sequente triduo: atque interim à fautoribus Truchsesianis afferebantur multa, quæ statibus congregatis non parvum terrorem incutere possent. Hermannus Adolphus Comes Solmensis vehementi magìs, quàm prudenti oratione jactitabat: *Collegas suos *Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicos minùs consultò agere, quòd Archiepiscopi sui studiis tantâ animorum contentione reluctentur. Si sic perrexerint, non solùm in Archiepiscopatu Colonienſi; verùm etiam in Imperio toto gravissimos tumultus excitatum iri.* Eadem obmovebat Joannes Dux Bipontinus, & alii Principum acatholicorum Legati; minitantes insuper, quòd, si Truchsesio adversi aliquid mutatæ Religionis causâ eveniret, Electores acatholici ferro & armis eidem adstituri sint. At nemo omnium hac in re impudentiorem se exhibuit, quàm Otto Wolmeringhusius Nobilis Westphalus, ac novationum Truchsesianarum promotor pestilentissimus. Is, cùm à Truchsesio inter consiliarios Westphalicos noviter adscitus esset, viderétque neminem è Ducatus Westphaliæ statibus in his comitiis comparere; audacter ad ceteros Ordines Rhenanos adiit, & inauditâ* mentiendi licentiâ finxit, Ordines Westphalicos cum Truchsesio & Augustana Confessione ab eodem admissa facere, seséque ad hoc declarandum ac denuntiandum ab iis missum esse. At hic impostor, licèt initio quosdam conterruerit, brevi ab his comitiis cum ingenti pudore & confusione depulsus est. Præterquam enim quòd nullâ scripturâ publicâ huic denuntiationi suæ fidem facere potuerit; paulò pòst advenerunt authen-

Propositio in comitiis facta.

Isselt ibid. pag. 141.

Oppositiones Truchsesianorũ.

**Isselt ib. pag. 147.*

**Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Ordines Westphali, excusatâ absentiâ suâ declas

authenticæ eorundem Ordinum Weſtphalicorum literæ Arensbergâ miſſæ, quibus non modò abſentiam ſuam decenter excuſârunt; ſed etiam unanimi ſigillorum ac nominum ſuorum appoſitione conteſtati ſunt, *ſe antiquæ Statuum Diœceſanorum unioni conſtanter inhærere, nec ab ea latum unguem recedere velle.*

rant in comitiis, conſtanter ſe inhæſuros antiquæ ſtatuum unioni.

Tum verò Illuſtriſſimus vir Antonius Comes de Schawenburg, majoris Eccleſiæ Decanus, magnâ conſtantiâ aſſurrexit; fruſtráque infrementibus adverſariis, primus omnium ſententiam ſuam*híſce verbis aperuit: *Nemini veſtrûm, ùt opinor, ambiguum eſſe poteſt, quin modernæ machinationes Archiepiſcopi noſtri directè pugnent cum antiquis provinciarum noſtrarum ſtatutis et conventionibus, quas vulgò ſtatuum unionem vocant. Ab hac autem unione ut recedatur, et pro antiqua, ſanctiſſimáque Religione Catholica jam nobis perperam obtrudatur novitia quædam fides Confeſſionis Auguſtanæ: id enim vero nec ego, quantum in me eſt, permitti patiar; neque vos pariter, ſi viri eſſe vultis, per ſalutem animæ veſtræ concedere poteritis aut conſentire. State igitur in hac unione tam ſancta et antiqua! Id enim Comites, id viros Nobiles et generoſos, id fidelem Reipublicæ Magiſtratum decet.* Hæc ſententia, à tali viro tam intrepidè prolata, mirificè erexit animos, non modò ceterorum Capitularium; ſed etiam reliquorum ſtatuum, Procerúmque totius Diœceſis. Atque ideo protinus die primâ Februarii concordibus omnium votis* concluſum eſt: *Truchſeſium peccâſſe, Capitulum rite ac legitimè proceſſiſſe, Status omnes Diœceſanos, pro tuenda unione veteri, conjunctis animis cum Capitulo contra Truchſeſium ſtare velle ac debere.* Simul etiam Lintzienſibus, Andernacenſibus, aliísque oppidis à Truchſeſiano milite nondum inſeſſis, comitiali decreto imperatum fuit, ut adversùs Archiepiſcopum ſollicitè ſe præmunirent, & in poſterum ſoli Capitulo in rebus agendis morem gererent.

Kleinſorg. in diar. cit. Antonius Comes de Schawenburg Decanus contra Truchſeſiũ declarat, ſtandũ eſſe antiquâ unione ſtatuum: **Iſelt l. 2. belli Colon. pag. 149.*

Cui ſententiæ ſe adjungunt omnes Ordines Diœceſani.

**Iſelt ib. pag. 155.*

Quo audito Henricus Archiepiſcopus Bremenſis, contra hæc Ordinum provincialium decreta fruſtra proteſtatus, altero ſtatim die Coloniam deſeruit. Fridericus autem frater ejus, Colonienſis Eccleſiæ Chorepiſcopus, priori veſpere jam diſceſſerat, ut pro egregio ſuo in Catholicam Religionem ſtudio Truchſeſianorum vires infringeret; caſtráque & urbes, ab iiſdem occupatas, improviſo Marte ad Capituli ſui obſequium revocaret. Neque defuit fortuna cœptis. Nam intrà paucas hebdomades Cæſaris-Werdam, Brülam, Hulckeradam, & Linnam, celeritate magìs & ſtratagemate, quàm vi & armorum pondere tam feliciter ſubegit, ut Cæſar ipſémet* de tanta fortitudine & conſtantia eidem per literas maximopere gratulatus fuerit. At, quia juſtum exercitum non habebat, & aliunde ſatìs compertum erat, à quibusdam Proteſtanti-

Henricus Archiepiſc. Bremenſis diſcedit Coloniâ. *Iſelt l. 2. pag. 159.*

Fridericus frater ejus ſtrenuè militat contra Truchſeſiũ.

**Iſelt pag. 168.*

stantibus magnos militum delectus pro Truchsesio fieri: magnificum ac grande nihil contra eundem effici priùs poterat, quàm ex mandato summi Pontificis crearetur novus Archiepiscopus, qui, & unà cum Ordinibus Diœcesanis de copiosiore milite conscribendo agere, & à suis consanguineis, aliisque Principibus Catholicis, necessaria peditum, equitúmque subsidia comparare queat. Huic igitur necessitati subventurus Pontifex, tandem die primâ Aprilis Gebhardum Truchsesium, velut *hominem Romanæ Ecclesiæ rebellem et excommunicatum*, Archiepiscopali dignitate suâ, omnibúsque aliis dignitatibus, Canonicatibus, beneficiis, juribus, & proventibus Ecclesiasticis privavit; simúlque Metropolitanum Capitulum severè monuit, ut acceptâ hujus privationis notitiâ continuò novam electionem indici, atque ad eam sinè omni longiore mora procedi curet. Optatissimum id erat Capitulo, Pastorem alium diu præstolanti. Proinde statim revocatus in urbem Fridericus Chor-Episcopus, consultatum de die & modo electionis, procurata à senatu eligentium securitas, ac demum die vicesimâ 3tiâ Maji Ernestus Bavarus, Leodiensis, Hildesiensis, ac Frisingensis Episcopus (qui jam ante duos menses Coloniam venerat) unanimi Canonicorum suffragio ad Archiepiscopalem cathedram postulatus est, cum incredibili totius urbis, Ordinúmque omnium applausu & gratulatione. Nec multò pòst etiam omnes ii, qui de Capitulari gremio Truchsesium secuti fuerant, neque in sinum Ecclesiæ Catholicæ reverti voluêre (nimirum Georgius Comes de Witgenstein major Præpositus, Hermannus Adolphus Comes de Solms, Joannes Baro de Winnenberg, ac Thomas Baro de Kriechingen) à Nuntio Apostolico citati, condemnati, excommunicati, & omnibus dignitatibus, beneficiis, & obventionibus Ecclesiasticis, per sententiam publicam exuti sunt.

Interea res Catholica per Ducatum Westphaliæ ferè penitùs disperibat iniquis ausibus Truchsesii. Discesserat ille Bonnâ die quartâ Februarii stylo vetere; direptóque priùs *archivo publico, in quo scripturæ veteres totius Diœcesis eatenus custoditæ fuerant, properatò receperat se Dillenburgum ad Joannem *Nassovium, Wilhelmi Principis Arausicani fratrem: ubi non modò Comitum vicinorum studio factionem suam stabilire, nisus est; verùm etiam vasa omnia pretiosa, è Brülensi castro ante annum ablata, in monetam & militum suorum stipendia cudi fecit. Indè primùm aliquos è suis emissariis, maximéque Ottonem de Wolmeringhausen & Joannem Grote civem Gesekensem, præcipuos istius mali operis architectos in Ducatum Westphaliæ præmisit, ut oblatâ Religionis libertate plebem commovere, & popularium animos ab antiqua

Truchsesii à Gregorio XIII. exaugúratur, ac dejicitur à suo Archiepiscopatu.

In ejus locũ sufficitur Ernestus Bavarus, Ep. Leod. Hildes. & Frisingensis *Iselt l 2. belli Colon. pag. 262. & l. 3. pag. 280.*

Nec multò pòst etiam fautores Truchsesii suis dignitatibus & beneficiis Ecclesiasticis exuuntur. *Iselt l. 3. pag. 283.*

Truchsesii ex urbe Bonnâ abit in Nassoviã *Iselt l. 2. pag. 159. *Iselt ib. pag. 163.*

tiqua Statuum unione, paritérque à Capituli Colonienſis obedientia, disjungere & ſevocare conarentur. Quod cùm illi malis artibus ac mendaciis tam dolosè fabricari & contexere incepiſſent, ut etiam aliquos è Nobilitate, & aliquos ex urbium aliquarum conſulibus, in rete ſuum traxerint; continuò Truchſeſius die decimâ quartâ Februarii (ſtylo vetere) pervolavit in Weſtphaliam, venítq; Medebacum. Urbs hæc, unà cum quibuſdam aliis, nimirum Winterbergâ, Hallenbergâ, Stadtbergâ, & Volckmariâ, quæ in Haſſorum & Waldecenſium confiniis jacent, jam ante unam alterámve ſeptimanam ab Ottone de Wolmeringhauſen ad novi Evangelii doctrinam traducta erat. Atque ideo Truchſeſius tam optato ſucceſſu hilaris, biduò pòſt Briloniam abiît; ibíque pari modo acatholicæ Religionis exercitium, die decimâ ſeptimâ Februarii (ſtylo vetere) ſolenniter introducere cœpit per Valentinum Schonæum Prædicantem Haſſicum. Peractâ hujus concione, Paſtorem Catholicum *Svicardum Steven* (vel, ùt alii vocant, *Steffens*) ambósque ejuſdem Sacellanos *Wilhelmum Koch* & *Joannem Nöggeradt*, in ædes alicujus civis accerſivit, & per Ottonem Wolmeringhuſium interrogari fecit, num & ipſi reformationem Truchſeſianam acceptare vel amplecti velint, nec ne? cúmque idipſum cordatè recuſaret Paſtor, Sacellani autem in id perperam conſentirent: Parochialis Eccleſiæ regimen propudioſis hujuſmodi apoſtatis commiſſum eſt; Paſtor autem ab officio ſuo iniquiſſimè dejectus, & in anguſtum Brilonienſis noſocomii ſacellum pro Catholicorum civium uſu ac neceſſitate retruſus fuit. Imò ne ibi quidem diu tutum eſſe, & Catholicorum ſuorum ſaluti vacare licuit. Nam paulò pòſt in feſto Paſchatis, cùm in Eccleſia parochiali valde pauci ad ſynaxin Lutheranam vel Calvinianam accedere vellent; *Svicardus* etiam è ſacello iſto excluſus, à ſacramentis more Catholico miniſtrandis prohibitus, dein urbe pulſus, nec niſi poſt annum integrum ab Ernesto Bavaro in parochiam, ſedémque priſtinam reſtitutus eſt. Adeò bellè, ſanctéque Truchſeſius præſtitit, quod initio hujus anni, cùm Auguſtanæ Confeſſionis libertatem obtruderet, fraudulenter ac dolosè venditaverat: *nolle ſe, ut eâ occaſione aliquid moleſtiarum aut perſecutionum inferatur iis, qui Catholicam Fidem retinere, et in ea perſeverare ac mori velint.*

Inde verò in Weſtphaliam. *Kleinſorg. ibid.*

Medebacū, Winterberga, Hallenberga, Stadberga, & Volckmaria, urbes deficiunt à Fide Catholica. *Kleinſorg. ibid.*

Brilonia ad Auguſtanā Confeſſionem traducitur, Paſtor Catholicus deponitur, ac tandem exulare cogitur pro Fide. *Kleinſorg. in diario hiſt. Truchſes.*

Sed hæc ſolùm erant initia malorum, quæ conſecuta ſunt. Die decimâ octavâ Februarii (ſtylo vetere) Truchſeſius Brilonienſi ex urbe advenit Arensbergam, ibidémque pariter affigi & publicari juſſit pernicioſum illud edictum ſuum de permittenda Religionis libertate. Ac tametſi tunc nemo omnium favorem iſtum amplexus fuerit; ſperabat tamen, id proximè & majori cum effe-

Arensberga in Fide Catholica perſeverat. *Kleinſorg. ibid.*

ctu

Ibidem à Truchsesio indicuntur comitia provincialia: *Kleinsorg. ibid.*

ctu futurum esse in comitiis provincialibus, quæ promovendorum scelerum ac novationum suarum causâ ibidem indixit in quintum Idus Martii, profecturus interea ad amicos suos, putridæque causæ defensores. Primâ die comitiorum nihil propositum est, propter absentiam aliquorum Comitum & Magnatum, quos adesse volebat Præsul. Omnibus tamen ibi congregatis (licèt adultâ jam quadragesimâ) tam in urbe, quàm in arce, largissimæ carnes ministratæ sunt; non sinè magno eorum, qui hujusmodi cibos recusabant, improperio ac derisione. Sequenti die (quæ erat duodecima Martii, & feria tertia post *Lætare*, stylo vetere) Truchsesius cum ingenti comitatu in curiam senatoriam venit; & ea, quæ à Patribus conscriptis in communem deliberationem adduci voluit, contra omnem annorum veterum consuetudinem proponi fecit per Jacobum Schwartzium Doctorem Calvinianum, virum scilicet extraneum, & Joannis Comitis Nassovii consiliarium. Prælegebat hic primùm varias, longissimásque literas, & ex iis declarabat, quàm bono, sanctóque zelo Truchsesius Augustanæ Confessionis libertatem suis subditis indulgere cœperit? quæ contentiones ac dissidia ex laudabili hoc opere nata sint inter ipsum & Colonienſe Capitulum? quænam idcirco seditiones contra eum procusæ fuerint in comitiis Colonienſibus, Capitulari decreto convocatis? ac demum quæ bella & armorum fremitus eapropter formidari debeant à Capitulo & Principibus Catholicis? Tum deinde plausibilibus verbis adjungebat, quàm copiosa militum auxilia Truchsesio promissa fuerint à diversis Principibus acatholicis, quorum Legati aderant: simúlque rogabat Ordines Westphalicos, *ut et ipsi fidelem opem Truchsesio ferre, et Confessionem Augustanam non modò promptis animis acceptare; sed etiam armis, corporibúsque suis tueri constantissimè velint.* Propositionem hanc secutæ sunt liberales epulæ, præsertim in arce Electorali: in qua omnes viri Nobiles cum Truchsesio pransi, vinóq; tam copioso proluti & ingurgitati sunt; ut eorum plures, inusitatis haustibus expugnati, porrectâ manu Truchsesio fidem dederint, se ejusdem consiliis astipulaturos, vitámque & bona omnia ipsius tutandi causâ profusuros esse.

In quibus rogat Ordines Westphaliæ, ut sibi assistant contra Capitulum Colonienſe & persecutiones ab eo motas propter concessam Religionis libertatem. *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Postridie Legatus Brunsvicensis, unà cum duobus Legatis Hassicis, oratione longâ Patres conscriptos adhortatus est, ut oblatam Religionis libertatem grato animo reciperent, neque glorioſis Truchsesii conatibus repagulum aliquod obmoverent. Schwartzius autem, Truchsesii delirantis os & lingua, novam aliam propositionem secundariam attulit: nimirum, quid responderi debeat ad literas à Colonienſi Capitulo missas, in quibus prolixè declarabatur, Truchsesium propter apostasiam & matrimonium suum

Rogat etiã, quid responderi debeat Capitulo, ejúsque literis,

Archi-

Archiepiscopali dignitate suâ excidisse; ideóque non ampliùs illi, sed sibi, ex antiqua Statuum provincialium unione vel conventione parendum esse? Prælegit etiam hujusmodi literarum confutationem à se compositam: simúlque ab Ordinibus congregatis petiit, ut super utraque propositione, tam primaria, quàm secundaria, mentem suam ocyùs Truchsesio id urgenti explicent. Censuerunt plerique, in re tam ardua pro veteri more primùm exquirenda esse judicia Consiliariorum provincialium, eáque postmodum solerter ac pensiculatè conferri oportere cum arbitrio aliorum Statuum; ut hac demum ratione faciliùs in unam omnes sententiam coëant. Neque huic officio suo defuêre prædicti Consiliarii cum suo Præside, Satrapa provinciali. Etiamsi enim nulla rerum lectarum ac propositarum apographa iisdem tradita vel communicata essent (quia Schwartzius & commilitones ejus malebant illic omnia tumultuariè & sinè maturo consilio fieri) ex iis tamen, quæ inter legendum ac proponendum studiosè observaverant; arbitrium suum, ad postulata Principis, quàm celerrimè in chartam conjecêre, hac deprecandi & respondendi formulâ: *dissensiones, inter ipsum et Coloniense Capitulum ortas, popularibus omnibus acerrimo dolori esse; nec iisdem aliquid ardentioribus in votis fuisse ac fore, quàm ut hujusmodi dissidia in primis eorum scintillulis opprimerentur, vel adhucdum sopiri possent. Quoniam verò dissensiones illæ, turbæque bellicæ, Westphalicarum ditionum culpâ suscitatæ vel inceptæ non fuerint; idcirco adhucdum ab iis dispici ac definiri non posse, an hujusmodi negotiis bellicis in unam alterámve partem assentiri, unique magis, quàm alteri propalam se adjungere, sinè temeritate et præjudicio ausint? præsertim cùm Celsitudo sua Electoralis, unà cum Principibus eidem assentientibus, et vicissim Colonienſe Capitulum, unà cum Rudolpho Imperatore et aliis Principibus, in hoc litigio sententias toto ferè cælo disjunctas foveant; de quarum æquitate vel iniquitate judicium ferre, præsentísque belli partem in se suscipere, profectò res est, longè suprà hujus exiguæ provinciæ vires et facultatem posita. Adhæc etiam negotium esse tale, quod non modò concernat unam hujus Archidiœcesis partem; sed omnino totam Archidiœcesim, omnésque illius Ordines, tam Rhenanos, quàm Westphalicos, tam Ecclesiasticos, quàm seculares, eorúmque omnium salutem, animas, corpora, bona, jura, consuetudines, privilegia, libertatem, et antiquam, sempérque sanctam Ordinum Diœcesanorum unionem: ac proinde in re tam communi et ad omnes pertinente, solos hujus Ducatûs incolas inauditâ aliâ suorum comprovincialium parte nihil agere, dijudicare, statuere, vel ad id exequendum conferre posse, juxta regulam communem juris: quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.*

declarantibus Truchsesium Archiepiscopatu suo excidisse? *Kleinsorg. ibid.*

Consiliarii provinciales ab Ordinib⁹ rogati suadent, ab ea controversia manum abstrahendā, neque huic negotio temere injiciendam esse. *Kleinsorg. ibid.*

Otto à Wolmeringhusen, & Joannes Grote, omnem Ordinum consultationē impediunt, obtruso per tumultum alio responso Doctoris Schwartzii: *Kleinsorg. in diario hist. Truchsef.*

Hoc senatûs consultum, utì revera prudentissimum erat, ità & innumeras calamitates depulsurum fuisset ab hac provincia, nisì omne consilium præcipiti motu pervertissent conscelerata duo capita, Otto à Wolmeringhausen, vir equestris familiæ, & Joannes Grote civis Gesekensis, uterque in suæ patriæ exitium natus, & magnis insuper promissis ad omne scelus incitatus. Primus horum in senaculo Ordinis equestris consultationem omnem impedivit per inconditos clamores paucorum sibi adhærentium: atque interim aliud responsum à Doctore Schwartzio compositum, quod omnia Truchsesii postulata comprobabat, furtivo modo ad urbium Legatos attulit, mendacissimè jactitans, *hanc esse mentem Ordinis equestris.* Alter verò, Joannes Grote, responsum illud Schwartzianum, veluti certissimam equestris Ordinis decisionem, Legatis urbium prælegit, urgente interim ac sæpius inclamante Wolmeringhusio: *non esse tempus hac de re diu consultandi: Truchsesium quàm ocyssimè de ipsorum arbitrio doceri velle; neque priùs abiturum se, quàm huic scripto consensum præstent.*

Quod ab aliquibus approbatur à plerisque autem rejicitur. *Kleinsorg. ibid.*

Fuêre quidem aliqui ex Legatis urbium, qui præfestino impetu responsum illud, fallaciter obtrusum, probaverunt. Alii verò, maximéque hi, qui ex urbe Werla, Rüda, Menda, Attendorna, totóque comitatu Arensbergico missi fuerant, consensum negavêre: petebántque sibi priùs exhiberi aliud senatûs consultum, à provinciali Satrapa, ceterísq; ejusdem consiliariis ea de re conscribi jussum. Quod ubi tandem in congressu publico recitatum est; plerique omnium congregatorum, tam Nobilium, quàm urbicorum, communi suffragio decrevêre, prudentissimo isto consiliariorum provincialium judicio standum esse: præsertim si in ejus contextu (utì protinus factum est) omitterentur aut mitigarentur pauca verba, quæ Truchsesio, vel extraneis acatholicorum Principum Legatis, forsan aliquid offensionis creare possent.

Truchsesi⁹ ex mendacissima relatione Joannis Grote responsum illud Schwartzianum velut commune placitum publicari jubet, plerisque reclamantibus. *Kleinsorg. ibid.*

Et tamen (quid non audet infrunitum os?) tamen iste Joannes Grote cum quibusdam aliis cucurrit ocyùs ad Truchsesium; eidémque suprà dictum illud responsum Schwartzii, velut communi Ordinum suffragio probatum, obtulit. Stupuêre ceteri (cùm id audirent) unde huic homini tam impudica frons & mendacitas? imò & alterâ die in comitiis publicis complures ausi sunt palàm de ipso dicere: *eum ista mentiri in suum caput: nunquam ei à patriæ Statibus demandatum esse, ut hujusmodi commenta ad aulam perferat: et, si ità pergat in rebus tanti momenti ludere; meritò vereri se, ne brevi dies appetat, quo halophanta iste minuatur capite.* Sed frustra hæ protestationes! frustra omnis reliquorum Ordinum & consiliariorum oppositio! Truchsesio placebat magìs hoc mendacium, quà aperta veri-

veritas: atque ideo die 15 Martii responsum illud Schwartzianum, velut commune placitum comitiale, solenni ritu publicari jussit; plerisque Ordinibus, ne id audirent, celeriore abitu jam dilapsis. Nec multò pòst introducendæ Confessionis Augustanæ curam Wolmeringhusio commisit, Præcones heterodoxos à Principibus vicinis petiît, ac demum ipsémet amplioris militiæ conquirendæ causâ in comitatum Nassovienſem & Palatinatum abiît.

Exercitium Religionis acatholicæ Truchsesio jubente introducitur Werlæ. *Kleinsorg. in diar. cit. Isselt l. 2. belli Colon. à pag. 205. Eyzinger & alii.*

Secuta mox ingens Catholicæ Religionis disturbatio. Wolmeringhusius enim, Truchsesii mandato pariturus, continuò Valentinum Schonæum, Superintendentem Ziegenhainensem in Hassia, die 22 Martii deduxit Werlam, ut ibidem in parochiali templo recipiendæ Confessionis Augustanæ principium faceret. Opposuêre se quidem huic novationi præcipui senatores cum duobus consulibus, Joanne Gôdden & Gerhardo Brandis, viri omnes probè Catholici, & in Fide antiqua stabiles. At, quia contiguum urbi castrum à Truchsesiano milite insessum erat, gravi metu adacti sunt eam injuriam pati eâ lege, ut sibi & omnibus Catholicis liberum suæ Religionis exercitium relinqueretur ab hora quinta matutina usque ad octavam. Quo concesso, Wolmeringhusius alterâ die (in quam hoc anno festum Annuntiationis B. MARIÆ Virginis anticipatum erat propter insequentem Dominicam Palmarum) prædictum Schonæum horâ octavâ in templum induxit: non, ut longiùs ibidem commaneret (nam biduo pòst à suis fautoribus ære non parvo donatus abiît) sed ut unâ alterâve dictione ad plebem habitâ, Religionis heterodoxæ exercitio januam aperiret. Post hunc deinde bini alii aliorum locorum Prædicantes (quorum unus Paderbornæ monasterii Abdinghoffensis * desertor erat) pro concione aliquoties dixêre; donec postea die 13 Aprilis à duobus perversæ doctrinæ civibus illuc adductus est Caspar Mottæus (dictus aliàs Motte/ quod linguâ nostrâ suem significat) olim ex Hennenbergensi comitatu pulsus, indéque in Hassiam profugus, religiosi cujusdam Ordinis apostata. Hic alterâ statim die in parochialem cathedram intrusus, fœdissimâ concione veteris Ecclesiæ ritus vituperavit, monachorum & monialium connubia dilaudavit, Sanctorum imagines audacissimè reprehendit: ac tandem Kalendis Maji eò stoliditatis & insaniæ venit, ut per hæc verba Christi, *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, sibi & aliis novi Evangelii Præconibus à Christo promissum esse diceret, eos nunquam à se temporali subsidio destituendos; &, si ex una civitate vel provincia cum uxore ac liberis ejiciantur, in aliam urbem vel provinciam benignissimè deducendos esse. Quæ carnalis & absurda explicatio tamen ità quibusdam heterodoxis placuit, ut non modò

*Henricũ de Statlona vocat eum Isselt pag. 207. Et primus ibidem Prædicans constituitur Caspar Motte apostatâ Hennenbergensis. *Kleinsorg. ibid.*

concionem hanc summopere deprædicaverint; sed etiam eâdem die Truchsesio adhuc absenti, pro obtinenda meliore istius Mottæi vel suis alimonia, supplicârint.

Similiter etiâ introducitur in urbe Gesekensi. *Kleinsorg. ibid.*

Ex urbe Werla Wolmeringhusius, cum prædicto Schonæo, die vicesimâ quintâ Martii processit ad urbem Gesecke, novationem Truchsesianam ibi pariter incepturus. Facillimum id erat in loco tali, ubi domicilium & sedem habuit præcipuus novarum partium patronus Joannes Grote, quem sæpe antea civem Gesekensem fuisse dixi. Hic enim perverso consilio suo plurimorum civium ac senatorum animos jam antè sic dementaverat, ut, etiamsi Confessio Augustana ab iis nunquam visa aut inspecta esset; pro ea tamen sanguinem, vitámque suam fundere, inter decumana pocula constituerint. Quare, cùm Schonæus illuc ab Ottone Wolmeringhusio deductus esset, non solùm ab urbe tota magnis lætitiis receptus est; sed etiam ferè omnium oppidanorum aures ad novi Evangelii susceptionem apertas reperit, excepto loci istius Judice Wernero Schlaun: qui & idcirco postmodum à Truchsesio tantis persecutionibus exagitari cœpit, ut postremò solum vertere debuerit, & usque ad ipsius Truchsesii ruinam aliis in terris vitam ærumnosam agere. Ità unius tempestuosi hominis instigatione tota Gesecka pessum ivit; & Schonæus post quatuor vel quinque dies cum egregio tricenorum imperialium dono in Hassiam reversus est, impositis ibidem novis concionatoribus Henrico Lindberto, Justo Herboldo, & aliis: qui deinde specioso nomine se appellârunt *Ministros Evangelii JESU Christi in Gesecke*, Diener am Evangelio vom JESU Christo in Gesecke.

pulso in exilium Wernero Schlaun, *Kleinsorg. ibid.*

Item in urbe Rüda: ubi Pastor Catholicus ab officio movetur, judex urbis in carcerem conjicitur, duo consules pelluntur in exiliũ *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Inde Wolmeringhusius cum prædicto Joanne Grote, machinationum suarum fideli socio, repentè festinavit Rüdam, ut ibidem quoque magistratui & consulibus novi Evangelii Præconem obtruderet. Fungebantur id temporis consulari officio Joannes Hartman & Helmigius Lohn: qui, cùm essent viri integerrimè Catholici, & novarum doctrinarum osores; iniquissimis hujusmodi conatibus audacter se opposuerunt pro Dei gloria. Sed, prô dolor! non sinè magno suorum corporum ac bonorum temporalium detrimento. Cùm enim postea Truchsesius die nonâ Maji ex comitatu Nassovienſi rediret Arensbergam; seditiosi quidam cives, à Wolmeringhusio concitati, ad aulam Principis detulêre: *Magistratum Rüdensem obstitisse hactenus puritati Evangelicæ; se verò et plures alios ejusdem recipiendæ præcupidos esse, ideóque precibus enixis petere, ut eadem ex præscripto Confessionis Augustanæ non minùs Rüdæ, quàm in aliis Westphaliæ urbibus, locum inveniat.* Quo audito, Truchsesius alterâ statim die * cum aliquibus militibus Rüdam abiit, severam

istius

istius causæ disquisitionem instituit, Nicolaum Rhammium urbis judicem in vincula conjecit, prædictos duos consules in exilium egit, pristinum edictum suum de solis Catholicis in senatum adlegendis iterum abolevit: atque, ut alia complura taceam, Religionis antiquæ statum tam iniquè disturbavit, ut Præconibus Lutheranis duo templa majora ad usum assignata sint; sacerdos autem Catholicus cum residuo grege suo ad ædiculam S. Pantaleonis in hospitali retrusus fuerit.

At longè truculentiùs postmodum in Catholicos debacchari cœpit vir invisus Deo; cùm Ernestum Bavarum à Colonienſi Capitulo ad Archiepiscopalem insulam, se rejecto, postulatum audiit. Nuntium hujus rei accepit Werlis die 25 Maji. Et, quia gravissimum id in corde ejus telum erat; primùm velut homo dolore amens in urbem cucurrit, cives plurimos è suis domibus evocavit, ad œnopolium cum iis abiit, vinum largissimè expromi jussit, bibit, compotavit, inquiens: *jam tandem scio, quis meus adversarius et antagonista sit! vos autem quid agetis pro tuendo me et verbo Dei, quod obtuli vobis*? Tum deinde furorem suum effudit in Catholicos; præsertim verò illos, qui in comitiis Arensbergensibus pro Capitulo Colonienſi & pro tuenda veteri Diœcesanorum Statuum unione fecerant. Ex horum numero bonis omnibus exuti & in exilium acti sunt integerrimæ vitæ & constantissimæ Religionis viri, Everhardus Comes de Solms Westphaliæ totius Archisatrapa*, Caspar de Fürstenberg consiliarius intimus & satrapa in Bilstein, Hermannus ab Hatzfeldt consiliarius provincialis & satrapa in Balve, Joannes de Droste Dominus in Erwite, Joannes Kleinsorge Licentiatus & consiliarius provincialis, Henningius Rhamm Officialis judicii Ecclesiastici in Werl, Antonius Blanckebiel actorum judicialium scriba & Secretarius Arensbergensis, aliique non pauci; qui usque ad ejectionem Truchsesii, non sinè magnis bonorum suorum detrimentis, domo, urbe, & patrio solo, extorres esse coacti sunt.

Truchsesi⁹, auditâ Ernesti Bavari electione, velut homo insanus per urbem curritq; & mox omnes Catholicæ Religionis Proceres expellit. *Kleinsorg. ibid.*

*vulgò Land-Droste.

Pari truculentiâ desævitum est à Truchsesio in urbes illas, quæ in iisdem comitiis provincialium consiliariorum opinioni se consociaverant. In urbe Werla primùm Joanni Gôdden & Gerhardo Brandis, consulibus probè Catholicis, gravissimas insidias adornavit: ità ut etiam prior horum (licèt omni ex parte innocens) totis quatuor septimanis in carcere detentus fuerit. Post hos deinde Pastorem Catholicum Bernardum Tütel, monasterii Weddinghusani Præmonstratensis Ordinis Religiosum, ad sui Ordinis ac Fidei desertionem variis artibus tentari jussit. At, cùm & ipse, pro virilis animi sui fortitudine ac constantia, neque ad ejusmodi apostasiam

Werlæ Joannem Gödden consulem Catholicũ in carcerẽ detrudit, Bernardum Tütel Ecclesiæ Pastorem, bonis omnib⁹ denudatum ejicit. *Kleinsorg. ibid.*

ſtaſiam, neque ad oblatum ſibi matrimonium, induci poſſet; ab omni Catholicæ Religionis exercitio prohibitus, rebus omnibus exſpoliatus, è Paſtorali curia extruſus, eâque ſuperintendenti heterodoxo traditâ, oves ſuas deſerere compulſus eſt. Eâdem injuriâ preſſi fuêre iſtius Eccleſiæ ſacerdotes Vicarii, unà cum duobus ludimagiſtris Joanne Platenio & Andrea Telen; quorum iſte Werlenſium ſcholarum Rector, hic verò Con-Rector erat. Etenim omnes iſti, quòd ab Eccleſiæ Romanæ gremio ſe disjungere, & Auguſtanæ Confeſſionis dogmata amplecti nollent; in triſte exilium acti, fortunas, reculásque ſuas in Truchſeſii & ſuorum manibus reliquêre. Imò Platenius, quòd aliquantò longiùs in urbe commanſiſſet, à Truchſeſio die 10 Auguſti in arcem adduci juſſus, & in profundum carcerem detruſus; indè poſtea in molam pulverariam compactus, & à militibus more Turcico diriſſimè cæſus; demum verò poſt undecim vel duodecim dies è vinculis relaxatus & foras ejectus eſt, cum hac deriſoria exprobatione: *ſi ſtudiorum causâ Marpurgum aut Roſtochium iret, ibique Auguſtanam Confeſſionem recepiſſet; eum huc reverti, et ampliorem ſuî promotionem opperiri poſſe.* Ità Religio Catholica, tam è templis, quàm è ſcholis Werlenſibus, tandem ejecta eſt uſque in Aprilem anni ſequentis; viris interim præcipuis, multísque civibus, ærumnoſo illo tempore in antiqua Fide laudatiſſimè perſiſtentibus.

Et Joannē Platenium, ſcholarum Rectorem, Fidei Catholicæ causâ graviſſimè affligit. *Kleinſorg. ibid.*

Similiter & Arensberga, quæ hucuſque ab omni Truchſeſianarum novationum turbine inconcuſſa manſerat, ei tandem ſuccumbere, novámque doctrinam tolerare magìs, quàm acceptare debuit. Recuſaverat urbs illa diu concionatores heterodoxos; quos inter Caſparus Mottæus, poſtea concionator & ſuperintendens Werlenſis, ibidem fruſtra à die triceſima Martii, uſque ad decimam tertiam Aprilis, vocationem ſuam à civibus exſpectaverat. At ubi poſtmodum Adolphus Comes Nüenarius, Calviniſta peſſimus, die 3tiâ Junii cum ſuis copiis è tractu Recklinghuſano Arensbergam venit; parochialem Eccleſiam Catholicis præreptu-rus, invaſit illico vicinum urbi monaſterium Wedinghuſanum Ordinis Præmonſtratenſis (nam in eo parochiale templum eſt totius oppidi) Religioſos violenter expulit, cubicula ipſorum evaſtavit, horrea diffregit, cellas aperuit, annonam exportavit, in Eccleſiam irruit, ornamenta, vaſáque ſacra diripuit; intérque alias Divorum reliquias manum dexteram B. Richardi, quondam iſtius Eccleſiæ Religioſi (quæ ab annis ferè quadringentis incorrupta manſerat) ità vel excuſſit, vel alio modo peſſundedit ac diſſipavit, ut ab eo tempore venerandi hujus theſauri nullum ampliùs veſtigium potuerit inveniri. Nec multò pòſt, etiam cives omnes è Truchſeſii man-

Arensbergæ monaſterium Wedinghuſanum occupat. *Kleinſorg. in diario hiſt. Truchſes.*

Religioſos exturbat, *Kleinſorg. ibid.*

mandato in curiam senatoriam convocati sunt; minísque admodum severis jussi, Confessionis Augustanæ doctrinam (sub cujus pallio Calviniſmus tegebatur) in Ecclesiam suam parochialem seu Wedinghusanam recipere. Quod cùm ipsi ardentissimè deprecarentur, seséque in antiqua Fide ac simplicitate sua relinqui peterent; iisdem nihilominùs omnis Catholicæ Religionis cultus penitissimè interdictus, & *Joannes Urbani* Calvinianus Præco in Arensbergensis Ecclesiæ regimen intrusus est: magno quidem prædicti monasterii & Religiosorum exulantium damno; sed exiguo tamen orthodoxæ Religionis detrimento. Nam (quod ad æternam Arensbergensium commendationem & gloriam scribit Kleinsorgius) viri omnes, feminæque istius urbis, inter innumeras novationum Truchsesianarum pressuras, tam ardenter in Fide Catholica perstitêre, ut toto illo tempore, quo avitæ Religionis exercitium indè proscriptum fuit, non nisi quatuor aut quinque homines ad Evangelii novi doctrinam transfugerint.

Civibus exercitium sacrorum Catholicorum prohibet,

Et Præconẽ Calvinianũ obtrudit, *Kleinsorg. ibid.*

paucis tamẽ ab antiqua Fide recedentibus. *Kleinsorg. ibid.*

Arensbergâ Truchsesius cum prædicto Comite Nüenario, ejusdémque prædatorio milite, profectus est in satrapiam Bilsteinianam. Et quia hæc à pluribus annis oppignerata erat Perillustri Domino Casparo de Fürstenberg, viro admodum Catholico, ac modernarum novationum inimico: non modò arcem istius nominis unà cum omnibus bonis ac proventibus Fürstenbergicis violentâ manu occupavit; sed etiam satrapiam totam, ejúsque oppida, Attendornam, Olpam, ac Drolshagam, mulctando, exigendo, rapiendo, abducendo, comessando, occidendo, & incendendo sic oppressit, ut etiam corda saxea ad commiserationem aliquam permoveri posse viderentur. Quod autem in hujusmodi malis luctuosissimum erat; urbs Attendorna, hucusque semper constantissima, in hoc assultu Catholicam Fidem deseruit: non tam suo vel suorum civium & incolarum vitio; quàm eorum, qui animarum curæ & conservandæ earum saluti præerant. Pastorem agebat illic Wilhelmus Tütel, Bernardo Tütelio Werlensium Pastori (quem suprà memini) in vita & moribus longè dissimilis. Hic, ubi Truchsesius è castro Bilsteiniano Attendornam venit, ejusdem hortatu & comminationibus non modò perperam se induci passus est, ut concubinam suam, quam deamabat, sacrilego matrimonio sibi conjungeret; verùm etiam eo insaniæ ac temeritatis repentè proruit, ut Catholicam Religionem, cui hactenus adhæserat, ex ambone publico criminaretur & condemnaret. Idem pariter fecêre tres alii ejusdem Ecclesiæ sacerdotes Vicarii: pessimíque Pastoris sui exemplo maluerunt omnes, desertâ patrum suorum Fide uxorem ducere; quàm illâ retentâ, bonorum temporalium jactu-

Satrapiam Bilsteinianã invadit,

Attendornã urbem à Religione Catholica abstrahit, *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Et Pastorẽ cum tribus Vicariis ad matrimoniũ ineundum adigit. *Kleinsorg. ibid.*

ram

ram & exilium ferre. Qua de re Truchsesius eum in modum gavisus est, ut non modò hunc diem inter crateres & pocula genialem egerit; sed etiam serâ nocte sæpius cum Agnete conjuge sua per cœmeterium, forúmque publicum jucundè saltitaverit, inter obscœnissimos cantus, à metallariis fossoribus adornatos.

In aliis quoque oppidis ac pagis Pastores orthodoxos ejicit, & missam celebrari prohibet,

Sic etiam in Erwite, in Stôrmede, in Miste, in Anrôchte, in Kaldenhart, omnibúsque aliis in pagis & oppidis, Pastores Catholici vel ad apostasiam adacti, vel è suis parochiis excluſi, & blateronibus heterodoxis locum dare compulsi sunt. Operari verò ad aram, & celebrari sacrificium ritu Catholico, tam severè prohibitum erat à Truchsesio, ut etiam rusticos alicubi instigârit ad occidendos omnes, qui *Missam* facerent vel audirent. Dicebat enim more aliorum hæreticorum, *hanc esse maximam idololatriam, quòd in ea divinus honor tribuatur creaturæ*: quasi verò Christus, qui ibidem adoratur à Catholicis, non esset Deus; sed creatura. Neque hic erat finis malorum, quæ Præsul Deo perfidus egit in Westphalia. Nam à sacerdotum Catholicorum ejectione processit illico ad iconomachiam, & ejusmodi sacrilegia, quæ non solùm cuilibet hómini probo; sed etiam trifuri perditissimo horrorem incuterent. Præter violationes Ecclesiarum, eversiones altarium, confractiones imaginum, disturbationes monasteriorum (quibus eo tempore nihil communius fuit) vasa omnia Deo sacra, calices, hierothecas, cruces aureas vel argenteas, ciboria, monilia, & quidquid ornatuum pretiosorum erat, ubicumque potuit, è templis abstulit; atque ad alendos milites in monetam converti jussit cum hac inscriptione, sibímet ipsi maximè ominosa: *tandem bona causa triumphat.* In cœmeterio Werlensi crucifixi imaginem, eleganter & affabre elaboratam videns, cum ingenti blasphemia dixit vicino militi: *amabo te! huic imagini gladium tuum intorque; et, si tunc emittat sanguinem, illum adfer ad me!* In Ecclesia Meschedensi duo iconoclastæ, ab eo missi, nihilo mitiùs, quàm sceleratissimi judæi soleant, venerabile sacramentum & argenteam crucifixi Domini effigiem sacrilegis pedibus obtriverunt. Cúmque unus è Canonicis loci istius ironicè ad furibundos* diceret: *quæso! ne hac pedum vestrorum impressione crucifixo Domino cruciatum vel dolorem inferte!* propter hæc verba in carcerem abstrahendus, & in vinculis ad Truchsesium adducendus erat, nisi amici ejus magnis precibus & viginti dalerorum Imperialium mulctâ supplicium imminens deprecati fuissent. In templo Büricensi haud procul ab urbe Werla Caspar Mottæus Prædicans, post effractas, comminutásque Divorum statuas, involavit in repositorium* sanctissimi sacramenti, pretiosam ejus hierothecam exemit, vitrum ei circumpositum excussit,

Altaria & imagines sanctorum dejicit, *Kleinsorg. ibid.*

sacra templorum vasa in monetam convertit, *Kleinsorg. ibid.*

imaginem crucifixi fœdissimè tractat, *Kleinsorg. ibid.*

Kleinsorg. ad diem 10. Augusti.

& sanctissimum sacramentum barbarum in modum profanari facit.

**Kleinsorg. ad diem 2. Augusti.*

hostiam

hostiámque consecratam humi fudit, & à Capellano vel cooperatore suo Gregorio *Nonnenpater, apostata Paderbornensi, impiissimè proculcari fecit, adjectis hísce verbis, ex ore judaico magìs, quàm Christiano profluentibus: *Ecce, hic est* *Deus Papistarum! *ostendat nunc, si quid possit ac valeat:* credo etiam, si adfuisset Judæis Dominum crucifigentibus, dixisset pariter cum illis: *si Rex Israël est, descendat nunc de cruce; et credimus ei!* **Klockner. in hist. Paderb.* **Iselt l. 3. belli Colon. pag. 289.*

Narravi hæc paulò fusiùs, quia diarium Kleinsorgii, rerum illarum testis oculati, in manibus paucorum est; nec adhuc appareret propinqua spes, ut per typum publicum erudito orbi communicetur. Interea Truchsesii res in partibus trans-Rhenanis quotidie magìs retroibant; quòd columnæ præcipuæ, quibus fraudem atque malitiam suam suffulcire conatus fuerat, Deo fortiùs impellente paulatim caderent. Prima istarum columnarum fuerat Franciscus Alensonius Regis Galliarum frater; in quo Truchsesius, à suarum novationum initio, potissimam auxilii & subsidiorum accipiendorum spem collocaverat, uti refert coævus auctor Michaël ab Iselt. Sed hujus auxiliariam potestatem, ùt suprà vidimus, fortuna sequior jam retroegerat: & aliæ Francorum copiæ, fortè ex ejusdem Alensonii reliquiis missæ, propter ingentes, quas agebant prædas, in Trevirensium finibus ità excepti erant ab offenso Duce Lotharingico, ut omnes vel ab eo cæsi, vel in fugam acti, vel condigno prædatorum supplicio in furcam abrepti, suspensíque fuerint. Altera Truchsesii columna vel Atlas erat Ludovicus Elector Palatinus; & frater ejus Joannes Casimirus, homo semper inquietus, & bello ciendo magìs quàm conficiendo idoneus. Prior horum stabat mordicus pro Truchsesio; & adhuc recenter Ordines Augustanæ Confessioni deditos conscripserat, ut ipsius tutandi causâ in diem vicesimam octavam Octobris Mülhusii convenirent. Sed hanc diem prohibente Deo non aspexit, & fato celeriore ad loca mortuorum abiit, extinctus Heidelbergæ die duodecimâ Octobris. Posterior verò Joannes Casimirus, tamersi demum adulto sextili mense cum pluribus armatorum copiis Bonnam advenerit (quò etiam Truchsesius eum protinus è Ducatu Westphaliæ secutus est) post bimestrem & infructuosam expeditionem die 16 Octobris famelicum exercitum suum rursus dimisit; quòd & commeatus deficeret, & stipendiorum inopia non levaretur, & multi insuper ex ejus ducibus, iteratâ Rudolphi Cæsaris avocatione ac proscriptione territi, ab armis absistere decrevissent.

In partibus Rhenanis Truchsesii fortuna retro cedit, pulso Alensonio, cæsísque Gallorum auxiliis.

Ludovicus Elector Palatinus, post Alensoniũ præcipuus Truchsesii fautor, è vivis evocatur. *Iselt l. 3. pag. 378. Kleinsorg. ibid.*

Joannes Casimirus, ejusdem frater, nullâ re feliciter gestâ, in Palatinatũ revertitur, *Auctores iidem.*

Inopinus hic eventus acerbum, durissimúmque vulnus erat in corde Truchsesii, humanis auxiliis jam propè destituti. Neque tamen infelix Præsul adhuc destitit insanire ac furere, donec supremum

Legati septemvirorũ in causa truchsesii

conveniunt Francofurti *Iselt l. 3. belli Colon. pag. 368.*

mum & fatalem ictum rursus acciperet in conventu Francofurtensi; qui à Rudolpho Cæsare ad agnoscendam Truchsesii causam institutus, & ineunte Octobri inchoatus erat. Convenerant ibi præter aliorum septemvirûm Legatos, constituti ambarum partium Oratores: nimirum ex parte Gebhardi Truchsesii Otto de Wolmeringhausen, & Doctor Jacobus Schwartzius, ambo maximi Westphalicorum tumultuum folles; ex parte verò Ernesti Bavari Salentinus Comes de Isenburg quondam Colonienſis Archi-Episcopus, Godefridus Gropperus Majoris Ecclesiæ Canonicus, Casparus de Fürstenberg Satrapa in Bilstein, Doctor Franciscus Burchardt Cancellarius, & quidam alii. Utriusque partis Oratores alternatim auditi sunt à Legatis Principum. Et primò quidem Truchsesiani, die 10 Octobris, rem suam hoc modo proposuêre:

Oratorum Truchsesianorum postulata. *Iselt ibid. pag. 369.*

Truchsesium à tempore suæ electionis et confirmationis per plures annos jam exstitisse in legitima et quieta possessione Diœcesis Colonienſis: atque ideo in hac contentione ac dissidio, adhuc nuperrimè in eum susceitato, primùm oportere, ut in antiquam totius Diœcesis et omnium ab Ernesto occupatorum possessionem restituatur; ac tunc demum ipsius causa legitimè discutiatur in tribunali Cæsaris et septemvirûm, quorum sententiæ et arbitrio tunc etiam obedientissimè se submittere teneatur ac velit. Animadvertebant facilè Oratores Ernestiani, quorsum illa Truchsesii restitutio tenderet: nimirum ut hac obtentâ novis interim amicitiis ac fœderibus rem afflictam stabiliret. Quare statim sequenti die in congressu publico responderunt:

Oratorum Ernestianorum responsa, quibus ostendebant, Truchsesiũ Archiepiscopatu suo excidisse. *Iselt loc. cit. à pag. 369. Eyzinger in hist. Truchs.*

petitioni ac restitutioni huic tantummodo locum esse in jure utrimque dubio; non autem, quando certum et sole clarius est, reum omni jure suo et legitimâ possessione, quam habuerat, excidisse, utì nunc evenit in Truchsesio. Quòd enim hic amiserit omne jus ad insulam, ideóque et Capitulum Colonienſe non solùm potuerit, sed etiam debuerit procedere ad electionem novi Antistitis; id sole clariùs elucere ex pace Augustana, vulgò **Religions-Friede**, *cujus verba sunt §.* **und nachdem**: *Si quis Archiepiscopus, Episcopus, Prælatus, aut alius Ordinis Ecclesiastici, à Religione veteri deficiat; is continuò sinè omni repugnantia et cunctatione decedat à suo Archiepiscopatu, Episcopatu, Prælatura, et aliis beneficiis, unáque simul omnibus fructibus ac proventibus, quos indè habuit: Capitulis etiam atque iis, ad quos de jure vel consuetudine pertinet, omnino integrum, licitúmque sit, ejus loco personam aliam Religioni antiquæ deditam eligere vel constituere; quæ et in omnibus eò pertinentibus juribus ac bonis, mobilibus et immobilibus, quietè et imperturbatè relinqui debet. Neque adversùs limpidissima hæc verba novas aliquas commentationes et explicationes alienas admitti vel audiri posse. Id enim synceritati pacis quàm plurimùm repugnare; et, ne à quoquam secuturis temporibus fieret, in eadem pace (§.* **und soll alles**) *prudentissimè cautum esse*

esse per hæc verba: Et contra hunc statum pacis nulla declaratio, vel quidquam aliud, quod eundem impedire vel alterare posset, dari, obtineri, vel admitti debet; aut si quid tale datum, obtentum, vel admissum foret, nullius tamen valoris et efficacitatis esse, neque juxta illud in vel extra judicium agi aut pronuntiari debet. Quæ cùm ità sint, Ernestum recèns electum justè ac meritò à septemvirali collegio postulare, ut, si pacem Augustanam sanctè et integre custoditam velint, à Truchsesio manum abstrahant; et eundem non aliter, quàm ùt Principem legitimè exauguratum, habeant: contrà verò sibi, ùt legitime suffecto, manum amicam porrigant, et adversùs omnes Truchsesii molitiones auxilium ferant. His deinde iidem Oratores Ernestiani subjungebant omnia Truchsesii apostatantis maleficia: quomodo fidem, in electione, confirmatione, & sacerdotio suscepto præstitam, nefariè violaverit? Quomodo juramentum suum de observandis omnibus, in antiqua Statuum provincialium unione comprehensis, iniquissimè fregerit? Quomodo in comitiis Arensbergensibus, contra Ordinum plerorumque voluntatem, sinè lege omnia per tumultum ac seditionem paucorum egerit? Quomodo contra pacis Augustanæ decreta subditos suos ad exuendam Religionem veterem violentissimè compulerit, extraneos Prædicatores in Westphaliam evocârit, Pastores Catholicos ejecerit, Romanæ doctrinæ exercitium interdixerit, monasteria virorum ac feminarum disturbaverit, novationi huic repugnantes in exilium amandaverit, imagines crucifixi Domini gladiis impiorum perforaverit, sacramentum Eucharistiæ sacrilegis ministrorum suorum pedibus proculcaverit, & alia complura fecerit, quæ nec ab ipsis Augustanæ Confessionis Principibus approbari vel tolerari queant?

Cetera Truchsesii scelera ab iisdem enarrantur. *Auctores iidem.*

His auditis, omnes Principum septemvirorum Legati (Palatino solùm excepto) unanimi suffragio censuêre, *Ernesti causam omni ex parte justam; Truchsesii verò iniquam, et Augustanæ paci è diametro adversantem esse: ideóque et illum in Electorali solio relinqui; hunc verò ab eodem ejici ac depelli oportere.* Belli tamen evitandi causâ, atque ad impediendam provinciarum evastationem, putabant aliqui ex æquo & bono fore, ut eidem in singulos vitæ annos assignetur aliqua nummorum pensio, quâ se, suâmque conjugem tenuiore victu commodiùs aleret. Sed hæc offa Truchsesio, uxorem & insulam retinere cupido, nequaquam sapuit. Post quatuor ferè septimanas (tam diu siquidem non sinè magna ceterorum indignatione responsum à se petitum distulit) Legati ejus tandem die 6tâ Novembris redeunt, alteróque mane in pleno conventu referunt: *Truchsesium neque velle neque posse ab Archiepiscopatu suo desistere, tum quòd egregia vicinorum Principum, Comitúmve auxilia ad manum habeat;*

Legati septemvirorũ sententiam ferunt pro Ernesto Bavaro: *Isselt l. 3. belli Colon. pag. 384.*

Belli tamen evitandi causâ Truchsesio offerunt pensionem annuam. *Isselt ibid.*

Quam cùm ille recusaret;

beat; tum quòd in Ducatu Westphaliæ, Ordines omnes juratò rursus ap-promiserint, se eidem constanter adhæsuros, et usque ad extremum san-guinem adstituros esse. Non ignorabant Oratores Ernestiani, quâ vi ac fraude ab Ordinibus patriæ extorta esset hæc promissio. Jam enim consules & senatores Arensbergenses pridie Kalendas Novembres non unis literis Ernestum edocuerant, se ad hujusmodi promissa, contra voluntatem, conscientiam, & intentionem suam, gravissimis terroribus adactos fuisse: multóque sibi gratius fore, si Ernestus veniat; patriámque, intolerandis contributionibus & ærumnis diu pressam, à jugo tandem Truchsesiano liberet. Quæ omnia cùm ad Electoralis collegii Legatos perferrentur; communi rursus consilio declarant, *Truchsesii machinationes Augustanæ pa-ci contrarias esse, in ejus præjudicium vel eversionem nihil agi vel permit-ti oportere, Ernestum Bavarum jure maximo ad Colonienſem insulam per-venisse, adeóque et ei licitissimum fore, ut in Truchsesium decedere nolen-tem agat, illatóque bello eundem omnibus à se possessis urbibus, castris, at-que provinciis, quàm primùm exuat ac depellat.* Ità demùm huic Fran-cofurtensi Principum conventui die 16 Novembris (stylo vetere) finis impositus est: nec multò pòst etiam acerrimus ille Truchse-sianarum partium Promotor & Legatus, Doctor Jacobus Schwar-tzius, repentino fato sinè omni vocis & mentis usura mortuus, vi-vere simul & Colonienſem rempublicam turbare desiit.

Legati septemvirorũ ab eo manũ abstrahunt & conventui finem imponunt. *Isselt ibid. pag. 406.*

schwartzii repentinus obitus. *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Interea Ernestus ineunte Novembri Calendarium Gregoria-num à suis recipi; omissísque decem diebus, pro die tertia No-vembris continuò diem decimam tertiam signari jusserat: Ferdi-nando autem fratri suo, qui ad ipsum adjuvandum è Ducatu Ba-variæ venerat, supremam totius militiæ præfecturam demandârat. Videbat hic statim primas belli cogitationes advertendas esse ad ex-pugnationem Bonnæ. Hæc enim præcipuum Truchsesii muni-mentum erat in ditione trans-Rhenana: ceteræ autem urbes & oppida (putà Novesium, Antenacum, Lintzium, Brüla, Cæsa-ris Werda, & alia non pauca) vel à Friderico Saxone Colonienſi Chorepiscopo ad obsequium reducta; vel à Salentino Isenburgi-co, olim Archiepiscopo, in Fide novi Principis conservata erant. Eam igitur ut subigeret, initium bellandi fecit à vicina arce Pop-pelsdorffiensi: quam admotis castris eum in modum pressit, ut die quartâ Novembris (quæ recepto jam stylo novo, decima quarta Novembris erat) in Ernesti fratris potestatem venerit. Inde, ac-ceptis è Bavaria quater mille armatorum auxiliis, post moram ali-quam se convertit ad arcem Godesbergam, uno circiter milliari à Bonna dissitam, & in monte admodum excelso positam. Resi-stebat illa quidem paulò diutiùs: cuniculis tamen infra eam actis,

Erneſtus Archiep. Colonien. ineunte Novembri apud ſuos introducit Calendariũ Gregorianũ. *Isselt l. 4. belli Colon.*

& Ferdinandum fratrem ſuũ conſtituit ſupremum belli Præfectum. *Isselt l. 3. pag. 394.*

Qui occupato priùs Poppelsdorffio & Godesbergâ *Isselt l. 4. pag. 408.*

mar-

martióque pulvere disploſis domita, per ingentes mœnium ruinas *tandem victores Bavaros admittere, ſeſéque in obſequium novi Principis inclinare debuit. Tum verò Bonna, quæ jam eminus incingi & circumvallari cœperat, vehementer à bello vicino tremere: tum Carolus Truchſeſius Gebhardi frater, cui imperium ac tutamen urbis commiſſum fuerat, pavore non parvo concuti: tum denique totus exercitus, numerato ſtipendio ac triduanis lautitiis recreatus, ad urbem arctiùs includendam promoveri, eámq; omni ex parte ſic affligere, ut intrà paucas hebdomades Ferdinando Duci herbam porrigere, & Erneſti fortunam adorare coacta fuerit; quemadmodum ſequenti anno prolixiùs oſtendetur.

*die 17. Decembris ſtylo novo.

Bonnam arctiſſimâ obſidione incingit.

*Iſſelt ibid. pag. 417.

Ceterùm in his tumultibus Truchſeſianis non ſolùm Ducatus Weſtphaliæ; ſed etiam Paderbornenſis Diœceſis noſtra non parùm periculi ac detrimentorum tulit. Initio præſentis anni, cùm Henricus Eccleſiæ noſtræ Adminiſtrator ad comitia, contra Gebhardum Truchſeſium indicta, Coloniam proficiſceretur (nam & ipſe Metropolitanæ Colonienſis Canonicus erat) inter alios Aulæ Proceres unà ſecum adduxit illuc Philippum *Comitem de Pyrmont, Simonis Comitis Lippienſis patruelem. Sed, quia Princeps majori equitum ac virorum Nobilium numero ſtipatus erat, quàm à ſenatu *Colonienſi in hac temporum habitudine permitteretur; etiam Philippus Comes cum equitibus non paucis Tuitium recedere, ibíque diverſorium capere neceſſitate cogente debuit. Feralis admodum hic locus fuit bono Comiti, nondum annos tres & viginti nato, nec adhuc matrimonii vinculis adſtricto. Repentè enim hîc in morbum fatalem incidens, die undecimâ Februarii* in primo ætatis flore extinctus eſt: ſuóque obitu præmaturo ſic affecit matrem ſuam Urſulam Pyrmontanam, omni jam prole vacuam; ut & ipſa mœrore nimio contabeſcens, die ſextâ Martii* in viam æternitatis conſecuta fuerit. Inde rurſus exortæ ſunt novæ contentiones feudales inter Eccleſiam noſtram Paderbornenſem, & inter Philippum Erneſtum Comitem Gleichenſem, ejúsque fratres ex Walburga, Urſulæ Pyrmontanæ ſorore, genitos. Prætexebant hi, matrem ſuam beneficiariæ ſucceſſionis *non minùs capacem fuiſſe; ac ſororem ipſius Urſulam, Philippi defuncti matrem (quam putabant feminino titulo ſucceſſiſſe) eóque nomine ſibi ſtatim à conſiliariis ac miniſtris, qui ibidem erant, Pyrmontanæ arcis poſſeſſionem tradi impetraverant. Contrà verò Paderbornenſis Eccleſiæ Canonici *Henricum Adminiſtratorem ſuum aſſiduis impulſibus hortabantur, ut armatâ manu Pyrmontanam arcem recuperet: Philippi enim Comitis jam defuncti patrem ad Pyrmontani Comitatûs adeptionem non perveniſſe ex hæredi-

Mortuo Philippo Comite Pyrmontano conſurgunt novæ controverſiæ inter Eccleſiam Paderborn. & Comites de Gleichen

*Piderit. in chron. Lippienſi pag. 464.

*Iſſelt l. 2. belli Colon. pag. 117.

*Piderit. ib. p. 465.

*Piderit. loc. cit.

Arx Pyrmontana Comiti Gleichenſi traditur à Miniſtris defuncti Comitis.

*Piderit. pag. 466.

*Hamelm. in chron. Oldenb.

reditaria succeſſione ſuæ uxoris Urſulæ; ſed ex nova gratia, & eâ quidem lege, *ut beneficiaria* conceſſio maſculinam ejus progeniem non excederet.* Quapropter Henricus Adminiſtrator, ut in favorem Eccleſiæ ſuæ videretur aliquid præſtitiſſe, menſe tandem Septembri ſuprà dictam arcem obſidere cœpit: ſed ità languidè & oſcitanter, ut ſimulatè magis, quàm ſeriò bellum gerere; & magis ad arcem pertentandam, quàm ad eam expugnandam & ſubigendam adveniſſe videretur. Præterquam enim quòd, Hamelmanno teſte, haberet ſolùm quingentos milites; iiſdem vix adhibitis iterum abſceſſit: eo quidem prætextu, ut Cæſareis avocatoriis morem gereret, & cauſam iſtam Spirenſis Cameræ judicio committeret; re verâ tamen, quòd Lutherano Comiti magis faveret, omnémque militiam ſuam defendendo potiùs Truchſeſio, quàm augendo Epiſcopatui ſuo conſecrare vellet. Id enim haud obſcurè colligitur ex ejus literis, eodem ferè tempore datis*ad Ottonem Wolmeringhuſium, cui ex oppido noſtro Dringenbergenſi, die 3. Octobris in hunc modum reſpondit: *ſingulari cum voluptate accipimus, quòd fideles Ordines Ducatûs Weſtphaliæ Domino Archiepiſcopo et Electori ſuo tam conſtanter adhæreſcant, eidémque debita auxilia pro ſuis viribus tam promptè et expeditè præſtent. Unde etiam non ambigimus, quin miſericors et fidelis Deus per ſuam gratiam effecturus ſit, ut ea cauſa ex illorum voto felicem exitum ſortiatur. - - - Neque etiam, ùt opinor, ab Electoribus, Principibus, aliísque Statibus Religioni noſtræ addictis deſerentur: et, quod ad noſtram perſonam attinet, quidquid ipſorum causâ præſtare valuerimus, id à nobis deſiderari non patiemur; pro ùt etiam ratione obligationis noſtræ, quâ veluti Capitularis Colonienſis ad hanc Archidiœceſin afficimur, ad id præſtandum obſtrictos nos eſſe agnoſcimus.* Ecce! qui ob avocatorias Rudolphi Cæſaris fingebat ſe deſiſtere ab oppugnatione Pyrmontana; iiſdem ſpretis ac vilipenſis, tueri non deſinit cauſam Truchſeſii! Quomodo igitur in rebus antè dictis excuſari poterit à commiſſa fraude?

At longè pejùs verſipellis ille Truchſeſii fautor Diœceſi noſtræ nocere ſtuduit in comitiis provincialibus, hoc anno habitis. Erat ipſi dolori maximo, in Eccleſiæ Cathedralis collegio reperiri adhuc viros tam multos, qui non modò Catholicam Religionem colerent; ſed etiam ardentiſſimè tuerentur ac propugnarent. Hos igitur ut paulatim ex æde ſumma emoveret; neſcio quibus adjutoribus, vel quo hominum improborum adminiculo, in comitiis publicis id efficere niſus eſt, ut Canonici juniores Catholicam Fidem ejurarent, nec in poſterum alii ad Eccleſiæ Majoris gremium admitterentur, quàm qui Luthero vel Calvino ſe addicerent. Exhorruerunt ad inſolentem hujuſmodi propoſitionem boni omnes. Cúmque adhuc

*Vide dicta ad an. 1569 Henricus Adminiſtr. Paderborn. valde oſcitanter Pyrmontum obſidet, ac brevi poſt iterum ab eo recedit. *Hamelm. pag. 437.* magis enim cupiebat adhibere militem pro Truchſeſio, quàm contra Pyrmontum.

*Kleinſorg. in diario hiſt. Truchſes. in adj. ſub lit. Y.

Conatur etiam Paderbornæ juniores Canonicos adigere ad amplexum Confeſſionis Auguſtanæ; ſed reprimitur efficaciſſimè. *Hiſt. Collegii S. J. Paderb.*

adhuc ampliùs id urgeret homo pessimus & Administratoris nomine indignissimus, non solùm & unanimiter & constantissimè in faciem restiterunt; sed etiam variis comminationibus à Truchsesii periculo ductis eundem adegêre, ut concionatores heterodoxos, qui ipsius conniventiâ Paderbornam subintraverant, à se rursus ejectum iri compromitteret. Id quod tamen postea ab eo maximè neglectum est.

Studet insuper Patres Societatis Jesu Paderbornæ à scholis & urbe amovere; sed Capitulum Cathedrale etiam hac in re unanimiter eidē resistit. *Hist. Collegii S. J. Paderbornæ.*

Aliam subinde chordam tentare cœpit in ejiciendis Patribus Jesuitis, qui jam ab annis quatuor Paderbornæ sedem fixerant. Duo ex illis fungebantur officio concionatorum in æde summa; & alii duo juventutem instruebant in scholis humanioribus, eâque ratione simul docilibus puerorum animis doctrinam Catholicam unà cum literis instillabant. Quod cùm ægerrimè ferret Henricus Administrator; die vigesimâ octavâ Novembris misit aliquos è suis consiliariis heterodoxis, qui ad Ecclesiæ Cathedralis Capitulum accederent, & cum eo de prædictis Jesuitis, tam ab urbe, quàm à gymnasio dimovendis agerent. Sed hæc petitio, quemadmodum citra omnium Canonicorum exspectationem proponi cœpit; ità etiam ab iisdem responso minùs exspectato protinus repulsa est. Inquiebant enim: *si prædicti Patres ab urbe et scholis amoveri debeant, id vel agendum erit ob eorum improbitatem, vel certè ob imperitiam literaturæ, tam sacræ, quàm profanæ. De improbitate et vita impia nemo hactenus auditus est, qui illos arguat; et, si quis arguere vellet, sufficientem hujus rei probationem adducere necessum foret. De imperitia quoque nihil est, quod alicui de nobis constet: ac, si quis vestrûm ea de re dubitet, vos ipsi de ipsorum eruditione periculum facite; aut in præsentia nostra cum iis in literarum certamen descendite!* Quo responso accepto, cùm hanc aleam subire nollent, verecundo cum silentio & confusione tacita de Capitulari curia recessêre.

Abbatissa & Præpositus Wilbadessensis magnopere satagunt nos vas doctrinas ab oppido suo prohibere. *Literæ antiquæ monasterii Wilbadess. de aō 1583.*

Laudatissimum hunc majoris Capituli zelum pro suis viribus æmulata sunt pariter nonnulla nostræ Diœcesis monasteria; quibus itidem periculosis hísce temporibus maximopere cordi fuit, antiquam Fidem Romano-Catholicam in pagis & oppidis, jurisdictioni suæ subditis, inviolatam & integram conservare. Laudem planè singularem hac in re meretur monasterium oppidi Wilbadessensis, virginum religiosarum Ordinis S. Benedicti. Cùm enim hoc anno ibidem consultaretur de condenda nova regiminis oppidani forma vel ejus emendatione; inter alia speciatim constitutum est jussu Abbatissæ & Præpositi: *ut ad informandam juventutem deligatur persona idonea et probatæ fidei: ut singulis diebus Deo sacris pueri ac puellæ catechismum publicè in templo recitent: ut oppidanorum quilibet iisdem diebus pueros ac domesticos suos ad explicationem catecheseis mittat:*

ac

ac denique ut ejusdem loci Pastor sollicitè ac diligenter advigilet, ne in eadem explicatione catechetica doceatur quicquam aliud, quàm quod antiquæ Fidei Catholicæ prorsus consentaneum et conforme sit etc.

Annus Christi 1584.

GREGORII XIII. Pontificis 12. & 13.
RUDOLPHI II. Imperat. 8. & 9.
HENRICI Admin. Pad. 7. & 8.

Gregorius Papa Capitulum & Canonicos majoris Ecclesiæ Paderbornensis adhortatur, ut strenuè pergant resistere Episcopo Lutherano, & Societatis Jesu Patres apud se retinere; *Literæ Cathedr. Eccles. Pad.*

AUdierat jam Roma plurimis optimorum pariter ac gravissimorum virorum testimoniis, quantum Paderbornensis Ecclesia nostra sub hæretico Administratore suo hactenus perpessa fuerit. Audierat, quàm nefariè corruptissimus hic Pseudo-Episcopus ante annum laboraverit in pervertendis Canonicis junioribus, & ejicienda Societate JESU; in utroque tamen conatu illo tantâ animi fortitudine & constantiâ ei restitum sit ab Ecclesiæ Majoris Capitulo, ut, nisi pejora experiri vellet, ab iniquis hujusmodi molitionibus debuerit abstinere. Id verò cùm summopere placeret Gregorio XIII. Pontifici verè sanctissimo, non solùm toti Capitulo de tam egregio Religionis conservandæ zelo gratulatus est; sed etiam omni cum amore ac benevolentiâ monuit, ne Societatis JESU Patres, velut Sedi Apostolicæ fidelissimos, in his periculis ab urbe ejici aut à se divelli sineret. Ecce hîc ejus literas, omni humanitate & affectu plenissimas!

Literæ Gregorii XIII. ea de re.

Gregorius XIII. Papa Dilectis filiis Canonicis, et Capitulo Ecclesiæ Paderbornensis.

Dilecti filii salutem et Apostolicam benedictionem. Optimorum, gravissimorúmque virorum testimoniis celebratur vestra virtus et zelus Dei gloriæ, in instituenda Ecclesiæ vestræ, Catholicæque Religionis dignitate. Volumus igitur has literas testes esse nostræ erga vos voluntatis. Dolemus, vos ab hæretico isto, Pastore tantùm nomine, re autem lupo, assiduè vexari. Sed gratulamur simul virtuti vestræ, quòd ejus impetus fortiter sustinetis, injuriæque resistitis: quòdque illius perversitatem, virtutis exercendæ, ampliorúmque indies à divina bonitate præmiorum promerendorum, materiam esse ducitis. Sic par est agere servos Christi! quò graviùs oppugnantur, eò acriùs obsistere; neque illius causam deserere, neque in illius gloria, optimísque institutis tuendis, Sathanæ, ejúsque ministrorum furori in oppugnandis cedere! Accepimus etiam, illum conari sacerdotes sodalitatis JESU istinc ejicere; vos autem, fructuosos eorum labores expertos, repugnare. Pergite per eundem ipsum Christum, cujus causa

causa illos vobis commendat, virtutem et pietatem fluctibus istis à Sathana excitatis opponere; neque illos obrui sinite! Hos, ùt vos in corde habemus. Sic vestros assiduos labores ejus bonitati offerimus, omnémque ab eo felicitatem vobis precamur. Si quid autem auctoritate atque operâ, vestrî causâ, efficere nos posse existimatis, certiores nos facite: erunt à nobis omnia paternæ caritatis officia semper vobis paratissima. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die VI. Februarii, MDLXXXIV, Pontificatûs nostri anno XII.

Paderbornæ, & in locis Ducatui Westphaliæ proximis, incipiunt acatholici Truchsesiano more Ecclesias diripere, & rebus sacris insultare. *Hist. Collegii Paderb.*

Mirificè animata sunt omnium Canonicorum corda, cùm primùm hujusmodi literas, tam paternis adhortationibus & solatiis refertas, attentis oculis inspexêre. At heu! priùs quàm illæ ad Paderæ fontes perferrentur; novi rursum tumultus, nova Religionis turbamenta, in Diœcesim nostram se infuderant ex vicino Ducatu Westphaliæ, Truchsesianis motibus miserrimè discerpto. Nam ùt illic ante annum; sic etiam ineunte hoc anno Paderbornæ, & in aliis locis Ducatui Westphaliæ proximis, vesana plebs Truchsesianorum exemplo cœpit in Ecclesias parochiales ruere, altarium ornamenta diripere, sacerdotales tunicas auferre, calices divinis mysteriis consecratos diffringere, Divorum reliquias de sacris hierothecis extrahere, in terram fundere, pedibus obterere, contundere, & proculcare. Quin & aliqui, facto agmine & accensis facibus, per loca templis vicina cum ululatu absurdissimo circumiêre, Catholicarum processionum & supplicationum formam barbarico ritu derisuri. Sed hæc tempestas, Deo dante, non admodum diuturna fuit: cùm & Henricus Administrator, quem insana plebs ejusmodi sacrilegiis faventem habuit, post annum repentino fato occubuerit; & Gebhardus Truchsesius, qui ad hæc nefanda scelera funesto exemplo anteiverat, intrà paucos menses toto Westphaliæ Ducatu excusus, atque ad summam rerum omnium indigentiam detrusus fuerit, uti nunc apertiùs edocebo.

Sed hæc tempestas brevi iterũ conquiescit pulso truchsesio. *Hist. Collegii Paderb.*

Premebatur jam Bonna magnis undique necessitatibus. Foris eam affligebat Ferdinandus Bavarus Ernesti frater, qui non modò totam urbem arctissimè circumcinxerat; sed etiam ex altera parte Rheni fortissimum excitaverat munimentum, unde & mœnia tormentis quatere, & omnem commeatum ex eo litore inferendum arcere poterat. Intùs verò arctabat eam gravissima rerum plurimarum inopia, præsertim verò pecuniæ, salis, & lignorum: quorum tantus apud omnes præsidiarios defectus erat, ut frigido illo brumali tempore (erat enim mensis Januarius) Catholicorum exulantium ædes diruere, earúmque trabes ac tigna ad focum apponere necessum fuerit. Unica spes miserorum erat in Adolpho Comite Nüenario, & Itelio Henrico Ducis Brunsvicensis filio

Bonna à Ferdinando Bavariæ Duce vehementer premitur. *Isselt l. 4. pag. 416. Eyzinger, in hist. Truchses.*

Nüenarius, & Itelius Henricus

Brunsvicensis nothus, cum suis copiis auxiliarib⁹ ab eodem cæduntur. *Isselt loc. cit. p. 421. Eyzinger ibid. & alii*

filio notho; qui corraso virorum circitèr quinque millium exercitu, multísque curribus annonâ plenis, exeunte Decembri ad urbem obsidione liberandam abiêre: sed magno suo & suorum infortunio. Ferdinandus enim, cùm de eorum adventu per exploratores edoctus esset, paritérque intelligeret, eos in Ducatu Montium ex adversa ripa Ackeræ fluvii rectâ Siburgum tendere; non parvas equitum, peditúmque suorum copias in occursum amborum misit. Atque (ut magìs inobservatè eosdem falleret) à citeriore fluminis illius ripa, ubi ligneum pontem transituri erant, suas copias abdidit in opaco, densóque saltu; in quo & hostem observare, & vicissim à nemine observari poterant. Ibi postquam Ernestiani conspexêre, potiorem exercitûs Truchsesiani partem in litus proximum advenisse; continuò è suis latebris prosiliunt, minúsque opinantes tanto impetu aggrediuntur, ut magna pars Ernestianorum gladiis trucidata: pars è ponte, accedentium & recedentium compressionibus dissoluto, sub aquis mersa & suffocata: reliqui verò, qui Siburgum versùs improsperam fugam capessiverant, ibidem in Siga fluvio consepulti fuerint. Quo animadverso etiam hi, qui adhuc trans Ackeram amnem constitêre, præcipiti cursu in fugam abeunt; relictis impedimentis omnibus, intérque cetera, etiam quadraginta quinque curribus, pernarum & succidiarum multitudine, saléque & pulvere nitrato plenis.

Præsidiarii Bonnenses deditionē paciscuntur *Isselt l. 4. belli Colon. pag. 437.*

Ea clades continuò præcidit omnem spem Caroli Truchsesii gubernatoris urbici: neque jam aliud respiciebat, quàm ut ex urbe tot ærumnis fatigata clanculum se retraheret. Id quod ubi subolere cœpit militibus præsidiariis, qui jam diu frustra stipendiorum suorum solutionem flagitaverant; jejunam hanc militiam detestati, primùm sese cum Ernestianis in occultum colloquium immisêre. Deinde verò cognitâ, quam hactenus ignoraverant, Gebhardi & omnium ei militantium proscriptione, die 28. Januarii deditionem urbis eâ lege pacti sunt, ut Carolus Truchsesius Bonnæ gubernator in Ernesti manus traderetur unà cum duobus centurionibus primariis; reliquus verò miles, ne nimium damni è stipendiis à Truchsesio non persolutis ferat, acceptis ab Ernesto quatuor florenorum aureorum millibus cum omni armatura sua liberè discedat, quocunque velit. Post hæc aliquarum hebdomadum quiete interpositâ, cum exercitu toto in Diœcesim inferiorem perrectum est ad obsidendam Bedbergam, arcem & oppidulum Comiti Nüenario parens, eóque tempore totius viciniæ famosum spoliarium, juxta amnem Erpiam, vulgò **die Erpe** / vel **Erffte**. Erat hîc ingens præda, ex incolarum & accolarum aut viatorum transeuntium direptionibus comportata; ideóque & arcis illius gubernator

& Carolum Truchsesiū gubernatorem urbis captivum tradunt. *Isselt ibid. pag. 440.*

Bedberga ab Ernestianis occupatur. *Isselt pag. 455.*

nator, utì memorat Eyzingerus, constituerat eam stationem toto virium suarum objectu usque ad extremum spiritum conservare, ne opes ibidem partas amitteret. At ubi conscenso oppido, etiam vicina arx tormentis majoribus verberari cœpta est, & jam ingenti murorum strage factâ propediem adornandus erat assultus militaris: repentè gubernator, die nonâ Martii, deditionem velociorem obtulit, quanquam nullo alio favore pro se, suísque impetrato; quàm ut solo accincti gladio, nullâ re aliâ simul exportatâ, suas quisque vias abire possent.

Ferdinand⁹ Dux cum suis movet in Westphaliam. *Isselt l. 4. pag. 457.*

Tum verò Ferdinandus Dux, pacatâ ferè totâ Provinciâ trans-Rhenanâ, castra movit in Westphaliam, ut ibidem pariter Colonienſis belli reliquias conficeret. Præmissus illuc primùm cum aliquot centuriis Joannes de Manrique Hispanus; qui in territorium Recklinghusanum veniens, collocavit sese in pago *Buer*, vel, ùt alii vocant, *Boër*. Sed cùm ibidem intelligeret, è Ducatu Westphaliæ Truchsesium cum suis advenire; aliquantulum se removit ad conjungendum se Ferdinando Duci, cum universis Ernestianorum castris propinquanti. Quo animadverso Truchsesius, valentiorem adversarii sui exercitum veritus, mutato protinus consilio cum suis copiis recepit se trans amnem Lupiam: indéque primò Wesaliam, & hinc iterum Zutphaniam profectus est, ut Hollandis hanc urbem obsessuris auxilium ferret; eâque domitâ, cum attractis Hollandorum legionibus in Westphaliam rediens, Ferdinandum Ducem penitùs obtereret. Sed vehementer fefellit ipsum tam remota spes. Ferdinandus enim fugâ cognitâ summo cum silentio ac festinatione Truchsesium insecutus est, nec ab eodem persequendo priùs destitit, usque dum pridie Kalendas Aprilis, apud Burgam in comitatu Zutphaniæ, unam Truchsesianæ militiæ partem assequeretur. Constabat hæc sexcentis equitibus, ac ducentis sclopetariis, quibus præerat Itelius Henricus Brunsvicensis nothus, vulgò dictus **Eitel Henrich**. In hos Ferdinandus, priusquam ab aliis juvarentur, tanto cum impetu derepentè invectus est, ut quingentis eorum interfectis, ceteri ferè omnes vivi in potestatem ipsius venerint unà cum Itelio Henrico; quem tribus vulneribus gravissimè saucium, & adhibitâ chirurgorum operâ nonnihil recreatum, postremò Cæsaris-Werdam ad honestam custodiam abduci jussit: in qua tamen Haræo teste, non longè pòst è plagis acceptis obiit. Reperta in castris ditissima præda, quam è spoliis Westphalorum tulerat; simúlque in primario curru vexillum prætorium Gebhardi Truchsesii, ex albo serico damasceno confectum, & aureo charactere inscriptum hísce vocibus: *Dominus fortitudo mea.*

Truchsesius eo adveniente recedit versùs Wesaliam & Zutphaniã, *Isselt pag. 457.*

Quem Ferdinandus properè consequitur & partẽ exercitûs Truchsesiani cædit, capto Itelio Henrico Brunsvicensi notho *Isselt ibid. pag. 459. Eyzinger in hist. Truchs.* & paulò pòst mortuo.

Truchsesius cum residuis mille equitibus fugit in Hollandiã ad Wilhelmum Principem Arausicanũ. *Eyzinger in hist. Truchses.*

Peractâ clade, Truchsesio solùm supererant mille equites, quos habebat sub Comite Nüenario. Cum his ille, statim atque tam infeliciter pugnatum audiit, lepore, cervóque timidior trans Isalam & Rhenum fugit in Hollandiam ad amicum suum Wilhelmum Principem Arausicanum. Ferdinandus autem, ab hoste fugitivo liber, viam cum suis retro vertit in Westphaliam, ubi die septimâ Aprilis (stylo novo) castra applicuit ad obsidendum Recklinghusium. Diuturnior quidem fuit hæc obsidio, tum ob militum præsidiariorum pertinaciam; tum verò maximè, quòd Ferdinandus Dux ob itinerum præteritorum celeritatem nulla secum attulisset graviora tormenta bellica, è Rhenano tractu lentiùs adducenda. Aliæ tamen urbes (quæ extra territorium Recklinghusanum in Ducatu Westphaliæ jacent, & jam pridem antea Truchsesiani jugi gravitatem pertæsæ erant) ejusmodi vim non exspectantes, eâ promptitudine ad novi Præsulis Ernesti partes accessêre; ut ante Recklinghusii deditionem, totus Westphaliæ Ducatus absque ullo armorum strepitu in potestatem illius venerit. Prima omnium Werla, ubi dudum Catholici ad antiquum suæ Religionis exercitium ardentissimè suspiraverant, die decimâ sextâ* Aprilis Ernesti Præsulis imperio se submisit: nec multò pòst etiam Werlensis arx, propter subitaneam gubernatoris Truchsesiani fugam, à præsidiariis militibus eidem tradita, & à Bavaris occupata est. Idem illud exemplum continuò secutæ sunt Arensberga, Attendorna, Rüda, Brilonia, Stadtberga, Medebacum, Volckmaria, Geseka, & aliæ urbes; quæ continenter intrà dies paucos voluntariâ submissione novo Principi, coram ejus commissariis, obedientiæ ac fidelitatis juramentum edixêre. Imò, quod magìs admirandum est, Satrapiæ Bilsteinianæ rustici suis ipsi manibus Bilsteinianam arcem recuperârunt; hærentémque in ea Carlewizium centurionem, unà cum aliis bellatoribus Truchsesianis, tam diu retinuerunt in custodia, donec eos Ferdinando Duci, Satrapæque suo Casparo Fürstenbergio jam dudum exuli, captivos traderent.

Ferdinandꝰ dux redit in Westphaliam & Recklinghusium cingit obsidione. *Isselt l 4. belli Colon pag. 463.*

quâ durante primùm Werla, *stylo novo aliàs die 6.* ac deinde totus Westphaliæ Ducatꝰ Ernesto Archiepiscopo se submittit. *Kleinsorg. ibid.*

Arx Bilsteiniana â satrapiæ istiꝰ rusticis recuperatur. *Kleinsorg. ibid*

Interea è tractu Rheni advectus erat magnus tormentorum bellicorum apparatus, quo territorium Recklinghusense (ubi sola Dôrsta Truchsesianas partes recusaverat) nunc demum frangi & exballistari debebat, nisi jam sponte cederet. Quod cùm viderent hi, qui ibidem in præsidiis à Truchsesio collocati fuerant; pavore protinus tam insolito concussi sunt, ut intrà octo vel novem dies, etiam non exspectatâ muralium tormentorum explosione, suam quisque stationem deseruerit. E castro Hornenburgensi, nocte inter vicesimam quintam & sextam Aprilis (stylo novo) miles omnis hoste nondum viso turpissimâ fugâ se subduxit; non aliter

Advectis à Rheno tormentis bellicis, *isselt pag. 463.*

Castrum Hornenburgense. *Isselt ibid.*

aliter, ac ii faciunt, qui foro cedunt, & ædes habitatore vacuas post se relinquunt. Octiduo pòst (nimirum die quartâ Maji) etiam præsidiarii Recklinghusani, impressionem è majoribus tormentis faciendam veriti, deditionem oppidi istius obtulêre: sed, quia diuturniori tempore contumaces fuerant, nullam aliam deditionis legem impetrârunt; quàm ut armis abjectis, & cum solo baculo manu tento egredientes, Ferdinandi Ducis clementiæ se, vitámque suam permitterent. Quo intellecto, statim gubernator Westerholtensis, ne similem fortunam experiretur, voluntariâ submissione pariter suæ arcis portas Ferdinando Duci patefecit, & cum suis militibus in ejus fidem receptus est. Ità demum Westphalia tota, quousque illa septemviro Colonienſi paret, intrà quinque hebdomades, ad Ernesti Præsulis obsequium se inflexit: ut proinde ex repentina hac omnium rerum conversione sole clariùs appareat, id esse opus misericordiæ & justitiæ divinæ; quæ hoc modo tot hominum oppressorum gemitus exaudire, & abominanda Truchsesii scelera condigno tandem supplicio castigare voluit. Revocati subinde sacerdotes Catholici, à Truchsesio proscripti: restituti veteres Ducatûs Westphaliæ Proceres & consiliarii, à suis officiis depositi: reducti urbium variarum consules, judices, & secretarii, propter Fidem antiquam exules: renovatum Catholicæ Religionis exercitium, diu pulsum: reædificata aut reconciliata altaria, ab hæreticis destructa vel profanata: atque, ut hæc omnia majorem firmitatem obtinerent, Ernestus ipsémet in Westphaliam venit, urbes omnes perlustravit, oppidanos in suam fidem recepit, in auctores turbarum inquisivit; ac deinde in comitiis Gesekensibus, mense Junio congregatis, adornavit omnia, quæ ad communem patriæ tranquillitatem reducendam & conservandam facerent.

Oppidum Recklinghusense, *Isselt pag. 464.*

& arx Westerholtensis, Ernesto se subjiciunt. *Isselt pag. 464.*

Revocatis omnibus propter fidē exulibus, Ernestus Archiepiscop⁹ venit in Westphaliam; & ubique Catholicā Religionē, quietémq; publicam restituit. *Kleinsorg. in diario hist. Truchses.*

Agebat eo tempore miser Truchsesius apud Wilhelmum Principem Arausicanum Delphis in Hollandia: ubi licèt humanissimè exceptus fuerit; miseriam tamen & infelicitatem suam aggravari magis, quàm leniri ac mitigari sensit. Uterque ipsorum sperabat sereniora tempora: Truchsesius ab Arausicano, & Arausicanus à Francisco Alensonio, Regis Galliarum fratre; quem oblatâ Ordinum Belgicorum reconciliatione, cum ingentibus Gallorum copiis rediturum esse confidebat: sed utriusque spem festinâ cuspide intercidit inopina mors. Nam Alensonius Kalendis Maji in morbum sibi fatalem incidit; & quadragesimâ *die pòst, nimirum decimâ Junii, majori cum pietate & constantiâ, quàm in mundo vixerat, è mundo emigravit, anno ætatis suæ trigesimo. Arausicanus autem die decimâ sequentis Julii in urbe Delphis (vulgò Delft) à quodam Balthasare *Girard*, manuali sclopo duobus globulis ferreâ

Miseria Truchsesii crescit

ex morte Ducis Alensonii, *Spond hic n. 1.* & cæde Principis Arausicani, seu Orangii

reâ catenulâ junctis repentè sic trajectus est, ut sinè omni signo intellectûs in terram decidens, post modicum semi horæ spatium exspirârit. Funus ipsius die tertiâ Augusti (postquam *Girardius*, horrendis cruciatibus diu tortus, nihil aliud edixisset, quàm hujusmodi necem divino solùm instinctu à se peractam esse) magnificentissimâ pompâ celebratum est, comitante præ cunctis aliis Truchsesio, qui Mauritium ejus filium, unà cum Philippo Comite Holachio, post feralem tumbam deducebat, in oblongo, nigróque pallio conspicuus. Et certè nemini tam inopina cædes luctuosior erat, quàm Truchsesio. Qui, sublato hoc fulcro suo, frustra inter paludes Batavicas exspectabat consolationem suæ calamitatis, dolens de Archiepiscopatu perdito, & gemens cum Propheta, *psalmo 136.*: *super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus, dum recordaremur Sion.* Sed hæc erat justissima divini Numinis vindicta: ut, qui antea superos omnes malitiosè contempserat; nunc etiam vicissim ab omnibus hominibus desertus & contemptissimus esset.

Haræus in ann. brab. cujus etiam funus magno luctu ibidem prosecutus est. *Strada de bello Belg. decad. 2. l. 5*

Ceterùm ex utroque illo, tam Alensonii, quàm Arausicani fato, utilitatem longè maximam consecutus est Alexander Farnesius, Parmæ Dux & gubernator Belgii. Occupaverat hîc paulò antè duas è præcipuis Flandriæ civitatibus, Ipras nimirum & Brugas: quarum prima die decimâ Aprilis; altera verò die vicesimâ quintâ Maji, abjectâ Hollandorum & Zelandorum societate, ad Hispani Regis obsequium reducta fuerat. At ubi postmodum duo illa fœderatorum capita cecidêre; Alexandri fortuna ex adversæ partis consternatione eum in modum crevit, ut continuato victoriarum cursu etiam Herentalia, Teneramunda, Vilvordia, & Gandavum, cervicem diu refractariam Hispanico marti promptissimè submiserint, antiquâ Fide Catholicâ in iisdem protinus restitutâ. Id quod etiam sequenti anno à Bruxellensibus, Mechlinienſibus, & Antwerpiensibus factum esse, docebunt gesta sequentis anni.

Alexander Farnesius in Belgio Ipras, Brugas, Teneramundâ, Gandavum, & alias urbes, ad Hispani Regis obsequiû reducit. *Haræus in ann. Brab. Strada dec. 2. l. 5.*

Annus Christi 1585.

GREGORII XIII. Pontificis 13.
RUDOLPHI II. Imperat. 9. & 10.
HENRICI Admin. Pad. 8.

INcredibili cordis lætitiâ perfusus est hoc anno Gregorius Papa, quando die vicesimâ 2dâ Martii ex ultimis terræ finibus ad ipsum pervenêre Legati Catholicorum Principum Japoniæ, Francisci Regis Bungi, Protasii Regis Arimæ, & Bartholomæi Principis Omuræ; qui Patrum Jesui-

Gregorius Papa, cùm audiîsset Legatos Principum Catholicorum è Japonia,

Jesuitarum operâ, è diuturnis Ethnicarum superstitionum tenebris, ad lucem Evangelicam perducti erant. Literæ, quas iidem Legati à suis Principibus attulêre, maximam submissionem & obsequentiam Sedi Apostolicæ debitam præferebant: atque ideo, cùm in consistorio publico prælegerentur, ità omnium præsentium animos affecerunt, ut neque summus Pontifex, neque Patrum*Purpuratorum senatus, præ liquidissimo cordis gaudio temperare sibi à lachrymis potuerint; uti narrat, qui vidit, & in suis diariis descripsit, Magister cerimoniarum Franciscus Mucantius. Fuit autem hoc ultimum laudatissimi hujus Pontificis gaudium, quod in terris habuit. Nam paulò pòst repentinâ infirmitate obrutus, ac die decimâ Aprilis morte sanctissimâ extinctus est, anno ætatis octogesimo tertio; posteaquam immensis ferè sumptibus in urbe Roma fundâsset locupletissima Adolescentum Germanicorum, Anglicanorum, Græcorum, Maronitarum, aliarúmque nationum collegia, toti earum posteritati quàm maximè profutura. Suffectus est in ejus locum, humillimis quidem natalibus ortus, virtute autem ac literis plurimùm conspicuus Cardinalis, Felix Peretti, Italus ex ordine Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci, qui se postea Sixtum V. appellari voluit, electus die 24. Aprilis, coronatus verò Kalendis Maji.

*Spondan. n. 9.

die decimâ Aprilis magna cum laude obiit: *Spond. hic n. 13.*

cui eodem mense successit Sixtus V. dictus antea Felix de Peretti. *Spond. ib. n. 14.*

Mortem Gregorii Papæ intrà breve tempus consecuta est mors Henrici Administratoris nostri; quem superi prohibuerunt, ne in Fidei Catholicæ eversionem diutiùs viveret. Spina ipsi in oculis erant Societatis JESU Patres Paderbornæ: quorum operâ Catholicos, qui ibidem adhuc supererant, in Romana Fide retineri; vel quandoque etiam parvis accessibus augeri noverat. Atque ideo rursus, uti jam ante biennium cœperat, cum perversis consultoribus suis curam omnem huc intendebat, ut eosdem quâcunque vi & methodo à scholis & cathedris amoveret: nihil dubitans, quin ejectis illis etiam omnes Catholicorum reliquiæ propediem exturbandæ ac dissipandæ forent. Sed hæc volentem & conantem potentiori consilio prævenit è cælo Deus: effecítque, ut pseudo-Episcopus ille priùs, quàm bonos Patres ab urbe pelleret, miserabili mortis genere è vivis ejiceretur. Cùm enim die octavâ Aprilis stylo vetere (quæ tunc Dominica Palmarum erat) Bremer-Vôrdæ in Archiepiscopatu suo Bremensi, Lutheranæ prædicationi interfuisset, indéque rursus ad vicinam arcem adequitaret; non tam equi cespitantis vitio, quàm ex impulsu & voluntate divina contigit, ut prope Cancellariam ejus loci repentè in terram*dejectus fuerit. Ac, tametsi ex eo lapsu non statim fregerit cervicem, sicut aliqui in manu scriptis referunt; ità tamen & animo & corpore affectus est,

Henricus Administrator Ecclesiæ Paderbornensis, cùm Societatis Jesu Patres ejicere vellet;

inopinâ morte prævenitur. *Hist. Collegii S. J. Paderb.*

*Hamelm. in chron. Oldenb. pag. 436.

est, ut intrà duas hebdomades mortalitatis suæ cursum expleverit, vitâ simul & Episcopatu malè gesto functus die vicesimâ 2dâ Aprilis* stylo vetere, anno ætatis suæ circitèr trigesimo quinto. Chytræus & alii scriptores acatholici magnopere commendant illum à pietate & prudentia: nos autem neutram in eo dilaudare possumus. Nam illi pietatem vocant Catholicæ Religionis odium; passímque omnes appellant pios, qui Augustanæ Confessioni contra piissima Patrum sanctorum sensa tenaciter adhærent. Hos autem qui pios nominat, similis est iis, de quibus Isaias inquit c. 5. *Væ! qui dicitis malum bonum, et bonum malum; ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras!* Prudentiam quoque aliam in eo non reperimus, quàm quòd in motibus Gebhardi Truchsesii, cui vel maximè addictus erat, aliquantò cautiorem se ostenderit: ac, licèt cùm eo pariter ad conjugales amplexus aspiraverit; à connubio tamen publico se abstinuerit, priùs finem Truchsesianorum ausuum visurus, & interea libidinem suam expleturus pellicatu Annæ Bestorpiæ, de qua alio in loco diximus. An autem hæc vera & Christiana prudentia appellari debeat; viderint illi, qui eum commendant à prudentia.

*Hamelm. pag. 434. Veteramss. Paderb.

Animadversio.

Hucusque in Diæcesi nostra Paderbornensi retentum fuit Calendarium vetus. Mortuo autem Henrico Lawenburgico, & succedente huic Theodoro Fürstenbergico, receptum est protinus Calendarium Gregorianum, uti refert Chytræus hisce verbis: *Paderbornensi Diœcesi gubernandæ præpositus est Theodoricus à Fürstenberg, qui statim subditis Calendarium Gregorianum obtrusit, et novo Religionis juramento se Pontifici obstrinxit.* Quare ea, quæ de Henrici Administratoris casu & morte superiùs dicta sunt, intelligi debent stylo vetere: ità ut juxta novum Gregoriani Calendarii stylum Henrici casus acciderit die decimâ octavâ Aprilis; mors autem illius die 2dâ Maji.

In Ducatu Westphaliæ idem Calendarium introductum est uno anno priùs: scilicet mense Junio anni superioris, quando Ernestus Archiepiscopus ibidem celebravit comitia in urbe Geseka; uti refert Kleinsorgius in diario Ms. Historiæ Truchsesianæ.

AN-

ANNALIUM PADERBORNENSIUM LIBER XXIII.

THEODORUS DE FÜRSTENBERG ECCLESIÆ PADERBORNENSIS EPISCOPUS XLV.

Annus Christi 1585.

SIXTI V. Pontificis 1.
RUDOLPHI II. Imperat. ùt suprà.
THEODORI Episc. Paderb. 1.

A Morte Henrici Administratoris nostri vacabant simul tres Antistitum Saxonicorum Cathedræ, nimirum Bremensis, Osnabrugensis, & Paderbornensis; quarum primam obtinuerat anno 1567, secundam anno seculi ejusdem 74, tertiam denique anno seculi istius 77. Singulæ earum exinde singulos acceperunt successores. Et in primis quidem in Bremensi Archiepiscopatu Canonicorum Lutheranorum conspiratione suffectus est decennis puer, Joannes Adolphus Holsatiæ Dux, patre Adolpho & matre Christinâ, Philippi

Bremæ in locum demortui Henrici Lawenburgici surrogatur Joannes Adolphus Holsatiæ Dux, puer decennis. *Chytræus l. 27. Saxon.*

lippi quondam Haſſiæ Landgravii filiâ, in mundum editus. Cui ſacros honores eâ lege detulerunt Majoris Eccleſiæ Canonici, ut uſque ad adultam ætatem certâ quadam penſione annuâ contentus eſſet; reliqui autem proventus Archiepiſcopales interea temporis inſumerentur ad reſtaurandas ac repignerandas arces, quæ ſub Epiſcopis deceſſoribus, vel ruinam aliquam, labémque paſſæ, vel ob æris alieni magnitudinem oppigneratæ fuerant.

Oſnabrugi eligitur Wilhelmus de Schencking, Majoris Eccleſiæ Decanus. *Chytræus loc. cit.*

Ad infulam Oſnabrugenſem offerebant ſe, teſte Chytræo, novem competitores vel candidati; quorum potiſſima pars Lutherani erant, magísque ab illuſtriori ſanguine, quàm à religioſis moribus & antiquæ Fidei præſtantia commendandi. Sed quia Rudolphus Imperator Canonicos omnes è ſacrorum Canonum inſtituto ſeverè ac ſeriò commoneri fecerat, ne quis alius, quàm probè Catholicus, ad Epiſcopalem cathedram admoveretur; tandem ab iis die 20 Julii electus eſt Cathedralis Eccleſiæ Decanus, Wilhelmus de Schencking, vir apprime doctus, prudens, moderatus, & quod omnium caput eſt, ardentiſſimus Catholicæ Religionis cultor. Natus hic erat in Diœceſi Monaſterienſi ex antiqua & perilluſtri familia Dominorum de Schencking in Beveren: prætérque alias egregias animi ſui dotes pollebat etiam ſingulari comitate, induſtriâ, & felicitate in componendis hominum inter ſe diſſidentium controverſiis. Qua de cauſa non ſolùm Henrico Adminiſtratori defuncto; ſed etiam omnibus Diœceſanis tam acceptus & carus erat, ut eo regente ſe felices evaſuros, & optimo Præſule gaviſuros crederent. Neque hanc eorum opinionem fefelliſſet rerum exitus; nisi quintâ poſt electionem die præmatura mors deſiderati regiminis initia præſecuiſſet. Novus igitur electionis terminus præfiniri debuit à Capitulo: alterísque demum comitiis die 25 Octobris poſtulatus eſt Bernardus Comes de Waldeck, Franciſci quondam Epiſcopi ex fratre pronepos, & Colonienſis Eccleſiæ Canonicus Diaconus. Virum hunc in Colonienſi bello à turbulentis Truchſeſii ac Truchſeſianorum conſiliis procul abfuiſſe, fatetur Chytræus: malè tamen addit, eum Auguſtanæ Confeſſioni magis, quàm Catholicæ Religioni fuiſſe deditum. Id enim veritati repugnare, manifeſtum eſt ex profeſſione fidei, ſub initium ſequentis anni in cœnobio Marienfeldenſi palàm edita; cujus authenticum teſtimonium, Sixto V. Pontifici miſſum, ex autographo Oſnabrugenſi hîc adjungimus:

Hoc autem poſt quinque dies mortuo, poſtulatur Bernardus Comes de Waldeck, Metropolitanæ Colonienſis Canonicus Diaconus. *Chytræus loco cit.*

Quem & probè Catholicum fuiſſe, oſtenditur ex profeſſione fidei, ab eodem edita in Marienfeld.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri et Domino noſtro, Domino Sixto divinâ providentiâ Papæ quinto etc. Nos Godefridus à Myrlo, Dei et Apoſtolicæ Sedis gratiâ Epiſcopus Harlemenſis, et in exilio agens ſuffraganei Cathedralis Eccleſiæ Monaſterienſis, ſanctitati veſtræ, omnibúsque aliis, præ-

præsentes literas inspecturis, lecturis, seu legi audituris, per præsentes significare debuimus et notum facimus, quòd Reverendissimus et generosus Dominus BERNARDUS ex Comitibus de Woldegk etc. Postulatus Osnabrugensis, post insinuatum decretum postulationis, per Celsitudinis suæ fideles nobis exponi fecerit, eandem Celsitudinem suam nihil magis in votis habere, quàm ut ex præscripto concilii Tridentini quævis requisita pro impetranda confirmatione perficerentur: propter defectum verò et longiorem absentiam aliorum Episcoporum Catholicorum, tum etiam propter viarum discrimina, --- vicinum aliquem confirmatum Episcopum habere non possit. Ideòque ex causis prædictis à nobis postulari fecit, quatenus nos professionem fidei à Celsitudine sua recipere vellemus. --- Quare ad sæpius factam instantiam et requisitionem præfati Domini Postulati, ne propter diuturnam confirmationis protractionem Episcopatui Osnabrugensi aliquid detrimenti accresceret, ad monasterium Campi S. MARIÆ, appellatum Marienfeldt, in Diœcesi Monasteriensi situm, anno et die infrà scriptis nos contulimus. Ibidémque, decreto postulationis, sub sigillo Reverendi Capituli Osnaburgensis et manibus duorum Notariorum expedito, in originali nobis præsentato et lecto, idem Dominus BERNARDUS postulatus coram nobis, nec non Reverendis Patribus ac Dominis, Hermanno Fromme prædicti monasterii campi S. MARIÆ, et Patroclo Meierinck in Iborch Osnaburgensis Diœcesis, respectivè Abbatibus à nobis desuper accersitis et adhibitis, præsentibus quoque Reverendis et Nobilibus Dominis, Gotschalco Ledebur et Joanne Beverförde, dictæ Cathedralis Ecclesiæ Osnaburgensis Canonicis, personaliter constitutus instanter petiit, ut juxta sacrosancti concilii Tridentini decreta ab eadem Celsitudine sua recipere dignaremur. Nos itaque requisitioni prædictæ tandem annuentes, --- primùm proprio motu nonnullos nobiles et ignobiles fide dignos testes, desuper citatos, de ætate, fide, doctrina, et moribus ejusdem Domini Postulati, summariè, disjunctim, et secretò examinavimus; ex quorum attestationibus, quòd idem Dominus Postulatus viginti septem vel circitèr annos numeret, et in Colonienſi Metropolitana Ecclesia, tanquam Canonicus Diaconus, in officio Missæ Epistolas sæpius solenniter legerit, cognovimus: ac aliàs de fidei, vitæ, ac morum integritate, bona testimonia et multiplices commendationes percepimus, pro ut testium examinatorum depositionibus, suo tempore, quatenus opus, producendis clariùs et plenius constabit. Quibus præviis, subinsertos articulos et fidei professionem dicto Domino Postulato legendos et profitendos tradidimus; ac claris et apertis verbis, tactis scripturis sacrosanctis, ad sancta Dei Evangelia sub hac verborum formula recitavit: Ego Bernardus, natus ex Comitibus de Waldegk, Postulatus Osnaburgensis, firmâ fide credo * &c. --- *Quâ quidem fidei professione recitatâ, et per dictum Dominum Postulatum jurejurando coram nobis præstito affirmatâ, additâ etiam promissione in manibus nostris*

* *hic inseritur professio fidei.*

noſtris factâ, quòd in ea fidei confeſſione conſtanter perſeverare velit: Nos ſuper præmiſſis omnibus et ſingulis ulteriùs requiſiti, in fidem eorundem præſentes literas per infrà ſcriptos Notarios, ad præmiſſa omnia et ſingula ſpecialiter per nos adhibitos ſubſcribi, ac majori fide ſuprà ſcriptorum hanc profeſſionem per eundem Dominum Poſtulatum manu propriâ ſubſcribi et ſigillari mandavimus; ſigilliſque noſtri ſubappenſione, et manûs noſtræ ſubſcriptione communivimus. Acta ſunt hæc in Abbatia Marienfeldenſi prædicta ſub anno à Nativitate Domini noſtri Jheſu Chriſti milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto, die Mercurii vigeſimâ nonâ menſis Januarii ſtylo correcto: præſentibus ibidem venerabilibus et conſultiſſimis Dominis, Theodoro à Bêeck exempti et Imperialis monaſterii Montis Martis Paderbornenſis Diœceſis Præpoſito, Davide Fabritio Canonico ad S. Joannem in civitate Oſnabrugenſi, nec non Petro Menſingk jurium Licentiato cive Monaſterienſi, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter rogatis.

Ego Bernhardus Poſtulatus Oſnabrüggenſis, et Comes in Waldeck, manu propriâ ſubſcripſi.

Godefridus à Mierlo, qui ſuprà, manu propriâ ſubſcripſit.

Ego Arnoldus Isfordinck etc.

Paderbornæ eligitur Theodorus de Fürſtenberg, Cathedralis Eccleſiæ Præpoſitus:

At longè felicior, velociórque fuit electio novi Epiſcopi Paderbornenſis, quæ ſtylo veteri die vigeſimâ ſextâ Maji, ſtylo autem correcto, die quintâ Junii in feſto S. Bonifacii contigit; ac æterno totius Diœceſis bono cecidit in orthodoxæ fidei zelatorem ferventiſſimum Theodorum de Fürſtenberg, Cathedralis Eccleſiæ Paderbornenſis, & Collegiatæ Meſchedenſis Præpoſitum. Hic ſplendori natalium ſociaverat ſimul egregias virtutes animi: quarum exempla tam præluſtria Paderbornæ dederat intrà octennium ſuæ Præpoſituræ, ut Henrico Adminiſtratore mortuo Canonici omnes digniſſimum ducerent, qui vacantem Eccleſiæ cathedram pro majore totius Diœceſis bono conſcenderet. Neque ſolùm hæc virtutum illius fama ſe continuit intrà unius Weſtphaliæ terminos; verùm etiam ultrà Alpes progreſſa, jam dudum prævolaverat uſque in urbem Romam. Atque ideo Sixtus V. Romanus Pontifex, ùt primùm Theodori electionem audiit, eandem facillimè confirmavit per literas Apoſtolicas hoc anno datas *octavo Kalendas Octobris.* Alii verò urbis Romanæ Proceres, viríque præſtantiſſimi, tam ante, quàm poſt confirmationem, ſummopere lætabantur, Paderbornam exulceratis híſce temporibus eo tandem Antiſtite potitam eſſe; qui & contractum ex priori electione dedecus expungere, & Eccleſiam ſub hæretico Adminiſtratore preſſam rurſus erigere vel reſtaurare poſſet. Longum foret, omnium iſtorum literas hîc adducere. Satis erit hîc delibare pauca ex duabus epiſtolis, quarum una die 27 Octobris ab Eminentiſſimo Cardinale Ludo-

qui & eodem anno confirmatur à Sixto V. Pontifice, *Ex veteribus mſs.*

magno omnium bonorum

Ludovico Madrutio, & altera die 8 Septembris à noſtræ Societatis Generali Præpoſito Claudio Aquaviva, ad ipſummet Theodorum data eſt. Primus horum inter alia ſic inquit: *Ea ſemper de pietate et virtute Dilectionis veſtræ audiveram, ut reſtitutionem et reformationem illius Diœceſis à Dilectione veſtra exſpectandam judicem. Communicavi itaque ſtatim hoc gaudium meum ſanctiſſimo Domino noſtro et Cardinalium collegio, omnésque tam deſiderato nuntio recreavi.* Secundus verò, eâdem opinione imbutus, inter alia ſic ait: *Confidunt omnes, Dei domum, quæ jam dudum temporum vitio variis modis afflicta et labefacta fuerat, jam Reverendiſſimæ Dominationis veſtræ zelo, prudentiâ, ac vigilantiâ, ad ſuum ſplendorem revocatum iri; futurúmque brevi, ut hæreſum ac reliquorum errorum labe purgata, Domino ac Salvatori ſuo, cujus ſanguine redempta eſt, in ſanctitate et veritate ſerviat.* His adjungo paucula, quæ ſequenti anno 1586 reſcripſit Cardinalis Caraffa, cùm Theodorus Epiſcopus ei gratias egiſſet pro obſequio ſibi præſtito in procuranda confirmatione Pontificia: *Abundantiâ*, inquit, *humanitatis tuæ factum eſt, ut mihi gratias agendas putaveris, quòd opera mea, Chriſtianis tuis virtutibus debita, tibi præſto fuerit in negotio confirmationis iſtius Eccleſiæ, quæ Paſtorali vigilantiæ tuæ commiſſa eſt. Equidem ùt majora tuî causâ cupio; ità, Te ad gubernacula Paderbornenſis Eccleſiæ admoto, ratus ſum, non tam tuis commodis atque ornamentis; quàm ipſius Eccleſiæ rationibus, et popularium tuorum ſaluti, proviſum ac proſpectum iri.*

& romanæ urbis applauſu. *Ex veteribus epiſtolis.*

Non fefellit hanc eorum opinionem zeloſiſſimus Princeps. Licèt enim ante ultimos hujus anni menſes plenam hujus Diœceſis adminiſtrationem non acceperit; ejus tamen anniſu factum eſt, ut Cathedrale Capitulum, ſede vacante, gymnaſium quinque ſcholarum (in quo hactenus non nisì duo Jeſuitæ ſub veſtimento ſecularî ad informandam juventutem admiſſi fuerant) eorundem Patrum inſtitutioni ac ſollicitudini penitùs commiſerit. Frenduêre quidem, cùm id agi intelligerent, cives acatholici: multíque eorum ſuos filios à ſcholis hujatibus avocabant; alii vero, ut ſtudioſæ juventutis numerus diſſiparetur, ſatagebant inducere cives alios, ne cuiquam adoleſcenti, qui in ſcholis Patrum erudiri vellet, hoſpitii, menſæque ſuæ ſocietatem concederent. Sed res aliter, ac illi voluêre, cecidit. Cùm enim Kalendis Maji, celebrato Miſſæ ſacrificio & invocatâ ope Spiritûs ſancti, ludus literarius ſolenniter aperiretur, in primo ſcholarum aditu numerati ſunt centum & quadraginta auditores: qui deinde, hoc anno nondum evoluto, uſque ad trecentos excreverunt. Ità ut apertè jam conſtaret, non eſſe metuendum, ne de ſcholarium adoleſcentum numero dies detrahat; ſed potiùs paulatim cogitari oportere de prolatandis parvulo-

Ibidem gymnaſiũ quinque ſcholarum, olim à Salentino Ep. inſtitutum, traditur Patribus è Societate Jesu *Hiſt. Collegii S. J. Paderbornæ.*

non ſinè magno ſtudioſorum affluxu. *Ex eadem hiſt.*

vularum scholarum angustiis, ut capere possint omnes, qui ad Patrum Jesuitarum institutionem, non solùm è Westphalia, verùm etiam ex aliis terris quaquaversum sinè Religionis discrimine mittebantur.

Ernestus Archiepisc. Colon. ad Monasterienſem insulam postulatur post resignationem Joannis Wilhelmi Cliviæ Ducis: *chron. Monast. ms.*

Ceterùm sæpe dicta mors Henrici Lawenburgici, non minùs Diœcesi Monasterienſi, quàm nostræ, plurimùm salutaris fuit. Nam & isti Episcopatui lupus ille jam pridem insidiatus erat: ac, ne eodem per quorundam Canonicorum factiones potiretur, Joannes Wilhelmus Cliviæ & Montium Dux administrationem Episcopalem hucusque retinuerat, uti jam alibi fusiùs declaratum est. Sed hoc periculum (Deo sint laudes!) repentina ejusdem Pseudo-Episcopi mors felicissimè dispulit. Hac enim intellectâ, Joannes Wilhelmus continuò Monasterium venit, administrationem Episcopatûs deposuit, Ernestum Bavarum Colonienſem Archiepiscopum Cathedralis Ecclesiæ Capitulo commendavit: eóque, die decimâ octavâ Maji ad vacantem cathedram postulato, non multò pòst matrimonium iniit cum Jacoba Marchionis Badenſis filia; quæ eidem Düsseldorpii die decimâ sextâ Junii inter splendidissimos apparatus conjugali vinculo conjuncta est.

Qui paulò pòst matrimonium iniit cum Jacoba, Marchionis Badenſis filia.

Fortunatus eo tempore videri poterat Ernestus Archiepiscopus, tot egregiis infulis exornatus; nisi octiduo priùs, quàm ad Monasterienſem infulam poscerétur, Adolphus Nüenarius, Mörsæ Comes, Truchsesiani belli reliquias è cineribus infaustis resuscitâsset. Obtinebat is adhuc urbem Rhenobereckam, quam initio belli Colonienſis occupaverat pro Truchsesio: indéque tacitissimo studio satagebat, urbem Novesienſem, nullo militum præsidio communitam, sed in sola civium suorum fortitudine confisam, militari astu intercipere. Occasionem ad hoc tentandum offerebat dies nona *Maji. Quo tempore cùm ibidem celebrandæ essent solenn[illegible]undinæ; prædictus Comes militum suorum plures sub habitu mercatorio in hanc urbem præmisit: ipse verò cum aliis copiis, è vicina Geldria collectis, per noctem sequebatur; iterúmque viris aliis per incustodita mœnia intromissis, vigilias portarum cædi & repagula claustrorum perfringi jussit. Quod cùm ab iis feliciter atque ex animi sui voto effectum cerneret; repentè militiam omnem portis infundit, repugnantes interficit, forum occupat, urbémque totam, priusquam illa se capiendam intelligeret, in suam ac Truchsesii sui potestatem redigit. Invasæ mox ædes sacræ pro more Calvinistico, directa altarium supellex, confracta S. Quirini Martyris lipsanotheca, disjectæ ejusdem reliquiæ, ablati Missarum calices, despoliatæ civium domus, prædæque non minores trecentis florenorum millibus in spolium exportatæ. Quæ verò

Novesium ab Adolpho Comite Nüenario ac Truchsesianis intercipitur, *Haraus in ann. brab. Strada dec. 2. l. 8. *chron. Trem. ms.*

magno urbis ac Diœcesis totius damno.

verò damna postmodum toti provinciæ Colonienſi ex eodem oppidò à Truchſeſianis illata fuerint; paucis declarat Famianus Strada, de Noveſio capto ſic ſcribens: *ad ejus regimen Nüenarius validо cum præſidio impoſuit Hermannum Fridericum Clôit* (vel, ùt alii ſcribunt, Klute) *adoleſcentem impigrum ac præferocem. A quo aſſiduis excurſionibus, pagi circùm omnes, oppidáque, in primis Colonia ipſa, uſque adeò infeſta habebantur, ut jam dominantibus per Agrippinenſem provinciam Truchſeſianis, vix tutò pedem urbe efferre auderent Colonienſes.*

Alexander Farneſius in Belgio occupat Bruxellas, Mechliniã, Antwerpiã Neomagũ, & Dôesburgum. *Haræus in ann. brab. Strada dec. 2. l. 6. & 7.*

Quid hîc ageret Erneſtus Archiepiſcopus, cui nec Bavaria ſubvenire jam rurſus voluit ob magnitudinem ſumptuum, priori bello impenſorum; nec provinciæ Colonienſes ad obſidionem inchoandam ſufficientes pecunias miniſtrare poterant ob inopiam ærarii, priori bello exhauſti? unicum ejus refugium debebat eſſe Alexander Farneſius, gubernator Belgii Hiſpanici: nam & hujus plurimùm intererat, Nüenarium ac Truchſeſianos, rerum Hiſpanicarum hoſtes, ab ea parte non invaleſcere. At Alexander eo tempore gravioribus armorum curis præpeditus erat, quàm ut militem ſuum in belli Colonienſis minutias traducere, ſinè maximo rerum Belgicarum detrimento poſſet. Jam enim ab Alenſonii & Arauſicani morte premebat acerrimè fœderatorum urbes: & hoc anno fortunam ſuis armis tam faventem habuit, ut præter Neomagum ac Dôesburgum in Geldria (quæ ſuâ ſponte Calviniſtas expulerant) etiam Bruxellas, Mechliniam, & Antwerpiam, longâ fame & inediâ ad Hiſpani Regis obſequium revocaverit. Qua de cauſa primùm tam felicibus armorum progreſſibus inſiſtere, & obſidionem Noveſienſem in annum proximè ſequentem rejicere, neceſſum fuit.

Annus Chriſti 1586.

SIXTI V. Pontificis	1. & 2.
RUDOLPHI II. Imperator.	10. & 11.
THEODORI Epiſc Paderb.	1. & 2.

Theodorus Ep. Paderb. ritu ſolemni urbem ingreditur. *Klockner in hiſt. Paderb.*

THeodorus Epiſcopus noſter, poſtquam anno ſuperiore confirmationem ſuam à Sixto V. Pontifice, nec multò pòſt etiam *Regalia* ſive jura Principum à Rudolpho Cæſare accepiſſet; per æſtatem hujus anni, die decimâ ſextâ Julii, ex propinqua arce Neuhuſana Paderbornenſem urbem ſolenni inaugurationis pompâ ingreſſus eſt. Condecorabant eam feſtivitatem Theodorus Princeps Corbejenſis, & Simon Co-

Comes Lippiensis, cum universa Nobilitate Diœcesana, & splendidissimo equitatu: erátque dies præter morem tam serena, hilaris, & ab omni nube pura, ut cælum ipsum novæ hujus inaugurationis lætitiam radiorum solarium amœnitate videretur comprobare. Subinde etiam Saltzkottenam, Warburgum, Borgentricam, Brakeliam, & ad alia Diœcesis oppida progressus fuit, ibidémque non minùs ac Paderbornæ (licèt minore cum apparatu) cives omnes consuetâ jurandi formulâ in suam fidem & obedientiam recepit, non finè maximo heterodoxorum pavore, & Catholicorum hactenus oppressorum gaudio. Postremò etiam Cathedrali Capitulo gratificaturus, toti istorum Dominorum collegio perpetuâ ac liberali concessione indulsit, ut prope castrum Lipspringense, quod eorum potestati suberat, criminalis supplicii locum instituere; in eóque omnia maleficia, in suis pagis committenda, per seculares ministros plectere, reósque pœnis etiam capitalibus afficere queant, uti constat ex hoc diplomate.

Cathedrali Capitulo suo concedit locum supplicii criminalis prope Lipspringam.

DEi gratiâ Nos Theodorus, electus et confirmatus Episcopus Paderbornensis, notum facimus et hisce profitemur pro nobis ac nostris successoribus in Diœcesi nostra Paderbornensi, quòd in vim capitulationis nostræ, Reverendis ac honorabilibus, dilectis, nobis devotis, Præposito, Decano, et Capitulo Cathedralis Ecclesiæ nostræ Paderbornensis, ad supplices eorundem preces, virtute nostrorum à Cæsarea Majestate Domino nostro clementissimo gratiosissimè nobis concessorum Regalium, attamen citra damnum et præjudicium Cæsareæ feudalitatis, concesserimus et gratiosè indulserimus: hisce etiam indulgemus, pro ùt meliore modo fieri potest, ut memoratum nostrum Capitulum Cathedrale proximè ipsorum castrum Lipspringam supplicii sive criminalis executionis locum habere et usurpare, in eóque omnia maleficia et criminales excessus, in prædicta arce vel oppido Lipspringa, suisque pagis, in quibus jus capturæ hactenus exercuit, committendos, condignis pœnis per seculares commissarios et ministros suos plectere possit. In qua modò dicta gratiosa concessione nostra Capitulum nostrum Cathedrale manutenebimus, nihilque adversùs eam agemus, aut fieri patiemur. E contrario Capitulum prædictum hac concessione nostrâ non abutetur, neque hanc ullo modo excedet, aut alibi quocunque prætextu nobis præjudicabit. Præterea judicium criminale taliter constituet et ordinabit, ut juxta jus et Ordinationem criminalem semper procedatur. In horum omnium fidem, concessionem et gratiam hanc nostram manûs propriæ subscriptione, sigillíq; nostri appensione communivimus. Datum, actúmque in arce nostra Neuhusio XVI. Decembris, anno Christi Salvatoris nostri MDLXXXVI.

Scholæ Patrum Jesuitarum Paderbornæ

Interea scholæ Paderbornenses, quas Patrum Jesuitarum institutioni ante annum commendatas esse diximus, sub novi Principis tutela sic efflorescere cœperant, ut studiosorum numerus ad qua-

quadringentos excreverit. Hi autem utilissimè proficiebant, non modò in omnibus literarum humaniorum studiis; verùm etiam in Catholicæ Religionis & antiqua Fidei cultura: uti hoc anno præclarissimè ostenderunt in supplicatione publica, quæ in solemni festivitate sanctissimi Corporis Christi, more apud Catholicos recepto, celebrari assolet. Non erat ea quidem Paderbornæ penitùs abolita; sed adeò tamen infrequens & neglecta, ut præter bina Canonicorum collegia, eorúmque familiares & ministros, è toto populo vix unus & alter esset, qui venerandam ejus diei celebritatem comitatu suo condecoraret. Quæ cùm esset res absurda, maximóque illo Sacramento indignissima; visum est prædictis Patribus ad promovendam Catholicæ Religionis æstimationem cum primis fructuosum fore, si inusitato quodam apparatu novum huic processioni splendorem afferri facerent. Communicato igitur consilio cum Ecclesiæ Majoris Capitulo, non solùm constitutæ sunt quàm plurimæ faces, quæ diversis floribus adornatæ, ab adolescentulis elegantioribus portarentur circa Venerabile Sacramentum; sed etiam pulcherrimo ordine circumducta juventus studiosa, intérque eam locati plures cum diversis instrumentis musicis, qui nunc alternis cantibus, nunc intermixto cum studiosis modulamine, totius urbis aures & aërem suavissimè demulcerent. Novitas rei, & insueta discipulorum nostrorum pietas, attonitam defixit multitudinem heterodoxorum; lachrymásque etiam invitas extorsit pluribus, qui de Fidei nostræ mysteriis quandoque magìs abjectè senserant.

florent, non modò studiis literarũ sed etiam pietatis ac devotionis incremento. *Hist. Collegii Paderb.*

Neque tamen inter hos Patrum labores defuêre mali homines, qui & ipsos, & universum Jesuitarum Ordinem gravissimis dicteriis lacerarent. Anonymus quidam tenebrio, nescio, quo in loco, finxerat horribilem fabulam de Jesuitis; in qua narrabat, quatuor ex iis propter infanda scelera & libidines à Regio senatu Cracovienſi comprehensos, & infami supplicio publicè affectos esse. Scriptum illud, quod auctor mendacissimus etiam typo dare non erubuerat, primò divulgatum est Moguntiæ, deinde etiam Paderbornæ: utrobique tanto sectariorum applausu, ut in omnium ferè manibus esset, & ubique in circulis, in plateis ac triviis, in cœtibus ac mensis referretur, non sinè maxima totius Ordinis denigratione & contemptu. Prudentiores quidem, etiam ex ipsismet adversariis, non credebant huic fabulæ: gaudebant interim, id ab hominibus plebejis credi, & odioso nostræ Societatis nomini tam insigne ac palmare dedecus inuri. Jámque eò procacitatis à communi plebe deventum erat Paderbornæ, ut boni Patres vix tutò possent è domo egredi: aut, si quandoque egrediendum esset; plebeji

Infame commentũ, de quatuor Jesuitis in Polonia combustis, Moguntiæ & Paderbornæ spargitur, cum ingenti Societatis opprobrio ac derisione. *Serar. l. 5. rer. Mog. pag. 658. Manuscriptum vet. Collegii Paderb.*

beji cives protervè accurrerent, oculos iisdem admoverent, vultum inſpicerent, greſſum attenderent, mores obſervarent, víxque etiam ſibi à gravioribus injuriis inter aſſiduas deriſiones & acerba ſibila temperarent. Sed hæc tempeſtas contumeliarum brevi iterum deferbuit.

Ejuſdem commenti falſitas à Wolffgango Archiep. Moguntino palàm convincitur teſtimonio Stephani Poloniæ Regis, & aliorum. *Serar. l 5. rer. Mog. pag. 960.*

At multò luculentiùs falſitatem ejus demonſtravit Wolffgangus Archiepiſcopus Moguntinus, Patrum Jeſuitarum ſingularis fautor ac patronus. Is, tametſi pro ſua prudentia & gravitate jam pridem didiciſſet, impias hujuſmodi narratiunculas & maledica ſcripta contemnere; nihilo minùs, ne ſceleratum illud, imprudénsque mendacium impunè volitaret per ora hominum, undecimo Kalendas Junii tabellarium cum literis miſit ad Stephanum Poloniæ Regem: petiîtque, ſibi ab eo de rebus, in infami charta illa contentis, authenticum aliquod veritatis aut falſitatis teſtimonium dari. Ille verò in reſponſoriis Moguntino redditis, non modò Patrum Jeſuitarum innocentiam à calumniis malitiosè impactis vindicavit; ſed etiam egregias eorundem laudes & commendationes addidit, ità pergens: *Nos quidem, cùm in regno ac ditionibus noſtris Societatis ejus Patres ad juventutem excolendam non paucos foveamus, teſtimonium hoc illis verè tribuere poſſumus, non modò nullum eorum unquam in regno noſtro ob facinus aliquod ſupplicio affectum; ſed ne accuſatum quidem, aut minimam ſuſpicionem facinoris alicujus unquam in ullum eorum collatam: itáque omnes vixiſſe et vivere, ut, cùm Religionis ipſius causâ dignissimos eos clementiâ noſtrâ judicemus; ob ſingularem pietatem et vitæ ſanctimoniam multò etiam cariores nobis ſint. etc.... Grod. næ die XII menſis Julii, anno Domini 1586, Regni noſtri XI.* His deinde acceſſerunt plura alia Cracovienſis Epiſcopi, Generalis Capitanei, ſenatûs & conſulum Cracovienſium teſtimonia; quæ levitatem iſtius fabulæ ità difflaverunt, ut meritò ambigas, an ex ea Societati noſtræ plus honoris detractum, an verò plus adjunctum fuerit?

Martinus Schenckius miles Truchſeſianus, per ſtratagema capit urbē Werlam; *Iſſelt in comment. rer. geſt. Chytræus l. 28. Saxon. Chron. Trem. mſ.*

In Ducatu Weſtphaliæ vehementer hoc anno rurſus trepidatum eſt ab incurſu militum Truchſeſianorum, quos occultè & improvisò huc deduxerat Martinus Schenckius bellator ſtrenuus; olim à Batavis ad Hiſpanos, & nunc iterum ab Hiſpanis ad Batavos & eorum clientem Truchſeſium profugus. Hic inſtigante Everhardo Reckio, viro illegitimo & quondam urbis Werlenſis judice Calviniano, decreverat ex inſidiis rurſus invadere Ducatum Weſtphaliæ: aſſumptóque in hunc finem Hermanno Friderico Klute gubernatore Noveſienſi, cum ſelectis equitum, peditúmque copiis *tertio Kalendas Martii* celeritate maximâ pervenerat ad portas Werlæ. Ibi tempore antelucano, cùm adhuc tenebræ eſſent, curavit clan-

clanculum inflammari domum unam suburbanam prope molendinum, & alteram ad muros interiores oppidi. Interea verò, dum utrique incendio restinguendo sese gnaviter occuparent cives, vicinorum hostium ignari; ipse cum suis peditibus ex alia urbis parte muros conscendit: statímque disjectis portarum vicinarum repagulis eâ velocitate equitatum omnem intromisit, ut urbs tota ferè priùs in manibus Truchsesianorum esset; quàm ipsímet cives & incolæ id intelligerent. Periclitabatur hinc iterum totus Westphaliæ Ducatus. Actúmque fuisset de illius incolumitate, nisì Werlensis arx ab eodem hostili impetu feliciter conservata esset, partim fidelitate ac fortitudine gubernatoris Joannis à Werminghausen, partim etiam auxilio & industriâ Archisatrapæ Everhardi Comitis de Solms; qui, accepto urbis occupatæ nuntio, statim aliquot currus annonâ plenos, nováque militum subsidia, periclitanti castro suppetias misit. Lætus hoc eventu prædictus Archisatrapa, nitebatur etiam Schenckianos, Werlensi castro exclusos, intrà urbem obsidere; eúmque in finem repentè multa vicinorum rusticorum millia, cum præcipua Coloniensium Westphalorum Nobilitate, prope Werlam congregari jusserat. Sed admodum infelici ac deplorando rerum exitu! Cùm enim viri Nobiles paulò tardiùs advenirent, neque adhuc plures, quàm sexaginta equites, paucíque pedites ad manum essent; Martinus Schenckius *postridie Kalendas Martii* cum trecentis equitibus in imparatos irruit, & incustoditam hanc rusticorum multitudinem improviso impetu sic obtrivit, ut plurimi eorum in arena cæsi, multi in *Rura* fluvio submersi, reliqui verò, quò ferebant pedes, in effusissimam fugam dispersi fuerint. Peractâ lanienâ Schenckius, à sclopetario Arensbergensi in femore sauciatus, cum suis Werlam revertitur: ibíque adhuc aliquot diebus, partim agros, pagósque vicinos, partim omni stratagematum ac minarum genere Werlensis castri deditionem sollicitat. Sed quia præsidiarii fortissimè se gerebant, & aliunde simul ferebantur nuntii, Altapennium Hispanum transmisso Rheno cum egregiis Hispanorum copiis in Westphaliam advenire: nihil ultrà morandum ratus, quidquid prædarum tam citò potuit, die octavâ Martii in currus onerarios intulit, eodémque vespere circa horam nonam receptui cecinit, & militum suorum protectione munitus, cautissimis itineribus Rhenoberckam aufugit; abductis unà secum ferè triginta civibus primariis (quos inter & Gerhardus Kleinsorgius erat) non nisì multo ære ac pretio redimendis.

Non tamen arcem ei contiguam: *Auctores iidem.*

Magnâ clade prosternit rusticos, ad includendam urbem coëuntes: *Isselt loc. cit. chron. Tremon. ms.*

Redit Werlam; ac desperatâ arcis occupatione, cum ingenti præda & pluribus captivis Rhenoberckam se reducit. *Isselt ibid. Chytræus loc. cit. chron. Tremon. ms.*

Mitiora tamen hæc fuêre, quàm ea, quæ postmodum ab eodem Schenckio perpetrata sunt in provinciis, trans Rhenum sitis. Die decimâ sextâ Maji, rursus ex urbe Novesiensi cum expeditis ali-

Deinde Brülam contendit; eâq; non acceptâ pagos

omnes in agro Colonienſi poſt ſe incendit. *Iſſelt in comment. rer. geſt.*

aliquot armatorum copiis contendit Brülam, viſurus, an illud oppidum novo dolo vel ſtratagemate poſſet intercipere. Cùm autem animadverteret, ibidem omnia vigilantiſſimè à præſidiariis cuſtodiri; pedem indè funeſtum retrahens, tam horrendis ubique incendiis deſævire cœpit, ut Coloniam uſque, nullum pagum, nullas Nobilium ædes, nulla ruricolarum tuguria aut villas poſt ſe reliquerit, quæ non in cineres & favillas egerit, vel certè maximâ ex parte inflammaverit. Feruntur in hac triſti Schenckianorum excurſione periiſſe aut conflagrâſſe pagi circitèr quinquaginta: memorátque etiam Famianus Strada, Erneſtum Archiepiſcopum ob has, aliásque Truchſeſianorum Noveſienſium invaſiones & latrocinia tanto pavore conſternatum fuiſſe, ut penè in Bavariam ſe recipere, & incertas Colonienſium res Deo ac eventui committere decreviſſet; niſi nova & propinquior expugnandi Noveſii ſpes è Belgio allapſa eſſet ab Alexandro Farneſio, provinciarum Belgicarum gubernatore feliciſſimo.

Alexander Farneſius, occupatâ in Belgio Graviâ & Venlonâ, obſidet Noveſium, *Strada dec. 2. de bello Belg. l. 8. Haræus in ann. Brab. Iſſelt in comment. rer. geſtar.*

Hæſerat ipſe hactenus cum exercitu ſuo ante Graviam & Venlonam urbes, quarum illa ſeptimo nonas Junii; hæc verò quarto Kalendas Julii in poteſtatem ipſius venit. His autem occupatis, continuò ſua caſtra vertit in Diœceſim Colonienſem; decimâque die Julii cum iiſdem conſtitit ante Noveſium, novum illud prædonum, latronúmque receptaculum brevi bello domiturus. Foſſæ obſidionales, tormentarii ſuggeſtus, ceteráque ad extremam vim inferendam neceſſaria, intrà duas hebdomades ad omnimodam perfectionem deducta fuêre: atque ideo Alexander Dux die 24 Julii denuo fecialem aliquem ad urbis gubernatorem, aliósque militiæ Præfectos miſit, qui ab iiſdem ſciſcitaretur, velléntne jam Erneſto Archiepiſcopo urbem dedere; an verò præſentis belli eventum experiri? Cùm autem illi non ſolùm petulantiſſimè id recuſarent; verùm etiam ſequenti nocte duos è captivis Hiſpanis* in medio urbis foro comburerent: alterâ die, S. Jacobo Hiſpanorum patrono ſacrâ, ex triginta majoribus tormentis urbem ità everberari juſſit; ut veterani milites faterentur, crebriora tormentorum fulmina intrà tam paucas horas nunquam hactenus à ſe viſa vel audita eſſe. Cecidêre hinc magnis hiatibus muri, prolapſa ſunt geminarum portarum propugnacula, eluctati in vicinas munitiones Hiſpani, attracta in eas tormenta campeſtria, quæ infeſtis ejaculationibus fatigarent hoſtes apertos vulneri: ipſe demum gubernator, cùm Hiſpanos ex adeptis munitionibus ejicere per noctem vellet, non modò cum ingenti ſuorum clade repulſus; verùm etiam globo miſſili in dextero femore ità ſauciatus eſt, ut à ſuis in urbem retrahi, & in hoſpitium reportari debuerit. Sequenti mane ſub ortum

*Strada ib.

ſolis

solis, totis ferè castris per mœnium dejectorum rudera in urbem procursum est; indéque statim ea civium ac præsidiariorum strages inferri cœpta, qualis ab irato milite in urbibus per vim & assultum captis edi solet. Cæsi omnes, quoscunque primus gladiorum furor offendit, exceptis pueris & mulieribus: Truchsesianorum ferè nulli parcitum, etiamsi abjectis armis, flexísque genibus vitæ gratiam orarent: ipsémet gubernator Hermannus Fridericus Klute, quem superiori nocte vulneratum diximus, è strato suo protractus; atque unà cum duobus centurionibus & Prædicante Calviniano, ex ædium suarum fenestra suspensus est, postquam ad sopiendum rationis usum, mortísque funestæ sensum priùs ingens vini poculum exhausisset. Ceteram occupatæ urbis miseriam auxit gravissimum incendium, quod aliqui ab ipsísmet præsidiariis ex invidia suscitatum esse credidêre. Ortum est illud juxta portam Rhenanam; ventóque adjuvante, inter assiduas mortes & circumjecta funera tam horrendùm sæviit, ut teste Famiano Strada, vix quarta urbis pars à voraci malo intacta manserit. Sic una dies vidit urbem adhuc florentem & hostium contemptricem; altera verò eandem cædibus, ruinísque suis consumptam ac propè nullam, quemadmodum coætaneus *poëta cecinit:

Nüssia de nihilo, vano sic nomine, dicta
Nunc verè nihil est, nílque decoris habet.

Illúdque per vim expugnat, occisis ferè omnibus præsidiariis & gubernatore suspenso, *Auctores iidem.*

urbe etiam non prævíso incendio consumptâ *auct. iidem*

**Klockner in hist. Paderb.*

Novesio movebat Princeps Alexander die sextâ Augusti: alterâque statim die Môrsam; & rursus biduo pòst, Alpense castrum & alia quædam minora loca, Nüenario Comiti subjecta, quasi cursim in suam potestatem redigebat. Indè verò die decimâ tertiâ Augusti pervenit ante Rhenoberckam; ut & urbem istam, quam pro Truchsesio tribus abhinc annis Nüenarius interceperat, Ernesto Archiepiscopo restitueret. Sed cursum hujus obsidionis, tametsi magnis progressibus jam ab eo promota esset, contrariis belli motibus intercepit Robertus Dudlæus Lycestriæ Comes, Anglicarum copiarum, quas Regina Elisabeth fœderatis Batavorum Ordinibus hoc anno suppetias miserat, supremus Dux. Cruciabat hunc acerrimè fortuna Ducis Alexandri; ac præsertim, quòd & Graviam, & Venlonam, & Novesium urbes, tam celeriter ac penè se præsente & inspectante sibi præripuerit. Quapropter, ne ad infringendas tanti Ducis victorias nihil penitùs attentâsse videretur; eo tempore, quo Alexander ad Rhenoberckam consistebat, ipse vicissim ad obsidendam Zutphaniam se accinxit, comitante Gebhardo Truchsesio, quondam Colonienſi Archiepiscopo; tunc autem vano exercitûs additamento, ac potiùs herilis mensæ, quàm belli assecla Non audebat Alexander in hac rerum habitudine, pericli-

Môrsam quoque, & alia Comitis Nüenarii castella occupat. *Strada dec. 2. l. 8. Hæraeus in ann. brab. Isselt in comment. rer. gest.*

Obsidionẽ Rhenoberckensem solvere cogitur ob adventum Dudlæi Comitis Licestrienſis; *Auctores iidem.*

periclitanti Zutphaniæ ſuam opem ſubtrahere: præſertim cum audiſſet, eam ab annona vel commeatu non ſatis communitam eſſe, & vicinum ei Dôesburgum jam penè in extremis anguſtiis degere. Quare & hic, ſuſpenſo protinus Rhenobercken ſi obſidio, in hoſtes movit. Et primò quidem complures currus annonâ plenos in urbem intulit (id quod etiam ſecundò ac tertiò factum) deinde militum Saxonicorum quatuor millia, qui à Nüenario in Liceſtrii Comitis auxilium conducti erant, in Diœceſi Monaſterienſi, Lingam inter & Wildeshuſium, à fœderatorum partibus feliciter abſtraxit: poſtremò etiam hoſtilem exercitum, multitudine & numero ſuperiorem, vigilantiâ ac fortitudine ſuâ ità continuit; ut Liceſtrius, tametſi jam aliquot propugnacula ſuperâſſet, circa finem Octobris urbem deſerere, militémque diu fruſtra delaſſatum in Batayiam reducere compulſus fuerit.

Quem à Zutphaniſenſi obſidione feliciter depellit.

Hæreus & Strada loc. cit.

Eodem ferè tempore, nimirum die 24 Octobris, Monaſterii Weſtphalorum obiit Reverendiſſimus ac perilluſtris Dominus Godefridus de Raêsfeldt, Cathedralis Eccleſiæ Decanus & Canonicus Paderbornenſis, Catholicæ Religionis cultor & propugnator conſtantiſſimus. Huic Monaſterienſis Eccleſia cum primis debet, quòd in antiqua Fide ſteterit inconcuſſa: cujus amittendæ certiſſimum periculum ſubiiſſet, ſi Epiſcopum accepiſſet Henricum, è Domo Saxo-Lawenburgica Bremenſem Archiepiſcopum, Paderbornenſis Eccleſiæ Adminiſtratorem Lutheranum; quem ille potiſſimùm ab adeunda Monaſterienſi cathedra, conſilio, prudentiâ, & fortitudine ſuâ compeſcuit. Singularis etiam fautor & amator erat Patrum Societatis JESU: quorum fructuoſos labores cùm vidiſſet Paderbornæ (urbe tunc erroribus Lutheranis deditâ) tanto in eos propendebat affectu animi, ut, quoties Monaſterio Paderbornam adveniret; priùs ad eorum domicilium, quàm ad ædes proprias accederet. Unde & ipſi maximopere in votis erat, ejuſmodi operarios & Catholicæ doctrinæ defenſores evocari Monaſterium, ibíque velut in primaria Weſtphalorum urbe ſtationem capere. Quod cùm in vivis efficere non potuiſſet; morti proximus iiſdem pro inchoando *collegio Monaſterienſi legavit viginti quatuor dalerorum Imperialium millia: aliis verò Patribus, qui Paderbornæ jam in ſeptimum annum reſidebant. *omnem ſupellectilem majorem ac minorem in curia ſua Paderbornæ; itémque cenſum annuum de quadringentis Imperialibus, pro commodiore ſuſtentatione annua.*

Moriuntur egregii defenſores Fidei Catholicæ, Godefridus de Raêsfeld, Monaſterienſis Eccleſiæ Decanus, *chron. Monaſt. mſ.*

Chron. Monaſt. mſ

Sex ferè hebdomadis poſt illum, nempe die octavâ Decembris, præmaturo funere deceſſit alius Catholicæ Religionis Atlas, Fridericus Dux de Saxen-Lawenburg, Chorepiſcopus Colonienſis, & Cathedralis Eccleſiæ Argentinenſis Decanus. Fuit hic ſuprà dicti

& Henricus Lawenburgenſis Dux, Chor-

dicti Henrici Bremensis Archiepiscopi & Paderbornensis Administratoris germanus frater; sed fide ac moribus tam dissimilis, quàm dies nocti. Hic enim Fidem Catholicam defendebat; ille evertebat: Hic adversùs Truchsesium stabat; ille pro eodem consilio & armis depugnabat. Hic nullam Episcopalem insulam obtinebat, & pluribus dignus erat; ille nullâ dignus erat, & plures obtinebat. Res ab eo præclarissimè gestas variis in locis memorat Michaël ab Isselt, belli Truchsesiani scriptor. At nihil illustrius, quàm quòd hoc anno die 18 Junii apud Woringam ducentos Truchsesianos, vallo & omnibus munimentis undique circumseptos, solus ipse cum quinquaginta militibus obscurâ nocte adortus fuerit; cæsisq; primùm excubiis in ipsa munimenta penetrans, reliquos omnes vel humi straverit, vel captivos abduxerit, ne quidem unico è suis amisso vel saucio. Neque dubium est, quin ob egregiam fidem, cum rara fortitudine conjunctam ad altiora hònorum culmina fuisset perventurus, nisi bonorum omnium remunerator Deus eum cælo, quàm terris digniorem reputâsset.

Episcopus Coloniensis. *Klockner. in hist. Paderb.*

Annus Christi 1587.

SIXTI V. Pontificis 2. & 3.
RUDOLPHI II. Imperator. 11. & 12.
THEODORI Episc Paderb. 2. & 3.

INitium hujus anni tristissimum fuit à ferali supplicio capitis, quo Elisabetha Anglorum Regina condemnari & affici jussit Mariam Stuartam Scotiæ Reginam, ipsi proximè cognatam, & Catholicæ Religionis propugnatricem constantissimam. Vicesimus propè annus erat, cùm hæc ad illam confugisset, opem quæsitura contra insidias rebellium subditorum; à quibus jam antè capta, & in arctissimam custodiam detrusa fuerat. Sed pro solatio, quod expetebat, novos illic invenit carceres, totis ferè novendecim annis patientissimè toleratos. Interea variis artificiorum ac fraudum cuniculis nihil aliud ab ejusdem hostibus quæsitum erat, quàm ut ipsa vel Catholicam Fidem ejuraret; vel pro eadem Fide, licèt alio prætextu, vitam innocentem perderet. Primum ex his duobus ab ea nunquam impetrari vel extorqueri potuit: quippe quæ mori semper maluit, quàm extra Ecclesiam Catholicam vivere. Alterum verò tandem inimici ejus consecuti sunt occasione detectæ alicujus conspirationis, quâ Nobiles quidam Angli superiore anno constituerant Elisabetham Reginam de medio tollere, Mariam

Tragœdia Mariæ Stuartæ Scotorum Reginæ Catholicæ, ab Elisabetha Anglorum Regina occidi jussæ. *Spond. ad hunc annũ. Strada de bello Belg. dec. 2. l. 8. Narratio Londinensis de morte Mariæ Stuartæ.* Stuarta post longos carceres

falsò arguitur quæsiviſſe mortẽ Eliſabetæ.

riam Stuartam ei ſubſtituere, & hujus ope Religionem Catholicam Regno Anglicano reddere. Tunc enim homines malevoli continuò Mariam traduxêre, velut iſtius ſceleris incentricem, aut certè participem. Ac, tametſi illa non ſolùm conſtantiſſimè id negaverit; ſed etiam ne ab ipſis quidem conjuratoribus de hoc flagitio accuſata vel inſimulata fuerit: nihilo minùs tamen ab iniquis judicibus, & à communi Ordinum Anglicorum ſenatu, læſæ majeſtatis rea pronuntiata, & ad mortem poſtulata eſt; quòd hac in vivis permanente, Religionem heterodoxam unà cum ipſius Eliſabethæ vita periclitaturam eſſe crederent. Sententiam hanc approbavit Eliſabeth die quarto Decembris anni ſuperioris: executionem verò ejus adhuc diſtulit in Februarium anni præſentis, nominatis interim funeſtæ rei commiſſariis, Comite Cantienſi, * Salopienſi, & aliis quàm plurimis. Hi die decimâ ſeptimâ Februarii (ſtylo novo) horis pomeridianis ad eam accedebant in caſtello, quo tenebatur; nullísque verborum ambagibus rotundè indicebant mortem, Reginæ ſuæ, Regiíque ſenatûs imperio ſubeundam. Quibus illa viciſſim, animo ad omnem fortunæ caſum imperterrito: *utì imperatum eſt, ità fiat! Et quidem, ſi id vultis, etiam die craſtino.* Quod cùm illi avidiſſimè acceptarent, id unum gratiæ ſupremæ loco ab iiſdem petiît, *ut Catholico ſacerdoti, cum quo animæ ſuæ rationes pertractaret, acceſſum ad ſe concederent.* Sed quia & hoc ſolatium à viris aſperis emendicare non potuit; iiſdem abſcedere juſſis, totam ſe deinceps in divinas preces effudit: ac demum ſequenti mane (quæ erat decima octava Februarii) poſt ardentiſſima pœnitentis & amantis animi ſuſpiria Chriſtum Euchariſticum, quem pretioſo vaſculo incluſum Pontificiâ diſpenſatione in hanc ultimam neceſſitatem aſſervabat, manu propriâ devotiſſimè ſimul ac reverentiſſimè ſumpſit. Indè rurſus ad orationem reverſa, nihílq; aliud quàm cælum & cæleſtia cogitans, Deo ſuo per iteratos fidei, ſpei, & charitatis affectus penitiſſimè ſe conjunxit. Sed à Calvinianis judicibus & commiſſariis, qui manè inter horam octavam & nonam aderant, vix tantum otii & quietis eblandiri potuit, quo pietati ſuæ & ſanctis amoribus aliquantiſper vacaret. Nam intrà breve tempus ad eam, adhuc orantem, parantémque ſe, ter miſêre nuntium, qui moneret feſtinandum eſſe: ac demum unus è ſatrapis, velut moræ longioris impatiens, ad ejus oratorium adîit; inveniénsque adhuc genu flexam, & cum gynæceo ac famulitio ſuo divinis precibus intentam, inquit: *ſurge Domina! ſatìs oratum eſt. Urget hora ſuſtinendi, quod decretum eſt. Jam omnia ad exequendam fati ſententiam ſtant parata.* Cui illa reſpondit ocyùs: *et ego penitùs jam parata ſum!* Statímque de genibus aſſurrexit; & ad cameram

Spond. ad ann. 1586. Strada loc. cit.

Innocens condemnatur capite.

Spond. ib. Strada ib. Romuald° in ſumm. de morte Mariæ.

* *Anglicè, Kent, & Schrewsbury.*

Morte indictâ ſacerdotem Catholicum petit, & non obtinet.

auct. iidem

Devotiſſimè ſe ad mortem præparat.

A commiſſariis jubetur exercitia devotionis abrumpere.

Ex Narratione Londinenſi ab ipſismet Calviniſtis edita.

Surgit ab oratione, & procedit ad locum ſuperiorem.

meram anteriorem progrediens, famulitio suo valedixit, eosdem breviter ibidem adhortata, *ut Deum timerent, et superioribus demissè obedirent.* Procedebat autem modestissimè compta, utì viduam Regalem decet; vestem ad talos usque promissam gerens ex nigro & pretioso holoserico. Manu dexterâ tenebat effigiem Christi crucifixi, sinistrâ verò libellum precum. E collo defluebat supra pectus aurea crux minoris formæ; ad latus verò dependebat è cingulo corolla precatoria, quam nos Catholici *Rosarium* appellamus. Hoc apparatu ad inferiorem aulam descensura, in imis gradibus occurrentes reperit Cantiensem & Salopiensem Comites; qui, nescio quâ ferali cerimoniâ, eidem rursus edicebant, *se adesse, ut exhibeant mandatum Reginæ suæ, quo juberetur mori.* At illa, nihil indè mota: *præsto sum!* ait, *et jam ità me constitutam invenio, ut mori potiùs, quàm vivere cupiam.* Simúlque Melvinum, unum è primariis Ministris suis, eodem in loco videns: *Melvine*, inquit, *mihi hactenus Minister fidelissime! credo equidem, et te esse unum è numero Protestantium, neque ampliùs Catholicæ Religioni deditum. Attamen, quisquis es, per tuam ego te salutem postulo, ut accedas ad carissimum filium meum* (erat is Jacobus Scotiæ Rex, tunc unum circitèr & viginti annos natus) *eique nomine meo dicas, precari me et in extremis cupere, ut fideliter Deo serviat; Catholicæ Ecclesiæ se adjungat, orthodoxam doctrinam teneat, Regnum suum pacificè gubernet, fiduciam suam in Deo ponat, solicitéque caveat, ne Elisabethæ Anglorum Reginæ causam vel occasionem aliquam sinistrarum de se suspicionum præbeat. Quod autem ad me ipsam attinet, id ei à me dicas velim, me ad mortem usque in Fide Catholica perstitisse.* Tum ad Salopiensem & Cantiensem Comites denuo se convertens: *Oro vos!* inquiebat, *finite vel nunc saltem paulisper ad me accedere sacerdotem meum! finite etiam domesticos meos omnes interesse morti meæ, ut videant, et orbi Christiano contestentur, me Catholicè defunctam esse!* Prima istarum petitionum ei prorsus denegata est: altera verò, licèt ægre admodum, ab iisdem admissa est cum ea limitatione, ut adessent solùm quinque famuli cum duabus pedisequis. Post hæc deducta in inferiorem aulam, ejusque theatrum, quòd unà cum vicini parietibus nigro panno obtectum erat, reperit ibidem tres sedes positas, nempe duas pro suprà dictis Comitibus, alterámque mediam pro se. In qua ùt primùm se collocaverat inter istos assessores, confestim prodiit Regni secretarius; prælegítque ferale decretum, quo mandabat Elisabetha, Mariam Stuartam olim Scotorum Reginam securi percuti *propter multa, diversáque læsæ Majestatis facinora*, quæ deinde fusiùs ex eodem scripto proferebat. Audiit hæc Maria cum singulari patientia. Cúmque ille jam desiisset legere, rursum ipsa consurgens edice-

plicii, crucem unâ manu, alterâ libellum precum, & è cingulo *Rosarium* portans. *ex eadem narrat. Londin. Spond. hic n. 2.*

Jubet moneri filium suum Jacobum Regẽ, ut Catholicam Religionem teneat. *Ex narrat. Londin.*

Iterum frustra petit sacerdotem Catholicũ. *Ex narrat. Londin.*

Feralem sententiam patienter audit, & negat se criminum objectorũ ream esse.

edicebat palàm: *Testor Deum scientem omnia! nihil eorum omnium, de quibus in hoc mortis decreto postulor, à me gestum esse; neque unquam insidias aliquas à me structas, vel etiam sirui jussas fuisse in vitam Elisabethæ. Fateor tamen, me esse peccatricem, et aliis criminibus obstrictam: propter quæ libenter, amore Dei mei, hanc mortem oppeto.* Hæc dicenti adstabat Calvinianus Prædicans Petrus Borungus, Petroburgensis Decanus: atque (utì jussus erat) sacerdotis Catholici vicem supplecturus, hortabatur eam, *ut in Christo fideret, ac satageret christianè mori.* At illa hæreticum hominem dedignata: *facesse hinc*, ait, *et istarum curarum desine! satìs ego ad mortem comparata sum, neque ad eam fortiter et christianè obeundam tuis acclamationibus egeo.* Cúmque ille adhuc ampliùs instaret, neque aliud se dicturum appromitteret, quàm quod veritati Christianæ consentaneum foret; rursus ipsa, ne communionem videretur habere cum hæretico, adhuc altiùs exclamabat: *sile, obsecro, sile Magister Decane! nolo te audire. Nil mihi negotii tecum est: solùm disturbas me.* Quo audito silere quidem Borungus debuit. Sed hoc tacente rursus Cantiensis Comes virulentum os aperuit; & effigiem crucifixi Domini, quam in manibus Regina tenuit, splene sacrilego deridens dixit: *Miseret me tuî, Domina! maximéque doleo, quòd hujusmodi nugas et signa superstitiosa adhuc in manibus tuis videam!* Cui ipsa vicissim alacriter ac modestè: *Crucifixi Domini imaginem præ oculis meis habere debeo, ut ejusdem recorder, et exemplo ejus me ad sanctè moriendum excitem.* At ille rursus, utì Calvinistæ loqui solent: *Christus in corde nostro tenendus est. Quare apage has nugas manuum!* statímque & ipsa pariter: *imò et in manibus meis effigiem ejus tenere juvat, ut memoria patientis Domini per sensuum exteriorum fores facilìùs descendat in cor et pectus meum.*

Calvinianũ prædicantẽ, ad se missũ, animosè rejicit,

Cantiensi Comiti, crucifixi imaginem deridenti, pulcherrimè respondet. *ex eadem narrat, suprà cit.*

Subinde Calvinisticus præco Borungus, unà cum omni populo & spectatoribus (erat autem hîc turba hominum ferè centum & ampliùs) incipiebat aliquam orationem & comprecationem, quam huic actui convenientem esse duxerat. Maria autem è diverso, ne ipsius importunitati cederet, longè elatiori voce suámmet ipsa precationem ex officio defunctorum proferebat, clamans: *Libera me, Domine! de morte æterna, in die illa tremenda, quando cæli movendi sunt et terra; dum veneris judicare seculum per ignem etc.* Quâ finitâ cùm accederet carnifex, genibúsque flexis ab ea veniam imperatæ sibi functionis precaretur; ipsa protinus generoso, veréque Regali animo reposuit: *Ego non solùm tibi, qui officium tuum coactius facis; verùm etiam omnibus iis, qui hucusque mortem, sanguinémque meum sitiverunt, omnia contra me gesta libentissimè condono: idque eodem affectu nunc palàm ago, quo mea mihi peccata à misericorde Deo condonari desidero.* Tum deinde rursus in genua procidens (Calviniani

Orante Præcone Calviniano cum cetera turba hominum, ipsa aliam orationem elatiori voce incipit.

Omnibus suæ necis auctoribus ex animo veniam concedit. *ex eadem narrat,*

niani scriptoris testimonio) recitavit ardentissimam & affectibus plenam precationem, dicens: *Placare mihi, clementissime Domine JESU Christe, quem hæc imago crucifixi in manibus meis repræsentat; meisque peccatis Te propitium exhibe! scio, me sæpius deliquisse coram Te, ideóque divinâ misericordiâ tuâ indignam esse. Sed Tu Domine, quem offendisse ex intimo corde pœnitet, averte faciem tuam à peccatis meis; et respice potiùs illum pretiosissimum sanguinem tuum, quem in ablutionem peccatorum nostrorum è cruce pendens profudisti. Tua mors, obsecro, sit vita mea! Tua vulnera sint mea sanitas! Tua ad mortem condemnatio sit mihi à noxis omnibus perfecta absolutio! Tu mea spes, Tu Deus Tu amor meus! Tu mortuus es pro me; et ego quoque libenter moriar pro Te! Tu sanguinem tuum profudisti amore meî: et ego pariter amore Tuî sanguinem, vitámque meam profundere non recuso. etc.* Postremò etiam hisce precibus adjunxit alias pro salute Elisabethæ Anglorum Reginæ, pro filio suo Jacobo Scotorum Rege, pro felici statu Scotiæ & Angliæ, ac demum pro sua ipsius anima, ardentissimè Deum orans, ut eam terreno corpore solutam Angelorum suorum ministerio in cælum reciperet. Quo peracto, ornamenta corporis deposuit, tunicam superiorem exuit, famulis & famulabus suis producto super eosdem signo Crucis benedixit, Catholicam se mori velle repetivit, animo intrepido sinè omni coloris mutatione rursus in genua se dejecit, psalmum trigesimum: *in Te Domine speravi, non confundar in æternum*, clarâ voce recitavit, eóque finito, collum trunco imposuit; & cùm altiùs inclamâsset: *in manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, semel & iterum securi percussa, spiritum exhalavit, acclamantibus Calvinistis: *sic pereant universi hostes verbi Dei, et Reginæ nostræ!*

Orat, peccata sibi remitti per sanguinem JESU Christi cujus amore & ipsa libenter suum fundebat sanguinem. *ex eadem narrat.*

Iterum profitetur se mori Catholicam, & inter sanctissima suspiria securi percutitur, plaudentibus Calvinianis. *ex eadem narrat. Londin.*

Necem ejus inter alios egregiè promoverat Robertus Dudlæus Licestriæ Comes & gubernator fœderati Belgii; qui sub exitum prioris anni, rebus apud Hollandos improspere gestis, in Angliam reversus erat. Sed intrà breve tempus commissi facinoris mercedem accepit homo ferox, & Catholici nominis persecutor infelicissimus. Nam in primis eo absente castellum ante Zutphaniam (quod priore anno occupaverat) itémque Daventria & Geldria urbes, in Alexandri Farnesii potestatem devenêre: non quidem vi & armatâ manu; sed voluntariâ traditione Præfectorum, quorum duo primi Angli, tertius verò natione Scotus erat. His autem levi brachio subactis, graviori Marte Farnesius post bimestrem obsidionem expugnavit Slusam, urbem Flandriæ munitissimam; de qua postea ad Regem scripsit, se nunquam hactenus in obsidione magis operosa laborâsse. Ac tametsi Licestrius, tunc temporis ex Anglia redux, cum ingenti militum & navigiorum apparatu fati-

In Belgio Farnesius obtinet Daventriâ, Geldriam, & quædam alia. *Haræus in ann. Brab. Spond. n. 6 Strada dec. 2. l. 8.*

Expugnat Slusam in Flandria, frustra succurrente Lycestrio:

fatiscentem urbem liberare conatus esset; omnia tamen à Farnesio sic præmunita invenit, ut auxilii ferendi spem abjicere, & Ostendam, unde venerat, non sinè aliqua pusillioris animi nota cum suis reverti, compulsus fuerit. Exinde verò dissensiones animorum, quæ jam anno superiore Licestrium inter & fœderatos Ordines propullulare cœperant, propediem resuscitatæ sunt; brevíq; tempore variis querelis ac diffidentiâ mutuâ sic increverunt, ut Licestrius tandem evitandorum tumultuum causâ in Angliam revocari debuerit, ibíque gubernationem Belgicam Reginæ suæ jussibus abdicare. Hoc igitur honore dejectus, homo tumidus & semper magnorum avidus, novo ambitu contendit fieri supremus Reginæ Elisabethæ Vicarius in administrandis Angliæ & Hiberniæ regnis. Jámque id impetraverat à Regina, sibi plurimùm addicta: sed magno suo, ùt eventus docuit, infortunio. Cùm enim Hattonus Regni Cancellarius recusaret huic diplomati sigillum Regium apponere, simúlque demonstraret Reginæ, quanti periculi res foret, si nimia potentia in hunc unum hominem conferretur: Licestrius eâ spe deturbatus, ex furore & iracundia non modò in gravem ægritudinem incidit; verùm etiam, utì scriptor coævus asserit, *horribili mortis genere animam exhalavit* die 14 Septembris* anni sequentis.

qui ob dissidia, hinc inter se & Hollandos orta, in Angliam revocatur; *Haræus & Spond. loc. cit. Strada dec. 2. l. 9.* & anno sequenti ex animi ægritudine moritur. *Auctores iidem.*

**Spond. ad ann. seq. n. 27.*

Interea Diœcesis Monasterienſis in Westphalia plurimùm hoc anno pati debuit occasione belli Batavici. Nam ex una parte miles Hispanicus transmisso amne Lupia in eam irruit, rusticos contra se collectos prostravit, Sendensem pagum funditus exussit, Oistbeveram & Westbeveram diripuit, Haselünnam oppidum violenter occupavit; neque priùs Episcopatum deseruit, quàm acceptis octoginta aut ampliùs imperialium millibus, quibus Ordines Diœcesani molesti hospitis abscessum pacti sunt. Ex altera verò parte miles Batavicus, duce Adolpho Comite Nüenario, die undecimâ Septembris Meppenam cepit, ibíque non sinè maximo incolarum & accolarum damno tam diu pessimè hospitatus est, usque dum & huic ab eadem Diœcesi, die vicesimâ primâ Novembris, numerata fuerint circitèr triginta millia imperialium. Causam utriusque invasionis apud rerum Westphalicarum scriptores non invenio. Verisimile tamen est, mali hujus originem ex eo natam esse, quòd Alexander Farnesius, cùm audisset, eas militum Saxonicorum turmas (quas anno superiore Lingam inter & Wildeshusium dissipaverat) hoc anno rursus prope urbem Bremam à Comite Nüenario colligi; rursus ad eosdem avertendos aut repellendos, in Monasterienſem Diœcesin misérit selectos aliquot equitum Hispanicorum centurias. Cùm autem rusticana gens, ibidem è circumsi-

Diœcesis Monasterienſis ab Hispanis & Batavis plurimùm affligitur. *chron. Monast. ms.*

cumsitis pagis congregata, non modò iter Hispanorum impedire; sed etiam aliquos eorum interficere aut despoliare ausa fuerit: hi vicissim in iras & furorem versi, peregerunt ea, quæ suprà diximus; paritérque Nüenarium & Batavos, in quos ibant, exemplo suo permoverunt ad eadem attentanda. Ità colligo partim ex Chytræo, qui sic habet: *bis mille equites, quos anno superiore à Comite Mörsano collectos et ad Wildeshusiam dissipatos dixi, hujus anni æstate recolligebantur*: ideóque Taxius, Hispanorum Præfectus militaris, in comitatûs Tecklenburgensis pago Lengerke diu exspectabat, ut eorum iter impediret.* Partim ex manuscripta historia Klockneri nostri, qui hac de re brevissimis verbis ità meminit: *eodem hoc anno rustici in Diœcesi Monasterienst equitum Hispanicorum aliquos prostravêre, bonámque prædam ab iis retulêre; id quod iis postea miles Hispanicus egregiè repensavit.*

* *apud Bremam ità memorat Hæreus in ann. brab.*

In Diœcesi nostra Paderbornensi nihil hujusmodi turbarum fuit. Atque inter hæc pacis quieta otia Theodorus Præsul studiosissimè satagebat, non modò Religionem Catholicam Diœcesi totâ restituere; verùm etiam castra & satrapias, quæ ab ejus decessoribus potissima ex parte vel oppignerata, vel ingentibus debitis prægravata erant, parsimoniâ & frugalitate suâ ab omni ære alieno liberare. Qua in re, ùt ex annorum sequentium decursu clariùs elucebit, planissimè demonstravit, se non esse mercenarium, qui sua quærit; sed verè *Pastorem bonum et suæ domui bene præpositum.* Subinde etiam Diœcesis Mindensis hoc anno Præsulem syncerè Catholicum recipere visa est, postquam biennio ferè toto vacâsset. Præfuerat ibidem Lutheranus Princeps, Henricus Julius Dux Brunsvicensis, Julii Ducis natu major filius. Is cùm ante duos annos uxore ductâ Episcopatum abdicâsset; Julius pater ejus vacantem cathedram solicitè postulabat pro altero filio suo Philippo Sigismundo, itidem Lutherano. Neque id admodum recusabant Cathedralis Ecclesiæ Canonici: vicissim tamen petiêrunt à Duce Julio restitutionem aliquot Præfecturarum in comitatu Hojano, quas Episcopatui Mindensi ex antiquis transactionibus deberi contendebant. Qua de re cùm diuturnior consultatio fieret, & interea tempus electioni Canonicæ præfinitum effluxisset; Ernestus Archi-Episcopus Colonienſis velut Metropolitanus, Mindense Capitulum ex jure devoluto convenit coram Francisco Bonhomio Legato Pontificio. Pronuntiatâ tandem pro se ejusdem Legati sententiâ, ad vacantem cathedram nominavit Antonium Comitem de Schawenburg, Colonienſis Ecclesiæ Decanum: illum, inquam, virum syncerè Catholicum, qui ante annos quatuor in comitiis Colonienſibus primus contra Truchsesium dixerat, *se pro suis viribus*

Theodorus Ep. Paderb. magnopere studet restituendæ Religioni Catholicæ, & redimendis Præfecturis ære alieno pressis. *Ex veteribus mss.*

Antonius Comes de Schawenburg ab Ernesto Archiepisc. Colonienſi ex jure devoluto nominatur & constituitur Episc. Mindensis.

ribus nunquam passurum esse, ut ab antiqua Statuum unione recedatur, et pro sancta Religione Catholica subditis obtrudatur novitia fides Augustanæ Confessionis.

Bonna die 23 Decembris à Martino Schenckio rursũ occupatur in favorem Truchsesii. *Strada dec. 2. l. 10. Haræus in ann. brab. & alii.*

Id cùm feliciter effecisset Ernestus Archiepiscopus; iterum post menses pauculos in luctum acerbissimum dejectus est ex improvisa amissione urbis Bonnæ, rursus exeunte hoc anno à Martino Schenckio & militibus Truchsesianis captæ. Sciebat Schenckius, urbem hanc nec sufficienti præsidio firmatam esse; nec eâ, quâ par est, vigilantiâ custodiri. Itaque hanc præsidii negligentiam in suam utilitatem conversurus, die vicesimâ tertiâ Decembris obscuræ noctis beneficio cum aliquot militum suorum centuriis tacitissimè Bonnam proficiscitur. Maximâque eorum parte vicino in loco præstolari jussâ, ipse cum paucis clanculum accedit ad portam Rhenanam; & eidem affigit Pyloclastrum æneum (quod vulgò *Petardam* vocant) instrumentum bellicum pulvere copioso fartum, atque id temporis ad evertendas urbium portas noviter inventum. Quod ubi post breve spatium cœpit ignem concipere, & pestem intrà se clausam ejectare; non modò portam illam, sed etiam contiguos urbis muros tanto impetu disjecit, ut militibus omnibus per apertas portarum ac mœnium ruinas irrumpentibus, Bonna priùs ab hoste capta fuerit, quàm hostem sibi tam vicinum senserit. Indè Schenckius ad urbem fortiùs communiendam se accingere, militem adaugere, annonam comportare, nova propugnacula ex adversa Rheni parte construere, totámque provinciam Colonienſem ac Montenſem hebdomadariis contributionibus fatigare, non sinè maximo dolore Ernesti Archiepiscopi: cui semper ingenti molimine & pretiosissimis obsidionibus recuperanda erant, quæ à suis tam levi negotio & quasi per ludum amissa fuerant.

Annus Christi 1588.

SIXTI V. Pontificis 3. & 4.
RUDOLPHI II. Imperator. 12. & 13.
THEODORI Episc Paderb. 3. & 4.

Bonna ab Hispanis recuperatur & Ernesto Colonienſi restituitur. *Haræus in ann. brab.*

ERnesto Colonienſi, ob amissam Bonnam in extremis angoribus constituto, subvenit iterum Alexander Farnesius Achilles Belgicus: nam & ejus plurimùm intererat, ne in terris Colonienſibus Geusiorum arma figerentur. Primùm itaque mense Martio præmisit illuc nonnullas equitum, peditúmque turmas, qui con-

continuis excursionibus Bonnensem agrum à Schenckianorum injuriis tuerentur, & hostem intrà sua mœnia coërcerent. Quod cùm illi strenuè ac feliciter peregissent, ineunte Majo ejusdem urbis obsidio inchoata est à Carolo Croyo, Principe Chimacensi; cui Farnesius, rebus aliis præpeditus, expeditionem istam demandaverat. Inter primos ante urbem cecidit Joannes Baptista Taxius, miles egregius, ideóque Duci Farnesio cum primis carus: cujus defuncti corpus Coloniæ in templo Patrum Franciscanorum summâ militum & sacrarum personarum pompâ tumulatum est. Urgebatur obsidio, indefessâ militum & Præfectorum contentione. Neque Hispanis quidquam de virtute Martia concedebant obsessi: licèt absente Schenckio, qui ad petenda militum & pecuniarum auxilia in Angliam, & indè rursus in Palatinatum iêrat. Sed cùm ex Anglia nihil, ex Palatinatu verò minus copiarum adveniret, quàm ut earum ope solvi posset obsidio; tandem præsidiarii, quinquemestri oppugnatione fatigati, die vigesimâ octavâ Septembris urbem dediderunt, eâ lege, ut suis rebus, corporibúsque salvis Rhenoberckam & Wachtendonckam deducerentur.

Ab iisdem expugnatur Wachtendoncka, oppidum Geldriæ. *Auctores iidem.*

Lætus hac de re Ernestus Archiepiscopus Alexandro Farnesio liberatori suo gratias immensas egit, didicítque in posterum suas urbes accuratiùs custodire: ne tam facilè rursus dies una perderet, quod multorum mensium certamine, plurimóque sanguine recuperandum fuit. Copiæ verò militares, quæ huic expeditioni inserviêrant, magnis præmiis affectæ, cum Petro Ernesto Comite Mansfeldiensi discesserunt ad obsidendam Wachtendonckam Geldrorum oppidum, toti Geldriæ tunc infestum. Credebant multi, aggressionem hujus loci, in campo admodum paludinoso positi, non modò perdifficilem; sed etiam hac anni tempestate minimè fructuosam, imò & ingloriam fore. At verò Mansfeldius, cui ista expeditio à Farnesio imperata fuerat, ipsius judicio magìs, quàm aliorum formidoloso timori fidens, intrepidè respondit, se hujusmodi mandatis tantò libentiùs pariturum, quantò plus laudis ex difficiliore victoria sperandum esset. Neque abfuit fortuna cœptis. Nam erectis intrà paucas hebdomades duobus altis terræ suggestibus, oppidum istud non solùm tormentis obsidionalibus; verùm etiam prægrandibus globis ignivomis, nuperrimè tunc inventis, ità conterruit, ut præsidiarii die vicesimâ Decembris ad inhonoram deditionem compulsi fuerint, etiam iis, qui nuper è præsidio Bonnensi venerant, in captivitatem traditis.

Hispana classis, Angliam Hollandicæ rebellionis

Multa alia, quæ momenti multò gravioris erant, per æstatem hujus anni volvebat animo Farnesius. Sed hæc omnia disperiêrunt in aquis pelagi, unà cum ingenti classe Hispanica, quæ hoc anno

ad

nutricem invasura, tristi infortunio miserè dissipatur.

ad invadendam Angliam & Hollandiam venerat. Erat hæc una ex præstantissimis classibus, quas unquam in oceanum misit Hispania: numerabátque centum ac triginta quinque naves magnas, in quibus circitèr viginti millia virorum armatorum, præter nautas, remiges, & omnem apparatum bellicum. His è portu Dünkerckiano & Neuportensi debebant accedere alia viginti sex virorum millia, quos in Belgio parabat Alexander Farnesius: totáque illius expeditionis & magnorum consiliorum summa in eo versabatur, ut Angliam Hollandicæ rebellionis fautricem unitis viribus invaderent; eâque domitâ vel oppressâ, etiam fœderati Belgii expugnationem sibi faciliorem redderent. Sed inscrutabili Dei judicio res alium planè eventum habuit! Nam, priusquam Farnesius accederet, potentissima classis illa, partim Archithalassi imperitiâ, qui freti Caletani pericula non sciebat; partim Anglicarum navium agilitate, quæ tardiores Hispanorum naves celerrimo flexu identidem lacessebant; partim diversis tempestatibus, multísque aliis infortuniis, adeò dispersa ac lacerata est, ut amissis triginta duabus navibus, ægerrimè tandem exeunte Septembri sinè ullo tam operosæ, pretiosæque expeditionis fructu in Hispaniam reversa fuerit. Zelandii in perpetuam hujus rei memoriam cuderunt nummos, quibus ex una parte inscripta erant hæc verba: *Classis Hispanica:* ex altera verò: *venit, vidit, fugit, MDLXXXVIII:* vel uti Spondanus refert: *Venit, vidit, fugit.* Memorant præterea scriptores primariæ Hispanorum navi insculptos fuisse hos versus, quibus Angliæ Regina Elisabeth compellabatur:

Tu quæ Romanas voluisti spernere leges,
Hispano discas subdere colla jugo.

Post navium autem interitum Reginam, Regi Hispanorum ità respondisse:

Tu qui divinas voluisti spernere leges,
Femineo discas subdere colla jugo.

Strada dec. 2. l. 9. Haræus in ann. brab. Spond. ad hunc annũ.

Henricus III. Galliæ Rex in comitiis Blesensibus jubet obtruncari Henricum Guisium Ducem, ejúsque fratrem, Cardinalem & Archiepisc. Remensem.

Multò exitialius fuit illud infortunium, in quod hoc anno temerariè se præcipitavit Henricus III. Galliarum Rex, Valesiæ stirpis ultimus. Vixerat is hucusque in connubio infœcundo; timebántque boni omnes, ne eo decedente Regni sceptra jure sanguinis devenirent ad hominem hæreticum, videlicet Henricum Borbonium Regem Navarræ: qui, licèt anno 1572 post Collignii & aliorum Hugonottorum cædem ad Ecclesiæ Catholicæ gremium se recepisset; quadriennio tamen pòst, iteratis aliorum Hugonottorum impulsibus, ad ejuratam Calvini haram rediêrat. Quare jam ab aliquot annis, instigante Henrico Duce Guisio, fabricaverant novum fœdus, quod ipsimet *sacrum* appellari voluêre: eóque tena-

tenaciſſimè conſtituerant, ſe uſque ad vitæ & ſanguinis effuſionem pugnaturos pro Fide Catholica; nec unquam permiſſuros, ut alia Religio ſedem retineat in Regno Galliæ, aut ad ſceptrum & coronam Regni perveniat Rex hæreticus. Jámq; fœdus illud ità increverat, ut & ipſi Galliarum Regi formidandum eſſet; ideóque Gallus perſæpe Navarrum obſecraverat, ut Eccleſiæ Romanæ ſe rurſum aggreget: alioquin vereri ſe, ne futuræ ſucceſſionis causâ totum Galliæ, Navarræque Regnum funeſtiſſimis tumultibus involvatur. Quod cùm Navarrus non ſolùm recuſâſſet; verùm etiam ad arma convolare, & bellum bello opponere incepiſſet: res hoc anno tandem in apertam ſeditionem prodiit, in qua & ipſe Francorum Rex *Pariſinam urbem deſerere, & acceleratis itineribus *Carnutum fugere compulſus eſt. Indè Rothomagum profectus Rex, quietis causâ Guiſianorum poſtulata audiit, ſacro eorum fœderi ſe adjunxit, nova Regni comitia *Bleſis indixit, ibíque ſtatuit, juravit, & ab omnibus jurari fecit, ſe ad Hugonottorum extirpationem pro ſuis viribus laboraturos; &, ſi contingeret ſinè prole maſcula Regem decedere, nunquam paſſuros aut commiſſuros, ut alius, quàm ſyncerè & probè Catholicus, ad Regni ſolium evehatur. An autem Rex id ſeriò & ex animi ſententia fecerit; an verò ſimulatè & ſolummodo Guiſiorum obterendorum causâ, non eſt meum diſputare. Enim verò haud longè pòſt in iiſdem comitiis Henricum Guiſium, totius fœderis primipilum, quem ad ſecretius colloquium accerſi juſſerat, in ipſo Regii cubilis aditu *per ſicarios à ſe conſtitutos obtruncavit; ſtatímque etiam ipſius fratrem, Ludovicum Guiſium Cardinalem & Archiepiſcopum Remenſem, unà cum aliis ejuſdem cognationis aut factionis Principibus comprehendi juſſit. E quorum numero Cardinalis Guiſius alterâ die conſimilium ſicariorum gladiis occubuit: fratrúmque amborum corpora primùm vivâ calce conſumpta; deinde eorum oſſa funeſtis ignibus concremata, & cineres in aërem aut præterfluentem Ligerim diſperſi fuêre. Credebat improvidus Rex, eo facinore magnum aliquid à ſe perpetratum eſſe. Atque ideò peractâ cæde, velut exultabundus ad Reginam matrem accurrebat, inquiens: *nunc tandem ſe Regem eſſe extincto æmulo ſuo Henrico Guiſio*; quem populari favore ad Regni ſolium aſpirare, ſibi falsò perſuaſerat. At illa, tam immani facto exterrita: *ſat in animo proſpexiſti, fili mi Rex! quid indè motuum ac turbarum in tuo Regno ſecuturum ſit?* Cúmque ipſe reſpondiſſet, ſe jam ſatìs tutum, penitúsque ſecurum fore; ipſa jam ægro corpore decumbens: *precor Deum*, inquiebat, *ut hæc Tibi in bonum vertant! metuo tamen, ne res eo in ſtatu non ſint, quo tua Majeſtas arbitratur.* Hæc autem quàm verè prudentérque dixerit aſtuta mulier, even-

*Spond. ad hunc annũ. n. 4.

*Carnutũ, gallicè Chartres.

*Bleſe, gallicè Blois, urbs ad Ligerim fluvium.

*Spond. ib. n. 18. Haræus in ann. brab.

Quæ res non ſolùm ipſimet Regi; ſed etiam toti Regno fatalis fuit.

eventus docuit. Nam & ipse Rex anno proximo interfectus, & universum ipsius Regnum tam exitiali bello involutum est, ut illud vix intrà decem annos componi, & non nisi profuso hominum innumerorum sanguine extingui potuerit. Sed hac de re suo loco plura. Nunc ad nostra transeamus.

Patres Societatis Jesu strenuè laborant Paderbornæ in hominibus convertendis, *Hist. Collegii Paderb.*

Paderbornæ res Catholica adhuc tardiùs procedebat, etiamsi Patres Societatis JESU conversioni civium diligentissimè se impenderent; & Celsissimus Princeps Theodorus Fürstenbergius nihil industriæ vel curarum prætermitteret ad restaurandum & corrigendum ea, quæ Lutherani decessoris vitio corrupta ac depravata fuerant. Primarium conversionis impedimentum erat Forensis Ecclesiæ Lutheranus Pastor & apostata, Hermannus Tünneken: qui hæreticis declamationibus suis totam urbem sic avertebat ab amplexu Fidei Catholicæ, ut plerique civium, nisi ab aliis derideri vellent, Jesuiticæ concionis audiendæ causâ principali templo pedem imponere non auderent. Neque adhuc licebat Episcopo, severioribus mandatis buccinatorem istum de Forensis Ecclesiæ cathedra dimovere. Id enim si feciset, non immeritò formidare poterat, ne hujusmodi jussionibus irritati cives ad vicinorum Principum Lutheranorum opem recurrerent, sibíque magnam apud eos invidiam & persecutionem concitarent. Interea præcipua suprà dictorum Patrum solicitudo fuit in excolenda juventute studiosa: quam in scholis humanioribus ità instituerunt, ut unà cum literis, etiam Catholicæ Religionis veritatem & mores homine Christiano dignos condiscerent. Quin & inter adultos, etiamsi paulò tardiùs converterentur, non omnis animarum labor inanis abiit. Nam, cùm in primo Patrum adventu Paderbornæ summa paucitas Catholicorum esset; octennali tamen sudore eorundem numerus ità increvit, ut hic annus jam computaverit septingentos & quinquaginta circitèr, qui ex antiquo Romanæ Ecclesiæ ritu ad sacræ Eucharistiæ mensam accesserint. Nec minore animarum fructu desudatum fuit in excolendis extra urbem vicinis oppidis. Nam & illuc identidem excurrebant Patres, ut Catholicos in Fide confirmarent, & heterodoxos converterent, & ignorantes instruerent, & æternæ salutis monita oppidanis omnibus instillarent, non sinè maxima Theodori Principis consolatione. Qui & idcirco Patri Oliverio Manaræo, Germanicarum Provinciarum visitatori, cùm eidem in arce Neuhusana Paderbornenses Patres & Collegii fundationem hoc anno commendaret, non solùm benevolè respondit, *rem eam sibi cum primis cordi fore*; sed etiam Cathedrali Capitulo renuntiari jussit, ut curam Patrum singularem gererent, neque ulla in re paterentur eos penuriam ferre. Natalem Domi-

favente Theodoro Episcopo, qui hoc anno Natalem Domini celebravit in monasterio Bödekensi. *Hist. Collegii Paderb.*

Domini celebravit idem Celsissimus in Bôdekensi monasterio Canonicorum Regularium S. Augustini. Ubi loci ejusdem Prior seu Prælatus donavit ei Cosmodromium Gobelini Personæ, manu vetustissimâ ibidem vel ab ipsómet auctore, vel ab alio quodam Religioso, in charta pergamena scriptum; utì ipsémet in fine libri istius manu propriâ adnotavit hísce verbis: *Ex cœnobio nostro in Bödicken hic liber à Priore ejusdem oblatus est nobis ibidem in die Nativitatis Christi, anno 1588. Theodorus à Fürstenberg Episcopus.* Autographum hoc vel apographum aliis exemplaribus, à Meibomio vel alio quocunque editis, longè accuratius est: servatúrque adhuc in collegio Patrum Societatis Paderbornæ, cui Theodorus Episcopus hunc librum redonavit anno 1612.

Hîc ei donatur Cosmodromiũ Gobelini personæ: quod ille postea eo donavit collegio Societatis Jesu Paderbornæ. *ex inscriptione libri ejusdem.*

Et hactenus quidem prædicta Societas nullam aliam sedem obtinuerat in Westphalia, præter eam, quam ante octennium ceperat ad fontes Paderæ. Nunc verò etiam cum ingenti subditorum commodo recepta est Monasterii Westphalorum, ex liberali fundatione Reverendissimi Domini Godefridi de Raêsfeld, Cathedralis Ecclesiæ Decani ante biennium defuncti: qui ex amicitia cum Patribus Societatis Paderbornæ contracta (nam & ibi Canonicus fuerat) iisdem pro inchoando Monasterienssi collegio in testamento suo legaverat ad viginti quatuor Imperialium dalerorum millia. Ea donatio seu voluntas ultima, cùm & ab Ernesto Episcopo & à frequenti Canonicorum collegio probata esset, erigendo ibidem collegio viam aperuit: primúsque Patrum Societatis Monasterium hoc anno missus est Pater Petrus Michaël, cognomento *Brillmaêcker*, vir egregiè doctus, & jam antè variis magnorum Principum legationibus præclarè functus. Hic unà cum P. Melchiore *Kernthen* venit illuc die vicesimâ quartâ Februarii: susceptúsque à Reverendissimo Domino Henrico à Raêsfeld (quem aquæ potorem appellabant) intrà breve tempus religiosâ conversatione, doctrinâ, suavitate, & concionibus, partim in sacello S. Nicolai, partim in antiquo choro Majoris Ecclesiæ ad plebem habitis, Canonicorum Cathedralium animos ità sibi conciliavit, ut ejusdem Societatis Patribus primò duas Vicariorum ædes in eo loco, ubi jam collegium Societatis est; deinde etiam sequenti anno Monasterienssi gymnasium & scholasticæ juventutis institutionem attribuerint.

Primi Patres Jesuitæ, ex fundatione Godefridi Raêsfeldii quondam Decani, veniunt Monasterium Westphaliæ; *chron. Monast. ms.*

& sequenti anno Monasterienssis gymnasii curam ac institutionẽ obtinent. *chron. Monast. ms.*

Annus Christi 1589.

SIXTI V. Pontificis 4. & 5.
RUDOLPHI II. Imperator. 13. & 14.
THEODORI Episc Paderb. 4. & 5.

HENRICUS III Galliæ Rex, plerisque urbibus ac provinciis propter Guisiorum cædem contra se conspirantibus, *Spond. ad hunc annũ. Haræus in ann. Brab. Bussier. l. 21. hist. Franc.*

QUàm ingenti periculo se, vitámque suam exposuerit Henricus III. Galliarum Rex, quando Principes Guisios in superioribus Regni comitiis tam atrociter obtruncari fecit; prima statim hujus anni initia declarârunt. Nam ex ea cæde protinus Catholicorum plerique suspicati sunt, Regem suum vel non probè Catholicum esse, vel certè Navarræo Regi hæretico magìs addictum; quàm fœderi sacro, in iisdem comitiis approbato. Et hæc eorum opinio supra modum aucta est, quando non solùm concionatores Parisini è sacris pulpitis Regem suum perfidiæ & hæreseos infamârunt; sed etiam academia Parisiensis, cui nomen *Sorbona*, decreto publico divulgavit, populum Gallicanum nullo ampliùs juramento fidei & obedientiæ Regi suo devinctum esse, possèque tutâ conscientiâ adversùs nefaria ejus & sociorum suorum consilia pro defensione Fidei Catholicæ bellum suscipere. Quare primùm Parisienses, deinde Aurelianenses, Tolosates, Lugdunenses, Ambianenses, Arelatenses, & quidquid ferè urbium aut provinciarum erat, uno impetu in Regem insurgunt, imagines ejus deturpant, sigilla Regia confringunt, sacro fœderi certatim se addicunt, ejúsque ducem primarium nominant Carolum **Mayenum*, Henrici Guisii occisi fratrem; qui à comitiis Blesensibus tempore fraternæ cædis abfuerat. Consternatus indè Rex, ut in hujusmodi turbis fidelem belli adjutorem sibi adsciscèret, amicitiam & fœdus iniit cum hæretico Rege Henrico Navarræo; cum quo & postea conjunctis exercitibus progressus est ad Lutetiam Parisiorum obsidendam. Sed priùs, quàm eò perveniret, apud S. Clodoaldi fanum, duabus ferè leucis Parisina ab urbe dissitum, à Jacobo Clemente, monacho Dominicano è terrestri solio in vitam aliam transmissus est. Homo iste simplicioris ingenii, acceptis quibusdam literis, accedebat ad aulam Regis; fingebátque simul, sibi maxima quædam negotia ab aliquibus commissa esse, quæ secretò solùm & cum summa taciturnitate in aurem Regis infunderet. Altero mane ad alloquium arcanum ductus, porrigebat Regi literas, de quibus dixerat. Cúmque eas Rex perattentè legeret, ipse interim extractum de manica sua cultrum capulo tenus in ventrem ejus ità intorsit, ut sequenti die, quæ erat 2da mensis Augusti, Rex præmissâ

**Ducem de Mayenne.*

amicitiam & fœdus contrahit cum Henrico Rege Navarræ: *Auctores iidem.*

& eodem anno per insidias trucidatur, moritúrq; in Fide Catholica. *Auctores iidem.*

missâ aliquoties piâ sacramentali confessione religiosè & Catholicè è vivis emigraverit, anno suæ ætatis trigesimo nono. Neque pœnam omnem evasit parricida; tametsi, ùt inquit Bussierius, leviorem tulerit, quàm flagitii admissi gravitas postulâsset. Nam in ipso scelere deprehensus, inter ministrorum accurrentium gladios occubuit; & ejusdem cadaver è fenestra projectum, à quatuor equis discerptum, ac demum funestis ignibus consumptum est.

Eodem mense turbulentam animam in aquis exspuit nocentissimus Rheni inferioris & Westphaliæ prædo Martinus Schenckius. Animus huic erat per insidias Neomagum intercipere: eóque fine apud munitionem, in divortio Rheni & Wahalis à se constructam (quæ ab ejus nomine adhuc dicitur **die Schenckenschantz**) diversas naves militibus, armísque plenas congregaverat. Cum his die decimâ Augusti secundo amne defluxit Neomagum, eâdem nocte ex improviso urbem obruturus. Ac tametsi paulò seriùs illuc adveniret, quàm in animo constitutum fuerat (jam enim incipiebat alterius diei aurora surgere) ausus est nihilominùs belli aleam tentare, confractâque portâ Antonianâ usque ad ipsum urbis forum perrumpere. Sed eventu minùs fortunato! Cives enim & præsidiarii, campanæ pulsu convocati, eo statim annisu virium in Schenckianos proruerunt, ut iidem ter obtento, térque iterum amisso foro, tandem præcipiti fugâ ex urbe rursus excedere coacti sint, hortanti ad resistendum Schenckio protervè respondentes: *jam sæpe nos in hac urbe ad carnificinam deduxisti! decerta jam solus, pro ùt ipse voles: nobis enim nulla urbis potiundæ spes est.* Haræus memorat in illius diei conflictu quingentos & ampliùs è militum Schenckianorum numero periisse: quorum complures à civibus ac præsidiariis in recessu & fuga cæsi; alii verò plurimi, dum cæco impetu ad naves suas recurrerent, vel in aquas acti, vel unà cum suis navibus nimio virorum & armorum pondere submersi sunt. Schenckius ipse, cùm in unam istarum navium insiliisset, eâ subsidente vitam in aquis perdidit: atque, ut pœnam suis flagitiis dignam acciperet, cadaver ejus amputato capite in quatuor partes dissectum; & è quatuor turribus, ad amnem ædificatis, volente populo, suspensum est.

Martinus Schenckius Truchsesii fautor, dum Neomagum per insidias intercipere nititur; *Haræus in ann. brab. Strada dec. 2. l. 10.*

magnâ suorum clade repulsus, in aquis mergitur & suffocatur. *Auctores iidem.*

Magna Truchsesii columna cecidit cadente illo: nec jam alius ferme è reliquiis Truchsesianorum in vivis erat, quàm Adolphus Comes Nüenarius; cui hic annus pariter vivendi ac tumultuandi finem attulit. Recipiebat hic ad se residuum Schenckii extincti militem: &, quia solvendorum stipendiorum facultas deerat, Schenckiano more ad rapinas ac spolia sese protinus convertebat.

Adolphus Nüenariæ & Morsæ Comes in Diœcesi Monasteriensi deprædatur

Oppor-

nundinas Grevonienſes: *Haræus in ann. brab. chron Monaſt. mſ.*

Opportuna ad hoc agendum occaſio videbatur fore in proximis nundinis, quæ die viceſimâ octavâ Auguſti celebrandæ erant Grevoniæ in Dioeceſi Monaſterienſi, loco admodum aperto, & horis tribus Monaſterienſi ab urbe diſſito. Collectis igitur Schenckianis, adjunctísque ſimul aliis prædatoribus ex oppido Lochemenſi & vicinis quarundam urbium præſidiis, feſtinato itinere Grevoniam progreditur: ipsóque nundinarum die improviſus in pagum involat, mille equos abducit, mercatorum tabernas exſpoliat, pecunias abripit, reſiſtentes trucidat, ac tandem prædis, rapinísque dives Lochemium revertitur, flagitii commiſſi pretium cum ſuis diviſurus. Verùm is, qui humanorum actuum ſupremus inſpector eſt è cælo Deus, criminoſo Comiti intrà breve tempus tam iniquæ invaſionis mercedem reddidit. Cùm enim haud multò pòſt Arnhemii in Geldria majus aliquod pyloclaſtrum experiri vellet; ignis fortuito caſu in vaſa pulveris nitrati decidens, eundem ſic aduſſit, ut intrà viginti quatuor horas, aut paulò ampliùs, die ſeptimâ Octobris miserabili morte conſumptus fuerit.

& paulò pòſt, Arnhemii ex incenſo pulvere nitrato moritur. *Haræus ib. Strada dec. 2. l. 10.*

Tum verò Carolus Mansfeldius, bellator egregius, Alexandri Parmenſis imperio ad obſidendam Rhenoberckam ſe accinxit. Hæc enim ſola finito Colonienſi bello in Truchſeſianorum poteſtate manſerat, non ſinè magno Batavorum commodo, & Hiſpanorum detrimento. Ut autem expeditio iſta faciliùs procederet, copias ſuas admovit primò ad Reſam oppidum, ejúsque munitionem à Martino Schenckio recentiſſimè conſtructam. Quâ intrà quatriduum ſubactâ, progreſſus eſt Rhenoberckam: urbémque iſtam, licèt aſperâ durâque hieme, novis aggeribus & munimentis ità incluſit, ut, nisi Batavi ferro & armis viam aperirent, nihil annonæ ac rerum humano victui neceſſariarum ad obſeſſos perduci poſſet. Reſtitêre quidem diu obſtinati civium ac præſidiariorum animi; paſsíque ſunt, ſua corpora in obſequium Batavorum diuturnis jejuniis contabeſcere. At ubi tandem extrema fames nimiùm invaleſceret, neque jam ampliùs ab Hollandis ulla commeatûs importandi ſpes alluceret; poſt initia ſequentis anni, die triceſimâ Januarii, deditionem pacti ſunt eâ lege, ut neque pecuniâ plecterentur cives, neque armis exuerentur abituri milites. Quo conceſſo, Erneſtus Archiepiſcopus Colonienſis à Carolo Mansfeldio, ejuſdémque victore exercitu, in hanc urbem inductus, atque ità demum plenâ totius Dioeceſis poſſeſſione potitus eſt.

Carolus Mansfeldi, Alexandri Farneſii nomine Rhenoberckam obſidet. *Haræus & Strada loc. cit.* eámq; ſub initium anni ſequentis fame & inediâ domitam, reſtituit Erneſto Colon. Archiepiſcopo. *Haræus in ann. brab. ad an. 1590 Strada loc. cit.*

Theodorus Epiſcopus Paderborn. hoc anno

Inter has bellorum ac mortium viciſſitudines Theodorus Epiſcopus noſter, poſtquam à negotiis, curísque temporalibus quietem aliquam adeptus eſſet, magnâ animi præparatione ſe convertit

ad

ad accipiendum presbyterium, Ordinémque Episcopalem. Ea de re literas hoc anno perhumanas die 18 Junii Coloniam dedit ad Nuntium Apostolicum, Octavium Episcopum Calatinum; petiítque, istorum Ordinum conferendorum facultatem tribui Domino suffraganeo Colonienſi. Quod cùm ab eo facillimè impetrâſſet, haud multò pòst à prædicto suffraganeo sese expetitis hujusmodi Ordinibus initiari fecit; ac deinde in Bôdekensi (ùt fertur) monasterio primam Deo hostiam pientissimè immolavit. Supersunt adhuc in Episcopali archivo nostro ejusdem Nuntii Apostolici literæ, hac de re ad Principem Theodorum datæ die 25 Junii, præsentis anni; quæ sic incipiunt.

suscipit sacerdotium, & Ordinem Episcopalē. *Ex literis Archivi Episcopi. Item ex mſ. Liberi Baronis de Fürstenberg.*

Illustrissime et Reverendissime Princeps, Domine observandissime. Ex literis Illustrissimæ et Reverendissimæ Dilectionis vestræ, decimâ octavâ Junii datis, se sacris sacerdotii Ordinibus initiari proposuisse, intellexi. Quod ut illi felix, faustúmque sit, Deum optimum maximum precor. Ac ob eam causam ad Dominum suffraganeum Colonienſem scripsi, ut ad illum accedere (quàm primùm licebit) eique sacros sacerdotii Ordines juxta sanctorum Canonum decreta conferre vellet: ac etiam, juxta petitionem Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dilectionis vestræ, Domino suffraganeo, particulari diplomate, hujusmodi Ordines extra statuta tempora conferendi potestatem impertivi etc.

Clariùs hæc omnia Perillustris Dominus Casparus de Fürstenberg Archisatrapa Ducatûs Westphaliæ, frater germanus Theodori Episcopi in suo diario his verbis notavit: *Anno 1589. 27 Julii Reverendissimus ordinatur in Subdiaconum. 29 in Presbyterum Neuhusii. 30 per suffraganeum Colonienſem Laurentium Fabricium astantibus infulatis Abbatibus in Marienmünster et Abdinghoff; ministrantibus fratre Friderico de Fürstenberg Metropolitanæ Moguntinensis, Cathedralis Paderbornensis, et aliarum Collegiatarum S. Albani, S. Petri, et S. Victoris tum intra tum extra muros Moguntiæ Canonico Capitulari, et seniore Rosero à Westrum Præposito in Meschede; Filiis meis Joanne Godefrido de Fürstenberg Metropolitanarum Ecclesiarum Moguntinensis et Trevirensis Domicellari, et Friderico de Fürstenberg Ecclesiæ Cathedralis Paderbornensis et Ecclesiæ Collegiatæ Equestris Ordinis ad S. Burchardum Herbipoli Domicellari Episcopales baculos tenentibus; præsente Præposito Fritzlariensi Joanne à Wamboldt solenniter Episcopus consecratus.*

Ejusdem Theodori Antistitis favor erga Patres Jesuitas, qui Paderbornæ sedem fixerant, nullo satìs præconio dilaudari potest. Hos ille diligebat ùt indefessos antiquæ Fidei defensores; auditúsq; est hoc anno, cùm in Bacchanalibus erudito studiosorum nostrorum dramati interfuisset, in frequentissima plurium Nobilium & Aulicorum corona dicere: *Catholicam Religionem inter modernorum tempo-*

Favet Patribus Jesuitis Paderbornæ. *Hist. Collegii S. J. Paderbornæ.*

temporum iniquitates hucusque à Patribus Jesuitis conservatam esse, et adhuc in posterum contra omnes adversariorum impugnationes conservatum iri. Simili affectu in eosdem Patres ferebantur majoris Ecclesiæ Canonici; è quorum numero, die vicesimâ primâ Novembris, hoc anno obiit præcipuus Catholicæ Religionis & Jesuitarum Paderbornensium fautor Henricus à Meschede, Cathedralis Ecclesiæ Decanus: idem ille, qui ante septem annos non sinè zelo singulari dixerat, *precari se, ut, si vivente se contingeret, Jesuitas ex hac urbe revocari, dies ista sibi fatalis et suprema foret!* Mortem ejus acerbè luxerunt Patres, benefactorem & patronum optimum à se amissum querulati. Sed eam jacturam anno proximo fructuosè repensavit vicesima quarta dies Januarii; quando in ejus locum electione Canonicâ suffectus est Reverendissimus ac Perillustris Dominus, D. Arnoldus ab Horst, vir egregiæ pietatis, nostrísque Patribus tam addictus, ut priusquam eligeretur, familiarium suorum aliquibus apertè enuntiaverit: *vacantem hujus Ecclesiæ Decanatum à se nonnisi in bonum Societatis appeti.* Studuerat hic Romæ in collegio Germanico, in quo & alii tres cum illo virtute ac literis probissimè exculti fuerant, nimirum Joachimus à Langen, Theodorus à Plettenberg, & Wilhelmus de Ledebur: omnes viri probatissimi, quíque non solùm plebi & civibus; sed etiam Clero ac personis Ecclesiasticis, egregio Religionis, probitatis, continentiæ, & virtutum omnium exemplo prælucebant.

Henricus à Meschede, Cathedralis Ecclesiæ Decanus, & magnus Jesuitarum fautor, Paderbornæ moritur. *Hist. Collegii Paderb.* In cujus locum initio sequentis anni 1590 eligitur Arnold⁹ ab Horst, magnus pariter Jesuitarum patronus. *Hist. Coll. Pad. ad ann. 1590.*

Ceterùm hoc anno rursus Jesuitarum Paderbornensium labor fructum non magnum habuit in conversione Lutheranorum civium. Obsistebant enim indefessis ipsorum conatibus non solùm injuriosæ declamationes Hermanni Tünneken, Forensis Ecclesiæ Pastoris, de quo anno superiore diximus; verùm etiam severæ prohibitiones ipsorum consulum, qui, ut suos in heterodoxorum dogmatum professione retinerent, iisdem ad Catholica templa & conciones Jesuiticas accessum omnem interdixerant. Imò consulum istorum unus, cognomento *Bote*, singulari Catholicæ Religionis odio frequentabat assiduè conciones & catechismos nostrorum Patrum: non ut ex iis antiquæ Fidei synceritatem ac veritatem disceret; sed ut eos, qui ad sacras hujusmodi institutiones pedem adducerent, suismet oculis observaret, & acerbis exagitationibus coram urbico senatu reprehenderet. Ità Patrum bonorum sedulitatem ac patientiam Deus aliquantulùm exercere voluit, donec ipso adjuvante copiosior animarum messis exsurgeret; utì postea sub eodem Episcopo Theodoro feliciſſimè contigit.

Urbis Paderbornensis consules prohibent civibus, ne in æde summa ad conciones Jesuitarum adeant. *Hist. Collegii Paderb.*

AN-

Annus Christi 1590.

SIXTI V. Pontificis 5. & 6.
URBANI VII. & GREGORII XIV. 1.
RUDOLPHI II. Imperator. 14. & 15.
THEODORI Episc Paderb. 5. & 6.

SIxto V. Pontifici, die vicesimâ septimâ Augusti è vivis evocato, post breve interregnum successit Urbanus VII, dictus antea Joannes Baptista Castanea, electus die decimâ quintâ Septembris, & Ecclesiæ Romanæ magis ostensus, quàm concessus. Nam alterâ statim die post electionem suî in morbum fatalem incidit; nec multò pòst, nimirum die vicesimâ septimâ ejusdem mensis, pientissimè decessit: magnas Deo gratias agens, quòd in tam gravi ac periculoso munere adhuc nihil agere permissus fuerit, de quo posset vel deberet apud severum ipsius tribunal rationem reddere. Ab eo tempore vacavit sedes usque ad Nonas Decembris: quo die tandem electus, ac triduo pòst in festo immaculatæ Conceptionis B. M. V. coronatus est Gregorius XIV, dictus antea Nicolaus de Sfondratis, patriâ Mediolanensis, & S. Caroli Borromæi conterranei sui magnus imitator.

Sixtus V. Papa moritur. Succedit Urban⁹ VII; & huic propediem decedenti Gregorius XIV. *Spond. hic n. 18. & sequent.*

In Gallia post necem Henrici III, Valesia de stirpe Regis ultimi, fervebant omnia plena turbis ac tumultibus. Pars enim è Principibus Regni declaraverant se pro Henrico Borbonio Navarrorum Rege, licèt erroribus Calvinianis dedito: putabántque sibi & Regno satìs cautum esse de Religione, quòd juratus promiserit, se Catholicæ Religionis firmitati nihil ampliùs obstiturum; neque, ut in ea quidquam innovetur, acturum aut permissurum esse. Alii verò potissimâ ex parte declaraverant se pro Carolo Borbonio Cardinali, ejusdem Regis Henrici patruo, qui in comitiis Blesensibus à defuncto Rege in custodiam abductus fuerat: atque, ut illum è captivitate sua ad Regale solium pertraherent, constantissimè inhærebant fœderi sacro; cui etiam Philippus Hispaniæ Rex, pro depellendo Catholicæ Religionis periculo, opem & operam suam addixerat. Parabatur bellum ab utraque parte magnis animis: ducémque sacri fœderis pergebat agere Carolus de Mayenne, Guisiorum occisorum frater: cui Alexander Farnesius exeunte Februario suppetias misit, Philippum Egmondiæ Comitem, cum equitibus mille ducentis, totidémque peditibus. Commissa deinde pugna est pridie Idus Martii; & Navarræus tandem, cùm eventus prælii diu pependisset, à Mayennio victoriam non parvam retulit:

Galli dissentiunt in designando novo Rege, aliis Henricum Borbonium Regem Navarræ; aliis Carolum Borbonium ejus patruum designantibus. *Spond. ad ann. 1589. n. 18. 19. & 24.*

Henricus Navarrus contra Mayennium feliciter pugnat. *Hæræus in ann. Brab. Spond. ad hunc annum.*

quanquam (ùt ex Haræo colligimus) longè minorem, ac Regum Borbonicorum assentatores prædicant. Philippus Egmondius, & Henricus Brunsvicensis nothus, in prælio cecidêre: Mayennius cum exercitu reliquo Parisios, indéque Svessionem discessit: Navarræus, occupatis quibusdam urbibus, & reparato militum suorum robore, demum appetente Majo castra movit ad Parisiorum confinia, urbem istam, populúmque grandem fame aut armis ad obsequium suî coacturus.

ac deinde Parisios obsidet. *Haræus ib. Spond. n. 11*

At Parisini à præterita fœderatorum suorum clade jam diu primum terrorem vicerant. Ac tametsi haud multò pòst infelici nuntio comperirent, etiam designatum à se Regem Carolum Borbonium septimo Idus Maji in custodia sua obiisse; indè tamen animis nihilò fractiores, novo iterum juramento se obstrinxerunt ad moriendum pro defensione Fidei Catholicæ, nec admittendum Regem alium, quàm Catholicum. Eadem erat mens Religiosorum penè omnium in tota urbe: atque ut apertiùs id profiterentur, commovendæ plebis causâ adornabant supplicationem publicam, animo quidem serio ab ipsis institutam; re ipsâ tamen planè ridiculam, & fortè nunquam aliàs in orbe Christiano visam. Præibat Silvanectensis Episcopus Guilielmus Rosa, unâ manu crucem, & alterâ hastam portans. Hunc deinde sequebantur ordine Capucini, Franciscani, Minimi, Dominicani, Carthusienses, Carmelitæ, & alii plures, maximè verò ii, qui corrogabant stipem è publico: omnes instructi gladiis, bipennibus, galeis, thoracibus ferreis, aut alio veterum armorum genere, religiosis vestibus superjecto; simúlque sacris cantionibus Deum obsecrantes, ut oppressæ urbi auxilium ferret. Unum verò in tanta animorum alacritate non solùm illis, sed etiam omnibus obsessis deerat: videlicet ea frumentorum & annonæ copia, quæ urbi vastissimæ in diuturniora tempora posset sufficere. Quapropter appetente jam tertio obsidionis mense, cùm omnes ad commeatum inferendum viæ ab inimicis præclusæ essent, subintravit urbem tristissima fames: eáq; processu temporis ità invaluit, ut exeunte mense Julio tenuioris fortunæ homines concursu facto aut pacem aut panem sibi dari poscerent. Miserati eas pauperum querelas duo Archiepiscopi, Parisiensis & Lugdunensis, die sextâ Augusti ad Regem eunt; propositâque civium afflictissimorum necessitate, eundem enixissimè rogant, ut Catholicam Religionem suscipere non dedignetur: id enim unicum levandæ hujus calamitatis remedium esse; & hoc adhibito, Regem protinus ab urbe tota ambobus brachiis receptum iri. At ille contra arroganti supercilio: *nolo*, inquiebat, *moveri mihi quæstionem de fide. Religionem, cui me addixi, regnandi causâ non muta-*

Carolus Borbonius moritur. *Spond. n. 10*

Et tamen Parisienses adhuc mordicus perstant in voluntate non admittendi Regem aliû quàm Catholicum. *Spond. hic n. 9. Haræus in ann. brab.*

Fortissimè tolerant horrendam famem: *Auctores iidem.*

mutabo: nec ullatenus æquum est, ut subditi suis Regibus legem præscribant. Hæc autem paulò superbiùs respondebat Navarræus, tum quòd in urbe hac jam ultra decies mille homines extremâ fame consumptos esse nôsset; tum quòd eidem urbi nullum ab Hispanis auxilium è seditioso, turbatóque Belgio adfuturum crederet. Qua tamen in re mirùm quantùm deceptus est. Nam Alexander Farnesius eodem illo tempore jam totus erat in colligendo, adducendóque exercitu: nec multò pòst cum octodecim millibus tam inobservato itinere contra Navarrum proficiscitur, ut priùs, quàm huic aliquid de adventu ejus innotesceret, jam in corde Galliarum staret apud Meldas, urbem Galliæ, decem ferè horis ab urbe Parisina dissitam. Ibi cum exercitu Mayennii se conjungens, die vicesimâ octavâ Augusti rectâ processit in obsidentes, eósque inopinâ sui adventûs famâ sic perterruit, ut obsidionem diuturnam repentè solverint; & exercitum suum, ne inter urbem & Hispanos appropinquantes, veluti inter malleum & incudem staret, in securiorem locum revocaverint. Subinde magna commeatûs & annonæ copia in urbem invecta, semineces incolæ necessariis vitæ subsidiis recreati, pientissimæ gratiarum actiones in templo B.MARIÆ Virginis Deo persolutæ; & Farnesius (posteaquam adhuc unam alterámve urbem in ipso Regis conspectu expugnâsset) rebus à se feliciter confectis, mense Novembri victricibus laureis coronatus in Belgium se recepit.

ac tandem à diuturna obsidione liberantur per Alexandrum Farnesiũ, cum selectis Hispanorum copiis venientem è Belgio. *Spond n.13 Haræus loc. cit.*

Farnesius re feliciter gestâ, redit in Belgium. *Auctores iidem.*

Interea Batavi sub his Galliæ turbatæ motibus fortunam suam in Belgio non parùm promoverunt. Et in primis quidem Breda, urbs munitissima, ineunte Martio ab iisdem intercepta est egregio maleficio alicujus nautæ, qui solebat illuc advehere cespites, deficientium lignorum loco nutriendis ignibus peridoneos. Receperat hic in suam navem septuaginta milites lectissimos, à Mauritio Principe Arausicano missos; eósque in inferiore navis carina super impositis cespitibus ità obtexerat, ut etiam ab Argo oculatissimo deprehendi non facilè possent. Cum his deinde quinto Nonas Martii, sole jam occidente, ad arcem Bredanam pro more suo adnavigat: &, quia milites præsidiarii rigente brumâ cespitibus indigebant, in eam facilè admittitur. Mox etiam homo subdolus inter ingruentes tenebras partem aliquam allatorum cespitum expromit, nempe quantum præsidiariis eâ nocte ad alendos ignes necessarium fuit: ceteram verò partem, inquit, primo diluculo sequentis diei commodiùs expromi posse. Aberat eo tempore gubernator: & incautus miles homini fraudulento adhibebat fidem; sed ingenti suo & urbis totius malo. Nam eâdem nocte latentes insidiæ tacitissimo gressu prorumpunt è navi, vigilias arcis trucidant,

Hollandi per stratagema occupant Bredã, urbem Brabantiæ; *Haræus in ann. brab.*

dant, reliquos præsidiarios alto sopore mersos in cubilibus opprimunt, Mauritium Arausicanum, qui cum amplioribus militum suorum copiis propinquo in loco exspectabat, signo dato in arcem à se captam evocant; indéque simul in urbem ipsam uno impetu profusi, eandem pariter cæsis, fugatísque custodibus in suam potestatem adigunt. Ægerrimè res illa habuit Alexandrum Farnesium: ac fortè potuisset eam jacturam per decursum hujus anni resarcire; cùm haberet militem, & bello promptum, & ad omnia Martis ausa impavidum. Sed quia à Philippo Hispanorum Rege jussus erat, urbium Belgicarum pericula Parisiorum opitulationi ac liberationi posthabere; altiori demum imperio parendum fuit, non sinè maximo Batavorum commodo. Qui interea, dum Farnesius cum florentissimo exercitu suo rem alienam in Galliis ageret, Catholicis provinciis plurimùm nocumenti intulêre; occupatis quibusdam castellis ac munitionibus minoribus, usui suo in posteriora tempora multùm profuturis.

ac deinde etiam alia quædam oppida ac munitiones intercipiunt, absente Farnesio iterum in Gallias misso. *Haræus ad hunc annũ.*

In Westphalia per hunc annum (si ultimos anni dies exceperis) florebat alta pax, & omnium hostilitatum quies. Hac invitatus Theodorus Princeps & Episcopus noster adjecit animos ad amplificandam arcem Neuhusanam, eámque novis operibus ità perficiendam, ut in posterum Domus ista sedem Episcopo dignam exhiberet. Qua de re priusquam uberiùs agam, juvat hîc paululum subsistere in eruderanda hujus arcis antiquitate hucusque prorsus incognita. Neuhusium, germanicè **Newhauß**/ westphalicè autem **Nienhuse**/ in vetustis archivorum nostrorum literis appellatur *Nova-domus*. Primámque ejus mentionem invenio in vita B. Meinwerci*Episcopi; ubi de Athela ipsius matre sic legitur: *ad filium suum Episcopum in Patherbrunnon venit; et oblatis et bonis, ad temporalis vitæ subsidia sibi delegatis, NB. Novam Domum cum attinentiis ejus, quàm diu viveret, sibi ab eo concedi petiit.* Quæ cùm acciderint circa annum 1013, & ante secundas Athelæ prædictæ nuptias cum Baldrico Comite; manifestum est, Neuhusanam arcem jam floruisse ante finem seculi decimi, & fortè adhuc multò anteriùs. Alteram ejus mentionem faciunt Gaukirchensis* monasterii literæ de anno millesimo ducentesimo quadragesimo quinto: in quibus Priorissa & Conventus Parthenonis Gerdensis *Mabiliæ Abbatissæ et Conventui grisei Ordinis ad S. Olricum in Paderburne vendiderunt bona sua in Burch, cum pertinentiis suis, sita NB. prope Novam Domum Domini Paderburnensis Episcopi.* Tertiam ejus mentionem affert Gobelinus in Cosmodromio ætate 6. c. 66. Ubi è veteribus manuscriptis memorat, Ottoni de Ritberg, quondam Episcopo nostro, post annum 1281 fuisse multa bella cum civibus Paderbornensibus; intérque eas bellorum

Theodorus Ep. Paderb. hoc anno cœpit ædificare arcẽ Neuhusanã, haud procul Paderbornâ. *Klockner. in hist. Paderb.*

**apud Hagiographos Antwerp. to. 1. Ss. Junii c. 9.*

Neuhusii antiquitas, ex veterib* scriptis declarata.

**monasterium intrà Paderbornam, olim Ordinis Cistercienſis, nunc autem Benedictini.*

lorum turbas *Castrum novum*, sive *Neuhusium*, à civibus exustum ac devastatum esse. Ex his quidem ruinis *Nova Domus* vel *Neuhusia* restaurata est ab eodem Ottone & aliis successoribus: sed opere minùs firmo ac tali, cujus hodie nullum ampliùs vestigium superest. Moderni verò castri primus inceptor fuit Henricus de Spiegel, ex Corbejensi Abbate creatus Episcopus: qui, cùm ad infulam Paderbornensem perveniisset anno 1361; haud multò pòst Neuhusii* condidit novum ædificium è solido lapide, nunc adhuc in arcis ala australi situm, ceterísque ædificiis aliquantulùm supereminens. Huic deinde moderno seculo Ericus Episcopus adjecit alam orientalem, quæ Paderbornam respicit; & aliam partem alæ australis, quam ejusdem successor Hermannus de Wieda usque ad ædificium Spiegelianum continuâsse aut perfeciisse legitur. Tandem verò Theodorus Episcopus, cùm ad splendorem hujus arcis adhuc alias duas alas, occidentalem scilicet ac septentrionalem, deesse conspiceret; ingenti sumptu & magnificentiâ opus istud per hunc annum aggressus est. Videbatur statim cælum ipsum præcelsis hujusmodi conatibus favere & applaudere. Cùm enim ob humiditatem soli non parva difficultas appareret in fodiendis, locandísque fundamentis; repentè molestiam hanc mitigavit æstas calidissima: cujus beneficio non solùm fundamenta faciliori negotio jacta; sed etiam reliquæ superstructiones maximopere promotæ sunt. Continuatus deinde labor anno sequente: neque postea ullis impensis parcitum, donec arx nobilissima in eam, quâ modò fulget, amplitudinem exædificata, fossis ac turribus communita, præstantissimis conclavibus, & hortis condecorata est. Lubet hîc adjicere castri illius laudes ex eleganti poëmate Patris Friderici Rôrich S. J. poëtæ & oratoris disertissimi:

monumenta Paderbornensia Ferdinandi Fürstenbergii.

Arcis Neuhusanæ, à Theodoro conditæ, splendor & elegantia.

Quid memorem celsis spectandas turribus arces,
Ac tantùm Domino tecta minora suo?
Ornamenta olim pacis, munimina belli,
Sumptibus ad cælum surgere jussa tuis?
Hinc NOVA, detersо veteris squalore senectæ,
Jámque suo demum nomine digna DOMUS,
Regalem tectis immanibus explicat aulam,
Laxáque formosis atria porticibus:
Quas circum, virides ventis crispantibus undas,
Plaudit lascivis squamea turba choris.
Flora favet, favet attiguis Pomona viretis;
Certatímque suas utraque promit opes:
Utraque certatim vernantes divitat hortos,
Floribus illa suis, fructibus ista suis.

Cete-

Prædones Hollandici, ductore Comite Oberſteinio, die feſta Nativitatis Dominicæ, in Diœceſin Monaſterienſem involant: *Haræus in ann. brab.*

Ceterùm initia hujus ædificii admodum periculoſa fuerunt ipſímet Epiſcopo & ejus Epiſcopatui. Nam eodem hoc anno, quo novum illud opus inchoatum eſt (cùm putarentur omnia nobis tranquilla & pacata fore) Joannes Philippus Comes Falckenſteinius & Oberſteinius exeunte Decembri cum prædatricibus Hollandorum copiis in Weſtphaliam irruit: ipsóque die Nativitatis Dominicæ, quæ omnibus verè Chriſtianis fuit ſemper ſacratiſſima, auſus eſt primùm in pagos, urbi Monaſterienſi proximos, repentino impetu ſe infundere, omnes in templis repertos immiſſis raptoribus exſpoliare, ſacram ſupellectilem auferre, ſacramenta pedibus conculcare, virginibus & matronis vim inferre, aliáque plurima nefanda agere, quæ eidem & ſuis commilitonibus dictitabat animus, libertate hæreticâ depravatus. Similia ſequenti die Telgeti ac Wolbecæ; & rurſus poſtridie Warendorpii, Ewerswinckelæ, aliísque in locis vicinis perpetrârunt, multis etiam captivis unà ſecum abreptis. Indè porrò in Hauſewinckel & Marienfeld progreſſi, quaquaversum triſtiſſima ſuæ rapacitatis ac truculentiæ Calvinianæ veſtigia reliquêre. Et quidem in pago Hauſewinckel, præter alia complura ſcelera, etiam fontem ſacrum ſeu baptiſmalem fœdiſſimè conſpurcârunt: Marienfeldiæ verò (ubi inſigne monaſterium ſacri Ordinis Ciſtertienſis eſt) non ſolùm in ſacramenta & religioſas Divorum imagines; verùm etiam in ipſósmet monachos, tametſi innocuos & culpæ nullius reos, immani furore debacchati ſunt. Hinc ſpoliis opimis hilares, & nondum ſaturi, in Epiſcopatum noſtrum Paderbornenſem involant: ac die trigeſimâ Decembris, in Dominica, tam improviſo Delbrugiam ingrediuntur, ut priùs illic pedem infortunatum fixerint, quàm rumor aliquis de eorum adventu percrebeſceret.

Eâque miſere direptâ & ſpoliatâ, *Haræus ad hunc annũ.*

procedunt etiam in Diœceſin Paderbornenſem. *Haræus ib. Klockner in hiſt. Paderb.*

Conſternatus eo nuntio Theodorus Epiſcopus repentè fugit Neuhuſio; recepítque ſe in alia tutiora loca, ubi ab hoſte vicino magìs cuſtoditus eſſet. Arx enim Neuhuſana propter inchoatam hoc anno fabricam jacebat ex omni parte patula: & ipſámet urbs Paderborna tanto in angore ac tremore verſabatur, ut, ſi illuc veniſſent Batavi, fortè cives heterodoxi diductis, laxatísque portis eoſdem fuiſſent excepturi; præſertim cùm inſuetum iſtud Harpyjarum genus nondum penitùs & ex ungue nôſſent. At, quia hæc amborum locorum habitudo Batavicis harpagonibus ignota erat; ſequenti die (quæ erat ultima Decembris) poſt expilatam Delbrugiam proceſſerunt in Anreppen, Scharmede, Bentfeld, Elſen: indéque (relictâ à ſiniſtris Neuhuſiâ ac Paderbornâ) in Wewer, Oberen-Türpke, Niederen-Türpke, Haren, Brencken, & Bôdeken. Quas autem inſolentias in híſce pagis exercuerint; facilius eſt cogita-

Ubi poſtquam toto biduo fœdiſſimè graſſati eſſent; *Klockner in hiſt. Paderb. mſ. ad hunc annum.*

gitare, quàm verbo & scriptis exprimere. Nam ut omittam ea, quæ magis vulgaria sunt; in pago Wewer viro Nobili Domino Arnoldo à Brencken plurimum damni intulêre in diripiendis veteribus literis, vasis argenteis, aliísque cimeliis pretiosis. In Bôdeken, ubi insigne monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini est, præter ablatos Ecclesiæ thesauros rapuerunt simul ac dispersiderunt annonam omnem & frumenta, in annum proximum reposita. In Oberen-Türpke, & universim in locis omnibus ità percursis, equos optimos in prædam abduxêre, multa ædificia injectis ignibus exusserê, plebem rusticanam barbarum in modum afflixêre, puellas ac mulieres per summam libidinem violenter oppressêre; & (quia in prædatoriis hujusmodi cohortibus non pauci erant natione Angli) nullum penè flagitium tam atrox & immane fuit, quod Anglicanâ licentiâ non auderent.

Annus Christi 1591.

GREGORII XIV. Pontificis	1.
INNOCENTII IX. Pontificis	1.
RUDOLPHI II. Imperat.	15. & 16.
THEODORI Episc. Paderb.	6. & 7.

KAlendis Januarii prædones Hollandici, de quibus modò loqui cœperam, cum Oberstеinio ductore suo retraxerunt se ex Diœcesi nostra in Angariam seu Ducatum Westphaliæ; spoliatísque pagis obviis perrexerunt Gesekam, Diœcesis Colonienſis urbem eo tempore non ignobilem, satísque præmunitam. Ibi verò, cùm è portis excludi facillimè potuissent, haud ægre tamen in urbem admissi sunt adminiculo multorum civium Calvinisticorum, & adhuc faventium Truchsesio, quondam Antistiti suo; cujus nomine prædatoriam hanc invasionem institutam & adornatam esse, testatur * Metrius. At brevi didicêre iidem cives, quos amicos & mutatæ Religionis consortes habeant. Etenim ingratissimi hospites illi, qui ante ingressum polliciti fuerant, se unâ tantùm alterâve nocte ibidem sinè noxa perstituros; intrà portas improvidè recepti, quatuordecim diebus integris eam urbem veluti captivam retinuêre: atque interea temporis in cives omnes absque omni Religionis discrimine sic debacchati sunt, ut sole clariùs appareret, eos non ad promovendam suæ Religionis novitatem; sed tantùm spoliorum auferendorum causâ in Westphaliam advenisse. Gelenius à Meriano citatus asserit, in hac irruptione tumbam auream

Retraxerunt se ad urbem Gesekam in Ducatu Westphaliæ: *Klockner ibidem ad ann. 1591.*

* *Metrius ap. Haræū in annal. Brab. ad ann. 1590.* quæ ab iis truculentissimè habita, penitúsque diserepta est. *Klockn ad ann. 1591.*

ream, quæ S. Cyriaci ejusdem urbis patroni ossa includebat, ab Oberstеinio sublatam esse. Neque tamen id satis fuit inexplebili istarum belluarum rapacitati. Nam, ut miseris hominibus pecunias omnes usque ad extremum obolum extorquerent, alios diris funibus velut in equuleo distendebant, alios vestibus detractis nudos ustulandi causâ ad ignitas ædium suarum fornaces apprimebant, alios verubus alligatos ad focum domesticum lento igne torrebant, alios alio cruciatuum genere tam diu excarnificabant, usque dum ab iis omne aurum, argentúmque extunderent. Præterea violatæ in aspectu maritorum conjuges, defloratæ in oculis parentum virgines, discerpta secularium Canonicarum Gesekensium privilegia, laceratæ veteres urbis & Capituli tabulæ, profanata templa, pessundata altaria; &, ùt homines fide digni retulêre, ipse fons baptismalis in Ecclesia S. Petri (sit verbo venia) humano stercore deturpatus.

Diœcesis Paderbornensis novâ eorum incursionem redimunt undecim millibus imperialiũ. *Klockn. ib. Haræus ad annũ 1590.*

Eadem comminati sunt non solùm reliquo Ducatui Westphaliæ; sed etiam vicino Episcopatui nostro Paderbornensi, cui denuo ex urbe Geseka per ferales literas denuntiârunt, nisì ulteriorem vexationem & evastationem pecuniis redimat, propediem se redituros, longéque tristiùs per totam Diœcesin grassaturos, quàm in primo transcursu fecerint. Neque dubium est, quin ejusmodi minas diabolico furore suo fuissent executuri, nisì Ordines Diœcesani (quos vulgò nominant *Status Patriæ*) per selectos viros cum iisdem transegissent in urbe Geseka, de numerandis unâ vice undecim millibus dalerorum Imperialium. Quibus acceptis (cùm & Ducatûs Westphaliæ Proceres adhuc alia octodecim millia ad redimendam provinciæ totius populationem addidissent) funestissimi hospites illi tandem adulto mense Januario discedunt Gesekâ; repetúntque Diœcesin Monasterienſem, unde venerant, eandem ampliùs, quàm paulò antè, vexaturi. Id autem ut faciliori negotio ab iisdem fieret, statim in adventu suo occupant Wolbekam oppidum, & castrum Schônefliet: simúlque in ambobus locis tam diu se præmuniunt ad agendas ubique prædas & spolia, donec istius etiam Diœcesis Ordines magno ære deprompto sanguinarii militis abscessum emerent. Neque mitior fortuna fuit propinqui Episcopatûs Osnabrugensis; ad quem accipitres isti post emunctos Monasterienſium subditorum loculos devolârunt. Nam & ibi præter alia nefanda plurima, quæ in aliis Episcopatibus Obersteinii Cõmitis imperio fecerant, quarto Idus Maji Ösedense monasterium virginum unà cum Ecclesia & sacrario funditus exhausêre: dubiúmque non est, quin & cetera monasteria eodem infortunio pressa fuerint, nisì oblatis pecuniis funestam hanc direptionem à se averterint.

Ducatus Westphaliæ octodecim millibus. *auct. iidem*

Indè verò, percursâ iterũ Diœcesi Monasterienſi & Osnabrugensi redeunt in Geldriam: *Chytræ⁹ ad annũ 1590. Haræus ad eund. ann. chron. Monast. ms.*

terint. At brevi didicit prædonum istorum ductor Oberstteinius, quàm verè dictum sit à veteribus: *Dii laneos habent pedes, at ferreas manus.* Cùm enim, exeunte Majo, adjuvandæ Zutphanienſis obsidionis causâ rediîſſet ad Hollandos; in primo ad hanc urbem adventu statim globo tormentario percussus obiît, priusquam spoliorum suorum dulcedinem penitiùs degustâſſet. *Stulte! sic repetunt animam tuam à te: et, quæ parâſti, cujus erunt?*

Ubi Comes Oberſteini ipſorum ductor, poſt paucos dies globo tormentario percuſſus obiît ante Zutphaniã.

Ceterùm hoc anno Batavi, duce Mauritio Arausicano, fortunam sibi maximè faventem experti sunt in bello contra Hispanos gesto. Nam præter Zutphaniam, die vicesimâ octavâ Maji ab Hispanis deditam, occupârunt insuper Daventriam in Transisalania, Hulstum in Flandria, & Neomagum in Geldria: urbes omni ex parte præclarissimas, & ad promovendum belli cursum loco admodum opportuno sitas. Mirabantur quidem plures Catholici, quid causæ esset, quòd Alexander Farnesius ista permitteret; neque plùs industriæ præ se ferret in conservandis, liberandísque prædictis urbibus? At huic fortissimo Principi id temporis non solùm belli nervus deerat; sed etiam rerum prospere gerendarum animus: cùm & pecunias pro conscribendis, alendísque militibus non acciperet ex Hispania; & breves copias, quas habebat, juberetur iterum in expeditionem Gallicam reservare. Qua ex re, & simul ex evidenti periculo amittendi urbes à se hactenus tanto cum labore & sudore partas, in eam corporis animíque ægritudinem incidit; ut mense Augusto curandæ valetudinis causâ ad Spadanum fontem proficiſci, atque istic medicinalibus undis atram bilem expurgare coactus fuerit. Indè viribus aliquantulùm restauratis in Belgium rediît, militem collegit, exercitum recensuit, ac tandem, uti jussus erat, lentis itineribus in Galliam traduxit, fœderatis Catholicis contra infestas hæretici Regis machinationes auxilium præstiturus. Id autem quàm bellè ac feliciter ab hoc bellatore invictissimo effectum fuerit, sequenti anno declarabitur.

Haræus ad ann. 1591. Hollandi Zutphaniã, Daventriã, Hulſtam, & Neomagũ, Hiſpanis eripiunt: ſed ſinè culpa Alexandri Farneſii, qui & æger erat & militem ſuum reſervare jubebatur in expeditionem Gallicam.

Haræus in ann. brab.

Interea Diœcesis Osnabrugensis eodem ipso tempore, quo Comes Oberstteinius Westphaliam divexabat, in mœrorem & luctum præcipitata erat ex inopina morte Episcopi sui Bernardi Comitis de Waldeck; quem absoluto quinquennali regimine, undecima dies Martii è vivis abstulit. Professionem Fidei Catholicæ, quam initio sui Pontificatûs ex præscripto concilii Tridentini edidit, jam suprà vidimus ad annum 1585: atque idcirco etiam à Sede Apostolica legitimè confirmatus erat; uti docent Osnabrugenses literæ de anno 1590, in quibus apertissimè nominatur *Postulatus et Confirmatus Ecclesiæ Osnabrugensis.* Vacantem ipsius cathedram affectabant *è Principibus Lutheranis, Joannes Adolphus Holsatiæ Dux, Archiepi-

Moritur Bernardus de Waldeck Epiſcopus Oſnabrugenſis, princeps Catholicus.

Chytræus & mſs. Oſnabr.

**ex mſs. Oſnabr.*

chiepiscopus Bremensis; & Philippus Sigismundus Dux Brunsvicensis, Verdensi cathedræ jam antè impositus: è Catholicis verò Theodorus Fürstenbergius Episcopus Paderbornensis, & Antonius Comes de Schawenburg Episcopus Mindensis; quibus etiam favebat mandatum Rudolphi Imperatoris de non surrogando alio, quàm viro probè Catholico. Subinde quatuor è Majoris Ecclesiæ Canonicis adhærebant firmiter præcepto Cæsaris; ideóque palàm protestati sunt, se nunquam esse consensuros in postulationem Principis heterodoxi. Alii verò, etiam Catholici, potiora vota conferebant in Philippum Sigismundum, de quo suprà diximus; putabántque, se facti illius innocentiam Papæ & Cæsari probaturos ex hujusmodi causis: nimirum, *quòd afflictis hisce temporibus contra Hispanos et Batavos, per Westphaliam grassari solitos, indigerent potenti Principe, qui Osnabrugensem Diœcesin à prædonum istorum incursionibus tueri possit: quòd ejusmodi Principem ad regendam Ecclesiam suam postulaverint, qui re verâ sit optimæ indolis, nec à Fide et Religione Catholica multùm aversus; imò qui et ejus amplectendæ spem sibi non parvam fecerit: postremò, quòd principali fide sibi ab eodem Postulato promissum fuerit, se in moderno Religionis Catholicæ statu nihil penitùs novaturum; neque priùs ad Osnabrugensis Ecclesiæ gubernationem accessurum esse, quàm à summo Pontifice legitimas suæ confirmationis tabulas exhibuerit.* Atque utinam huic ultimæ conditioni, quæ Recessui postulationis disertè ac nominatim inserta erat, constanter inhæsum foret! sed contrarium accidit, non sinè postulantium culpa & mutabilitate. Hi enim, cùm post aliquot menses animadverterent, confirmationem Postulati in Romana curia multis difficultatibus intricari; avertendorum (ùt inquiebant) graviorum periculorum causâ, Diœcesanam administrationem ei tradidêre. Ac, ne idcirco ullam Cæsaris aut summi Pontificis offensam incurrere posse viderentur, non modò solenni ritu protestati sunt, se per hujusmodi facinus potestati Cæsaris ac Pontificis nihil penitùs derogatum velle; sed etiam à Postulato novam sponsionem recepêre de abdicando protinus Episcopatu, si Romana Sedes postulationem de se factam rejiceret. Ùti constat ex ejusdem Postulati literis, quarum finis est. *Datum et actum in arce nostra Diepenavienst, anno post nativitatem Christi Domini et Salvatoris nostri millesimo quingentesimo nonagesimo primo, die 22 mensis Augusti. Philippus Sigismundus Dei gratiâ postulatus Episcopus Osnabrugensis et Verdensis etc.* Quid autem hinc postea consecutum fuerit, per decursum anni explicabitur.

In cujus locum postulatur Lutheranus, Philippus Sigismund⁹ Dux Brunsvicensis:

qui Capitulo spem inanem fecerat suæ conversionis, & securturæ confirmationis Pontificiæ,

Eidem gubernatio Diœcesis traditur, non adeptâ confirmatione.

Ex Reversali (ùt ajunt) Philippi Sigismundi: quod habetur in Osnabrugensi archivo.

Warburgi in Episcopatu Paderbornensi ad

Feliciore passu res Catholica procedebat in Episcopatu nostro sub Theodoro Antistite; qui hoc anno ferè totam urbem Warburgensem ad Romana sacra redeuntem vidit; auspicio & operâ Domini

mini Herboldi à Geismar, viri Nobilis, & urbis ejusdem consulis laudatissimi. Is, cùm ex erroribus Lutheranis Paderbornensium Jesuitarum adminiculo se extricâsset, nequaquam satìs habuit salutem propriam in tuto collocâsse; verùm etiam singulari studio ac solicitudine connixus est, cives alios Luthero, Calvinóque deditos in eandem salutis viam revocare. Id autem ut expeditiùs & quasi gradatim obtineret, à rebus facilioribus initium duxit: primúmque studuit, ludimagistrum Calvinianum propter querelas varias ab officio dejicere; & virum alium syncerè Catholicum, qui in scholis nostris præclarissimè excultus erat, in ejus locum surrogare. Quod cùm ei prospere cecidisset; confestim apparuit, quantum intersit inter ludimagistrum Catholicum & heterodoxum. Adolescentes enim studiosi, qui priùs dyscoli & ab omni pietatis cultu alieni fuerant, evoluto trimestri spatio repentè visi sunt mores planè alios induere, pietatem colere, signo crucis frontem ornare, catechismos hæreticos abjicere, singularem in templis reverentiam exhibere: verbo talem in suis actibus modestiam ac verecundiam præ se ferre, ut Lutheranus ludimagister secundarius (quem vulgò *Conrectorem* appellabant) visâ morum disparitate, sum quoque magisterium sponte abdicârit; alteríque itidem Catholico, & in scholis nostris instituto, locum dederit. Reformatis hoc modo ludis literariis, adhuc magìs creverunt Herboldo animi; novóque Fidei Romanæ zelo pientissimè in id incubuit, ut & primarium urbis Pastorem ejiceret, hominem apostatam, & è Catholico sacerdote Calvinistam pessimum. Neque ad hoc opus erat magno molimine. Cùm enim hic apostata simul in scortationibus, actibúsque lenoniis assiduè se volutaret, Herboldus omnia ipsius crimina in breve compendium traxit; eáque, luculentissimis testimoniis declarata, Celsissimo Principi Theodoro Fürstenbergio per supplicem libellum obtulit: enixè rogans & obsecrans, ut scelus istud è Pastorali cathedra profligare, aliúmque doctorem Catholicum eidem substituere quàm primùm velit. Consensit illico zelosissimus Princeps tam sanctæ huic petitioni. Et ex eo tempore Catholica Religio, partim indefessâ parochorum curâ, partim laudatissimis ejusdem Geismarii exemplis & hortatibus, ibidem ità incepit reflorescere, ut verè & sinè fuco dici queat, Warburgensem* urbem Geismarianæ familiæ potissimùm debere, quòd ad Romanæ Ecclesiæ gremium reducta, & in eodem conservata fuerit.

Fidem Catholicam à Jesuitis convertitur Hermann⁹ à Geismar: *Hist. Collegii Paderb. Annuæ ejusdem Colleg.*

Qui paulò pòst, ejectis ludimagistris & Prædicante heterodoxo, totam penè urbem reduxit ad Catholicam Religionem. *ex eadem hist. & literis annuis.*

**hist. Colleg. Paderborn. ad hunc ann.*

Paderbornæ etiam hoc anno multa, ad Religionem promovendam utilissima, à Societatis JESU Patribus perpetrata legimus. At, quia minutiora sunt, quàm ut annalibus Diœcesanis mereantur

inferi; brevitatis consequendæ studio ea sponte præterimus, & hunc annum claudimus geminato Pontificum Romanorum funere. Primum est Gregorii XIV; qui, postquam à Decembri superioris anni Romanæ Ecclesiæ præsedisset, Idibus Octobris diem extremum clausit, sepultus in Gregoriano sacello Basilicæ Vaticanæ. Alterum fuit successoris ejus, Innocentii IX: qui cùm electus esset die trigesimâ Octobris, dictúsque antea Antonius Fachinetti; post breve mensium duorum regimen die trigesimâ Decembris vitam simul & Pontificatum exuit. Huic deinde sub initium sequentis anni, communi Patrum Purpuratorum calculo surrogatus est Clemens VIII, antea dictus Hippolytus de Aldobrandinis, electus die trigesimâ Januarii, & coronatus die 9. Februarii: vir, ùt inquit Spondanus, qui omni ætate suâ in diversis muneribus egregium prudentiæ, probitatis ac justitiæ specimen exhibuerat.

Gregorius XIV. Papa moritur *Spond. n. 11*

Succedit Innocentio IX: & huic sub anni finem defuncto Clemens VIII, electus die 30 Januarii sequentis anni. *Spond. hic n. 14.*

Annus Christi 1592.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 1.
RUDOLPHI II. Imperat. 16. & 17.
THEODORI Episc. Paderb. 7. & 8.

ANnum hunc suæ vitæ ultimum, Alexander Farnesius clausit insigni facinore; quo Henricum Navarrum, Regis Galliæ successorem hæreticum, à Rothomago iteratis vicibus obsesso depulit. Urbem hanc Navarrus coronâ militari circumdare cœperat sub finem anni superioris, die undecimâ Novembris, in festo S. Martini. Ac, tametsi milites præsidiarii unà cum civibus fortissimè se defenderent, multitudini tamen hostium circumfusorum tandem cedere, manúsque victas porrigere debuissent; nisi Alexander Farnesius, à Rege Philippo jussus, in eorum auxilium advolâsset. Ferebat hic secum, teste Haræo, circitèr quindecies mille pedites, & quater mille equites, diuturno Marte probatissimos. Quos ubi exeunte Januario conjunxisset cum duce Mayennio, aliísque copiis Gallicanis & Pontificiis; ausus est Navarrus, eidem usque ad Aumaliam oppidum cum exercitûs sui parte in Picardorum finibus occurrere, & Nonis Februarii prælio inopino congredi. Sed majori temeritate ac præfidentiâ; quàm fortitudine. Etenim Farnesius, consilio & robore armorum potior, non modò eum cum insigni clade in fugam repulit; sed etiam in tales angustias adegit, ut leviori vulnere perstrictus, penéque captus, illapsæ noctis beneficio ægerrimè se in silvam proximam subduxerit. Nec multò pòst Villarsius, urbis

Farnesius in Gallias proficiscitur ad solvendam obsidionē Rothomagensem, à Navarro cœptam: *Haræus in ann. brab Spond. hic n. 6.*

Navarrum in via sibi occurrentē profligat, *Auctores iidem.*

bis Rothomagensis gubernator, cum selectis præsidiariorum suorum copiis improvisò in obsidentes irruit, quingentos eorum Navarro absente cædit, centum alios*captivos ducit, pulverem tormentarium incendio perdit, munimenta diruit, tentoria inflammat, plura tormenta bellica vel in urbem devehit, vel clavis impactis feliciter obturat. Quo audito Farnesius, qui non procul ab urbe obsessa aberat, convocato ducum sociorum concilio: *Eja,* inquit, *ô socii! jam tempus est invadendi castra, quæ adhuc supersunt ante urbem! Abest Rex cum præcipuis equitibus: Bironius, vicem illius gerens, ex vulnere ab erumpentibus accepto, sub manibus chirurgorum jacet: reliquus miles, qui adhuc ante urbem hæret, recenti casu ità perculsus est, ut à nobis facilè profligari aut fundi queat. Agite ergo, et in eos mecum irruite, priusquam animos ex Regis adventu colligant! vicimus, si in hostem imus.* At Mayennius, sacri fœderis ac fœderatorum primarius dux (cùm timeret, ne profligato Navarro universa Francia penès Hispanum esset) manibus, pedibúsque, ùt ajunt, salutare illud consilium aversabatur, inquiens: *pugnæ aleam non temere tentandam esse ob incertos ejusmodi exitus. Finem hujus expeditionis haud alium fuisse, quàm ut succurreretur obsessis. Id cùm à se jam satis effectum crederet; nihil aliud superesse, quàm ut in urbem una ex parte patulam immittatur novus miles cum sufficiente stipendio. Reliquum exercitum usque in urgentiora tempora salvum et integrum reduci oportere.* Conticuit ad hæc Farnesius, contra torrentem niti non ausus. Et quia consilii istius imprudentiam clarissimè pervidebat; in Flandriam se reverti simulans, lentissimis itineribus Picardiam pertransibat, ut interea videret finem. Vix autem ibi paululùm conquieverat, cùm iterum diversis cursoribus ad se missis edocetur, Navarrum cognito Hispanorum abitu ad obsidionem Rothomagensem rediisse, urbem longè acriùs, quàm priori vice ab eodem premi, & Villarsium gubernatorem, jam deperdito præsidiariorum suorum flore, per literas indicâsse: *nisi intrà octiduum adjuvetur, necessariò se coactum iri, ut urbem Navarro dederet.* Tum verò Farnesius, Mayennii reluctantiam hoc modo castigatam gaudens, continuò relegit iter: & inopinatâ celeritate suâ (nam intrà quatriduum circitèr cum suis iterum ante Rothomagum constitit) Navarrum ità perterruit, ut solutâ protinus obsidione, exercitum suum die vigesimâ Aprilis in securiora loca traduxerit. Suadebat hîc iterum Farnesius, fugitivo Regi totis viribus insisti oportere. Sed quia id iterum recusabat Mayennius; cum eo simul castra movit ad urbem *Calidobecam, septem ferè leucis Gallicis infra Rothomagum sitam: quam & intrà dies paucos ad celerem deditionem compulit, ibidem vulnere ad brachium accepto non leviter sauciatus. Neque tamen

*Busser. hist. Franc. l. 22. n. 20.

Exercitûs Navarrici reliquias ante Rothomagum invasurus, retrahitur à duce Mayennio.

Spond. n. 6. Busser. loc. cit.

Navarrus, recedente Farnesio, resumit obsidionem Rothomagi.

Spond. n. 7. Busser. ib. n. 21.

Farnesius celerrimè redit,

Obsidionē felicissimè solvit, auct. iidem

*Gallicè Caude bec. & ante Calidobecam

à se captam sauciatus, iter in Belgium relegit. *Auctores iidem.*

tamen idcirco destitisset à bello contra Navarrum cœpto, nisi id ipsum impediîsset & corrupisset Mayennius: quem deinde semper in qualibet re sibi, suísque consiliis tam diu adversum habuit, usque dum innumeris tædiis, laboribúsque fessus, exeunte Majo in Belgium abiret.

Hollandi in Transisalasnia Stenovicum & Covordiã occupant. *Haræus in ann. brab.*

Interea magnum illic armorum silentium fuerat, Hollandis pariter ac Hispanis in eventum belli Gallici intentis. Neque etiam postea singulare quid actum est ab utraque parte, nisi quòd Hispani munitiores quasdam arces; Hollandi verò in Transisalania Stenovicum & Covordiam ceperint. Utrumque hunc locum libentissimè servâsset Farnesius ad protegendam ac defendendam Frisiam. Sed modernæ rerum ac temporum circumstantiæ non sinebant eis auxilium ferre: tum quòd militem à Gallicanis expeditionibus oppidò fatigatum sciret; tum quòd adhuc aliam expeditionem in Gallias adornaret, in qua solus ipse contra Navarrum agere, nec ampliùs à Mayennii voluntate vel imperio pendere voluit.

Farnesius, novam expeditionem in Gallias parans, graviori morbo oppressus moritur Atrebati. *Spond. n. 9. Haræus loc. cit.*

Jámque eum in finem die 13 Novembris Bruxellensi ex urbe discesserat Atrebatum, corpore quidem æger; sed animo fortiore adhuc pristinam valetudinem illic è Spadanarum aquarum potu exspectans: cùm, eheu! in ipsis Kalendis Decembribus repentè morbo graviore tangitur; biduóque pòst, nimirum die tertiâ Decembris, magno urbis & omnium Catholicorum luctu in vitam aliam evocatur, anno ætatis quadragesimo septimo. Hic ergo finis, hic vitæ epilogus est MAGNI pridem ALEXANDRI FARNESII, Parmæ ac Placentiæ Ducis: *qui*, ùt verissimè scribit Haræus, *universum Belgium pacare, et Regi suo restituere potuisset, nî Catholicam in Regno Gallia Fidem magni Ducis operâ tueri; quàm suas sibi provincias denuo acquirere, Rex verè Catholicus maluisset.*

Wilhelm⁹, Juliæ, & Cliviæ dux Catholicus moritur. **Teschenm. part. 2. annal. p. 342.* **chron. Trem. mſ.*

Idem hic annus multis aliis Principibus moriendi necessitatem imposuit, è quorum numero tres potissimùm ad annalium nostrorum historiam pertinent. Primus est Wilhelmus, Juliæ, Cliviæ, & Montium Dux, quem Teschenmacherus* die vicesimâ quintâ; alii verò die sextâ Januarii defunctum asserunt. Inter innumeras laudes hujus optimi senis (erat enim annorum septuaginta sex) illud in primis rarum ac penè singulare est, quòd inter omnes istorum temporum vicissitudines constanter perseveraverit in antiqua Fide Romano-Catholica; eámque filio & successori suo Joanni Wilhelmo, olim Ecclesiæ Monasterienſis Administratori, velut hæreditatem præstantissimam consignaverit.

Item Joannes Casimirus Comes Palatinus, Catholicã Fidem extirpare frustra conatus.

Alter ipsorum est Joannes Casimirus Comes Palatinus, Ludovici quondam Electoris Palatini frater, & acerrimus omnium Calvinistarum patronus ac defensor. Juraverat hic teste Klocknero scriptore synchro-

no,

no, se pro suis viribus conniturum semper, ut Papatus, & quidquid Catholici nominis adhuc supererat, ex imis radicibus extirpetur. Neque etiam hac in re, quantum in ipso erat, ullam industriæ suæ partem prætermisit. Nam & Hugonottis in Gallia, & Geusiis in Hollandia, & Gebhardo Truchsesio in Archiepiscopatu Colonienſi, auxilia non parva ad Catholicos opprimendos contulit. At, priusquam illud animi sui votum expleri cerneret, ad umbras defunctorum abire debuit, & experiri dictum istud Pontificium: *Niteris in cassum navem subvertere Petri! Fluctuat; at nunquam mergitur ista ratis.* Tertius è Principibus antè dictis fuit Wilhelmus Hassiæ Landgravius, Philippi Landgravii filius, Religione Lutheranus. Et hic pariter gloriatus fuerat, se exemplo sui patris, qui primus Lutheri doctrinam in suas terras introduxerat, Religioni Catholicæ nuntium remisisse, uti constat ex his verbis* in ejus epitaphio positis: *Vincla Petri demo, pacem colo, mœnia condo etc.* Sed eho! quousque nova hæc Lutheri doctrina (quam ipsi purum putúmque Dei verbum appellaverant) in Hassia Cassellana perstitit? Certè non multò longiùs, quàm hoc anno. Mauritius enim, filius ejus unicus, relicto Luthero & confessione Augustanâ ad Calvini partes accessit; iisque tanta cum pertinacia se addixit, ut omnes tandem Lutherani Evangelii sectatores & magistros è suis provinciis emigrare jusserit, quemadmodum suo loco prolixiùs explicabitur.

Item Wilhelmus Hassiæ Landgravius Lutheranus. *Dilich. in chron. Hassiæ.* *Klockner in hist. Paderb. ms.* Mauritius ejusdem filius & successor, ejectâ Religione Lutheranâ, introducit Calvinismum. *Klockn. ib.*

Inter hæc Principum diversorum funera, singulari providentiâ conservabat Deus glorioſissimum Principem nostrum, Theodorum Fürstenbergium; verè talem! quem æterno hujus Diœcesis emolumento natum, atque ad hanc infulam singulariter à Deo præordinatum esse, fateatur omnis posteritas. Etenim à primordio sui regiminis nullum ferè annum præterlabi vel abire passus est sinè excellenti aliquo in hanc Diœcesin collato beneficio: sive illud consisteret in extinguendis patriæ obæratæ debitis, sive in redimendis domibus vel satrapiis olim oppigneratis, sive in excitandis magnificis arcibus, castrísque Episcopalibus, sive in aliis operibus publicis Religioni & Ecclesiæ profuturis. Inter hæc autem non infimo loco numerandum est collegium Societatis JESU Paderbornæ; cujus erigendi & fundandi initium hoc anno fecit, non sinè maximo civium Lutheranorum fremitu & indignatione. Locum inchoando huic operi convenientissimum exhibebat in urbe vetus ac desertum ab annis pluribus monasterium Fratrum Conventualium S. Francisci: de cujus antiquitate id unum pro certo affirmari, & è veteribus monumentis evinci potest, ejusdem fabricam haud multis annis post S. Francisci tempora inchoatam &

Theodorus Ep. pro inchoando collegio Patrum Societatis JESU, emit Paderbornæ vet⁹ ac desertum cœnobium Fratrum Conventualium S. Francisci, *Hist. Collegii Paderb.* quod ibidē steterat à primis temporibus instituti Ordinis, *ex literis antiquis Eccl. Cath.*

con-

consummatam esse. Res enim indubitata est, religiosum hunc Ordinem prodiisse in orbem Christianum seculo Christi decimo tertio: & ex eodem illo seculo in Ecclesiæ nostræ Cathedralis archivo adhuc supersunt Papales literæ de anno 1289, per quas amplæ peccatorum suorum indulgentiæ conceduntur omnibus, qui Fratribus Minoritis liberalem operam & auxilium præstituri essent ad restaurationem cœnobii Paderbornensis, recente incendio perditi; uti meminit etiam Schatenius ad finem istius anni. Cùm autem postea funestissimis Lutheri temporibus multorum Religiosorum disciplina maximopere laxaretur; etiam in hoc Minoritarum cœnobio mores adeò dissoluti invaluêre, ut ibidem saltatriculæ civium Paderbornensium filiæ & ancillæ festivis, Dominicísq; diebus *liberrimè convenirent, in conviviis & nuptiis ibi habitis ad fides ac tibias tripudiaturæ. Unde paulatim contigit, ut monachi plurimi abjecto cucullo ad amplectendam Lutheri sectam pervolârint; alii verò in præsenti periculo starent eundem saltum attentandi. Nitebatur quidem Ordo religiosus hanc suorum insolentiam & libertatem coërcere. Sed quia plerisque eorum jam pruriebant ad apostatandum pedes; revocatis iis, quos ista lues nondum afflaverat, corruptissimi unius monasterii jacturam facere maluit, quàm diuturniori salutis & famæ amittendæ periculo suos exponere: præsertim cùm in hoc ævo tanta interdum esset probatorum Religiosorum paucitas, ut subinde his, qui ad Lutherum transfugiebant, haud facilè liceret alios tutò substituere.

*ex hist. Collegii.

Illúdque Patribus in usum Collegii futuri donat.

Post hæc monasterium illud, à suis derelictum, in hac urbe variam fortunam subiit. In primis enim compluribus annis desolatum & ab omni cultore destitutum jacuit; non secùs, ac si adhuc in incerto esset, cui Domino tandem obvenire debeat. Deinde Salentinus Episcopus anno 1577 post longæ vacationis miserias applicuit illud novo scholarum grammaticarum gymnasio, quod Salentinianum appellabant; statuítque, ut omnia illius bona & reditus ludimagistris & præceptoribus in partem suorum stipendiorum cederent. Quinquennio pòst (nimirum anno 1582 in Dominica *Quasi modò geniti*) Salentinianarum scholarum provisores, majoris emolumenti & redituum augendorum causâ, structuram ejus & pomarium * cum omni libertate annexa bis millenis imperialibus monetæ gravis vendiderunt Perillustri Domino Elmerhusio ab Haxthausen, viro Nobili & Lutherano. Ab hoc denique, vel (ut rectiùs loquar) ab ejusdem jam defuncti filiis, Georgio, Godeschalco, Hermanno, & Elmerhusio fratribus Haxthusianis, Theodorus Episcopus præsenti hoc anno vetus illud monasterium redemit & vindicavit, repensis bis mille & quadringentis imperialibus. Nec

*literæ in archivo Collegii.

multò

multò pòst, nimirum sexto Idus Julii, illud ipsum Patri Claudio Aquavivæ Societatis JESU Generali in usum collegii futuri obtulit hísce literis, omni pietatis ac Religionis affectu refertissimis:

THeodorus, *Dei gratiâ Episcopus Paderbornensis, universis et cunctis præsentes literas inspecturis, vel legi audituris, salutem in Domino. Postquam à divina providentia ad Episcopale munus, hoc exulceratissimo seculo, et undequaque Ecclesiæ Christi Catholicæ impendentibus calamitatibus, vocatos nos esse cognovimus, et illius pondus, quasi gravem sarcinam, persentiscere cœpimus; nihil nos magìs sollicitos tenuit, quàm ut divinæ vocationi, quo ad fieri potuit, respondentes, consilia caperemus, quâ ratione potissimùm, ab ipsis quasi fundamentis, labascenti penitùs Religioni Catholicæ in his Westphaliæ partibus succurreremus: certissimè persuasi, fore, ut cum hac in pristinum statum reducta, patriæ felicitas simul quasi postliminio revocetur. Quæ cogitatio cùm nos sollicitos plurimùm teneret, nihil conducibilius fore duximus, quàm si juxta S. Tridentini concilii decreta operam daremus, ut, quæ ad teneræ juventutis, tanquam reipublicæ Christianæ sementis, institutionem et conciones ad populum pertinent, integra in Diœcesi nostra constarent in posterum: quòd exploratissimum esset, hinc nos optimorum civium et Pastorum felicissimum seminarium rectiùs exorsuros. Quando itaque oculos nostros et cogitationes has convertimus in Patres Societatis JESU (quos jam diu noveramus, antequam ad Episcopatum provecti fuimus, ùt in aliis Christiani orbis partibus; ità in civitate nostra Paderbornensi strenuam operam in hac re multis annis professos esse) *in ædibus admodum incommodis, et sinè publico templo, atque idoneis scholis, tanquam ipsorum industriæ necessariis officinis degere; sæpius exoptavimus, illis prospectum esse meliùs, quò majores fructus tam in instituenda juventute, quàm reducendis civibus nostris, hæresi prô dolor! plurimùm infectis, facerent. Quo* desiderio nostro ut tandem aliquando satisfiat, cum consensu et approbatione Capituli nostri Majoris Ecclesiæ, templum et monasterii Fratrum Minorum Conventualium ruinas potiùs, quàm monasterium (utpote quod à duodecim circitèr annis à Fratribus planè desertum, et ex parte ab Antecessore nostro Salentino *Nobilibus viris ab Haxthausen dictis, antequam planè collabascret, eo fine vendi permissum, ut ex eo pretio Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis scholæ Professorum salaria tenuia nimìs augerentur) sumptibus nostris à dictis Nobilibus recuperata, et in Ecclesiasticum usum vindicata, Societatis JESU Residentiæ, quæ Paderbornæ est, donare ac incorporare decrevimus: pro ùt per præsentes literas, cum omnibus appertinentiis suis et terminis, Reverendo Patri Claudio Aquavivæ, prædictæ Societatis JESU pro tempore Generali, pleno jure, et secundùm ejusdem Societatis constitutiones, libere offerimus, donamus, et incorporamus: optimè de divina bonitate confisi, fore aliquando, ut hoc loco commodas sedes, ac tam nostrâ et Capituli nostri*

*videtur hic aliquid omissum, videlicet hæc duo verba: vidimúsq; eos in ædib° &c.

*Quo, rectiùs lege, cui desiderio

*imò, non à Salentino sed à scholarum Provisoribus, olim à Salentino constitutis, utì habent originales literæ.

nostri, quàm aliorum piorum hominum liberalitate, auxilio, atque consilio, integrum collegium constituant: ex quo uberrimus in Diœcesim nostram fructus spiritualis proveniat. In cujus rei fidem et evidens testimonium has literas nostras præsentes, propriâ manu subscriptas, sigillo communivimus. Datæ 10 *Julii, Anno incarnationis millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, ex arce nostra Newhausen.*

Donationē hanc eodem anno confirmat Clemens VIII. Papa.

Donationem hanc, toti urbi ac Diœcesi nostræ utilissimam, Clemens VIII. Pontifex die vigesimâ quartâ Octobris lubentissimè confirmavit insigni diplomate; in quo præmissis iis, quæ in donatione Theodoriana continentur, ità sub finem pergit: *Nos piam mentem et intentionem tuam in Domino plurimùm commendantes, tuis hac in parte supplicationibus inclinati, donationem, incorporationem, et literas prædictas, ac omnia et singula in eis contenta, et indè secuta quæcunque, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium confirmamus et approbamus, illisque perpetuæ et inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac omnes et singulos tam juris quàm facti defectus, si qui intervenerint in eisdem, supplemus. Non obstantibus etc. Datum Romæ apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die XXIIII Octobris, MDLXXXXII. Pontificatûs nostri Anno primo.*

Philippus Sigismund⁹ Osnabrugi ante annum postulatus, frustra ad Fidem Catholicam solicitatur à Legatis Nuntii Apostolici. *ex manuscriptis Osnabrug.*

Dum autem hæc Paderbornæ & Romæ fierent, Philippus Sigismundus Dux Brunsvicensis (quem anno superiore ab Osnabrugensi Capitulo postulatum, & regimini gerendo admotum esse diximus) adhuc pergebat administrare Diœcesim illam, etiamsi nec à Romano Pontifice confirmationem accepisset, utì futurum sperarat; nec ullam illius accipiendæ spem haberet, nisì ad Fidem Catholicam se converteret. Id igitur ut perurgeret Nuntius Apostolicus, qui Coloniæ ad Rhenum inferiorem residere solet; obeundæ legationis causâ misit ad eum duos egregiæ doctrinæ viros, Jacobum Middendorpium Canonicum Colonienſem, & Petrum Michaëlem, cognomento Brillmacher, Monasterienſis Collegii Societatis JESU Rectorem primum. Hi à Philippo Sigismundo bis admissi, & ab eo perbenevolè habiti, post exhibitas publicæ Fidei & legationis literas, iterum iterúmque hortabantur, ut Catholicam Fidem, ab avo suo constantissimè defensam, recipere non detrectaret: alioqui certè non futurum, ut vel à Romano Pontifice confirmationem, quam petebat; vel à Rudolpho Cæsare consueta Principum Ecclesiasticorum Regalia consequeretur. Cùm autem hac in re diutiùs restitaret, neque tam subitò mentem suam ad hoc audendum inflectere posset propter alios respectus humanos; Wiedenbrugi die 19 Octobris rursùs illum perhumaniter aggressi fuêre, & saltem eò perducere conati, ut vel occultè & clanculum Romanæ Fidei professionem ederet: hac enim peractâ, confirma-

firmationem Pontificiam, quam solicitaverat, sinè dubio secuturam. Propè aberat, ut postremæ huic admonitioni consensum daret: Sed hærentem, & jam parantem obsequi, retraxit illico reverentia filialis erga matrem viduam Hedwigem Brandeburgicam, & prævisa indignatio sui fratris Henrici Julii Brunsvicensium Ducis, & intercessio repetita Lutheranæ Nobilitatis, oppidorúmque Diœcesis Osnabrugensis, qui præposterè verebantur, ne præclarissimus Princeps eâ fidei mutatione aliorum Principum heterodoxorum animos à se, suâque Diœcesi alienos faceret. Quare tandem hi Legati, viso rerum suarum successu irrito, receperunt se Osnabrugum ad Ecclesiæ Majoris Canonicos; culpatâque temeritate, quam in deligendo Principe Lutherano commisissent, eosdem iterum iterúmque per salutem suam rogavêre: darent operam, ut ipsi primùm firmissimo pede persisterent in antiqua Fide Romano-Catholica; deinde etiam, ut Postulatus nullum rei Catholicæ nocumentum afferret, atque (uti superiori anno se facturum promiserat) non obtentâ Papali confirmatione Episcopale regimen abdicaret. Primum ex his duobus libentissimè addixit Princeps. Ad alterum verò nec induci blanditiis potuit, nec severioribus verbis compelli, juxta vulgatum illud: *Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hospes.*

Legati, re infectâ reduces, Capitulum Osnabrugense hortantur ad constantiâ in antiqua Fide; & ad perurgenda ea, quæ promiserat Postulatus. *ex manuscriptis Osnabrug.*

Annus Christi 1593.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 2.
RUDOLPHI II. Imperat. 17. & 18.
THEODORI Episc. Paderb. 8. & 9.

EArnesio defuncto, rerum Belgicarum cura à Philippo Rege commissa est egregiis duobus belli ducibus, Petro Ernesto Comiti Mansfeldio, & Carolo ipsius filio. Priori demandatum, ut provinciarum Belgicarum gubernatorem ageret, donec à Rege alius cognati sanguinis & familiæ Princeps mitteretur: posteriori verò, ut Regalium copiarum, quæ in expeditionem Gallicam deducendæ, & à Farnesio jam dudum collectæ erant, supremam præfecturam gereret. Lætus eo Regis favore Carolus ineunte Januario se ad iter Gallicanum comparat; alteróque mense ad Mayennium veniens, Noviodunum urbem trium fere hebdomadarum spatio feliciter expugnat. Indè verò longiùs in ipsa Regni viscera progressurus, derepente omnem hujus belli scenam ex inopina rerum conversione sic immutatam reperit; ut militiæ inceptæ cursum

Petrus Ernestus Comes de Mansfeld constituitur gubernator Vicarius Belgii. Carolus ejusdem filius exercitum Hispanicum in Gallias ducit, & Noviodunum expugnat. *Hæræus ad annũ 1592. & 1593.*

Henricus Navarrus, viso rerum periculo, sese offert ad recipiendam Fidem Catholicã: *Spond hic n. 12. Bussier. l. 22. hist. Franc.* editâque ejusdem fidei professione publicâ, *vulgò S. Denis, oppidum Parisiis vicinum. *Bussier. loc. cit. Spond. hic n. 19.

sum inhibere, & velut obice injecto sistere necessum fuerit. Navarrus enim, cùm videret eventus belli incertos esse, jámque in comitiis Parisiensibus parari omnia ad Regem alium eligendum, nisi ejuratâ Calvini sectâ ad Fidem Romano-Catholicam se reciperet; improviso Numinis impulsu se ad eam recipiendam obtulit: eo primùm* argumento motus, quòd recenter à Ministrorum seu Prædicantium suorum pluribus accepisset, etiam Catholicos in sua Fide salvari posse; ideóque sibi tutiùs esse persuaderet, eam Religionem colere, quæ ambarum partium consensu, quàm quæ unius partis judicio tantùm, ad æternam animæ salutem duceret. Nec multò pòst, virorum doctissimorum institutioni se committens, & ab iis in rebus omnibus controversis diligentissimè informatus, die tandem vicesimâ quintâ Julii, in festo S. Jacobi Apostoli, apud S. Dionysium* haud procul ab urbe Parisina solennem Fidei Catholicæ professionem hoc modo edidit. Manè circa horam octavam Rex indutus veste candidâ cum oblongo nigri coloris pallio, præeuntibus* duodecim tubicinibus, multisque militibus, ministris, Proceribus, ac Principibus Regni, procedebat ad fores Ecclesiæ Sandionysianæ; intrà quas Archiepiscopus Bituricensis, Pontificali ornatu splendens, & ingenti multorum Præsulum ac sacerdotum coronâ cinctus, in elatiore sella stragulis albis instrata considebat. Ab eo Rex primùm interrogatus, quis esset, & quid expeteret? clarâ voce respondit, *se Regem esse, cupereque ab eo recipi in gremium sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, et Romanæ.* Quærenti mox iterum Archiepiscopo, an id seriò & ex corde syncero vellet? respondit iterum, *se id ità velle.* Statimque in genua procumbens, hanc fidei confessionem è charta manuscripta prælegit, & Bituricensi tradidit: *Ego Henricus, Dei gratiâ Rex Galliæ, profiteor ac juro coram Deo omnipotente, me vivere et mori velle in Religione Catholica, Apostolica, Romana, eámque protegere ac defendere adversùs omnes cum periculo sanguinis et vitæ meæ. Renuntio quoque omnibus hæresibus et erroribus contrariis sanctæ Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, Romanæ.* Quo peracto, ab hæresi absolutus, in Ecclesiam introductus, peccata sua Bituricensi confessus, ac demum inter sacrorum solennia divinissimo Eucharistiæ sacramento pientissimè refectus est. Mox etiam armorum induciæ usque ad finem hujus anni Regem inter & Mayennium constitutæ, cum bona spe secuturæ tandem pacis & concordiæ: quam, etsi optarent plurimi; alii tamen adhuc videbantur aversari, quòd eam Henrici Regis conversionem fictè solùm ac simulatè factam esse pertimescerent.

inducias armorum paciscitur cum Duce Mayennio.

Atque hæc etiam causa est, quare Carolus Mansfeldius unà cum Hispanico exercitu suo jussus fuerit, inter istas armorum inducias

ducias retinere pedem in Regno Galliæ. Nimirum, ut interea videret, quo sese res Gallorum ab ea Regis conversione verterent; &, si fortè bellum simulationis prætensæ metu à fœderatis continuandum foret, iisdem è vestigio necessariam opem & auxilium ferret. Quæ Catholici Regis consilia, tametsi ad orthodoxam Fidem in Regno Galliæ stabiliendam peridonea fuerint, in Belgio tamen compluribus provinciis Regi Hispano subditis non parùm nocumenti attulêre. Nam interea, dum Hispani in terris alienis considerent, Hollandi suis commodis intenti, non modò continuis invasionibus affligebant Frisiam; sed etiam in Hollandia meridionali Gertrudenbergam, situ & arte munitissimam, trimestri obsidione in suam potestatem redegêre. Ità ut his ultimis tribus annis, quibus expeditiones Belgicæ in Galliam avocatæ sunt, Hollandi universim acquisiêrint Zutphaniam, Daventriam, Hülstum, Neomagum, Covordiam, Stenovicum, Gertrudenbergam, & alia complura loca, vel iisdem contermina, vel ab eorum possessione, ac dominio dependentia. Qua de re Rolandus Mirteus, ab Haræo citatus, ità conqueritur: *His tribus expeditionibus, in fœderatorum gratiam susceptis, Rex Catholicus totius prope Frisiæ jacturam fecit; in Brabantia Gertrudenbergam, in Geldria Neomagum, in Flandria Hulstum, magna, munitáque loca perdidit. Sic fit, dum propriis neglectis aliena curamus!* Sed hæc ultima verba, quæ hic scriptor per modum epiphonematis addidit, nimis acrem censuram continent. Si enim Gallis eo tempore non succurrisset miles Hispanicus; fortasse tota Gallia in errores Calvinisticos abrepta foret. Hac autem ab antiquis doctrinis recedente, quis non videt, etiam omnes Belgarum provincias de Fide Catholica fuisse periclitaturas? Cùm in eas tunc ex una parte incurrissent Galli, ab hæretico Rege ducti; ex altera verò Batavi, ab Elisabetha Regina Angliæ confirmati?

Interea Carolus Mansfeldius jubetur cum exercitu suo permanere in Gallia: *Haræus ad ann. 1594.*

eóque absente Batavi invalescunt in Frisia, & simul occupant Gertrudenbergam. *Haræus ad ann. 1593.*

Frustra est, ea de re plura loqui: tempus est, ut revertar ad nostra. Produxi ad annum superiorem Papales literas, quibus die vicesimâ quartâ Octobris Clemens VIII. Pontifex confirmavit omnia, à Theodoro Paderbornensi Episcopo facta in negotio emptionis ac donationis monasterii veteris, olim à Patribus Minoritis Paderbornæ deserti; nunc autem ad inchoandum Societatis JESU collegium applicati. Hæ literæ, nescio qua ex remora, quaternis ferè mensibus hæserunt in itinere: tandem verò die 27 Februarii præsentis anni unà cum aliis literis Claudii Aquavivæ, Societatis JESU Generalis, Paderbornam allatæ; & in præsentia Reverendissimi Abbatis Abdinghoffensis Celsissimo Principi oblatæ sunt, non sinè maximo ipsius gaudio & gratulatione. Subinde Princeps legitimum venditionis & numeratæ pecuniæ instrumentum

Theodorus Ep. Paderbornensis monasteriũ veteus Minoritarum, Patribus Societatis JESU Paderbornæ tradit in usum collegii futuri. *Hist. Collegii Paderb.*

tum sibi à Dominis Haxthusiis dari jussit: eóque accepto, veteris monasterii possessionem unà cum ejusdem clavibus, Patri Friderico Wachtendonck, Paderbornensium Jesuitarum Præsidi, per manus sui fratris Caspari Fürstenbergii die vigesimâ 2dâ Aprilis ritu solenni tradidit, præsentibus Reverendissimis, clarissimísque viris, Melchiore de Plettenberg Cathedralis Ecclesiæ Canonico & Præposito Bustorffiensi, Georgio Jacobi Paderbornensi Cancellario, & P. Petro Michaële Brillmacher collegii Monasterienſis Rectore primo. Quo autem affectu animi id factum sit à Clementissimo & Religionis Catholicæ studiosissimo Principe; adnotavit ipsémet *hísce verbis, manu propriâ conscriptis: *Hanc domum Dei ab Ordine desertam, et planè prophanatam, authoritate ordinariâ, confirmante summo Pontifice Clemente VIII, Patribus Societatis JESU tradidi, spe recuperandæ, restaurandæ, retinendæ, adipiscendæ, vel acquirendæ vetustissimæ, à Christo et suis Apostolis ad nos devolutæ, Religionis Catholicæ, vel Romanæ et orthodoxæ.*

*Theodor° Ep. in libello suarũ rationum, manu propriâ conscripto.

Hæc sunt initia collegii nostri Paderbornensis; de cujus novo ædificio, postmodum ex antiqui cœnobii ruinis fabricari cœpto, plura dicemus triennio pòst. Celeriore interim fortunâ processerant in Westphalia res novi collegii Monasterienſis, sub ejusdem Rectore primo Petro Michaële Brillmacher. Scholas enim, quas hic ibidem paucis abhinc annis construere cœperat, singulari Mecœnatum plurimorum beneficentiâ per decursum hujus anni adusque supremum fastigium perduxit. Et similiter novæ Ecclesiæ fabricam (cui primum lapidem substerni fecerat quinto Nonas Julii, anno seculi præsentis nonagesimo) oblatis multiplicibus eleëmosynis eò promovit, ut jam hoc anno supra dimidium provecta & exædificata fuerit. Hanc autem piorum hominum liberalitatem sibi conciliavit, partim egregiâ humilitate, prudentiâ, affabilitate, & comitate animi; partim etiam insigni doctrinâ suâ, variisque libellis editis, quorum unus Theodoro Antistiti nostro devotissimè inscriptus ac dedicatus est. In eo decisas fidei controversias non minùs breviter, quàm eruditè, lectori exhibet; simúlque de omnibus Religionis Christianæ dogmatis tam dilucidè & nervosè tractat, ut ab homine tranquillo, nullísque sinistris affectibus occæcato, facilè cognosci queat, ubinam sit vera fides.

Monasterii Westphalorum hoc anno perficiuntur scholæ Patrum Societatis, & fabrica templi multùm promovetur,

sub P. Petro Michaële Brillmacher ejusdem collegii Rectore primo. *Ex veteribus mss.*

AN-

Annus Christi 1594.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 5. & 6.
RUDOLPHI II. Imperator. 18. & 19.
THEODORI Episc Paderb. 9. & 10.

IN Regno Galliæ, post conversionem Henrici Navarri, paulatim omnia se componebant ad quietem: præsertim cùm apertè cernerent fœderatæ urbes, jam desinere causam belli, ad conservandam Religionem Catholicam unicè suscepti. Hinc Meldæ & Aquæ-Sextiæ mense Januario; hinc Aurelia, Lugdunum, & Bituriges mense Februario; hinc ipsa Francorum Regia, civitas Parisina mense Martio; hinc denique Rothomagum, Trecæ, Senones, Abbevilla, & aliæ certatim urbes aliis hujus anni mensibus Henrico Regi (quem deinceps Henricum IV. Galliarum Regem appellabimus) devotissimè se submiserunt. Idem fecêre Gallicorum Procerum & belli ducum plerique, excepto Duce Mayennio & paucis aliis: quærebátque alter alterum in accelerando suæ submissionis negotio prævenire, ut antè habitas urbium præfecturas, aliáque honorum insignia retinerent. Quare Carolus Mansfeldius, Gallicanum fœdus conversione Regis dissolutum videns, unà cum Hispanico exercitu suo, quem anno superiore fœderatorum adjuvandorum causâ in Galliam duxerat, exeunte Majo in Artesiam & Hannoniam reversus est. At Henricus Rex inter hujusmodi successus prosperos nondum omnino securus erat ab hoste quolibet. Etenim die 27 Decembris vesperi, cùm è vicino S. Germani oppido Parisios adveniret; adolescens quidam, nomine Joannes Castellius, denso Procerum & Aulicorum agmini se immiscuit, jugulum, vitámque Regis, quem adhuc occultè hæreticum esse putaverat, ferali cultro petiturus. Neque dubium est, quin eo scelere casurus fuisset Rex, nisi eodem ipso temporis momento paululùm se inclinâsset ad excipiendam salutationem quorundam Procerum. Hac enim fortuitâ corporis inflexione commodùm evenit, ut ictus parricidam falleret; &, qui in jugulum designatus erat, in os & labra inciderit, uno simul dente per vim excusso. Capitur è vestigio malefactor improbus; biduóque pòst rea manus eidem amputatur, caro ignitis forcipibus concerpitur, corpus reliquum in quatuor partes à totidem equis in diversum actis dilaceratur. Quod verò maximè iniquum erat, etiam Patres Jesuitæ à malevolis quibusdam in suspicionem & communionem istius criminis pertracti sunt; ídque ea solùm de causa, quòd parricida adhuc nuper studuerit

Plerique Proceres, urbésque Galliæ, converso Rege Henrico ad obsequium redeunt. *Haræus in ann. brab. Spond. hic n. 6. 8. 9. 13. & 17.*

Carolus Mansfeldi⁹ cum exercitu Hispanico redit in Belgium. *Haræus ib. pag. 487.*

henric⁹ IV. à quodam Joanne Castellio Parisiis vulneratur. *Spond. n. 22. Buffier. & alii.*

Castellius punitur. *Spond. n. 23.*

Jesuitæ malevolorum quorundâ invidiâ trahuntur in communionem istius criminis; *Spond. n. 22.* & innocentissimè jubentur exulare toto Regno. *Spond. n. 23. & alii.*

duerit in gymnasio Societatis JESU, ibíque videatur parricidales hujusmodi spiritus accepisse. Missi igitur ad collegium viri aliqui in societatem nostram non optimè affecti, perquisitæ Patrum singulorum chartæ, inventa demum apud P. Guignardum scripta quæpiam, in quibus de Henrico Rege, tunc adhuc erroribus Calvinianis dedito, asseverata erat ejusdem indignitas ad coronam Franciæ. Satìs hoc fuit vultureis ejusmodi oculis ad convellendam Patrum innocentiam, deferuntur hæc scripta ad senatum Regium, Guignardus capitur & appenditur patibulo; reliqui verò omnes Jesuitæ, velut Christianæ juventutis corruptores, toto Regno exulare jussi. Quis non videt, hæc decreta virulento malevolorum hominum instinctu condita; magísque atrâ bile, quàm atramento conscripta esse? Ante annos quinque Jacobus Clemens, monachus Dominicanus, manu propriâ Henricum III. Galliæ Regem occiderat: nec tamen idcirco omnes Dominicani in exilium pulsi sunt. Nunc autem unus Jesuita, qui tamen vel ipsius malefactoris testimonio nihil prorsus ad Regem vulnerandum contulit, invidiosum aliquod manuscriptum in suo cubili detinet: statímque in illum funesti suspendii, in ceteros verò Jesuitas omnes perpetuæ relegationis & exilii pœna decernitur. Quid indignius? Agnovit hoc tandem ipse Rex. Atque ideo novennio vel decennio pòst non solùm eos cum laude maxima in Gallias revocavit: sed etiam permultis aliis favoribus & gratiis tam insigniter exornavit, ut hæc eorum restitutio non culpæ venia; sed luculentum innocentiæ prioris testimonium censeri debeat.

Postea tamen ab eodem Rege, cognitâ ipsorum innocentiâ, magnis honoribus revocantur. *Spond. ad ann. 1604.*

Sed hac de re plura dicemus ad annum Christi 1604. Interea desiderabant boni omnes, ut pacatis Galliarum dissensionibus, tandem etiam restitueretur quies Belgii & pax cum Batavis. At ipsi à recipienda Fide seu Religione Catholica longè alieniores erant, quàm Henricus Galliarum Rex! Et quid dico, à recipienda Fide? etiam ipsum pacis revocandæ nomen iis adeò invisum erat, ut vix ullam de ea mentionem injici paterentur. Intraverat hoc anno Belgium Ernestus Archidux, Rudolphi Imperatoris frater, quem Philippus Hispaniæ Rex provinciarum istarum gubernatorem designaverat. Hic, ùt erat reducendæ pacis cupientissimus, Bruxellis die 6 Maji fœderatis Ordinibus amicissimè scribebat: *considerare aliquando velint, in quas ærumnas et calamitates provinciæ Belgarum venerint per bella intestina, tot annis hinc indè gesta? finem belli omnis esse pacem: ideóque hortari se, ut omni studio ad eam componendam et restituendam unà secum incumberent. Quòd si conditiones non iniquas proposuerint; se et Cæsarem curaturos, ut eædem concedantur, et accuratione maximâ in posterum ab Hispanis observentur sinè omni dolo et perfidia.*

Ernestus Archidux venit in Belgium, futurus ibidem gubernator *Haræus in ann. brab.*

æquam pacem Hollandis per literas amicas offert. *Haræus ib. Spond. hic n. 24.*

fidia. At illi, vel prospero aliquot annorum successu tumidi, vel etiam (quod verisimilius est) Henricum Galliæ Regem novo bello cum Hispanis committendum odorati, responsorias ei tales ex Haga Comitis reddidêre, ut sole clariùs apparuerit, eos nihil minùs, quàm pacem ab Archiduce oblatam cupere. Nec iniquæ huic eorundem repugnantiæ fortuna suffragari desiit. Nam hoc anno Grôningam, urbem amplam & satìs amplo territorio circumfusam, quæ hucusque semper in fide Regis Catholici constantissimè perseveraverât, obsidione trimestri in suam potestatem adegêre; nunquam eâ potituri, si pro civium egregiè se tuentium desiderio tempestiva militum Hispanorum auxilia transmissa forent. Cur autem id omissum vel neglectum fuerit, non una omnium est opinio. Nonnulli culpam conjiciunt in Ernesti Archiducis ægritudinem, quâ correptus, & initio sequentis anni extinctus est: alii in inopiam stipendiorum militarium, quorum defectu longo nolebat jejunus miles in bellum progredi. Mihi verò longè verisimilius videtur, id ortum esse ex defectu copiarum sufficientium. Præcipuum enim Hispanici exercitûs robur sub Carolo Mansfeldio adhuc agebat in Regno Franciæ. Ac licèt indè Mansfeldius exeunte Majo cum suis reversus fuerit in Belgium, utì suprà diximus ex Haræo; tamen haud multò pòst, cùm Henricus Galliæ Rex Laudunum urbem*, sibi hactenus repugnantem obsedisset, rursus illuc cum exercitu suo remigrare jussus, & à Gallis prope Crepiacum non levi clade notatus est.

Quam Hollandi statim rejiciunt, *Auctores iidem.*

& paulò pòst Grôningam urbem trimestri obsidione capiunt. *Haræus in ann. brab.*

**Spond. hic n. 17.* *Laudunũ urbs gallicè Laon.*

Longè tristius, magísque luctuosum erat bellum aliud, quod adversùs Christianos in Hungaria concitatum erat auctore *Sinano* Turcarum primo Vizirio. Hujus jussu Hassanus Bosniæ Præfectus biennio abhinc, dum adhuc induciæ cum Turcis fluerent, improviso Marte in Croatiam irruerat; urbémque Wihitzam, nullius belli imminentis conscium, tumultuariâ obsidione Christianis eripuerat. Quod cùm ei feliciter evenisset; iterum sequente anno (1593) cum triginta millibus Turcarum, quos ex urbium vicinarum præsidiis corraserat, in eandem provinciam hostiliter se infudit, *Sissekum* pariter (latinè *Siscìam*) inopino bello subacturus. At ibi Deus turbulenti hominis perfidiam egregiè vindicavit. Christiani enim, collecto protinus octo millium exercitu, eundem fortiter apud urbem hanc aggressi sunt; perruptâque inimicorum acie tam illustrem ab eo victoriam retulêre, ut amissis nostrorum paucùlis, duodecim ferè millia Turcarum (inter quos & ipse Hassanus fuit) vel in prælio cæsa, vel in fluvio præterlabente submersa fuerint, reliquis omnibus in fugam effusissimam conjectis. Perculsus eo nuntio Turcarum Imperator Amurates) nam & Mahometem

Turcæ aõ 1592, ruptis induciis occupant Wihitzã, urbem Croatiæ.

Anno 1593 prope Sissekum in Croatia à paucis Christianis ingenti clade prosternuntur. *Isthuanff. l. 27. hist. Hungar. Spond. ad ann. 1593. n. 27.*

ex ejusdem sorore genitum prædicta clades absorbuerat) continuò Fridericum Crecovitzium, Rudolphi Cæsaris Legatum, jussit unà cum suis omnibus in carcerem detrudi. Simul etiam *Sinanum* Vizirium, qui totius belli & rumpendarum induciarum præcipuus instigator fuerat, cum ingenti exercitu velocissimis itineribus contra Christianos misit, cladem ab iis acceptam, si occasio ferret, graviori clade repensurus. Cùm autem Christiani viso tanto exercitu se retraherent (pauci enim erant; nondúmque Cæsar ob inducias ad ejusmodi vim sustinendam se obarmaverat) *Sinanus* castra promovit contra *Sissekum* sive *Sisciam*: eâque intrà dies non multos occupatâ, etiam Vesprinium & Palottam in Hungaria jugo Turcico subjecit. Interea Christiani per Octobrem se consociaverant ad quadraginta millia: paulóque pòst ad Albam Regalem progressi, Turcarum exercitum contra se venientem rursus obtrivêre prælio felicissimo; in quo perempta sunt peditum Ottomannicorum sex, & equitum quatuor millia, desideratis ex parte nostra vix quadraginta viris. Nec minori alacritate id temporis bellatum est in Hungaria superiore. Nam & hi, qui ibidem rebus gerendis præerant, sociorum suorum exemplo & fortitudine provocati, Fillecum oppidum, præfecturâ Turcicâ & arce duplici insignitum, generoso Marte adorti sunt. Hoc autem expugnato, fugatísque insuper Turcarum copiis, quæ abhinc non longè aberant, eam hosti formidinem ac trepidationem injecêre, ut complures locorum istorum arces, extracto militum suorum præsidio, Christianis occupandas & insidendas reliquerit.

Novo & majore exercitu Constantinopoli accepto, Sissekum, Vesprinium, & Palottam occupant. *auct. iidem*

Iterum ingenti clade cæduntur apud Albã Regalem. *Auctores iidem.*

Christiani in Hungaria superiore Turcis eripiunt Fillecum & multas arces. *Isthuanff. loc. cit. Haræus ad ann. 1593.*

Sperabant indè Christiani, fore, ut succedente hoc anno (1594) in Hungaria res longè majores gererentur. Multùm enim ad hostes debellandos valet animorum generositas, præcedentibus victoriis excitata. Et initio quidem Novigradum, superioris Hungariæ munitissimum oppidum, fortunatâ expeditione subactum est ineunte Martio. Postea verò etiam Strigonium (vulgò Gran) inferioris Hungariæ urbs Archiepiscopalis ac ferè triplex, quinquaginta millium virorum exercitu obsideri cœptum à Matthia Archiduce, Rudolphi Imperatoris fratre, qui Christianæ militiæ præerat. Jámque occupatâ majori urbe labores obsidionales eò promoti erant, ut urbs aquaria sive minor (cui proximè superincumbit arx) continuis tormentorum ictibus conquassata, non exiguas murorum ruinas faceret. Per quas ubi semel & iterum Christiani in urbem conscendere nisi, iterúmque & iterum à Turcis repulsi essent: ecce tibi! *Sinanus* Vizirius, cum exercitu novo è Thracia veniens, Matthiam Archiducem & quosdam alios, Ottomannici belli minùs peritos, repentino metu ità perterruit, ut solutâ protinus

Anno 1594 Christiani occupant Novigradũ. *Isthuanff. l. 28. hist. Hung. Spond. ad hunc annũ.*

Strigonium propè subactum deserunt, adveniente *Sinano* Turcarum Vizirio. *Auctores iidem.*

nus obsidione in adversam Danubii ripam recesserint, urbem adeò laceram ac penè agonizantem in hostium suorum unguibus fœdissimè relinquentes. Neque ex eo tempore quidquam aliud à Christianis & numeroso eorum exercitu gestum est, quàm quòd urbem Jaurinensem (vulgò Raab) fortissimum totius Austriæ propugnaculum, ab eodem Sinano obsideri, atque, ut ità dicam, penè in suis oculis expugnari siverint: quanquam non sinè aliqua Hardeckii Comitis & gubernatoris culpa, qui præmaturè nimis urbem adeò munitam, & ferè sex millium armatorum præsidio instructam dedidit.

Qui & Jaurinū Christianis adeò mit, præproperâ deditione Comitis Hardeckii. *Isthuanff loc. cit. Spond. hic n. 30.*

Cæsar interea magnam hujus æstatis partem exigebat in comitiis Imperialibus, necessitatum publicarum causâ Ratisbonam convocatis: aderántque è Principibus Electoribus Wolffgangus Archiepiscopus & Elector Moguntinus, Joannes Archiepiscopus & Elector Trevirensis, Ernestus Archiepiscopus & Elector Coloniensis; alii verò Principes & septemviri plerique absentiam suam per Legatos explevêre. Præcipua deliberationum capita fuêre partim de auxiliis contra Turcas, novennalium induciarum violatores; partim de aliis quibusdam gravaminibus, inter Catholicos & acatholicos Principes componendis. De prima deliberationum istarum parte conventum est, ut intra sexennium octoginta mensium stipendia pendantur in bellum Turcicum; simúlque omnis Romani Imperii populus è cathedris templorum excitetur ad orationem & pœnitentiam. De gravaminibus verò non solùm amicissimè actum in comitiis; verùm etiam Ernesto Colonienſi (qui in hoc tandem congressu, post acceptam omnium Episcopatuum suorum confirmationem, consueta Principum Regalia suscepit) auctoritate Cæsareâ demandatum est, ut ea postmodum cum Electore Brandeburgico & aliis Imperii Principibus pro communi Religionis Catholicæ bono transigeret. Id quod etiam ab eo, tum in ipsis comitiis, tum verò postea per singulares congressus, tam studiosè & fructuosè peractum fuit, ut ipse Romanus Pontifex Clemens VIII. eidem hac de re, per literas postridie Kalendas Septembris Romæ datas, amplissimè gratulatus fuerit: addiderítque, se à Legato suo Ludovico Madrucio Cardinale, aliísque Oratoribus suis ad eadem comitia missis, non sinè gaudio singulari comperisse, *quanto studio, quanto animi ardore et zelo, Catholicæ Religionis causam defendendam suscepisset; suâque authoritate et gratiâ procurâsset, ut Catholicorum Principum concordia et consensio conservaretur, et Ecclesiastici Ordinis jus ac dignitas retineretur.*

In comitiis Ratisbonensibus decernuntur auxilia contra Turcas, *Spond. hic n. 23. Helvic. in theat. hist. univers.*

& componuntur controversiæ quædā cum Principibus acatholicis: *Annales Boici part. 2. l. 12. n. 68. & alii.*

Qua in re præclaram operam Catholicæ Religioni præstitit Ernestus Archiepiscopus Colonienſis. *Annales Boici ibid.*

Paderbornæ etiam hoc tempore gravissimæ dissensiones urbem inter & Capitulum exortæ sunt, instigatione quorundam senato-

Paderbornæ cives Lutherani Capitulo & immunitati Ecclesiasticæ plurimùm insultant. *Klockner in hist. Paderb.*

rum & Consulum Lutheranorum. Qui, ut paulatim ad supremum in omnes Ecclesiasticos imperium pervenirent, contra juratas annorum præcedentium transactiones & Recessus insolentissimè ausi sunt immunitati Ecclesiasticæ vim inferre. Mense Novembri superioris anni mulierem aliquam, nescio cujus maleficii vel criminis insimulatam, violentâ manu & auctoritate propriâ è loco immunitatis in carcerem abripuerant; nullâ priùs licentiâ (uti aliàs moris & juris fuerat) à Cathedralis Ecclesiæ Capitulo petitâ. Similiter etiam aliquantò priùs curiam Ecclesiasticam Reverendissimi ac perillustris Domini Hermanni de Ketteler, Cathedralis Ecclesiæ Canonici, per dies, noctésque aliquot obstipatis civium suorum excubiis circùm undique obsederant; eo solùm prætextu, quòd ibidem occultari & latitare crederent civis alicujus filium, homicidii perpetrati reum. Imò & audacissimè comminati erant, nisi reus brevi traderetur, se vi maximâ in hanc domum incursuros, omniáque fracturos, lustraturos, & pervestigaturos, donec reum acciperent. Qua ex re, cùm adhuc pejora vererentur Ecclesiæ majoris Canonici, tandem adjunctis ministrorum suorum aliquibus cum protestatione debita visitationem illius domûs permisêre: & nihil inventum est. Hæc & alia multa fiebant sæpius cum ingenti comminatione: jámque hæc audendi libertas apud cives rerum novandarum avidos in eam proterviam iêrat, ut, quidquid hac in re Paderbornensi senatui mandaret ac remandaret Celsissimus Princeps, id ferè nihili & flocci facerent. Quare tandem Capitulum Cathedrale (posteaquam Theodorus Præsul seditiosæ urbi commeatum, viásque & aditus omnes frustra intercluserat) querimonias suas detulit ad Imperiale tribunal Spirensis Cameræ. Et hæc attentis illius causæ ponderibus non modò judicium tulit pro Capitulo; sed etiam Paderbornensi senatui misit acre *mandatum de non offendendo cum inhibitione*. Id quod hoc anno Spiræ die nonâ Martii consignatum, ac dein die decimâ quartâ Aprilis à Luca Steinio, Spirensis Cameræ cursore vel nuntio, eidem senatui exhibitum & insinuatum est, non sinè magno civium Lutheranorum fremitu.

Literæ Spirensis Cameræ, de quibus infrà.

Capitulum verò contra eos ex Camera Spirensi impetrat mandatum de non offendendo *Klockner ibid.* *Literæ in archivo Cath. Eccl.*

Multùm valuit hoc mandatum ad refrenandam senatorum insolentiam, quam in viros Ecclesiasticos & ipsorum immunitatem, usurpare cœperant. Sed interiùs tamen adhuc manebant urbem inter & Capitulum non parvæ animorum aversiones & odia; quæ velut ignem glisscentem continuis afflatibus egregiè suscitabat ac promovebat Forensis Ecclesiæ fabula, & omnium dissensionum præcipuus incentor Hermannus Tünneken, è sacerdote & Pastore quondam Catholico factus apostata. Solus hic & unicus Prædicantium

cantium Lutheranorum Paderbornæ manserat à temporibus Henrici Lawenburgici, quondam Antistitis heterodoxi: neque adhuc è parochiali cathedra expelli poterat propter vicinos Principes, doctrinæ sequiori deditos. Is, cùm universa penè civitas penderet ab illius ore & institutione, grassantibus hoc anno morbis pectoralibus & valde periculosis, assiduè percurrebat omnes urbis parochias; omnibúsque ibidem ægrotantibus, etiam in ipsa Capitulari immunitate, campóque Dominico, cœnam Eucharisticam Lutherano ritu publicè ministrabat. Aliquoties hac in re connivebant & connixerant Majoris Ecclesiæ Canonici. Tandem verò, cùm id sæpius & iteratò fieret, suprà dicto Cameræ Spirensis mandato freti, severè & sub gravi pœna eidem indixêre, ne deinceps tale quidpiam auderet, saltem in immunitate sua, locóque penitús extra omnem urbis jurisdictionem sito. Paruit ille quidem huic jussioni; sed non sinè novis turbis ac tumultibus. Nam insana plebs, ùt primùm audiit, hujusmodi mandatum Prædicatori suo impositum esse; continuò cœpit inter se murmurare, quiritari, conqueri, & palàm de Majoris Ecclesiæ Canonicis imprudenti linguâ effutire, quòd ægrotis hominibus divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, ipsámque adeò salutem animæ sempiternam tyrannico modo subtrahere studeant. Crevítque eum in modum hæc seditiosæ plebis murmuratio, ut Canonicorum Cathedralium aliqui, ne à tumultuosis opprimerentur, aliquantisper urbem deseruerint. Sed hi igniculi, priusquam in flammas irent, id temporis adhuc facilè consopiti sunt.

Paulóque pòst etiam Prædicanti Lutherano prohibet, ne sacramenta ritu Lutherano ægris administret in immunitate Ecclesiastica;

unde magnæ inter cives turbæ obmurmurationes & querimoniæ. *Klockner. in hist. Paderb.*

Hist. Collegii Paderb.

Annus Christi 1595.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 4.
RUDOLPHI II. Imperator. 19. & 20.
THEODORI Episc Paderb. 10. & 11.

AMurates Turcarum Imperator, Jaurino ante annum occupato tumidus, cùm iterum in Christianos novum exercitum cogeret, Constantinopoli mense Januario nephriticis doloribus extinctus obiit. Successit ei filiorum natu maximus Mahometes III, barbari patris multò barbarior filius. Quippe qui, ut suæ & regnorum suorum securitati prospiceret, continuò fratres omnes, circitèr novendecim, inhumanitate barbarâ strangulari; & similiter omnes uxores patris, ne qua posthuma proles masculina ex iisdem gigneretur, in mare projici ac suffocari fecit. Hinc ad Hungarici belli curas conversus,

Amurates Turcarum Imperator moritur: cui succedens filius Mahometes dira omnia Christianis minitatur. *Isthuanff. l. 29. hist. Hungar.*

versus, ferociſſimè indixit omnibus Ottomannicæ militiæ Præfectis, ut ad continuandam Chriſtianorum invaſionem ſummo ſtudio ſe accingerent: *ſibi enim omnino certum, fixúmque eſſe, Hungaricarum expeditionum reliquias proſequi, et uſque ad urbem Viennenſem obvia quæque ferro et ignibus evaſtare.* Sed majora ſperabat homo ferox & arrogans; quàm inſtigante *Sinano* Vizirio potuerit obtinere.

Carolus Mansfeldi⁹, è Belgio accitus, Chriſtiano exercitui præficitur, Strigonium obſidet, exercitum Turcicum profligat, *Iſthuanff. loc. cit. Spond. n. 19*

Nam & Rudolphus Romanorum Imperator egregiè ſe ad bellum comparabat: prætérque multa Germanorum & Italorum auxilia, etiam à Philippo Hiſpaniarum Rege impetrârat è Belgio Carolum Mansfeldium bellatorem ſtrenuiſſimum, unà cum duobus equitum, & ſex peditum Wallonicorum millibus. Hic adjunctus Matthiæ Archiduci, armorum Cæſareorum ſupremo Præſidi, ſtatim in primo expeditionis ingreſſu luculenter oſtendit, quanti ad hoſtes debellandos momenti ſit, habere ducem rei militaris oppidò peritum. Priùs enim, quàm id à Turcis exſpectatum eſſet, Kalendis Julii cum exercitu ſuo ante Strigonium conſtitit: brevíque tempore totam urbis obſidionem, circumjectis quaquaverſum aggeribus ac propugnaculis, tam inſigni prudentiâ adornavit, ut adveniens Turcarum exercitus (die quartâ Auguſti) non ſolùm à ferendis auxiliis impeditus; verùm etiam ingenti clade proſtratus fuerit, amiſſis uno prælio quatuordecim millibus vel captis vel occiſis, atque inſuper mille quingentis tentoriis, totidémque camelis, mulísque ſarcinariis. Quod autem Chriſtianis omnibus maximo dolori erat, Carolus Mansfeldius (cùm ex ardore prælii ſitibundus, eodem veſperi recentia poma & melopepones intemperantiùs ſumeret, vinúmque largum ſuperfunderet) primùm febri importunâ, deinde & alvi profluvio laborare cœpit: hísque duobus malis tandem oppreſſus, die 14 Auguſti pridie aſſumptæ in cælum Virginis generoſam animam exhalavit cum acerbo luctu cunctorum militum, *à quibus*, teſte Iſthuanffio, *ut pater amabatur.* Perrexêre tamen Chriſtiani obſidionem proſpere inceptam proſequi; occupatâque urbe aquariâ, demum etiam die 2dâ Septembris validiſſimam illius arcem, totúmque ſimul Strigonium, quod ab annis quinquaginta duobus in Turcarum poteſtate fuerat, ad optatiſſimam deditionem adegerunt. Secutæ mox aliæ duæ urbes & arces, faciliori negotio captæ, ſcilicet Vicegradum & Vacia, vulgò **Waitzen**: fuítque pavor tantus in vicinis Turcarum præſidiis, ut etiam in urbe Buda conjuges, parvósque liberos, & omnem chariorem ſubſtantiam, ad remotiora loca demitterent, vicinam à Chriſtianis invaſionem & ſubactionem veriti.

febríque ac dyſenteriâ correptus extinguitur *Iſthuanff. & Spond. ibid.*

Strigoniũ à Chriſtianis occupatur, paulóque poſt etiam Vicegradũ & Vacia. *auct. iidem*

Non minori proſperitate res geſtæ ſunt in aliis Hungariæ & regionum vicinarum tractibus. Ex Illyrico Georgius Comes de Zrini,

Zrini, post receptam anno priore Siſciam vel Siſſekum, rurſus hac æſtate in bellum prodiit; ademítque Turcis Petriniam in Croatia, & Barbotziam in Hungaria inferiore, unà cum aliis quibuſdam arcibus & oppidis infirmiori præſidio communitis. Ex alia verò parte Sigiſmundus Bathorius Tranſilvaniæ Princeps, acceptâ conjuge Mariâ Chriſtiernâ Caroli Archiducis filiâ, ſubjectionem Turcicam abjecit, Moldaviæ & Walachiæ Principes in ſocietatem belli pertraxit, militem conſcripſit, hoſtiles provincias invaſit, profligatóque Temeſienſi Baſsâ, qui iiſdem ſuppetias venerat, Eperieſinum, Chonadium, Lippam, aliásque vicinas urbes Ottomannicæ ſervituti ſubtraxit. Quo audito *Sinanus* Turcarum Vizirius cum exercitu numeroſiſſimo, quem eduxerat Conſtantinopoli, repentè ſe convertit in Walachiam, ſuperbè jactitans, eâ curſim devictâ ſibi poſtmodum haud difficile futurum eſſe, ut & Sigiſmundum Tranſilvaniæ Principem, & Cæſarem Rudolphum vinceret. Sed vehementer fefellit eum ventoſa hæc præſumptio. Nam paulò pòſt homo tumidus & ſupercilii plenus à Sigiſmundo & ſociis ejus bis ingenti clade rejectus eſt. Semel inter Alpes Walachiæ; ubi prælio cruento cæſus, intérque fugam ex ruinoſo ponte in paludem actus, fugitivorum quorundam operâ ægerrimè ex præſenti vitæ & ſalutis periculo extractus eſt. Poſtea verò die viceſimâ octavâ menſis Octobris, ad Iſtrum fluvium: ubi, dum Sinanus, adventu Sigiſmundi territus, in ulteriorem fluminis ripam ſe recipere incepiſſet; in ipſo tranſitu à Chriſtianis ex improviſo obrutus ac devictus eſt, cum ingenti omnium impedimentorum jactura. Periêrunt in eo conflictu ferè quinque Turcarum millia: nam potiſſima copiarum hoſtilium pars trans flumen jam deducta erat. Capta ſunt carrorum & curruum, omni apparatu onuſtorum, circitèr ſex millia. Liberati denique è ſervitute Ottomannica quater aut quinquies mille Chriſtiani, quos iidem barbari è Walachia & Moldavia ſecum abſtraxerant. *Sinanus* autem, pudore & ignominiâ plenus, cum acciſi exercitûs reliquiis Conſtantinopolim reverſus eſt: ubi intrà annum, vel mœſtitiâ rei tam infeliciter geſtæ, vel veneno præ confuſionis impatientia ſumpto, confectus obiit.

Georgius Zrinius Petriniam & Babotziam Turcis eripit. *Iſthuanff. l. 29. hiſt. Hungar.*

Sigiſmund Bathorius, Tranſilvaniæ Princeps, Cæſareanis partibus ſe adjungit, Eperieſinum, Lippam, & alias urbes occupat, *Iſthuanff. ibid.*

ac demum duplici prælio profligat Sinanum Vizirium: *Iſthuanff. ibid.*

qui cum ignominia Conſtantinopolim reverſus, intrà annũ obiit. *Iſthuanff. ibid.*

Optandum fuiſſet, ut eo tempore Philippus Hiſpaniæ Rex habuiſſet pacem cum ſuis hoſtibus: erat enim Auſtriacæ Domui faventiſſimus, & cum ea multiplici cognationis ac affinitatis vinculo intimè conjunctus. At ille, ne majora Cæſari præſtaret auxilia, non ſolùm impeditus erat bello Batavico; ſed etiam alio novo bello, quod eidem die 17 Januarii denuntiaverat Henricus Galliæ Rex, inſtigatus ab Henrico Turrenio, Hugonotticæ factionis primario

Henricus Galliæ Rex, bellum indicit Regi Hiſpaniæ. *Haræus ad hunc annũ.*

mario capite. Occinuerat hic Regi suo varias injurias, priori bello ab Hispanis acceptas; præsertim verò per auxilia militaria, Duci Mayennio & Catholicis fœderatis missa. Re verâ tamen erat aliud, quò tendebat: nimirum, ut Hugonottorum operam Regi suo in his armorum apparatibus necessariam faceret, & indirectè simul rebellium Batavorum causam adjuvaret. Miratus ea Gallorum consilia Philippus Rex, die decimâ septimâ Martii respondit Gallo:

Regis Hispaniæ responsum. *Hæræus in ann. brab.*

denuntiationem belli à se acceptari: causas tamen, contra se adductas, nullius planè roboris ac momenti esse. Quòd enim Catholicis fœderatis auxilia miserit, id eorundem rogatu factum esse ad avertendam ab iis vim et potentiam Hugonotticam: ideóque nullatenus à se quæsitum esse Regnum Franciæ; sed illius quietem ac perseverantiam in antiqua Fide Romano-Catholica. Primi in bellum procurrêre Galli: sed exiguo rerum suarum commodo. Nam præter Hamense vel Hannense oppidum in Picardia, proditione gubernatoris à se captum, ferè nihil aliud hoc anno effecerunt, quàm quòd Burgundiam, agrúmque Luxenburgensem fœdissimè populati sint. Contrà verò Belgæ cum Hispanis (tametsi Ernestus Archidux provinciarum gubernator die vicesimâ primâ Februarii lento morbo extinctus esset) duce Petro Comite de Fuentes in Picardiam involârunt, Castelletum ac Durlanium oppida munitissima expugnârunt, Gallicanum exercitum Durlanienſibus opitulaturum gravissimâ cæde profligârunt; ac demum Cameracum, urbem amplam & probè communitam, quæ ab Alensonii Ducis temporibus Francorum imperio paruerat, bimestri obsidione ex eorum unguibus extorserunt.

Hispanorũ & Belgarũ victoriæ contra Gallos. *Hæræus ib. Spond. hic n. 3. & 4.*

Nec majori felicitate contra Hispanos bellârunt hoc anno Batavi: imò omnia, quæ tentârunt in occupandis quibusdam urbibus, eventu minùs prospero in irritum cecidêre. Ineunte Februario, partim dolo & stratagemate, partim verò civium aliquorum proditione, capiebant Huyum Diœcesis Leodiensis oppidum & arcem. Sed mense Martio Ernestus Episcopus, impetratis Hispanorum auxiliis, arcem, oppidúmque simul celerrimâ obsidione recepit. Mense Julio Hollandi rursus duce Mauritio Nassovio obsidebant Grollam, Zutphanienſis Comitatûs oppidum. Sed advolante cum Hispanis Mondragonio, repentè unà cum suis omnibus ad securiora loca se retraxêre, obsidionem à se inceptam præcipiti fugâ deserentes. Mense Augusto, cùm Hispani, à Grolla servata reduces, posuissent castra Dinxlakum inter, & amnem Lupiam; Hollandi iterum cum auctioribus copiis procedebant illuc, & castra castris opponebant. Sed paulò pòst, nimirum die 2dâ Septembris, quinque equitum Hollandicorum turmæ, quæ ex eorum castris exploratum iverant, à quibusdam aliis equitum Hispani-

Hollandi Huyum dolo occupant, & rursus amittunt: *Hæræus in ann. brab.*

Grollam obsident, & ab obsidione depelluntur: *Hæræus ib.*

Hispanorũ castris ad Lupiam castra opponunt, & ab iis non parvâ clade afficiuntur.

ſpanicorum turmis ad amnem Lupiam interceptæ atque ità oppreſſæ ſunt, ut præter multos in fluvio merſos & ſuffocatos plerique alii ab hoſtili gladio interîerint; capto etiam eorum ductore Philippo Naſſovio, & ejuſdem fratre Erneſto Caſimiro: quorum prior alterâ nocte ex vulnere accepto mortuus; poſterior verò Antwerpiam deductus, & ære magno à ſuis poſtmodum redemptus eſt. Demum etiam die 14 Octobris tentârant Hollandi, Liram Brabantiæ oppidum vi & aſtu intercipere: jámque tranſcenſo ſub auroram vallo, & effractis unius portæ repagulis, penetraverant armatâ manu in forum urbis. At (quia gubernator hujus loci cum paucis præſidiariis, quos habebat, ad unam portam defendendam ac retinendam ſe receperat; Hollandíque interim, nocturno itinere ac matutinis laboribus fatigati, ad opimas Eccleſiarum prædas & lauta prandia ſe effundebant) poſt meridiem ab accurrentibus Antwerpianis & Mechlinienſibus toto oppido rurſus expulſi ſunt, amiſſis plùs quàm trecentis, & aliis propè ducentis in fuga captis.

Liram in Brabantia intercipere tentant, & ex eadem occupata continuò rurſus ejiciuntur. *Haræus in ann. brab.*

Ceterùm, quod eorum bellicæ virtuti defuit, prædando & rapiendo audentiùs expleverunt. Nam initio hujus anni prædatoriâ libertate ſuâ irruebant iterum in Diœceſin Colonienſem, eíque tales undique terrores incuſsêre, ut unà cum annexo Weſtphaliæ Ducatu quadraginta millia imperialium ad redimendas urbium & pagorum exuſtiones expromere coacta fuerit. Cauſa hujus invaſionis prætexebatur, quòd Adolphi Comitis Nüenarii viduæ nondum reſtitutus eſſet comitatus Môrſanus & alia bona, eidem in Colonienſi vel Truchſeſiano bello quondam ſubtracta. Sed quis non videt, prætextum hunc planè frivolum, & ſolùm culpæ levandæ causâ quæſitum eſſe? Quid enim urbi Suſatenſi, quid Epiſcopatui Oſnabrugenſi, & aliis Weſtphaliæ ditionibus commune fuit cum bello Truchſeſiano? & tamen hæc ambo eâdem incurſione plurimum damni ab Hollandis pertuliſſe, teſtatur Chytræus híſce verbis: *Oſnabrugenſis etiam Epiſcopi ſubditis aliquot millia, et civitati Suſato quinque millia Joachimiorum expreſſerunt.*

Ex Diœceſi Colonienſi, Oſnabrugenſi, & aliis Weſtphaliæ locis, magnâ pecuniæ vim prædando extorquent. *Chytræus ad an. 1595*

Annus Chriſti 1596.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 5.
RUDOLPHI II. Imperator. 20. & 21.
THEODORI Epiſc Paderb. 11. & 12.

BElli Hungarici curſus hoc anno minùs proſperè ac fortunatus fuit. Chriſtiani quidem paulò maturiùs procedebant in campum; & exeunte menſe Auguſto ſubegerunt Hathuanum, ſuperioris Hungariæ oppidum

In Hungaria Hathuanũ (vulgò hatwan) à noſtris occupatur ac deſtruitur.

cum adjuncta arce, vallo ac mœnibus non leviter communita. At, ubi postea Mahometes Turcarum Imperator cum potentissimo centum millium exercitu festinabat in Hungariam; deserto iterum dirutóque Hathuano, sua castra trans Danubium reduxêre, majores peditum, equitúmque copias ibidem collecturi. Interea Mahometes exercitum suum convertebat ad obsidendam Agriam, superioris Hungariæ urbem prævalidam: & quia nostri, vel ob incidentes pluvias, vel ob alia quædam viarum obstacula, paulò tardiùs adveniebant ad obsidionem depellendam; præsidiarii milites, de ferendis auxiliis desperantes, frustra obluctantibus legionum suarum Præfectis, conjuratione factâ nobilissimum illud Hungariæ propugnaculum ante tempus dedidêrunt. Mirificè res illa perculit Maximilianum Austriacum, qui Christiano exercitui præerat, nec nisi paucis adhuc milliaribus ab urbe Agria, cùm à nostris dederetur, aberat. Animo tamen infracto statuit, cum exercitu suo, qui vix quadraginta millium virorum erat, generosè in hostem progredi, eúmque vel ab ausis ulterioribus repellere; vel, si quid amplius fortuna ferret, eundem inito conflictu cædere, atque ad Agriam reddendam cogere. Neque fuisset hoc admodum difficile, nisi Christiani milites victoriam à se obtentam præcipiti spoliorum aviditate rursus corrupissent. Etenim die vicesimâ 2dâ Octobris, quâ nostri primùm bene magnam Ottomannici exercitûs partem conspexêre, felici armorum concursu prostraverunt ex iis mille quadringentos: ceteri verò in fugam acti sunt, relictis quadraginta tribus tormentis bellicis, quæ in castra nostrorum attracta sunt. Biduo triduóve pòst, cùm ipse Mahometes universi exercitûs robur contra nostros educeret; primum, validissimúmq; Turcarum agmen à nostris iterum fortissimè retrusum, fugatúmq; est, amissis iterum tribus ipsorum millibus & quatuor colubrinis. Demum etiam die vicesimâ sextâ Octobris, coorto rursus graviori prælio, Turcæ rursus cum ingenti strage multorum millium à nostris profligati sunt, amissis insuper quadraginta tribus tormentis. Cúmque nostri sinè mora fugientibus instarent, & plenis ordinibus procederent usque ad ipsorum castra, quæ abinde non procul aberant: continuò Mahometes, adventu & victoriâ nostrorum territus, conscenso velociter equo è castris avolavit; eâque fugiendi pernicitate totum simul exercitum suum in fugam effusam traxit. Perditissimæ tunc erant Mahometis & omnium sociorum vires, dummodo nostri intrà legionum suarum ordines, utì Maximilianus Archidux imperaverat, adhuc unâ alterâve horâ potuissent coërceri. At illi, ruptis omnibus obedientiæ militaris, legúmque vinculis, repentè confuso impetu se in prædas effundere: & alii

Agria, sive Erla, præsidiariorum seditione Turcis præmaturè deditur. *Isthuanff loc. cit. Spond. hic n. 6.*

Christiani Turcarum exercitum profligant, & castra ipsorum occupant. *Isthuanff. loc. cit. Spond. hic n. 7.*

At ubi castrorum direptioni sinè lege & ordine avidiùs incumbunt;

& alii quidem ciſtas argento plenas confringere, alii tentoria pretioſiora in ducum ſuorum uſus occupare, alii equos à fugitivis relictos carpere, alii in imbellem calonum & lixarum turbam deſævire; verbo omnes palantium inſtar hinc indè per caſtra currere, &, ſi quid ſpoliorum deprehendi poterat, avidiſſimis unguibus abripere. Quod cùm viderent hi, qui Turcarum fugientium poſtremi & pauci erant, è veſtigio reſumptis animis conſociari iterum inter ſe, nonnullos alios ad ſe attrahere, militares ordines conſtruere, in caſtra derelicta regredi, noſtros adhuc palantes obruere, magnâque ſtrage editâ tantum eis pavorem incutere, ut non modò inhonoram fugam ſinè lege & ordine capeſſiverint; verùm etiam ipſimet pedites, & hi, qui in ordinem, aciémque militarem recolligi voluêre, cæco impetu à fugitivis equitibus protriti ac diſſipati fuerint. Ità victores ab iiſdem, quos vicerant, fœdiſſimè devicti ſunt; laureásque triumphales, quas in manibus jam habuerant, inconſultâ prædandi libidine ſibi iterum è manibus evelli & extrahi permisêre.

à pauciſſimis Turcis redeuntib⁹ opprimuntur, & victoriam obtentam perdunt. *Iſthuanff. ibid. Spond. n. 7. & 8.*

Nec multò felicius fuit bellum, quod hoc anno contra Hiſpanos in Belgio geſtum eſt à Gallo & Batavis. Obſederat Gallus à Novembri præterito Feram Picardiæ urbem fortiſſimam, Hiſpanis olim à duce Mayennio traditam: Credebátque fore, ut hac devictâ magnos armorum progreſſus in Belgio cum Hollandis faceret. Sed uterque hoſtis victoriam cecinit ante triumphum. Nam interea, dum hæc urbs opinione diutiùs Marti Gallico reſtitaret, Albertus Archidux (qui in Belgarum gubernatione Erneſto mortuo ſurrogatus, & initio hujus anni in Belgium appulſus erat) breviſſimâ expeditione cepit in Picardia munitiſſimas urbes, Caletum, Hamam, Guinas, & Ardram. Unde & Galliæ Rex, cùm poſtea tandem die 22. Maji Feram obtinuit, fortunam non aliam habuit; quàm qui unam urbem ſuo hoſti eripit, & interim quatuor alias rurſum amittit. Ne autem ſola Gallia Alberti Archiducis victoriam perſentiſceret, expugnatâ Ardrâ cum laureato exercitu ſuo convertit ſe in Flandriam, ut & Hollandis, qui interea Brabantiam milite Hiſpanico vacuam populati erant, victricem dexteram oſtentaret. Simulabat ibi primùm, ſe adversùs Oſtendam pergere. Sed, priùs, quàm Batavi conſilia ejus penitiùs introſpicerent, ſignis aliò converſis die decimâ Julii repentè conſtitit ante Hulſtum: oppidúmque hoc, licèt eo tempore videretur inexpugnabile, vivaciſſimâ oppugnatione tandem die decimâ octavâ Auguſti ad ſuum & Philippi Regis obſequium redire compulit. Ità magnæ illæ Batavorum ſpes, quas è Gallici Martis auxilio ſibi finxerant, rurſus in vicino oceano vel certè in mari Auſtrio ſubmerſæ ſunt.

Galli obſidione longiſſimâ Hiſpanis eripiunt Feram oppidum Picardiæ. *Haræus in ann. Brab. Spond. n. 13* Contrà verò Hiſpani, ductore Alberto Archiduce, Gallis eripiunt Caletum, Hamam, Guinas, & Ardram, urbes Picardiæ: item Hollandis Hulſtum in Flandria. *Haræus ib. Spond. hic n. 12.*

Theodorus Ep. Paderb. Calvinianũ verbi ministrum expellit ex oppido Büren. *Annales Collegii Paderb. Literæ archivi Bürensis.*

Interea Paderbornæ Theodorus Princeps, utì jam semper antea, ità maximè hoc anno singularem, quem habebat, Catholicæ Religionis amplificandæ zelum novis iterum glorioſiſſimísque facinoribus illustravit. Nam in primis ex oppido Bürensi Degenhardum Rôttekenium Calvinianæ doctrinæ præconem, quem biennio abhinc ibidem rogatu Joachimi Baronis in Büren constituerat Joanna de Stockhausen vicini Holthusensis monasterii Abbatissa, non attentis ejusdem Joachimi & aliorum Principum acatholicorum intercessionibus hoc anno rursus ejecit; eidémque Jodocum Pistorium, virum optimè Catholicum, surrogavit: modestè excusans, sibi in territorio suo non esse minùs juris ad expellendos Pastores acatholicos; quàm Lutheranis & Calvinianis Principibus ad expellendos Pastores Catholicos. Deinde & omnes corruptioris vitæ vel doctrinæ parochos, qui in Episcopatu nostro vel sacram Eucharistiam sub utraque specie ministraverant, vel antiquam Romanæ Ecclesiæ Fidem sequiore novarum opinionum fermento conspergere cœperant; in concilium evocavit, ibidémque legitimè convictos in carcerem Ecclesiasticum detrudi jussit: ubi pane arcto & aquâ brevi tam diu macerati sunt, usque dum vel ad sobrietatem sapere docerentur, vel à Pastoratu suo se abstituros esse promitterent. Qua tamen in re intrà urbem Paderbornam cum Hermanno Tünneken, Forensis Ecclesiæ Pastore apostata, adhuc aliquantisper connivendum censuit, ne cives jam ad seditionem concitandam pronos vehementiùs irritaret. Postremò etiam, ut in urbe Fides Catholica incrementum & stabilitatem caperet; Societatis JESU Patribus, qui hucusque in domo admodum angusta prope sacellum S. Bartholomæi vixerant, novum hoc anno collegium fabricare cœpit in eo loco, ubi quondam cœnobium Fratrum Minoritarum steterat. Locum hunc desolatum, & jam diu sponte à monachis desertum, quadriennio abhinc emerat ab hæredibus Perillustris ac generosi Domini Elmerhusii ab Haxthausen, utì suo loco diximus: neque ab eo tempore quidquam aliud ad novam fabricam inchoandam deerat; quàm domus alia, ad monasterium Hardehusanum pertinens, & veteri Minoritarum horto penè inclusa, ubi nunc est collegii nostri officina braxatoria. Verùm cùm & hanc præcedente anno Theodorus Episcopus ab Hardehusanis coëmisset; nihil ampliùs morandum ratus, hoc anno tandem die 5. Junii, S. Bonifacio sacrâ & suæ electionis anniversariâ, tam sancti, laudatissimíque operis initium fecit. Aderant conscripti ad eam diem quatuor Abbates, cunctorum Ordinum Diœcesanorum Proceres, urbium præcipuarum consules, & quidquid ferè ministrorum, vel ad aulam, vel ad curiam Episcopalem pertinebat.

Pastores, communionem sub utraque specie ministrantes, pane & aquâ castigat. *Annales Colleg. Paderborn.*

Pro ædificando collegio Patrũ Societatis Jesu, primum lapidem hoc anno solennissimè ponit. *Annales Collegii Paderb.*

nebat. Cum his paulò pòst, quàm Neuhusio Paderbornam advectus esset, præeunte Cathedralis Ecclesiæ Clero majore & minore processit ad sacellum S. Bartholomæi, jam pridem usui Societatis attributum: auditóque ibidem sacro musico, eâdem pompâ & apparatu conferebat se ad locum veteris monasterii; ubi scrobes, jam effossæ ac præparatæ, solennem primi lapidis impositionem exspectabant. Lapis hic in medio paululùm excavatus (utì moris est) in vicina domo servabatur, & jacebat eleganti vehiculo injectus: indè verò jucundissimo omnium spectaculo à Nobilibus quibusdam & egregiè vestitis adolescentibus, ad ædificii aream pertractus, & ab ipso Clementissimo Principe consuetis Ecclesiæ cerimoniis lustratus est. Quo peracto, idem Princeps Clementissimus manu propriâ auream, argenteámque monetam, cum inscriptionibus congruis eo fine cusam, cavitati lapidis immisit, operculum ejus probè occlusit, laminam æream circumjecit, ac denique lapidem hoc modo comparatum novi operis fundamento imposuit, accinentibus musicis, interstrepentibus tubis ac tympanis, acclamantibus inter festiva carmina Poëtis, omníque juventute studiosâ. Porrò laminæ, quam ex ære fusam & lapidi primario circumjectam diximus, incisa erat hæc epigraphe, ab ipsómet Principe composita: *Q. F. F. F. Q. S. E. A. D. O. M. Q. G.* C. (hoc est, ùt ego interpretor: *Quod felix, faustum, fortunatúmque sit, et ad Dei optimi maximíque gloriam cedat*) *Anno reparatæ salutis 1596, die 5. Junii, indictione 9, gubernante Ecclesiam universalem Ss. D. Papa Clemente 8. Theodorus à Fürstenberg, D. G. Episcopus Paderbornensis, ad Fidei Catholicæ incrementum, pro singulari sua liberalitate, hoc novum collegium Patribus Societatis JESU, ex fundamento, isto novo lapide collocato, ædificare cœpit.* Post hæc itum est ad mensam, apud eosdem Patres principali sumptu instructam; eâque finitâ, ad elegans drama à studiosa juventute nostra exhibitum. In eo dramate non solùm Theodori Episcopi majores & proavi; sed etiam plurium familiarum proximè cognatarum Proceres, cum suis quisque signis gentilitiis quasi è suis tumulis redivivi, producebantur in scenam publicam. Commemoratísque glorioss facinoribus suis, pro Deo & republica olim à se patratis, Theodoro nepoti suo de susceptis hujusmodi consiliis gratulati sunt; eundémque simul adhortati, ut glorioso huic operi perficiendo & consummando ferventissimè insisteret. Id quod omnibus spectatoribus, maximéque ipsímet Episcopo eum in modum placuit, ut liquidissimâ cordis voluptate perfusus, & quasi jam prægustato laborum suorum fructu magnopere gaudens, ex peracto dramate Neuhusium reversus fuerit.

Inscriptio primi lapidis. *Annales iidem.*

Comœdia post primi lapidis positionem Celsissimo Principi & aliis exhibita. *Annales iidem.*

Dum

Interitus monasterii Falckenhagensis Patrum Crucigerorum in comitatu Swalenbergensi. *Annales Collegii Paderb.* *vulgò *Crucigeri sive* Creutz-Herren.

Dum autem hoc modo Paderbornæ vetus illud monasterium sancti Francisci verteretur in collegium Societatis JESU; ecce tibi! iterum aliud ejusdem Diœcesis monasterium, quod erat Falckenhagæ in comitatu Swalenbergensi, ab inductis Lutheri, Calvinique placitis eversum ac dissipatum est. Possederant illud à sesqui seculo, & paulò ampliùs, religiosi Patres ex Ordine S. Crucis* & inter novationum heterodoxarum initia satis cautè ac providè se custodiêrant ab omni pravarum doctrinarum aut vitæ licentioris contagio. At, ubi postmodum novioris Evangelii placita toto comitatu Lippiensi & Swalenbergensi recepta fuêre; etiam in hoc monasterio religiosæ disciplinæ custodia ex frequenti cum heterodoxis conversatione plurimùm retrocessit: ac tandem primus omnium Hermannus Wegge, labascentis monasterii *Prior*, anno seculi præsentis sexagesimo septimo à fide & Ordine suo turpissimè defecit, acceptâ in matrimonium Catharinâ quâdam, civis Lügdensis filiâ. Pessimi exempli res hæc erat ad pervertendos alios ejusdem conventûs monachos, libertati jam satis deditos: videbatúrque jam totum illud monasterium unius scabiosi capitis contagio sic ruiturum esse, quemadmodum, teste Juvenale, *grex totus in agris unius scabie cadit et porrigine porci.* Ast eâ vice huic malo adhuc satis maturè occursum fuerat à supremo prædicti Ordinis Magistratu seu Præside provinciali. Qui, ùt primùm de Hermanni *Prioris* apostasia ac matrimonio per literas edoctus fuit, quàm celerrimè eidem surrogârat è conventu suo Ruremundano Dominum Christophorum à Dart Nobilem Geldrum, virum præclarissimum, & virtute non minùs, quàm illustri majorum suorum sanguine conspicuum. Præfuit hic ibidem summa cum laude. Reductâque vetere disciplinâ, & restaurato bonorum temporalium statu, religiosissimè decessit anno 1589, die 16. Martii; ad quam in antiquo Falckenhagensi necrologio hoc ei encomium scribitur: *Anno 1589, die 16 Martii, Reverendus et omni laude dignissimus Dominus Christophorus à Dart, ex Nobilium genere in Geldria natus, conventualis Ruremundensis, Pater et Prior hujus domûs Falckenhagensis, cùm huic loco summa cum laude et maximis laboribus præfuisset, ex hac lachrymarum valle piè et devotè concessit in aulam cælestem, animam suam filio Dei maximis suspiriis commendans, et decimâ octavâ ejusdem cum multorum gemitu sepultus.*

Post obitū Christophori à Dart, ultimi Prioris Catholici, monachi omnes à fide & Ordine deficiunt. *Annales iidem.*

Mortem hanc intrà paucos annos non solùm consecuta est luctuosa morum dissolutio; verùm etiam totius monasterii interitus ac dissipatio. Qui enim Christophoro Dartio in Præfectura sacra vel Prioratu suffectus est Alexander Backhus; haud multò pòst abjecto cucullo, & avulsâ non modicâ bonorum monasticorum parte, ma-

matrimonium pudendum iniit cum deamata pridem alicujus consulis Huxariensis filia. Hoc autem in viam scelerum præeunte, etiam ceteri, qui adhuc supererant, sacerdotes ac laici ruptis omnibus legum sacrarum repagulis non modò Fidem, Ordinémque religiosum deseruêre; sed etiam in eam græcandi & luxuriandi licentiam sese præcipitârunt, ut verissimè de eo conventu potuerit affirmari: *sacra Deo quondam domus, est jam tota lupanar.* Aspiciebat hæc oculo non invito Simon Comes de Lippia, cujus dominio Swalenbergensis comitatus potissima ex parte subest: credebátque fore, ut, sicuti monasteriorum aliorum bona quàm plurima jam pridem ad se attraxerat; ità quoque Falckenhagensis conventûs prædia in ærarii sui augmentum verteret. Sed hæc ejus consilia tempestivè intercepit prudentissimus Episcopus noster Theodorus Fürstenbergius. Qui, cùm intelligeret rem eò dirigi, per Octobrem hujus anni transactionem iniit cum Simone Comite: ac tandem effecit, ut ibidem partitio bonorum fieret, mediáque pars eorum Comiti; & altera medietas Episcopatui nostro in usus Deo sacros relinqueretur. Supersunt adhuc ejusdem transactionis literæ, die decimâ quartâ Octobris hoc anno datæ, & appensis ambarum partium sigillis communitæ.

Monasterii derelicti bona dividuntur inter Episcopum Paderbornensem & Comitem Lippiensem. *Annales Collegii Paderb.*

Monachi autem exleges & apostatæ, ex quibus adhuc residui erant sacerdotes quinque & laici tres, monasterii prædicti bonis postmodum excluſi, fortunam quisque diversissimam subiêre. Pater Henricus Alfthusen *Prior* (qui Alexandro Backhusio ad sacrilegas nuptias transeunti successerat) ceteris paulò melior ac simplicior, ejuratâ Fide Catholicâ in magna rerum inopia vixit; mortuúsque est Blombergæ in comitatu Lippiensi. P. Petrus Missing Procurator & Cellerarius, diuturno priùs concubinatu infamis, matrimonio tandem inito, primùm à Lippiensi Comite constitutus est silvarum Falckenhagensium Præfectus: deinde verò post secundas nuptias cauponem plebejum egit in pago Rischenau prope Falckenhagam. P. Stephanus Jacobi, loci parochus, antea passim in stupris & adulteriis volutatus, uxore ductâ Calviniani verbi ministerium accepit in pago Alverdissen. P. Casparus, vir nequissimus, & sub habitu religioso continuus armorum gestor, conjuge acceptâ factus est Calvinianæ doctrinæ buccinator in pago **zur Talle** comitatus Lippiensis. P. Antonius Frobôsen, projecto honore sacerdotii, per annos ferè triginta partim in Falckenhagen, & partim in **Wöbbel** / Calvinianorum Prædicantium administer, seu templi ædituus & custos fuit, utrobique factus duodecim aut ampliùs liberorum parens. Frater Oswaldus laicus, homo senex, Henrico Priori suo in Calvinianis erroribus adhæsit, & cum eo pau-

Religiosi apostatæ variam fortunam subeunt. *Annales Colleg. Paderborn.*

pauperrimè defunctus est Blombergæ. F. Bernardus abjectâ fide & Ordine suo diu variis in pagis subulcum egit; ac tandem post longos errores ad mentem saniorem rediit, Catholicè defunctus in Diœcesi nostra Paderbornensi. Denique postremus omnium F. Joannes, diu vagus & spiritui sancto resistens, anno 1605 à Patribus Societatis JESU ad Catholicam Fidem reductus; ac deinde, quàm diu vixit, in Paderbornensi collegio sustentatus est. Ubi non modò summa cum sedulitate famulorum labores perlubenter obiit; sed etiam prioris vitæ errata multis orationibus, jejuniis, & voluntariâ sui corporis castigatione eluens, post plures annos pientissimè decessit.

Reliquiæ S. Landelini ex desolato monasterio Flechtorpiensi auferuntur, ac transferuntur in Odacker. *Henschen. to. 2. Ss. Junii, in commentario prævio ad vitam S. Landelini n. 5. & 6.*

Cum cœnobio Falckenhagensi extremos etiam trahebat halitus monasterium Flechtorpiense Diœcesis nostræ in comitatu Waldecensi; de cujus fortuna retrograda, fœdissimáque defectione Balthasaris Haghmeisteri Abbatis ultimi, plura diximus ad annum 1558. Ex monachis, qui ibidem fuerant, hoc anno solùm supererat unus sacerdos ætate grandis & sepulchro proximus. Bona temporalia nobilissimæ hujus Abbatiæ jam pridem à Lutherano Comite occupata, atque ad alios usus traducta erant. Reliquias S. Landelini, quas olim Henricus II. Episcopus Paderbornensis illuc transtulerat ex pago Boke, magna ex parte jam dispersérat vicinorum hæreticorum furor: propéque aberat, ut & reliquæ ejusdem sacri corporis partes eandem fortunam paterentur ab adversariis. Hoc igitur ut averteret Erardus Comes de Soberen, vicini Ducatûs Westphaliæ satrapa provincialis; Conradum Lutherum, sacerdotem religiosissimum & Parthenonis Odackerensis Præpositum, in mense Octobri ad se accersiit; jussítque illum unà cum Domino Sviberto Stephani Pastore Brilonensi Flechtorpium ire, &, quidquid reliquiarum prædictarum supereſſet, ex monasterii templo clanculum sublegere. Perlubenter huic mandato Conradus paruit. Opéque & indicio istius monachi senis, quem suprà memini, S. Landelini caput cum quibusdam aliis ejusdem ossibus ibidem reperit, de sacro loculo reverenter extraxit, Arensbergam abduxit, Comiti Erardo obtulit, multísque ab eo precibus impetravit, ut in Odackerensi* monasterio suo, quod Virginum Benedictinarum est, pretiosum hunc thesaurum ad venerationem publicam deponeret. Ubi clancularíæ hujus translationis anniversaria festivitas etiamnum sub ritu duplici celebratur die 26 Octobris, quâ hæ reliquiæ Odackriam pervenêre, Theodoro Episcopo nostro eaſdem frustra indidem reposcente.

**Odacker monasterium Virginum in comitatu Arensbergico prope oppidulum Hersberg.*

AN-

Annus Christi 1597.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 6.
RUDOLPHI II. Imperat. 21. & 22.
THEODORI Episc. Paderb. 12. & 13.

In Hungaria singulare nihil hoc anno gestum est.

IN bello Hungarico singulare nihil hoc anno gestum est, præter leviora *quædam certamina; in quibus tamen Christiani minùs, quàm Turcæ perdiderunt. Similiter & in bello Gallico, quod Hispanos inter & Gallos à biennio suscitari cœperat in Picardia, nihil aliud hoc anno peractum fuit, quàm quòd Hispani Ambianum urbem ridiculo stratagemate ceperint, & eandem Galli diuturnâ, gravissimâque obsidione recuperârint. Stratagema autem erat hoc: undecimâ die Martii Portocarrerus Hispanus, qui Durlanio ante biennium occupato præerat, nocturno tempore misit illuc octodecim viros lectissimos, rusticanis vestibus indutos: quorum aliqui currus onustos in urbem vehèrent, alii saccos pomis ac nucibus repletos dorso importarent. Ipse verò cum duobus equitum, peditúmque millibus hærebat pariter ante urbem in occultis quibusdam latebris, ut ibidem exspectaret signum accedendi. Primo diluculo personati illi rustici introibant in portas urbis. Dúmque illi, qui agebant currus, intrà portas aliquantisper consisterent, ne rastrum superius demitti, libérque in urbem aditus occludi posset; aliorum personatorum unus & alter sacculum suum, nucibus & pomis plenum, veluti ex quodam infortunio in terram effuderunt. Quæ cùm avidissimè legerentur ab incautis portarum excubitoribus; continuò personati illi gladios infra vestimenta sua contectos extrahunt, vigilias occidunt, socios è propinquo præstolantes dato signo ad se accersunt, urbémq; nihil minùs ominantem priùs occupant, quàm plerique civium è nocturno somno excitati fuerint. Exhorruit ad improvisam illam tantæ urbis interceptionem Henricus Rex. Et quia ab ejus recuperatione belli Gallici fortuna quàm plurimùm dependebat, ruptis illico moris omnibus eam rursus obsidere cœpit cum ingenti exercitu, ex Gallicanis, Anglicísque copiis conflato. Decertatum fuit acriter ab utraque parte; multíque hostium ante hanc urbem trucidati sunt, non solùm vehementi explosione tormentorum; sed etiam crebris, fortunatísque præsidiariorum eruptionibus. Neque dubium est, quin Albertus Archidux Belgarum gubernator, qui cum viginti & ampliùs armatorum millibus ad urbem liberandam adventaverat, Gallicanum exercitum fuisset pro-*Isthuanff. l. 30. hist. Hung.*

Hispani ridiculo stratagemate eripiunt Gallis Ambianum in Picardia: *Haræus in ann. brab. Spond. hic n. 2.*

& Galli illud semestri obsidione recuperant. *Haræus ib. Spond. n. 3. 4. 5. & seq.*

pulsurus: nisi Dux Mayennius, Henrico Regi ante annum reconciliatus, præcedenti nocte Gallorum castra ex ea parte, quâ invadi poterant, incredibili celeritate sic obfirmâsset, ut nullus ampliùs ad eadem invadenda pateret aditus. Quo animadverso Albertus Archidux die decimâ sextâ Septembris cum exercitu suo se retraxit; paulóque pòst etiam urbs illa, diuturnis obsidionum laboribus fatigata, sese iterum Regi Gallorum dedidit, præsidiariis Hispanis cum honore maximo dimissis.

Hollandi interim, Hispanis alibi occupatis, Rhenoberckam, Grollam, Oldensaliam, Lingam, & alias urbes in & prope Westphaliam sitas. *Haræus in ann. brab.*

Multùm illa Gallorum & Hispanorum concertatio rebellibus Hollandis profuit ad extendendos dominiorum suorum limites. Nam interea dum Albertus Archidux præcipuum Belgicæ militiæ robur transferret in Picardiam, ut Ambiano periclitanti succurreret; Mauritius Princeps Arausicanus, cum ingenti exercitu in agrum Colonienſem & Clivenſem irruens, terrore magis, quàm vi & armis celerrimè occupavit Alpam, Rhenoberckam, & Môrsam, urbes & oppida ab Hispanis præsidiariis adhuc infessa. Indè verò trans Rhenum pergens (cùm nemo esset, qui progressum armorum sisteret) eodem victoriarum ac terriculationum hostilium cursu in suam & Hollandorum potestatem adegit urbes, Grollam, Brevordam, Oldensaliam, ac Lingam: quarum postrema quondam paruerat Comiti de Tecklenburg; tunc autem ab annis ferè quinquaginta sub Hispanorum dominio consistebat. Magnum hinc erat gaudium in Hollandia. Sed longè major tristitia ac mœror in vicinis Westphaliæ provinciis: utpote quæ in sinu suo jam alebant hostem, à quo sæpius jam afflictæ, & in posterum adhuc ampliùs affligendæ erant. Certè eodem hoc anno, priusquam Linga & ceteræ urbes antè dictæ in Hollandorum ungues incidissent, alii prædones Hollandici ductore Joanne Nassovio in Diœcesin Monasterienſem, octo pagos cum uno oppidulo expilaverant, hominibus pauperculis octingentos equos abstulerant, aliáq; multa infanda fecerant, quæ ab infidelibus Ottomannis potiùs, quàm à viris Christianis peracta crederes. Neque ab hujusmodi nocumentis prorsus intacta mansit Paderbornensis Diœcesis nostra. Nam & eam ingressi sunt mense Martio: & non abiissent sinè noxa, nisi & subditi nostri ad vim repellendam egregiè se præmuniviſſent; & Episcopus noster, ulterioris incommodi evitandi causâ, numeratis quater mille imperialibus hostiles ipsorum animos compescuisset.

Iidem hoc anno rursus in Westphalia magnas prædas exercuerunt. *Klockner. in hist. Paderb.*

Theodorus Ep. Paderb. cum Hassiæ Landgravio improsperè transigit, de

Tristiorem aliam hoc anno plagam accepit Ecclesia nostra ex infelici transactione, ineunte Januario inter Theodorum Episcopum nostrum & Mauritium Hassiæ Landgravium inita, de monasterio & oppido Helmershusano, de Dynastia Schônenbergensi, de castello

castello Drendelburgico, de arce & oppido Liebenavienſi, de ſilva Reinhartziana, & aliis quibuſdam pagis inferioris Haſſiæ; de quibus jam longo tempore in judicio Spirenſis Cameræ diſceptatum ac decertatum erat. Steterat quidem hac in re validiſſimum jus pro Diœceſi noſtra: &, quod attinet Helmershuſiam, ſilvámq; Reinhartzianam, clariſſimæ ſunt donationes S. Henrici Imperatoris apud *Schatenium. Sed, quia prô dolor! ea tunc erant tempora, ut armorum poteſtate magis, quàm jure & legibus ageretur; tandem Theodorus Epiſcopus noſter, aut fraude aliquâ circumventus, aut vi & metu compulſus, ad concordiam ineundam ſe componere, flecteréq; debuit, interventoribus Ludovico Landgravio Mauritii prædicti patruo, & Simone Comite Lippienſi. Horum operâ, poſt varios congreſſus Corbachii & Warburgi habitos, demum ineunte Januario præſentis anni conventum eſt in hos articulos tranſactionis: *monaſterium, oppidúmque Helmershuſanum unà cum omni jurisdictione, bonis, decimis, aliísque juribus et obventionibus, in poteſtate Mauritii Landgravii, ejúsque hæredum et ſucceſſorum conſtanter maneat, quàm diu ex modernis omnibus Haſſiæ Principibus maſculina proles in vivis erit: hac autem deficiente, ad Epiſcopos Paderbornenſes, eorúmque poſſeſſionem certam et indubitatam redeat, ſinè omni aliorum ſucceſſorum obſtaculo et impeditione. Dynaſtia Schônenbergenſis, caſtellum Drendelburgenſe, arx et oppidum Liebenavienſe, utì et ſilva Reinhartziana, unà cum omni jurisdictione ſua, pagis, hominibus, et aliis utilitatibus conjunctis, perpetuò et hæreditariè pertineant ad Mauritium Landgravium, ejúsque hæredes et ſucceſſores: contrà verò Mauritius et ejuſdem ſucceſſores perpetuò renuntient omni juri ſuo, quod prætendunt et prætenderunt in Calenbergam, Swalenbergam, Oldenburgam, et Beverungam, Paderbornenſi Epiſcopatui ſubdita. Denique pagus Wetteſingen perpetuò et irrevocabiliter maneat penès Landgravium; contrà verò pagus Herlinghauſen penès Epiſcopum Paderbornenſem: ſalvo tamen omni jure et jurisdictione, quam hucuſque in pago Herlinghauſen obtinuerunt et obtinent perilluſtres Domini de Malsburg.* Superſunt adhuc ejus tranſactionis literæ, pluribus ſigillis communitæ, quarum finis eſt: *Datum die Mercurii, quintâ menſis Januarii, anno à Nativitate Chriſti Domini et Salvatoris noſtri milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſeptimo.*

monaſterio oppidóque Helmershuſano, aliísque bonis inferioris Haſſiæ.

Literæ tranſactionis in archivo Paderborn.

*Schaten. to. 1. pag. 425. 426. 439. 552.

Peractâ hac infelici compoſitione, quæ tamen citra omnem Theodori Antiſtitis culpam vel ſocordiam contigit, nova alia tempeſtas contra eundem concitata eſt à quibuſdam patriæ Statibus Luthero vel Calvino deditis. Convocaverat Princeps Diœceſana comitia die decimo ſeptimo menſis Martii, ibidémque Auguſtiſſimi Imperatoris nomine proponebat, quàm iniquo loco verſarentur Chriſtia-

Nobilibus, urbibúsque aliquibus, negat libertatem Religionis, poſtulatam in comitiis diœceſanis.

Christianorum res in Hungaria: Turcas ibidem quotidianis urbium populationibus fœdissimè grassari, neque esse in potestate solius Imperatoris, tam innumeræ barbarorum multitudini se opponere, nisi & aliis aliarum provinciarum auxiliis benignè adjuvetur. *Proinde rogare se et Cæsarem, ut reipublicæ ibidem periclitantis misericordiam capiant, atque ad bellum illud validiùs propulsandum liberale subsidium in ære conferant.* His auditis, Nobilitas heterodoxa, libertatem suæ fidei quæsitura, in cœtus arcanos coiit; attractísque urbium aliquarum consulibus, quos eâdem libertatis prurigine laborantes noverant, audacissimo tandem consilio denuntiârunt Principi: *ne vel obolum se daturos, nisi vicissim acceperint libertatem credendi, et usum cœnæ Dominicæ sub utraque specie.* Obstupuit ad ista Princeps: atque, ùt erat inconcussi pectoris, continuò respondit illis magno animo: *Quid? Vosne ad infames ejusmodi nundinas hoc modo me adigere? Malo potiùs hanc vitam, animámque meam immolare pro conservatione antiquæ Fidei Romano-Catholicæ, quàm ut effreni huic audaciæ concedam, aut me demittam ad hæc impia postulata vestra, sanctissimis Ecclesiæ legibus adversantia. Agite, quod vultis modò! Non enim mihi; sed Cæsari: non pro loculis meis; sed pro salute publica subsidium posco.* Quis non putâsset, eos ad hæc verba tacituros esse, in reverentiam sui Principis? At illi nihilo minùs à suis postulatis nondum desistere: imò adhuc ampliùs tumultuari, & impudenti agmine ad Cathedrale Capitulum currere, ut vel ibidem à pluribus extorquerent, quod ab uno impetrare non potuerant. Sed cùm & istic in rupem incurrissent; bilem omnem in Patres Jesuitas exspuunt, eos Christianæ libertatis eversores & malorum omnium auctores vocitant, oculis, verbis, & armis insolenter ostensis territant, ausi etiam iisdem bonorum suorum direptionem & incepti ædificii demolitionem atrociter comminari. Stetêre tamen hæc omnia intrà solos terrores. Et Illustrissimus Princeps, ut ostenderet se hujusmodi minacias flocci facere, inter ipsa comitia die 21 Martii operarios omnes per quæstorem Neuhusanum ad labores per hiemem intermissos redire jussit.

& collegii ædificandi labores resumi jubet. *Annales Colleg. Paderborn.*

Sub horum indefessis manibus quotidie crescebat nova collegii Paderbornensis fabrica, donec ineunte Augusto funesta pestis, Paderbornam ingressa, operariorum labores iterum abrumperet. Periêrunt ex ea lue multi civium: nonnulli etiam studiosorum, quos idcirco maturiùs è scholis domum remitti oportuit. Eadem afflavit aliquos è collegio Societatis, ac præsertim omnes Fratres laicos; tametsi nullus ipsorum ex eo malo extinctus fuerit. Ceteri verò Patres, quibus integra valetudo constitit, indefessam operam præstitêre, non solùm in adjuvandis, curandísque pestiferis intrà

Paderbornæ in urbe ac Diœcesi tota grassatur pestis. *Annales Collegii Paderb.*

intrà urbem; sed etiam foris in convertendis, præparandísque ad mortem compluribus sagis & veneficis, Attelenæ, Ettelenæ, & Henglerenæ comprehensis. Ex harum numero una à diabolo amasio suo impetraverat, ut maritum suum è superioris tabulati sinu aut foramine in præceps deturbaret, atque ità cervicem ejus infringeret. Altera verò maritum & aliquot liberos, veneno sibi per diabolum allato, crudelissimè interfecerat, non sinè diuturno eorum cruciatu & lamentatione. Utraque primùm ignitis forcipibus toto corpore lacerata, ac deinde in pulveres combusta est, posteaquam diligenti nostrorum Patrum instructione singularem pœnitentis animi dolorem prodidissent. At nullus omnium scelestorum flagitiosior fuit, quàm aliquis Attelensis rusticus, cognomento *Francke*, inveteratæ malitiæ senex, &, si ità loqui liceat, vivus in humana carne diabolus: per quem hostis avernalis peregerat ferme omnia, quæ in rebus criminosis per hominem exercere potest. Is, cùm in ætate juvenili sese totum devovisset infernali genio, accepit ab eo tres fabas, aut potiùs tria semina, fabarum instar. Simúlque ab eo jussus est, virginem occidere, caput ejus resecare, ad altitudinem trium pedum humi defodere, certóque modo tres illas fabas aperto ejusdem ori inserere vel implantare. Indè nascituras esse tres alias fabas: quarum una, si in ore teneretur, eidem præstitura sit, ut fiat invisibilis: altera, ut vertatur in Lycanthropum, vel aliud animal, quodcunque vellet: tertia, ut in alias quascunque res inanimes transformari, si velit, queat. Hæc igitur assecuturus homo pessimus, non multò pòst in comitatu Waldecensi, haud procul ab urbe Corbachiensi, inter silvarum abdita virginem aliquam violenter à se constupratam* interemit, caput ejus resectum sacculo suo inclusit, Attelenam deportavit, humo infodit, fabas antè dictas ori imposuit, novísque fabis ex eo scelere procreatis tam infanda crimina ope dæmonis perpetravit, ut evitandæ seductionis vel offendiculi causâ, neque typo committi, neque propalam enarrari debeant. Inter alia, quæ in publicum edi possunt, illud etiam confessus est, se beneficio istius fabæ, quâ invisibilis reddebatur, non solùm furta & homicidia multa, sed etiam alias nequitias quàm plurimas commisisse: alterius autem beneficio frequenter abiisse in lupum aut aliud nocivum animal, eáq; in figura vehementer nocuisse pecori & hominibus, etiam plures ex iisdem occidendo. Hæc inter horrenda maleficia ad ætatem senilem veniens (quod rari admodum exempli est) serâ tandem experientiâ didicit, nefarium id genus hominum ferè nunquam siccâ morte ad inferos descendere. Prælectâ mortis sententiâ instar morticini pecoris ad locum supplicii raptatus est: ubi, cùm in mensa quadam

In pagis urbi vicinis comburuntur plures veneficæ. *Annales iidem. Klockner in hist. Paderb.*

Attelenæ diro supplicio plectitur senex veneficus, criminum horrendorum reus: *Annales Collegii Paderb. Klockner ibid.*

Qui ope dæmonis non modò se invisibilem reddere; sed etiâ in res alias animatas & inanimes mutare potuit. *Auctores iidem. *Klockner. in hist. Paderb. mss. ad an. 1598.*

quadam extentus & firmissimè constrictus esset; ferali cultro eidem vivo ac spiranti venter apertus, cor exsectum & in faciem impactum, corpus in quatuor partes divisum & in pulveres combustum, caput à trunco revulsum, paulisper in igne tostum, palo terreo infixum, ac demum rotæ, infra quam lignea effigies lupi consistebat, pro communi omnium terrore impositum est. Monumenta hujus executionis & supplicii adhuc supersunt in colle aliquo non procul ab Attelena: qui ab istius malefici cognomento **Francke** etiamnunc *Franckenberga* nominari solet.

Supplicii locus ab ejus nomine adhuc nominatur Franckenberg.

Eodem hoc tempore monasterium Holthusense virginum Cistertiensium, quas vulgò Bernardinessas nominant, à primæva disciplinæ regularis observantia plurimùm deviaverat. Jámque res & mores earum tam præcipiti lapsu in ruinam volvebantur, ut jam earum aliquæ proculcatis monasticæ vitæ, Fideíque Romanæ legibus ad Lutherum Calvinúmve transgressæ fuerint; aliæ verò, inter quas & ipsa Abbatissa erat, abjectâ jam veste religiosâ in periculo propinquo starent, ut eandem perditionis viam ingrederentur. Quod ubi advertit vigilantissimus monasteriorum Paderbornensium inspector Theodorus Episcopus; primùm anno superiore Calvinianum Prædicantem vicini oppidi Bürensis, unde hoc malum fluxerat, frustra obnitente Domino Joachimo de Büren è Pastorali domo ejecit, utì suo loco narratum est. Deinde autem prædictarum sanctimonialium emendationi consulturus, hoc anno Reverendissimum Dominum Godefridum *Drâick*, ejusdem Ordinis Visitatorem generalem, de earum statu edoceri fecit, moneríque, ut periclitanti huic monasterio maturè prospiceret. Non egebat hic multis calcaribus ad adeundam illius Parthenonis visitationem: erat enim vir egregiæ virtutis; & cui nihil magìs cordi erat, quàm vitæ religiosæ vigor & labentis disciplinæ restauratio. Sed, quia propter itinerum pericula munus illud obire per se ipsum non poterat (jam enim semel à militibus heterodoxis captus, & satìs grandi sex millium dalerorum pretio redemptus erat) vices suas hac in re demandavit binis Abbatibus vicinis in Hardehusen & Marienfeld; jussítque, ut prædictum Holthusense monasterium in spiritualibus æquè, ac temporalibus, tam in capite, quàm in membris reformarent, utì constat ex hísce literis:

Monasteriũ Holthusense virginum solutâ regulari disciplinâ, inclinat ad abjiciendam fidem, Ordinémque religiosum. *Ex literis archivi Bürensis. item ex literis ac traditione monasterii Holthusani*

Monasterii ejusdem visitatio ac reformatio committitur Abbatibus, Hardehusano ac Marienfeldensi. *Ex literis Bürensibus*

NOs *Frater Godefridus Drâick, Abbas veteris campi in Colonienſi Diœceſi, ac dicti Ordinis in partibus inferioris Germaniæ et Saxoniæ Vicarius et Viſitator generalis, Reverendis et nobis in Chriſto chariſſimis Coabbatibus de Hardehauſen et Mariæ Campo, ſalutem in Domino. Cùm illud potiſſimùm officii noſtri ratio poſtulet, ut monaſteria et locaregularia utriuſque ſexûs nobis ſubjecta in ſanctæ et Catholicæ Religionis obſerva-*

servatione salubriter dirigamus; nōsque propter itinerum pericula, singulorum monasteriorum nobis commissorum et in diversis partibus situatorum visitationibus et reformationibus personaliter interesse non possimus, pro ut summopere cuperemus: tales anhelamus per nos institui visitatores et reformatores, per quorum providentiam salutaria Religionis nostræ instituta debitum sortiantur effectum, pretiosissimæ animæ ad salutis portum dirigantur, ac vepres et spinæ è medio tollantur. Ceterùm, cùm non infimarum personarum relatu didicerimus, quòd, etsi monasterium nostrum Holthausen in Diœcesi Paderburnensi in bona observantia et reformatione multis annis ad Dei honorem, animarum salutem, populíque Christiani ædificationem manserit; à paucis tamen annis maximè deciderit. Non enim jam regularis observantia et Ordinis disciplina ibi viget; sed habitûs et Religionis mutatio, morum corruptio, et vitæ dissolutio. Unde divina Majestas offenditur, animæ damnationis æternæ periculo exponuntur, et populus Christianus non modicè scandalizatur: ità ut vinea Domini jam non uvas; sed labruscas producere, aurúmque illius in scoriam versum esse videatur. Unde metuendum, nisi his malis maturè succurratur, quòd præfatum monasterium in Holthausen ab Ordine et Catholica Religione decidat. Hinc est, quòd tantis malis totis viribus occurrere cupientes, vobis duobus committimus et in mandatis damus, ut de die concordetis, et statuto inter vos die conveniatis, ac dictum monasterium ingrediamini, in eōque conjunctim et concorditer, salvis gradibus et dignitatibus vestris, auctoritate nostrâ paternâ visitetis, reformetis, corrigatis, instituatis, ac destituatis, in capite, in membris, in spiritualibus et temporalibus, quacunque secundùm legem divinam, regulámque legislatoris S. Benedicti, nostríque Ordinis salutaria instituta et definitiones, inveneritis visitanda, reformanda, corrigenda, emendanda, instituenda, et destituenda: computationes dicti monasterii audiatis, examinetis, approbetis, vel reprobetis, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachio seculari: mandantes et præcipientes omnibus et singulis Professis monasterii prænominati, ut vobis tanquam nobis in omnibus obediant, et humiliter pareant. Et cùm Reverendus Dominus Abbas MARIÆ Campi hactenus semper fuit monasterii in Holthausen indubitatus visitator, nihil suæ jurisdictioni per præsentem commissionem derogatum volumus; sed ipsum jus visitandi magìs confirmamus: hortantes Reverendum Patrem, ut post reformationem, diligentem curam et inspectionem habeat, quatenus non iterum deficiat; sed in Religione et disciplina proficiat. etc. - - - Datum Coloniæ, anno Domini millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, die Martis decimâ septimâ Decembris.

qui sub initia sequentis anni 1598 monasterium

Acceptis hisce literis prædicti Abbates, Hardehusanus & Marienfeldensis, consultârunt ocyùs inter se de injunctæ visitationis die. Eâque inter se invicem constitutâ (mense, ùt opinor, Februario

illud visitant ac reformant, constitutâ ibidem novâ Abbatissâ, & aliis aliorum cœnobiorũ virginibus. *Ex literis Bürensibus*

bruario sequentis anni) monasterium Holthusanum cœperunt ingredi, spiritualem ac temporalem administrationem perlustrare, sanctimonialium vitam & mores perquirere, disciplinam reformare, defectus corrigere, errores emendare. Et quia loci illius Abbatissa Joanna de Stockhausen, quam eadem Lutheranismi aut Calvinismi lues jam invaserat, circa idem ferè tempus defuncta est; etiam paulò pòst ex monasterio *Himmelportensi* novam Holthusanis virginibus Abbatissam præfecêre. Quæ deinde octavo Idus Martii unà cum quibusdam aliis virginibus; è Wormelensi & Himmelportensi monasterio desumptis, Holthusium deducta, & ibidem regimini sacro admota est; uti colligitur ex litteris Udalrici Abbatis Breidelarienſis, qui ex prædicto Himmelportensi monasterio die 7. Martii anno 1598 ad Hermannum Pfenningium, Bürensem secretarium, ità scripsit: *non sinè maxima difficultate res in hisce locis eò tandem direximus, ut favente Deo, crastinâ die electam Abbatissam cum adjunctis virginibus personaliter nobiscum adducturi, et monasterio præsentaturi simus. - - - Cellerarius Hardehusanus huc modò venit, se. cúmque adfert virgines duas ex monasterio Wormelensi. - - - Abbas Hardehusanus quàm celerrimè evocatus est Neuhusium, quò die crastinâ proficiscetur.*

Annus Christi 1598.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 7.
RUDOLPHI II. Imperator. 22. & 23.
THEODORI Episc Paderb. 13. & 14.

Jaurinum in Hungaria Turcis iterum per stratagema eripitur ab Adolpho Barone de Schwartzenburg. *Spond. hîc n. 19. Isthuanff. l. 31. hist. Hungar.*

IN Hungaria Jaurinum urbs munitissima, quam ante quadriennium à Turcis fœdissimâ gubernatoris deditione occupatam vidimus, insigni stratagemate hoc anno tandem recuperata est ab Adolpho Barone de Schwartzenburg, Comorræ seu Comaronii Præfecto. Audiêrat hic, urbem illam à Turcis negligentiùs custodiri, quòd ejusdem firmitati nimiùm confiderent: imò & jactitarent, eam non antè à Christianis recipiendam esse; quàm gallus ferreus, in primariæ turris fastigio positus, vocem ederet. Itaque hanc eorum socordiam in sua commoda conversurus, cum quinque millibus virorum præstantissimorum, quos ad Comaronium convenire jusserat, tacitissimis itineribus Jaurinum proficiscitur; ac tandem die 28 Martii, horâ noctis undecimâ, in urbis conspectum venit. Ibi, cùm unam portam non satìs firmiter occlusam reperisset, & alteram admoto pyloclastro (quod instrumentum Turcis hucusque ignotum fuerat)

fuerat) momento temporis confringi ac disjici præcepisset: continuò plenis agminibus militem intromisit; hostésque interim è somno excitatos, diuturno certamine ità fregit, obtrivítque, ut illucescente die urbem, arcémque Schwartzenburgio victori dedere coacti fuerint. Periêrunt in hoc assultu è nostris quingenti circitèr, è Turcis verò mille quadringenti & ampliùs: capti eorundem trecenti præter imbellem puerorum ac mulierum turbam: præda omnis inter duces ac milites æquis partibus divisa est; exceptis tormentis bellicis, quorum centum & octoginta octo unà cum omni apparatu suo in potestatem Cæsaris devenêre.

Inter Hispaniæ Galliæque Reges concluditur optata pax.

Lætissimo huic nuntio, quo penè totus orbis Catholicus mirificè recreatus est, brevi tempore successit aliud non minùs felix, prosperúmque nuntium de optata pace, Gallos inter & Hispanos ac Belgas inita. Desudatum in ea fuerat per plures hujus anni menses: interímque simul non minima curarum ac solicitudinum pars in eo versabatur, ut Angli quoque ac Batavi æquissimis conditionibus ad eandem concordiam flecterentur. Sed, cùm illi pertinaciter omnem cum Hispanis amicitiam & reconciliationem abnuissent, tandem postridie Kalendas Maji prædicta pax Vervini * in Picardia Gallos inter & Hispanos felicissimè concluśa est his articulis: *ut iterum confirmentur pactionis Cameracensis placita de anno *1559. Ut Henricus Galliæ Rex Hispano et suis restituat omnia eidem ablata ab anno 1559; nominatim verò comitatum Caroleśii in Burgundia, quem Hispanus et hæredes ejus beneficiario nomine obtinebunt sub fide et clientela coronæ Gallicæ. Ut Philippus Hispaniæ Rex restituat vicissim Gallo Caletum, Ardram, Casteletum, Durlanium, et alias urbes Gallis ereptas à prædicto anno 1559. Ut eadem pax et concordia non solùm se extendat ad ambos Reges; verùm etiam ad omnes eorum liberos, hæredes, et successores legitimos: neque eorum alter alteri nocumentum inferat, aut alios eidem nocituros gratiâ et favore juvet etc.*

Haræus in ann. Brab. Spond. hic n. 5. & 6.

**Gallicè Vervins.*
**vide dicta ad eundem ann.*

Nuptiæ Alberti Archiducis cum Isabella Clara regis Hispaniæ filia (cui Belgium in dotem datur) & margaretæ Archiducis cum Philippo III. Regis Hispaniæ filio

Plurimùm ea de re gavisi sunt omnes Catholici in toto Belgio: sed nemo magìs, quàm eorundem sereniśimus gubernator Albertus Archidux. Huic enim Philippus Hispaniæ Rex filiam suam Isabellam Claram Eugeniam nuptui collocare, & cum ea simul omnes Belgarum provincias in dotem tradere jam pridem constituerat. Id quod etiam hoc anno pridie Kalendas Maji in Madritensi aula ab eo publicè declaratum, ac stabilitum est eâ lege; ut, si fortè ex eo conjugio nulli provenirent aut supereśsent liberi, rursus omne Belgarum imperium ad Hispaniæ coronam revolvatur. Confecta simul in hunc finem varia diplomata, etiam à Philippo III, Hispanicarum ditionum hæreditario Principe consignata. Quibus acceptis Albertus Archidux die decimâ septimâ Augusti, no-

Spond. n. 13

mine futuræ conjugis provinciarum Belgicarum possessionem solennem adiit: nec multò pòst ejusdem adducendæ causâ, cum ingenti multorum Principum comitatu properavit in Hispaniam, rebus interim civilibus Cardinalem Andream Austriacum; militaribus autem Franciscum de Mendoza, Arragoniæ Admiralium, suo nomine præficiens. Vix autem pervenerat in Ducatum Wirtenburgensem, cùm insperatus ad ipsum affertur nuntius, Philippum Hispaniæ Regem die decimâ tertiâ Septembris è vivis evocatum esse. Magnum indè mœrorem hausit prædictus Archidux. Neque tamen idcirco destitit iter inceptum prosequi: quia simul in mandatis habuit, ut eodem itinere Margaretam Austriacam, Caroli Archiducis filiam, novo Regi sponsam adduceret. Occurrit hæc eidem in Tiroli non longè post urbem Oenipontum; aderátque pariter ejus mater Maria Bavara, cum insigni rerum omnium & personarum illustrium apparatu. Qui cùm in unam itinerum societatem sese invicem adunâssent: primò Tridentum ac Veronam; indè verò Ferrariam, ubi Clemens Pontifex eosdem exspectabat, inter innumeras vicinorum Principum ac provinciarum gratulationes profecti sunt. Ibi, postquam per dies aliquot summis honoribus in- & extra urbem affecti essent; ipsémet supremus Pontifex, die decimâ quintâ Novembris in Dominica, duo illa sereníssimorum sponsorum paria, per mandatarios loco absentium constitutos, inter missarum solennia conjungere, & matrimonium hoc modo initum sancire, benedicere, & consecrare dignatus est. Quo peracto post triduum discessêre: præsentémque hiemem Mediolani in Lombardia transigere coacti sunt, cùm ob incommodum anni tempus, quod non sinebat longiùs proficisci; tum verò maximè, quòd in Hispania recentissimus dolor è morte Regis nondum permitteret, nuptialibus ibidem gaudiis indulgere.

Matrimonia ambarũ partium Ferrariæ contrahuntur coram summo Pontifice per procuratores, absentium personatũ vicem explentes. *Spond. hic n. 14. Haræus ad hunc annũ.*

Regis autem prædicti obitus hoc modo contigit. Ad ægræ senectutis incommoda (erat enim septuagenario major) accessit hoc anno febris tabida, quæ omnem ipsius carnem paulatim ità corrupit & exedit, ut ea penè videretur minutatim diffluere. Qua ex re cùm sibi mortem imminere persentisceret; præmissâ confessione sacramentali, divinissimum Eucharistiæ sacramentum singulari cum devotione sumpsit: insupérque jussit, antiquam defuncti hominis calvariam juxta coronam Regiam in mensa vicina poni, ut hujusmodi signo, ante oculos habito, humanæ mortalitatis admoneretur. Indè filio, filiæque suæ tabefactum corpus ostendens: *Ecce*, inquiebat, *ecce hîc specimen mundanæ gloriæ! aspicite miserabile corpus hoc! nihil opis humanæ supereſt: ideóque nunc mihi non de morbi remedio; sed potiùs de felici morte et sepultura cogitandum est.* Hæc locutus

Philippus II. Hispaniæ Rex moritur. *Spond. hic n. 10. Haræus in ann. brab.*

cutus non sinè multo circumstantium fletu, scriniolum aliquod è cubiculo suo adferri mandat: eóque aperto, monile pretiosissimum auro & gemmis interstinctum extrahit, filiæque Isabellæ tradit hísce verbis: *Tuæ quondam id matris fuit. Id jam Tu habeto, et in perennem tuæ matris ac meî memoriam asservato.* Mox etiam ex eodem scriniolo flagellum depromit imbutum sanguine. Quod cùm in altum attolli præcepisset, ad Philippum conversus inquit: *Ecce! hic sanguis est, non meus; sed mei patris, qui hoc flagello corpus suum castigare suevit. Ego, ut avitæ pietatis ac devotionis te commonefacerem, id hucusque inter pretiosissima asservare volui.* Demum urgente vi ingravescentis, ruentísque morbi, sacramentum extremæ unctionis petiit; eóque accepto, post biduum triduúmve circitèr, die, ùt suprà diximus, decimâ tertiâ Septembris, vitam in terris actam pientissimè clausit inter hæc verba: *tu solus *sanctus, tu solus Dominus, tu solus altissimus, JESU Christe etc.*

**ità scriptor acatholicus in vitis Regũ Hispan.*

Interea Franciscus de Mendoza Arragonum Admiralius, quem ab Alberto Archiduce rebus militaribus in Belgio curandis præfectum esse diximus, Batavorum progressus priori anno ad Rhenum factos eversurus, ineunte Septembri cum duobus equitum & viginti peditum selectissimorum millibus in Ducatum Clivensem properat: subactóque Orsovienſi oppido, quod ad Rhenum hosti præcludendum proderat, Môrsam, Alpam, & Rhenoberckam, ab Hollandis ante annum intromissis recuperat. Indè verò miles omnis ab utraque ripa fluminis effusus, Büdericum, Dinslakam, Reêsam, Embricam, & Xantum occupat, Dotechemium in comitatu Zutphanienſi per vim expugnat, Wesaliam urbem ad pendenda sibi centum millia dalerorum & centum maldera frumentorum adigit: & (quod ei maximam Principum acatholicorum indignationem peperit) Wiricum Falckensteinii & Obersteinii Comitem heterodoxum, post oblatam suæ arcis Broêkensis* deditionem, unà cum præsidiariis ferè omnibus contra fidem sibi datam crudelissimè trucidat. Id quod tamen ab infreni milite citra omnem Francisci Ducis voluntatem accidisse volunt. Ac fortè his, quæ hactenus enarrata sunt, adhuc aliquis excusationum color, saltem ad exteriorem speciem, obduci poterat: nimirum, quòd anno superiore Alpa, Môrsa, & Rhenobercka gravi rerum Hispanicarum incommodo ab Hollandis infestæ fuerint: quòd Hispani prudenter formidare debuerint, ne Budericum, Orsovium, Rëesa, Embrica, reliquæque ad Rhenum urbes, occuparentur à Mauritio Arausicano, qui cum exercitu Batavico non procul abhinc stabat prope Sevenariam: quòd Wesalia contra voluntatem sui Principis Catholici ad hæresin Calvinianam, Hispanis admodum invisam, nefariè

Hispani in Belgio militantes, ductore Francisco de Mendoza Arragoniæ Admiralio, varia oppida ad Rhenum occupant. Wiricus Obersteinius Comes contra datam fidem ab iis interficitur. *Acta publica apud Meyer. l. 1. Klockner in hist. Paderb.*

**vulgò* Broeck

fariè defeciſſet: ac demum, quòd Wiricus Oberſteinius, Calviniſta ferventiſſimus, olim unà cum defuncto fratre vel cognato ſuo Philippo Catholicis admodum infeſtus fuerit; & adhuc recenter Hiſpanis, pabulatum egreſſis, invadendo, rapiendo, vulnerando, non parvam injuriam irrogaverit, utì Admiralius ipſémet in ſuis ad Wiricum datis conqueſtus fuerat.

Indè in Weſtphaliam effuſi, hibernorũ capiendorũ causâ multas urbes & oppida vi & metu ſubigunt, cum ingenti provinciarum iſtarum damno. *Auctores iidem.*

Sed hæ & aliæ excuſationes, quæ ab Admiralio prætexi poterant, haud multò pòſt vim omnem amisêre, quando militum Hiſpanorum ſtipendia per mortem Philippi Regis diutius emanebant; & exercitus Regius propter exundantiam Iſalæ, vicinásque Batavorum advigilantium copias, in hoſtiles agros transmitti non poterat. Tunc enim jejunus, inópsque miles jubente Admiralio in adjacentes Weſtphaliæ provincias hibernorum quærendorum causâ latiſſimè ſe diffudit: omníque proteſtatione vel contradictione contemptâ, vi & armis occupavit Recklinghuſam ac Dôrſtam in Veſta Recklinghuſana; Eſſendiam, Lünam, Cameniam, Unnam, & Hammonam in comitatu Marcano; Bucholdiam, Borckam, Halterenam, Dulmaniam, Cosfeldiam, Horſtmariam, Billerbekam, Wernam, Beckemiam, & alia decem vel undecim oppida in Epiſcopatu Monaſterienſi. Quæ autem ſcelera & bonorum, corporúmque injuriæ ab inviſis hujuſmodi hoſpitibus per hanc hiemem perpetrata ſint; faciliùs eſt cogitare, quàm verbis exprimere: præſertim, cùm eorum avaritiam accenderet diuturna ſtipendiorum inopia, luxuriam concitaret aſſidua ciborum ingluvies, crudelitatem irritâſſent obſtacula in hujuſmodi locorum invaſionibus objecta.

Ab aliis Weſtphaliæ Proceribus contributiones poſtulant. *Meyer l. 1. actor publ.*

Neque tamen his omnibus adhuc ſatìs contenti erant inſaturabiles eorum ventres ac loculi. Nam ex iiſdem hibernis etiam ad Comitem Lippienſem, Benthemenſem, Tecklenburgenſem, Oldenburgenſem, itémque ad Epiſcopos Oſnabrugenſem & Paderbornenſem, varias dedêre literas, quibus comminati ſunt, ſe illuc pariter cum aliquot millibus venturos eſſe, niſi ipſorum adventus & hibernatio collatis, miſsísque pecuniis redimeretur. Ex his tamen literis multò mitiores erant eæ, quas ipſe Admiralius manu propriâ dedit ad Epiſcopum noſtrum Theodorum Fürſtenbergium. Audiêrat enim hunc eſſe Principem antiquæ Religionis Catholicæ retinentiſſimum: atque ideo non tam ipſi & fidelibus orthodoxis; quàm ejuſdem Lutheranis, rebellibúsque civibus malum omne comminatus eſt. Ecce hîc ejuſdem Admiralii literas, è caſtris ad urbem Rëeſam exaratas:

Lutheranis, aliísq; acatholicis in urbe ac Diœceſi Paderbornenſi minas intentant. *Literæ Admiralii apud Meyer. l. 1.*

Illuſtriſſime et Reverendiſſime Princeps ac Domine. Quid acerbitatis, et irritamenti malorum, bellum in ſe habeat, ſecúmque trahat, nemini igno-

ignotum est. Unde Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem vestram scire volumus, Regium exercitum, non voluntate aut libidine, sed necessitate communis periculi et utilitatis, in Westphaliæ oras introductum, ac per stipendiorum prorogationem, pabulique inopiam, licentiùs latiúsque vagatum. A vestræ Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis Diœcesi vix possumus cohibere famelicum et nudum militem; cùm in castris nostris passim divulgatum sit, Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis vestræ subditos magna ex parte hæreticorum deliramenta et insanas opiniones sequi, sæpe in conventibus publicis tumultuari, ac Religionis libertatem violenter poscere, concionatores Lutheranos suis sumptibus in primaria civitate Paderbornensi sustentare, et contra voluntatem Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis vestræ fovere ac retinere. Quapropter Illustrissima ac Reverendissima Dominatio vestra videat, quo pacto amoveat tempestivè tales sectarios, ne flagellum in innocentes etiam accersat. Addo et hoc, si longior hiems cogeret nos nolentes etiam ad vestram Diœcesim declinare, et invenirentur hujusmodi diabolici seductores in civitate; miles Catholicus neque à suspendio illorum, neque à rapinis (quod alioquin ubique prohibemus) aliorum civium sibi posset temperare. Hæc Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi vestræ significanda duximus, ut in tempore super his respondeat nobis, quibus nihil gratius erit, quàm audire, suos subditos esse obedientes, et in Fide Catholica stabiles. Deum rogamus, ut Illustrissimam ac Reverendissimam Dominationem vestram diu incolumem servet. Ex castris in Rees, 10 Decembris anno 1598. Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationis vestræ addictissimus, Magnus Admiralius Arragonum.

Paderborna contemptis Mendozæ ac Theodori Episcopi sui monitis, protervè retinet Ecclesiæ Forensis concionatorem Lutheranũ: *Annales Collegii Paderb.* implorato etiam Hassorum Principum auxilio.

Sperabat optimus Princeps, hanc Admiralii comminationem sibi plurimùm profore ad conversionem civium, & ejectionem Hermanni Tünneken sacerdotis & Pastoris apostatæ, qui cum aliquot Lutherani Evangelii collaboratoribus Forensem Ecclesiam hucusque retinuerat. Quare literas illas non solùm publicè è Majoris Ecclesiæ cathedra promulgari jussit; verùm etiam die 27 Decembris, in festo S. Joannis Evangelistæ, Paderbornensis civitatis consules ac senatores paternè monuit, ut suæ suorúmque civium saluti maturè consulant: alioquin metuendum esse, ne retentis hæresum doctoribus, Hispani veniant; urbíque toti luctuosam cladem, & exitium seris lachrymis deflendum, inferant. At illi, talibus Hispanorum territationibus nihil moti, protervè responderunt, se pro urbe defendenda maximopere solicitos fore: interímque, retento Lutheranorum dogmatum seminatore, vicinam Principum Hassorum opem contra Hispanos clanculum implorant, non sinè maxima Theodori Antistitis offensione.

Faci-

Contrà verò cives oppidi Saltzkottensis, jubente Episcopo, monachum apostatam unà cum ludimagistro Lutherano expellunt: *Annales Collegii Paderb.*

Faciliorem hac in re, minúsque obstinatam hoc anno se ostendit Saltzkottena, Diœcesis nostræ oppidum non ignobile, celebratúmque à salinis, quæ magnum huic loco vectigal afferunt. Rursus inibi, post ejectos jam pridem alios Prædicantes Lutheranos, in Pastoralem Ecclesiam se intruserat apostata monachus, ac vir ejusmodi, in quo morum improbitas cum rerum divinarum ignorantia decertabat. Is, tametsi è suggestu sacro nihil auribus eruditis dignum proferre posset; novis tamen doctrinis suis cives omnes, præter unum alterúmve satis Catholicum, ità fascinaverat, ut, quò impudentiùs contra Ecclesiam Romanam loqueretur, eò avidiùs illi propositos errores biberent. Subinde salubrioris doctrinæ causâ ex Paderbornensi collegio missus est sacerdos aliquis è Societate JESU. Quem cùm illi fastidiosè rejecissent, haud multò pòst Celsissimus Princeps non modò Jesuitam hunc ad eos reverti jussit; verùm etiam superadditâ centum aureorum mulctâ præcepit eis, ut sceleratum illum, aliísque multis criminibus infamem apostatam, intrà spatium 24 horarum ab urbe pellerent, & cum eo pariter ludimagistrum acatholicum, oppidanæ juventutis depravatorem. Non audebant cives huic Principis mandato se opponere: quia jam ab aliquot annis cum Episcopo litigabant propter salinas novas, ab eo non procùl indè fabricari cœptas; ideóque non immeritò formidabant, ne ob inobedientiam exuerentur omnibus privilegiis & prærogativis suis, quas in Camerali judicio Spirensi contra novum illud opus nitebantur obtendere. Quare statim huic mandato obsecundatum est, & in locum apostatæ substitutus Jesuita; qui usque ad adventum novi Pastoris Catholici, parochiam Saltzkottensem administraret. Id autem ab eo partim per catecheses & conciones publicas, partim etiam per allocutiones & institutiones privatas, tam fideliter, navitérque præstitum, ut non modò intrà hanc urbem; sed etiam in aliis locis vicinioribus, multi agnitis novarum doctrinarum erroribus ad orthodoxam Fidem reducti fuerint.

& ejus loco recipiunt sacerdotem Societatis JESU. *Annales Colleg. Paderborn.*

Providebat interea benignissimus Deus, ut religiosorum virorum Ordines & monasteria pro tot apostatis, à fide & Ordine suo deficientibus, persæpe reciperent viros alios, doctrinâ & sanctitate præstantissimos. Quos inter è Westphalia ad hunc annum præcipuè memorandus est Reverendus & eximius Pater Theodorus Smising, Celsissimi Principis & Episcopi nostri Theodori Fürstenbergii è sorore nepos. Natus hic erat anno seculi currentis octogesimo Nobilissimis parentibus, Domino Henrico Smising in Tatenhausen, condicto Korff; ac Domina Barbara de Fürstenberg suprà dicti Henrici conjuge: quorum ille in statu matrimoniali

Theodorus de Smising, Theodori Episcopi nostri è sorore nepos, Lovanii ingreditur Ordinem S. Francisci de strictiore observantia, *compendiũ vitæ ejus ex veteribus mss.*

Hora-

Horarum Canonicarum pensa quotidie Deo persolvisse; hæc verò servitiis, eleëmosynísque pauperum assiduè semper institisse legitur. Ab his ad omnem pietatem ac modestiam in arce Tatenhusana solicitè institutus, indéque postmodo ad literarum gymnasia missus, quatuor scholas inferiores Osnabrugi; Rhetoricam verò Coloniæ Agrippinæ didicit. Quo in studio cùm Osnabrugi ad Ecclesiæ Majoris Canonicatum evectus esset; politioris literaturæ causâ, Lovanienſem academiam jussu parentum adiit, adducto secum pædagogo probè Catholico, qui juventutem ipsius in terris peregrinis regeret. Ibi inter ipsa scholarum philosophicarum studia simul animum adjecit ad Ordinem S. Francisci de strictiore observantia, quem Bilefeldiæ in patria sua jam dudum noverat; eundémque inscio pædagogo, tandem ineunte Junio præsentis anni pientissimè complexus est, uti constat è sequentibus literis, ad Henricum patrem suum ex Lovanienſi novitiatu scriptis:

Ejus literæ ex novitiatu Lovanienſi ad parentes datæ. *ex compendio vitæ suprà cit.*

SI, pater plurimùm dilecte, unà cum matre, sororibus, ac tota familia, adhuc optatâ omnium rerum prosperitate fruereris; nihil esset profectò, quòd mihi optatius, jucundiúsque evenire posset: ego (laus Deo optimo maximo!) adhuc optimè habeo. Cùm à longo temporis spatio, pater dilectissimè, turbulentum hujus nostræ tempestatis et humanæ vitæ statum diligentiùs nonnihil considerâssem, ac animadvertissem facilè, quantum ii periculum subeant, qui se tantis hujus mundi procellis exponunt; toto tandem animo contremiscens cœpi statûs mei certificationem Deo assiduis commendare precibus. Qui (ùt est parens omnis misericordiæ, omnibúsque pulsantibus aperit) per frequentissimas jam dudum instigationes animum, affectionémque meam ab hoc seculo abstraxit, et me ad sanctissima B. FRANCISCI instituta invitavit: cujus voluntati, dispositioníque sapientissimæ grato animo annuens, Religionem Minorum relicto seculo ingressus sum. Quamobrem cùm scirem parentes meos dilectissimos (ùt naturale est) non nihil forsan turbari posse; volui eos præsentibus hisce literis consolari, obnixè petens, ut inceptis meis, voluntatíque divinæ velint libenter consentire, idque omnino persuasum habere, quòd felicissimo jam ac tutissimo in statu versér: et in eo statu, in quo et Deo perfectiùs servire, ejúsque Ecclesiam juvare, et precibus meis (licèt exiguis) pro parentibus meis Deum exorando, eisdem hoc pacto innumera eorum in me beneficia compensare possim; exiguóque hoc vitæ curriculo feliciter exacto, ad æternam patriam pervenire, et ibidem cum parentibus meis, omnibúsque beatis sinè fine lætari queam. Sed una res supereſt, quam parentibus commendatam velim, ut nihil hac in re pædagogo meo fidelissimo imputent; sed ipsum semper pro tali habeant, qualem se perpetuò præstitit. Ille enim ità fidelis mihi semper fuit, ut nulla in re compensari posse arbitrer: ipséque, ùt nihil de hac re scire potuit, ità nec illam impedire. Quapropter

propter quæso, illud parentes ipsi perpetuò præstent, quod quidem ipse à me promeritus fuisset; sed ego vocatione Dei impeditus facere non potui. Hisce paucis parentes meos dilectissimos, sorores, fratres, reliquósque omnes, Deo, omnibúsque Sanctis commendatos volo. Etiam atque etiam vale dilectissime pater. Datum Lovanii, 6. Junii 1598. Filius Tuî observantissimus Theodorus Smising.

Ejusdem pientissima responsio ad propositionem, quâ tentabatur ad monasteriũ illud relinquendum. *ex eodem compendio vitæ.* **ex literis Guardiani Lovaniensis ad ejus patrem.*

Vehementer hæc epistola consternavit optimos parentes, maximéque matrem ejus Barbaram Fürstenbergiam: cui tam repentina mutatio statûs vel idcirco acerbior erat, quia nimìs improvisa. Ac, tametsi divinæ voluntati resistere nequaquam vellent; continuò tamen ad cœnobium Lovaniense miserunt virum aliquem (Cathedralis Ecclesiæ Canonicum fuisse, ex aliis literis* non obscurè colligo) qui in suscepto istius Ordinis tyrocinio, constantiam ejus ac firmitatem juvenilis animi adhuc paululùm pertentaret. Is, cùm ad ejus alloquium haud ægre admissus esset; præter alia verbis admodum querulosis proponebat ei, quàm acerbo in luctu mater ejus per inopinum hunc tam severi Ordinis ingressum constituta sit! quomodo ejusdem oculi continuò sint fletu madidi; neque ullum interni doloris remedium admittant, nisì Theodorum ex eo vitæ statu ad se revertentem videant! Id si negaret matri nimiùm afflictæ; manifestum periculum fore, ne eadem ex vehementi ægritudine animi in hujusmodi morbum incidat, ex quo difficillimè postmodum eluctari, & ad vitam longiorem convalescere queat. At ille, jam spiritu sacratiore plenus, monitori huic præter omnem ipsius exspectationem tam egregium responsum reddidit, ut nullum aliud præstantius, etiam ab adultæ, & probatissimæ virtutis Religioso, potuerit exspectari. Stabant eo in loco (nimirum inter duas portas, quibus ad conventum Franciscanorum itur) lapideæ quædam imagines passionis Dominicæ: ac præsertim JESUS crucifixus, ac MARIA mater ejus, prope filii sui crucem acerbè plorans. In has imagines Theodorus continuò digitum intendens, respondit monitori suo: *Vides hìc JESUM, in cruce pendulum ac madentem sanguine! simúlque matrem ejus dulcissimam, cruci huic indolentem, perfusámque multis lachrymis! Putásne JESUM propter hujusmodi lachrymas, dolorémque suæ matris, de cruce iterum descendisse, ut ostenderet, à se amari matrem? Certè nec ipse id fecit, nec ego id matris amore faciam; tametsi huic dolenti intimè condoleam, brevique mœrorem ejus à Deo levandum sperem. Pauperem S. Francisci vitam velut crucem Domini mei JESU Christi complexus sum. In hac vivam, in hac moriar, in hujus amplexu ità porrò me perficere satagam, ut possim dicere cum Apostolo: mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.*

Obstu-

Obstupuit his auditis prædictus monitor. Paulóque pòst etiam Theodori parentes, cùm penitiùs intelligerent, eum non aliquo juvenili impetu, sed spiritu divino agi; sanctissimo ejus proposito lubenter acquievêre: id unum obtestantes, ut Osnabrugensis Ecclesiæ Canonicatui non aliter, quàm ex eorundem arbitrio & voluntate, renuntiaret. Id quod etiam sequenti anno, sub expletæ probationis ac tyrocinii religiosi finem, pro ipsorum desideriis accuratissimè peractum est. Quàm verò piè ac devotè postmodum in hoc Ordine religioso vixerit, quibus doctrinæ, sanctitatis, & omnium virtutum radiis, Germaniæ inferioris provinciam illustraverit, prolixiùs referendum erit ad annum sequentis seculi vicesimum sextum, quo defunctus est Lovanii die vicesimâ 2dâ Octobris. Mihi interim hîc sufficiet breve illud elogium, quod ei texuit Nicolaus Vernulæus, hoc modo scribens de illo: *Hic vir in Theologia magnus erat; et vix ulli cedens, vivere si diutiùs licuisset. Vixdum quadraginta sex annos natum præmatura mors eripuit; dicam etiam, orbi invidit. Erat matura in illo virtus, et suis sanctimoniæ radiis clarescebat: dignus terrâ, qui tam doctus; dignus cælo, qui tam sanctus. Unum illi opus studere et orare. Posteritas, quæ scripta ejus admirabitur, longiorem ei vitam fuisse, frustra optabit.*

Parentes Nobilissimi tandem acquiescunt ejus vocationi; petúntque, ut Osnabrugensis Ecclesiæ Canonicatui renuntiet ex eorundem arbitrio. *ex eodem compendio vitæ.*

Annus Christi 1599.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 8.
RUDOLPHI II. Imperator. 23. & 24.
THEODORI Episc Paderb. 14. & 15.

LUtherani cives Paderbornensis urbis, cùm in Decembri superioris anni à Theodoro Episcopo clementer admoniti essent, ut ad evitandas Hispanorum circumjacentium iras Lutheranum templi Forensis concionatorem expellerent, seséque rursus antiquæ Fidei Catholicæ & ejusdem cultoribus associarent: non solùm Admiralii Mendozæ literas, ea de re ad Episcopum datas, petulanter explosérunt; verùm etiam cum aliis quibusdam patriæ Statibus, qui biennio abhinc in comitiis Diœcesanis libertatem Religionis obstinatè flagitaverant, adversùs istas Admiralii literas novum aliud anile figmentum per totam urbem stolidissimè evulgârunt. Fabellæ totius tenor erat: *apud Admiralium in castris prope Rëesam agere sex Religiosos ex Ordine Fratrum Crucigerorum, et aliquot alios ex Ordine Minoritarum seu Fratrum Conventualium S. Francisci. Illos urgere, ut sibi restitueretur monasterium Falckenhagense: hos verò, ut*

Lutherani cives Paderbornæ fingunt, novũ collegium Societatis JESU ibidẽ ab Hispanis disturbatum iri. *Hist. Collegii Paderb.*

ut sibi restitueretur monasterium, olim à se Paderbornæ habitum, et à Theodoro Episcopo nunc attributum Patribus Jesuitis. Amborum Ordinum istorum Religiosos Admiralio percaros esse: ideóque facilè ab eodem impetraturos, ut Paderbornensi Diœcesi bene magnam sui exercitûs partem infundat; atque ità Episcopum ad utriusque illius monasterii restitutionem vi et armis cogat, cum ingenti pernicie totius Diœcesis. Cogitabat facilè prudentissimus Princeps, narrationem hanc à malevolis hominibus confictam esse in odium suî & Patrum Jesuitarum, quos amabat. Nihilo minùs tamen, quia viri sapientis est, quandoque etiam timere ea, quæ videntur esse tuta: Patrem Fridericum Wachtendunck, Paderbornensis collegii Rectorem, pro majori securitate misit ad Admiralium, jussítque inibi non solùm indagare veritatem hujus rei; sed etiam ab eo petere, ne pateretur à suis ullam vim aut injuriam inferri Episcopo, de Ecclesia Catholica tam præclarè merito. Summopere mirabatur Admiralius tam ineptas hæreticorum calumnias. Atque, ut mendacissimo eorundem ori frenum imponeret, continuò ex urbe Rëesa humanissimè rescripsit Episcopo: *Videre se, quo consilio tam inanis, falsúsque rumor ab hæreticis in plebem dispersus fuerit: nimirum ut Societatis JESU Patres universæ Diœcesi exosos facerent; quasi propter eos, et propter faventem iis Episcopum, Paderbornensis Diœcesis incursionem aliquam ab Hispanis formidare debeat. Nullum certè Minoritam, aut Religiosum Ordinis Crucigeri, suis in castris degere; et Falckenhagam, quam ope militum Hispanorum à Crucigeris repetendam spargerent, sibi ne quidem ex levissimo istius nominis auditu notam esse. Contrà verò Societatis JESU Patres non solùm apud se in castris agere; verùm etiam vehementer à se amari: quòd execrationes et blasphemias militum compescant, quòd eorum furta et rapinas pro suis viribus coërceant, quòd alia peccata plurima iteratis dehortationibus impediant, quòd ægrotos assiduè visitent, sauciatos foveant, afflictos consolentur, humillimâque intercessione suâ frequenter id efficiant, ut cum urbibus multis longè mitiùs agatur, quàm aliàs ab offensis, irritatísque militibus agendum fuisset. Quam ob rem hortari se et instanter commonere, ut Reverendissimus et Illustrissimus Princeps, contemptis hujusmodi malevolorum hominum rumusculis et fabellis, gloriosè prosequatur ea, quæ in ædificando Societatis JESU collegio pro Dei gloria et Catholicæ Religionis incremento feliciter incepisset. Promittere se vicissim, quòd militem suum ab ingressu Paderbornensis Diœceseos cohibere velit; ut vel indè conspiciant omnes, se esse fautorem Jesuitarum, et hostem eorum omnium, qui præclaris ipsorum laboribus pro Fide Catholica susceptis obstrepunt.*

Admiralius de Mendoza fabulam istam egregiè refutat, & summopere commendat Patres Jesuitas.

Hist. Collegii Paderb.

Receptis hísce literis, quæ ineunte hujus anni Januario datæ erant, ingenti gaudio perfusus est Illustrissimus Princeps Theodorus Episcopus. Ideóque statim, ut omnem Hispani militis offen-

sionem

sionem evitaret; toto animi conatu se convertit ad exequenda ea, quæ idem Admiralius de ejiciendis concionatoribus heterodoxis exeunte priori anno per literas admonuerat. Præcipua difficultas erat in amovendo Hermanno Tünneken, Pancratianæ seu Forensis Ecclesiæ Pastore apostata, de quo jam aliàs persæpe diximus. Is enim histrionicâ garrulitate suâ totam urbem, velut equum freno, circumducebat: neque poterat à civibus exspectari pax & observantia erga Principem, quàm diu nequam ille sedebat in cathedra pestilentiæ. Mense igitur Januario suprà dictus Princeps quæstorem & secretarium suum ex vicina arce Neuhusana in urbem mittit, jubétque sibi statim à civibus tradi clavem templi Forensis. Quod cùm illi protervè recusarent; obseratis, firmatísque ejusdem Ecclesiæ foribus, gravissimo rursus præcepto mandat, ne quis eam sibi audaciam sumat, ut ædem hanc se invito referet, aut Hermannum Tünnekenium doctrinæ veteris corruptorem, quocunque demum colore vel prætextu, rursus in sacrum suggestum efferat. Paruêre tum quidem cives pejora veriti: &, quia sacerdotem Catholicum admittere detrectabant; ædes illa mansit postmodum sinè omni Religionis exercitio clausa à die 24. Januarii* usque ad Kalendas Maji inclusivè, uti refert oculatus testis Martinus Klockner. Quanta verò tempestas persecutionum exinde rursum à civibus commota sit in Patres Jesuitas, quos omnium hujusmodi jussionum ac prohibitionum authores esse arbitrati sunt, cogitari faciliùs, quàm explicari potest. Hos illi palàm in tabernis & circulis traducere, hos publicæ tranquillitatis eversores dictitare, hos diris, furiísque omnibus devovere, his domuum suarum effractionem, novæ fabricæ destructionem, bonorum omnium direptionem, ac denique totius collegii internecionem tam atrociter comminari, ut amicorum suorum suasu pretiosiora quælibet in tuto collocare; cetera verò divinæ providentiæ ac benignitati committere necessum fuerit. Sed hæc eorum comminatio, uti jam sæpe aliàs; ità nunc iterum, providente è cælis Deo, intrà solos terrores constitit.

Theodorus Episcopus Forense templum Paderbornæ Lutheranis occludi jubet, & Hermannũ Tünnekenium apostatam arceri ab ejusdem aditu. *Klockner in hist. Paderb.*

*Klockner. loc. cit.

Hinc Patres Jesuitæ à civibus gravem persecutionem patiuntur. *Hist. Collegii Paderb.*

Interea milites Hispani, quos exeunte anno superiore in varias Westphaliæ terras involâsse diximus, partim inopiâ stipendiorum, partim etiam necessitate brumalis auræ, ibidem in hibernis perstiterunt usque in Aprilem anni præsentis. Ac tametsi hominibus, urbibúsque, Luthero vel Calvino deditis, admodum infesti fuerint; longè tamen moderatiùs egerunt cum viris aliis Catholicis aut Religiosorum hominum domiciliis: uti non solùm constat ex iis, quæ de Theodoro Episcopo nostro superiùs diximus; verùm etiam ex literis publicis, quibus Joannes Abbas Liesbornensis die octavâ Aprilis Domino Joanni Contreras de Gamarra, copiarum equestrium

Hispani in Westphalia hibernantes, mitiùs agunt cum Catholicis, quàm cum Protestantibus.

strium Commissario, donavit *caput et partem corporis S. Simeonis Episcopi Hierosolymitani.* In his enim literis prædictus Abbas liberrimè testatur, suprà dictum Contreram, cùm ibidem hospitaretur, nihil pecuniarum exegisse à monasterio Liesbornensi: ideóque se eidem *pietatis et grati animi ergò pro spirituali munere syncerè et sponte obtulisse ac donâsse prædictas reliquias, eíque simul ex animo precari, ut non solùm de inimicis suis plenariam in hoc seculo victoriam reportet; sed etiam sanctis illis, quorum sacris reliquiis in Christo confidit, æternæ beatitudinis coronâ redimitus associari mereatur.* Quo benignius autem agebatur cum Catholicis; eo magìs offendebantur animi Principum acatholicorum: præsertim cùm audirent, passim ab Hispanis jactitari, se in has provincias defluxisse ad conservandam, fovendámque inibi Religionem Catholicam. Quare statim sua capita inter se conferre, aliorum Protestantium opem expetere, Catholicos Hispanorum hiematione pressos in suam partem attrahere, ad Albertum Archiducem scribere, innumeras ad Cæsarem querelas deferre, Mendozæ & militum suorum proscriptionem ab eodem extorquere, ac demum plurimis in locis, maximéque Erfurti, Francofurti, & Coloniæ, pro depellendis hujusmodi hospitibus in varias consultationes & conventus ire.

Vicini Westphaliæ Principes varios conventus agunt, & in iis deliberant de bello Hispanis inferendo. *Turckius in hist. ms. Haræus in ann. brab.*

In horum conventuum ultimo sæpe dictus Admiralius *de Mendoza* causam suam, & ea, quæ ab Hispanis per hiemem gesta erant, per suos Legatos & Oratores copiosè non minùs, quàm speciosè excusavit. Compendium sermonis erat: *Vehementer mirari se, quòd Germanici Principes tam acerbè conquerantur de Hispanis; et non potiùs de Hollandis, omnium hujusmodi bellorum ac turbationum auctoribus. Illos venisse in bonum Imperii, nimirum ut Rhenobergam, Lingam, et alia loca Romano Imperio subtracta, veris Dominis restituant: hos verò nihil aliud agere vel moliri, quàm ut ex Imperii Romani spoliis rebellionem suam foveant. Et tamen hucusque prô dolor! non paucos Germaniæ Principes Regi Catholico tam iniquos fuisse, ut non solùm turpissima Batavorum defectioni faverint; sed etiam perduellibus istis contra legitimum Dominum novas identidem vires et arma suppeditârint. Meminisse paulisper velint illorum temporum, quando tumultuum Belgicorum signifer Wilhelmus Princeps Arausicanus; quando Ludovicus, et Henricus Nassovii Comites, Wilhelmi Arausicani fratres; quando Joannes Casimirus Comes Palatinus et plures alii, tot exercitus in Germania conscriptos adversùs potentiam Hispanicam per diversas Imperii terras in Belgium traduxêre. Ecquis illorum omnium tunc ab aliis Principibus eum in modum accusatus, aut jussionibus ac mandatis adeò severis à Cæsare proscriptus vel exagitatus fuerit, utì nunc Batavorum persecutor Admiralius? Recordari similiter velint continuas eorundem Batavorum incursiones*

Admiralius Mendoza in Conventu Coloniensi omnē hujus facti invidiam rejicit in Hollandos, utpote magìs reos. *Turckius in hist. ms. Haræus in ann. brab.*

siones ac depræ dationes, quibus à decennio et ampliùs plerasque Westphaliæ provincias penè singulis annis acerrimè divexârint. Non enim ignorari à Principibus posse, quomodo Adolphus Comes Nüenarius, anno seculi præsentis octogesimo nono, cum Hollandicis militibus tristissimè despoliaverit Grevonienses nundinas in Diœcesi Monasterienſi: quomodo Joannes Philippus Comes Obersteinus, anno seculi ejusdem nonagesimo et sequente, per totam Westphaliam crudelitate plùs quàm Ottomannicâ rapiendo ac destruendo grassatus fuerit: quomodo Joannes Nassovius et ejusdem socii biennio abhinc in Diœcesi Monasterienſi octo pagos cum uno oppidulo expilaverint; eadémque et alia mala in Episcopatu Paderbornenſi voluerint perpetrare, nisi partim oppositis armis, partim etiam acceptis quater mille imperialibus, ab ulteriore conatu repulsi forent. Ecquis autem vicinorum Principum acatholicorum, id temporis contra has et plures alias Hollandorum invasiones, pedem aliquem digitúmve moverit? Quis ad Cæsarem, Batavósque literas, tam atrocibus querelis et proscriptionibus oppletas dederit? quis denique ad ejusmodi vexationes annuas, à Colonienſi, Monasterienſi, Paderbornenſi, et Osnabrugenſi, Diœcesibus avertendas, tot Principum et Legatorum cœtus in diversis Imperii circulis convocârit? Cur ergo contra Hispanos id modò facerent? et quidem ob hiemationem unicam, necessitate magis, quàm voluntate aut animo nocendi captam? Certè non aliam hujus rei causam ab adversis Principibus afferri posse, quàm quia Hispani adhuc antiquam Fidem Romano-Catholicam retinent; Hollandi verò propter novæ Fidei vel doctrinarum conjunctionem in eadem cymba cum illis navigant. etc.

Principibus de inferendo Hiſpanis bello diſſentientibus decernitur novus alius conventus Confluentiæ.

Hæc ubi non minùs verè, quàm plausibiliter, elocuti erant Oratores Belgici; propè omnes Principum Catholicorum Legati videbantur à bello Hispanis inferendo non parùm abhorrescere: præsertim cùm in oculis omnium versaretur (id quod in eodem Legatorum cœtu proposuerat Admiralius) Romanam Ecclesiam Hispanis maximè obstrictam esse; eorúmque fidelibus auxiliis potissimùm deberi, quòd Archiepiscopatus Colonienſis Truchsesio Calvinizanti subtractus, & in antiqua Fide Catholica felicissimè conservatus fuerit. Contrà verò Legati Principum Protestantium urgebant bellum in Hispanos; eóque tandem post multam disceptationem consilia sua perduxêre, ut communi omnium consensu novus alius conventus, in quo & alii aliorum plurium circulorum Legati præsto essent, ad urbem Confluentinam indictus & condictus fuerit. In eo rursum variabant vota cunctorum Principum. Legati Cæsaris judicabant, *non esse temere ineundum bellum cum Hispanis. Rudolphum Imperatorem de avertendis hujusmodi malis jam abunde solicitum fuisse. Andream Cardinalem gubernatorem Belgii non sinè lachrymis contestari, quòd hæc irruptio in Westphaliam se invito et inscio peracta*

Turck. in hist. mſ. Hæreus in ann. brab.

In eo tandem decernitur bellũ contra Hispanos: ità tamen, ut agatur solùm defensivè; tam contra Batavos, quàm contra Hispanos. *Auctores iidem.*

peracta sit. Albertum Archiducem, nunc Belgii Catholici Dominum, iteratis vicibus promisisse, quòd Hispanorum copiæ ex hibernis in Westphalia captis propediem revocari, et omne damnum ab his illatum resarciri debeat. Proinde eventum hujus pollicitationis adhuc paulisper exspectandum esse priùs, quàm adversùs potentissimum Regem temere et inconsultò ad arma prosiliatur. Idem censuêre Legati quatuor Electorum Rhenensium, & quidam alii Principes Catholici. Alii verò ac præsertim acatholici, promissionibus ab Alberto factis non contenti, urgebant acriter, non esse exspectandum ampliùs: oportere protinus conscribi militem contra Hispanos, & in eos, velut publicæ pacis turbatores, conjunctis omnium vicinorum circulorum animis ac viribus iri. Id quod etiam die nonâ Aprilis communi decreto sancitum est: sed eâ tamen lege ac moderatione, quam plerique addendam esse censuêre, ut expeditio ista per modum solius defensionis fieret; neque minùs ex Imperii finibus pellerentur Batavi, quàm Hispani.

Admiralius militem Hispanicum retrahit è Westphalia & plerisque urbibus Cliviæ. *Auctores iidem.*

Tum verò Admiralius, ulteriorem Principum offensionem declinaturus, die duodecimâ ac decimâ tertiâ Aprilis Hispanos omnes è Westphalia revocavit. Ex aliis verò locis, in territorio Colonienſi & Clivensi ad Rhenum occupatis, retinuit solùm paucas urbes & oppida: nimirum Gennepiam, Calcariam, Rëesam, Embricam, & Rhenoberckam. Hæc enim dictitabat sibi adhuc paulisper necessaria esse, partim ad habendum aditum in Ducatu Geldriæ; partim verò ad expugnationem propugnaculi Schenckiani, quod Hollandis ex eo nimiùm sibi infestis eripere, Clivióque Duci, tanquam legitimo fundi istius Domino, restituere contendebat: etiamsi eventu, postmodum ob resistentiam hostilem irrito. Pergebant interea Principes heterodoxi copiosos militum delectus facere: statímque ex primo armorum apparatu patuit, expeditionem hanc non in Batavos, Hispanósque simul (quemadmodum in conventu Confluentino sancitum erat) sed in solos Hispanos, imò & in omnes Catholicos, eorúmque ditiones obterendas dirigi. Mauritius Hassiæ Landgravius militum suorum copias in usum hujus belli collegit in territorio Catholico Abbatis Fuldensis; ídque tanto colonorum damno, ut provincia hæc, Browero teste, postmodum adhuc multis annis mali istius sensum circumtulerit. Indè miles omnis traductus est in Diœcesin Paderbornensem: & primò quidem Heristallum in modernis Paderbornensis Diœcesis finibus; postea verò in omnia totius Principatûs oppida, ipsámque adeò Paderbornam. Quæ & militem heterodoxum, die decimâ quintâ Maji, cum prætorianis equitum, peditúmque vexillis tanto recepit gaudio, ut jam tredecim diebus antè (cùm

Miles Hassicus colligitur in terra Fuldensi: indè traducitur in Diœcesin Paderbornensem. *Turck. in hist. ms. Klockner. in hist. Paderb.*

iidem

iidem Hassi adhuc in finibus Diœcesis agerent) Lutherani cives Forense templum, à mense Januario hactenus occlusum, contemptâ Principis auctoritate reseraverint; & Hermannum Tünnekenium, sacerdotem apostatam, rursus in interdictam sibi cathedram introduxerint. Sed brevi didicit malesanum vulgus, qualem aspidem in sinu foveat. Nam ex eo tempore peregrinus miles in Diœcesi Paderbornensi hæsit usque in finem Junii: & interea in pagis, urbibúsque omnibus ea cum insolentia ac inhumanitate versatus est, ut etiam in terra hostica pejus agere, aut insolentiùs debacchari non potuerit. Pecunia in loculis omnium ipsorum deerat: & tamen lautissimè volebant vivere. Promittebant, impensas omnes à Mauritio Landgravio solutum iri; sed fortè ad Kalendas Græcas. Ciborum delectus ex quotidiana satietate apud eos tam petulans & exoticus erat, ut propè nescirent ampliùs, quid admittere in mensam vellent. Nullus in hac turba respectus erat personarum illustrium de Capitulo, nullus honor minoris Cleri, nulla in cives, hospitésque suos observantia: civem unum ante fores ædium suarum barbarè trucidârunt, alios minis ac verberibus terruêre, sacerdotibus ad aram operantibus procaciter illusêre, juventutem studiosam in scholis Patrum Jesuitarum inconditis vociferationibus assiduè turbavêre, demum toti Episcopatui in rebus omnibus tam irreparabile damnum intulêre, ut adhuc seris annis tristem ejus memoriam ubique locorum retinuerit.

Eâ occasione Lutherani cives Paderbornæ, invito Principe, rursus aperiunt, sibique vendicant Ecclesiam Forensem. *Klockner in hist. Paderb. mss.*

Nec minori cum insolentia grassatus est alibi miles Brunsvicensis & Onoltzbacensis; tametsi uterque paulò tardiùs in Westphaliam dilapsus fuerit. Ambo, postquam legiones Hassicæ pridie Kalendas Julii Diœcesin, urbémque Paderbornensem deseruêre, unà cum his in unum exercitum confluebant; ac deinde conjunctis viribus ad Rhenum processêre sub Illustrissimo Domino Simone Comite Lippiensi, qui toti huic exercitui cum supremo imperio præerat. Summa omnium copiarum, post accessionem legionum ceterarum, quæ ex aliis Imperii circulis adventabant, ascendisse dicitur ferè ad viginti peditum, equitúmque millia. Cum his primùm Comes Lippiacus naves plurimas è vicino Montium Ducatu abripi, & in castra sua abduci fecit. Deinde Rheno transmissò Clivense oppidum Orsovium, ab Hispano milite jam pridem vacuum, novo suorum præsidio firmavit, non sinè gravi oppidanorum incommodo. Ibi cùm intelligeret, Hispanos, qui Rhenoberckam insidebant, ex defectu stipendiorum tumultuari; occasionem hanc in utilitatem suam conversurus, obsidione præproperâ cœpit urbem illam circumcingere. Sed eventu minimè fortunato. Nam Hispani, militem peregrinum ante portas conspicati, repentè

Hassi cum Brunsvicensibus, Onoltzbacensibus, & aliis, ineunte Julio in unum exercitum confluunt. *Klockner. ibid. Turckius in hist. mss.*

Simon Comes de Lippia, qui toti exercitui præerat, frustra tentat Rhenoberckam. *Turck. in hist. mss.*

posità

positâ seditione in hostes vicinos erupêre; mactatísque eorundem facilè ducentis, cum ingenti jubilo in urbem reversi sunt. Neque tamen idcirco cœpit antè dictus Comes omnem urbis potiundæ animum despondere: imò potiùs ab utroque Rheni litore non parvam navium multitudinem contrahere, numerosas militum suorum copias iisdem imponere, ad insulam è regione urbis in Rheno sitam adnavigare, & munimentum in ea positum, die vicesimâ sextâ Julii, manu armatâ vincere, occisis Hispanorum sexaginta, suorum verò penè centum & quinquaginta. Plura conanti, urbémque ipsam validiùs tentaturo, deerant grandiores belli machinæ, sive tormenta Martia ad confringendos, labefactandósque urbis muros necessaria. Quæ cùm ab Hollandis petenda esse vereretur Admiralius (jam enim in castris Germanorum ea de re consultatum erat) consilium illud & omnem cum Hollandis communicationem præventurus, continuò suos omnes ex Gennepiensi & Embricensi præsidio revocavit; atque ità Germanico exercitui potestatem dedit, utramque hanc urbem, si ità vellent, occupandi.

Insulam, è regione urbis in Rheno sitam, cum damno expugnat. *Turckius in hist. mss. Piderit. in chron. Lip. pag. 652.*

Tum verò statim apparuit, quo animo prædicti exercitûs duces in hoc bellum iverint. Nam solutâ protinus obsidione Rhenobercksensi, non modò Embricam & Gennepiam imposito præsidio firmavêre; sed etiam excursione in vicinam Brabantiam factâ, ausi sunt extra Imperii fines primam contra Hispanos hostilitatem incipere, monasterium, pagúmque Audenroiensem inimicâ manu diripiendo. Indignissimè hoc tulerunt complures Imperii Principes, ac præsertim Catholici, utpote qui solùm *defensivè* (ùt inquiunt) in hoc bello agendum esse constituerant. Joannes Wilhelmus Cliviæ Dux acrioribus idcirco literis Lippiensem objurgavit, *quòd commissionis suæ limites transcenderit, neque satìs fideliter* præstiterit ea, quæ sibi in comitiis Confluentinis præscripta fuerant.* Ipse etiam Admiralius, jussu Andreæ Cardinalis Austriaci, Ferdinandum Madrutium ad Simonem Comitem Lippiacum in castra misit, rogavítque: *qua de causa veniat ad persequendum se, suósque? militem Hispanum jam è plerisque Germanorum urbibus reductum esse; restaréque solum Rëesam et Rhenobercksam. Eas quoque propediem à se, susque restitutum iri, dummodo Hollandi pariter ex munimento Schenckiano et aliis Germaniæ locis excedere velint? cur ergo manum ab his invadendis retrahat, et in solos Hispanos furorem belli convertat?* Quatriduum ferè totum exspectare Madrutius debuit, priusquam ad hæc postulata responsum acciperet. Jam enim præcipua circularium copiarum capita de rebus à se agendis non parùm dissentiebant. Et alii quidem cum Hohenloio Comite suadebant, ut exercitus totus conjungeretur cum Hollandis: alii verò cum Simone Comite

Embricam & Gennepiam, ab Hispanis evacuatam, præsidio firmat: & indè prædabundus excurrit in vicinam Brabantiam, non sinè offensione multorum Principum. *Haræus in ann. brab. *Turck. in hist. mss.*

Admiralio, ea de re conquesto, superbè ferocitérque respondet. *Haræus in ann. brab. Turck. in hist. mss.*

Lip-

Lippiensi contendebant, priùs Rëesam à se invadi, Cliviámque totam ab Hispanis expurgari oportere. Quæ sententia cùm à majore belliducum parte probaretur, Madrutio tandem ferociter ac superbè responsum est: *Admiralium et Andream Cardinalem de his rebus frustra inquirere: visuros brevi, quid Principes Germani velint.*

Sed hæc ejus ferocia paulò pòst iterum detumuit.

Sed hæc Lippiaci Comitis & suorum ferocia intrà breve tempus finem admodum infelicem habuit. Cùm enim haud multò pòst, exeunte Augusto, sua castra admoverent ad urbem Rëesam; neque Hispani eam tam citò dederent, quàm egeno militi persuasum fuerat: derepente fames tam dira & intolerabilis in castra Germanorum irruit, ut miseriæ inexspectatæ magnitudo fidem penè omnem superet. Advehebatur illis quidem satis frumentorum, ciborúmque ex aliis ad Rhenum urbibus, atque ex ipsamet etiam Hollandia. Sed quia jejuno exercitui ferè nihil stipendiorum à longo tempore numeratum erat; pecuniarum defectus in totis castris ità invaluit, ut vel præcipui centuriones ac primipili, consumptis, venditísque gemmatis annulis & omni re pretiosâ, nihil ampliùs obsoniorum emere, vel à propolis castrensibus creditum accipere potuerint. Ipsi etiam obsessi, ex misericordia Christiana, quandoque illis panem & alia propter Deum elargiri ac donare visi sunt, utì refert Klocknerus temporum istorum scriptor. Summa summarum: insolentiam illam in cibo ac potu, quâ ad immodicam superfluitatem abusi fuerant Paderbornæ & alibi, in castris prope Rëesam positis per abstinentiam, famémque involuntariam satis acerbè & amarissimo cum gustu luere coacti sunt. His accesserunt & alia tria mala, quæ hujusmodi famem comitari plerumque solent: nempe militum gregariorum ignavia, ducum primariorum discordia, & funesta corporum malè pransorum dysenteria, ex omni militantium genere plurimos depasta. Quo intellecto Hispani, die decimâ Septembris manè, beneficio densæ, tenebricosæque nebulæ cum sexcentis ferè militibus in stationem Hassorum prorupêre, in eáque stragem adeò improvisam ediderunt, ut quingentos ipsorum obtruncaverint, centum alios gravi vulnere sauciârint, tria vexilla in spolium abripuerint, octo bellica tormenta clavis ferreis impactis corruperint, quædam alia in aquas deturbârint, unum ostentandæ victoriæ causâ in urbem traxerint, plura secum adducturi, si necessarii funes tam celeriter ad manum fuissent.

Ejusdem exercitus ante Rëesam fame horrendâ premitur. *Klockner in hist. Paderb.*

Hassi clade non parvâ cæduntur ab erumpentibus Hispanis. *Turck. in hist. mss. Klockner. in hist. Paderb. Hæreus in ann. brab.*

Magnus exinde pavor in castris omnibus: Ducúmque terrorem auxit insecutus illico tumultus militum, stipendia sibi pridem non soluta placandæ famis causâ minaciter flagitantium. Quæ cùm intrà biduum repræsentari non potuêre, tandem die 13 Septembris

demum tota Germanorum castra aufugiunt.

tembris tota castra dissolutis ordinibus in fugam ruunt, ea cum velocitate & confusione, ut Hispanis, abeuntium* vestigia pre-
*Haræus hic pag. 503
mentibus, non exiguam vim suorum impedimentorum diripiendam reliquerint. Primi ante omnes fugerunt Hassi, revulsis dilaceratísque suis vexillis: & quia in patriam reverti non audebant (id enim iisdem sub pœna suspendii interdictum erat) huc illuc in omnes terræ plagas abscurrêre, pro ùt quemque malesani terroris
*Klockner. loc. cit.
impetus & fortuna propulit. Plures eorum furtivè transierunt* Paderbornam, neque ausi sunt ad hospites antiquos regredi: quia ob insultationes nuperas de iisdem erant pejùs meriti, quàm ut sibi vel panis aut casei frustulum ab iisdem gratis offerretur. Similiter etiam Brunsvicenses & aliæ aliorum Principum acatholicorum copiæ, eodem pavore ac tumultu percitæ, à suis signis turmatim abscessêre; exceptis aliquot equitum peditúmve centuriis, quæ cum Hohenloïo & quibusdam aliis versùs Embricam se retraxerant. Sed & hæ non multò pòst, cùm Zevenariam ad Hollandos se deduci animadverterent, repentè fugam respicere visæ sunt; nec
*Turck. in hist. ms.
ullis deinde *minis aut pollicitationibus adigi potuêre, ut ad Hollandorum stipendia pertransirent, vel extra Imperii Romani fines militiam facerent. Ità famosa expeditio illa, pro qua suscipienda tot Imperii conventus ac deliberationes per hunc annum habitæ, cum ingenti Germanicorum Principum dedecore sinè omni prorsus fructu in ventos & fumos abiit: multò glorioſior futura, si primarii duces unà cum Hispanis, perlubenter excedere volentibus, ab expugnando munimento Schenckiano bellum istud exorsi essent. Sed hoc non permittebat eorundem nimius in Hollandos, doctrinarum suarum & acatholicæ Religionis consortes, amor.

Paderborna per æstatem affligitur gravi dysenteriâ. *Klockner in hist. Paderb.*

Paderborna interim, quæ duobus annis anterioribus gravi peste afflicta fuerat, per æstatem hujus anni rursus alio non levi malo percussa est, nimirum fœdâ & exitiali lue dysentericâ. Prodidit hæc sese statim ab emigratione militis Hassiaci: ideóque clanculum inter milites latuisse, & ab iis huic urbi remunerationis loco obvenisse creditur. Periêrunt ex ea complures viri ac mulieres, juvenes & senes, cum intolerabili dolore viscerum: testatúrque Klocknerus tunc in urbe vivens, morbum hunc tam fuisse plenum cruciatu, ut robustis etiam, vegetísque viris intestina ipsa, quasi minutatim concisa (date veniam huic verbo!) unà cum aliis sordibus per alvum dilapsa fuerint. Cessavit quidem hoc malum circa initium Septembris: at eo vix depulso, ecce! iterum in plebe murmur, iterum insani motus & querimoniæ civium gregariorum. Repetebant hi à Magistratu urbico sumptus omnes, quos in alimen-

alimenta militum Hassicorum fecerant. Horum solutionem, inquiebant, sibi à Landgravio bonâ fide promissam, & hucusque nondum exhibitam esse. Proinde rogare se, ut consules & senatores ea de re ad Landgravium scriberent, expositísque civium prægravatorum damnis ab eo celerem omnium expensarum solutionem poscerent. Obsecundabat equidem huic civium postulato Magistratus urbicus: omniúmque sumptuum rationes, in unam summam contractas, Landgravio misit, humillimè ab eodem petens, ut & suæ ipsius promissioni, & ardentissimæ civium egenorum supplicationi satisfaciat. Sed quia Landgravius ad hujusmodi postulata non admodum affectus erat, solutio ista prô dolor! ad magnum Platonis annum procrastinata est: debuítque civibus hac vice id unum satis esse, quòd obtentu militum Hassicorum, in Forensi templo Lutheranæ Religionis exercitium recepissent. Quanquam & hujus violentæ recuperationis negotium nondum extra omnem disceptationem ac pœnam arbitrariam esset. Celsissimus enim Princeps Theodorus, sinè cujus consensu prævio templum illud à civibus receptum erat, acerrimè inquirebat in omnes attentati istius facinoris reos: volebátque sibi rotundè ac sigillatim indicari, quis Ecclesiam istam se invito rursum aperuerit; aut Hermannum Tünnekenium, Pastorem apostatam, in ejusdem Ecclesiæ cathedram denuo introduxerit? Licèt enim Paderbornenses cives facti hujus invidiam in Hassiacos milites conjectam vellent: id tamen vel ex eo falsum esse apparebat, quòd reseratio templi peracta fuerit die 2dâ Maji, in Dominica tertia post pascha; miles autem Hassiacus in urbem introire cœperit die 15 Maji, in sabbatho ante Dominicam V. post Pascha. Alios igitur ad id colorandum quæsivêre fucos, alias admissi à se criminis excusationes. Quas tametsi Theodorus levi spongiâ potuisset iterum diluere; dissimulavit tamen aliquantisper, fecítque instar opulenti hospitis, qui solutionem pecuniæ sibi debitæ interdum procrastinari patitur, ut eam suo tempore severiùs exigat.

Eâ cessante, cives cum ingenti murmure à Landgravio repetunt sumptus, in militum Hassicorum alimenta factos. Sed frustra. *Klockner. ibid.*

Theodorus Ep. severè inquirit in cives illos, qui Forense templum Paderbornæ reseraverant: pœnam verò in tempus aliud reservat. *Klockner ibid.*

Ex aliis Westphaliæ Episcopis vivendi & gubernandi finem hoc anno fecit Antonius, è Comitum Schawenburgicorum familia Princeps & Episcopus Mindensis, Catholicè defunctus die sextâ Februarii, & sepultus in monasterio Mollenbeckiensi. De rebus ab eo gestis nihil memoratu dignum invenio: fortè, quòd in terra prorsus acatholica nullum adeptus fuerit, qui vel sacris ejusdem conatibus morem gerere, vel res ab eo præclarè cœptas deprædicare vellet. Certè, cùm adhuc apud Ubios Metropolitanæ Ecclesiæ Decanum ageret, egregium Catholicæ Religionis propugnatorem

Antonius Comes de Schawenburg, Episcopus Mindensis, Catholicè moritur. *Catal. Episcop. Mind.*

torem se exhibuit: omniúmque primus fuit, qui anno 1583 Coloniæ in comitiis provincialibus contra Gebhardum Truchsesium & iniqua ejus molimina peremptoriam sententiam dixit. Mindensi Ecclesiæ præfuit ab anno seculi præsentis octogesimo septimo: & successorem sibi planè dissimillimum nactus est Christianum, Guilielmi Ducis Luneburgensis & Brunsvicensis filium, Lutheranis erroribus ab ætatis primordio innutritum; ceterà tamen Principem omnino bonum & pacificum.

Succedit Christianus Dux Luneburgensis, Princeps lutheranus

Annus Christi 1600.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 7.
RUDOLPHI II. Imperat. 24. & 25.
THEODORI Episc. Paderb. 15. & 16.

ALbertus Austriacus & Isabella Hispana, Belgarum Principes (de quorum nuptiis, coram summo Pontifice contractis, ante biennium egimus) celebratis in Hispania connubialibus gaudiis, circa Septembrem *anni superioris in Belgium advenêre: ubi usque in Februarium anni præsentis, nunc Lovanii, nunc Bruxellis, nunc Antwerpiæ, Gandavi, Cortraci, Tornaci, Duaci, & alibi, summo omnium Catholicorum applausu & gratulatione excepti & inaugurati sunt. Pompa ista, & apparatuum hac de causa factorum splendor, non modicos ubique sumptus absorbuit cum ingenti rerum bellicarum damno. Interea namque egebat miles, & stipendiorum inopiâ diutiurnâ pressus, ità plurimis in locis tumultuari cœpit, ut neque in hostem ire, neque ducum suorum imperia sequi vellet; nisi priùs expedirentur pecuniæ, à tempore jam longo debitæ. Quod ubi comperisset Mauritius Arausicanus, Hollandicæ militiæ supremus Præses; ex ea seditione fructum aliquem decerpturus, primò Wachtendonckam, Crepicordium, & castrum Sanct-Andreanum, improviso Marte subegit. His autem nullo succurrente captis, etiam ausus est maritimo itinere in Flandriam se infundere; ibíque Neoportum urbem, situ & arte non leviter præmunitam, obsidionali coronâ cingere. Sed hæc illius machinatio minùs felicem, quàm ipse opinatus fuerat, successum habuit. Nam Albertus Archidux repentè magnis pollicitationibus plerorumque militum seditiosorum animos ità emollivit, ut unà secum in bellum ire, & Mauritium è Flandriæ finibus iterum ejicere constituerint. Copiæ omnes die vicesimâ octavâ Junii prope Gandavum recensitæ, ac deinde ab ipsómet Alberto eâ celeritate in hostem deductæ sunt; ut Mauritius,

In Belgio post ingressus lætissimos novorum Principum Alberti & Isabellæ.

*Hæus in ann. brab. ad an. 1599. & 1600.

tumultuantur milites de stipendiis non acceptis.

Hæus ib.

Quâ occasione Mauritius Arausionensis varia loca Hispanis eripit, ac tandem etiam Neoportum obsidet.

Albertus Archidux magnis pollicitationibus militem

tius, accepto ejusdem adventûs nuntio, credere vix potuerit, exercitum Catholicum exercitui suo tam propinquum esse. Munimenta ferè omnia, inter viam ab Hollandis occupata, primo statim incursu in Archiducis potestatem rediêre. Tum deinde Ernestus Nassovius, qui cum aliquot peditum equitúmque millibus ad remorandum Catholici exercitûs iter à Mauritio missus erat, subitaneâ clade sic affectus ac rejectus est, ut è duabus peditum Scotorum & Zelandiorum legionibus vix unus & alter ex arena salvus evaserit. Postremò etiam sequenti die, quæ erat 2dâ Julii, totis utrimque castris acerrimo prælio concursum est. In quo, tametsi tandem propter equitum Hispanicorum ignaviam Hollandi campum retinuerint; ambiguum tamen est, utra ambarum partium graviori suorum strage notata fuerit. Sunt, qui asserant, ex parte Batavorum longè plures occubuisse, quàm ex parte Archiducis: sunt etiam vice versâ, qui Catholicorum jacturam supra mortes & occidionem Batavorum augeant. Illud certum est, Hollandos victoriâ admodum cruentâ potitos, atque ità hoc prælio debilitatos fuisse, ut paulò pòst ab obsidione Neoportana aufugerint: contrà verò ex parte Archiducis multò plures è præcipuis belli ducibus, vel in prælio cecidisse, vel in hostium suorum potestatem devenisse. Atque in horum numero etiam fuit famosus ille Arragonum Admiralius Franciscus de Mendoza: qui in eodem conflictu captus, ac demum post sesqui annum tribus & viginti aureorum millibus è captivitate sua redemptus est.

seditiosum pacat, & copiarum Hollandicarum partem feliciter profligat. *Auctores iidem.*

Concurritur iterum totis castris apud Neoportum: *Auctores iidem.*

Admiralius Mendoza ab Hollandis in prælio capitur, & postmodum redimitur magno ære. *auct. iidem*

In Westphalia quietem hujus anni turbârunt iterum prædones Hollandici, jam à decennio & ampliùs in his provinciis rapinas agere, aut iniquas contributiones exigere docti. Collegerant ii sese, die decimâ octavâ Martii prope urbem Susatensem: indéque, ùt ipsi asserebant, in Ducatum Brunsvicensem perrecturi, vicino Episcopatui nostro Paderbornensi minabantur acerba plurima, nisi maturè conveniretur secum de pecuniis, ad redimendam vexationem dependendis. Actum igitur cum iis, ac tandem effectum est, ut acceptis bis mille & quingentis imperialibus Diœcesin hanc sinè noxa pertransiêrint. At longè dirior, superísque omnibus execrabilior fuit insolentia illa, quam alii prædones Hollandici per æstatem hujus anni peregerunt Strombergæ in Episcopatu Monasterienſi. Est ibidem in sacello S. Crucis imago thaumaturga crucifixi Domini, quæ ob miraculorum frequentiam jam à seculo duodecimo in summa veneratione, cultúque fuerat apud omnes, qui de Deo & rebus divinis Christianè sentiunt. Multæ ad eam peregrinationes hominum proborum fiunt, etiam è locis remotioribus: præsertim verò in Dominica proximâ post nativitatem S. Joan-

Prædones Hollandici in Diœcesi Paderbornensi contributionẽ postulant. *Annales Collegii Paderb.*

In Diœcesi Monasteriensi in supplicationem Strombergensem irruunt. *Annales Collegii Monast.*

Joannis Baptistæ; quâ solennis ibidem supplicatio agitur, incredibili populorum affluxu per totam Westphaliam celebratissima. Id cùm à nefariis ejusmodi prædatoribus ignorari non posset; solenni die istâ, nescio quibus è latebris, in piam illam supplicantium & concinentium turbam cum ingenti furore involant: & aliis quidem egregiè diverberatis ac despoliatis, aliis verò in captivitatem abstractis, Crucem thaumaturgam de manibus ipsorum auferunt. Hanc deinde (ut faciliùs detraherent argentum omne, cui tota Christi effigies inclusa erat) sacrilegis ausibus detruncant, caput à cervice revellunt, brachia expansa resecant, frustráque corporis, abrepto argento, nuda in terram projiciunt. Quæ tamen postea ab hominibus piis religiosissimè iterum conquisita, & ad collegium Societatis JESU Monasterii (quod eo tempore sacelli Strombergensis curam & inspectionem habuit) cum singulari venerationis affectu reportata sunt; ut adunatis partibus, tota Christi effigies novo rursus argento includeretur. At brevi didicerunt Calviniani prædones isti, rarò admodum ac ferè nunquam impunè despici & contemni Deum, etiam in imagine sua, ad excitandam populi devotionem fabricata. Vix enim cum iniquissimis hujusmodi spoliis è Strombergensi expeditione sua pervenerant in pagum *Oist-Beveren*, tribus quatuórve horis Monasterio dissitum: cùm ex improviso & præter omnem exspectationem inciderunt in aliquot cuneos militum Hispanicorum, de quibus tamen per totum hunc annum in Episcopatu Monasterienſi nihil antea visum vel auditum fuerat. Ab his ille, qui prædictæ imagini caput amputaverat, vicissim pœnâ talionis ità caput infaustum perdidit, ut rectà per medium à summo vertice divisum atque diffissum fuerit: Ceteri verò pariter eum in modum obtriti, percussi, aut vulnerati sunt, ut eorum pauciſſimis licuerit, fugiendo vitam, cutémque suam conservare. Imò & hos quoque non omnino impunes remansisse, verisimili conjecturâ multis persuasum fuit. Constat enim, quòd eorundem unus, cùm biennio pòst ad extremam vitæ lineam deduceretur, paulò ante agonem ultimum publicè confessus fuerit, se ab eo tempore, quo hæc impietas in crucem & supplicationem Strombergensem à se, suísque commilitonibus admissa erat, ferè nunquam vidisse diem aut horam unicam, quâ vel à doloribus corporis, vel à continuis conscientiæ læsæ cruciatibus immunis vixerit.

& Crucis thaumaturgæ imaginem, argento inclusam sacrilegâ manu confringunt. *Annales Colleg. Monast.*

sed non sinè gravi Numinis vindicta, propediem insecuta. *Annales iidem.*

Hi nimirum erant præclari fructus mutatæ Religionis antiquæ! Hæ consuetæ utilitates novi Evangelii Lutherani & Calviniani, quod ubique tanta cum furiali iconomachia & sacrarum imaginum violatione introductum est; utì è rebus, in historiæ nostræ decursu

Rudolphus Imperator, & Ferdinandus Archidux, Catholicam

decursu recensitis, abunde constat! Meritò proinde ad perniciosam hujusmodi doctrinam è suis provinciis eliminandam summo studio connisi sunt laudatissimi Principes, Rudolphus Imperator, & Ferdinandus Archidux: quorum posterior *è Styria, Carinthia, & Carniola; prior verò ex inferiore Austria Præcones acatholicos expellere, veterémque doctrinam Romano-Catholicam hoc anno restituere cœpit, initio ab urbe Lincensi facto, & postea in aliis etiam urbibus continuato. Idem hic Fidei & Religionis antiquæ fervor circa Rhenum inferiorem elucebat in duobus aliis Principibus, Ernesto Colonensi Archiepiscopo, & Joanne Wilhelmo, Juliæ, Cliviæ, & Montium Duce. Primus enim, proscriptis omnibus heterodoxorum libris, Novesium hoc anno misit sacerdotem aliquem è Societate JESU, qui in urbe, sæpius à Calvinistis occupata, pietatem Catholicam resuscitaret; & sacramentorum frequentiam, præteritorum temporum injuriis antiquatam, rursus induceret. Alter verò per decursum hujus anni doctrinam heterodoxam è suis provinciis ejici, & ejus loco veterem Catholicam ubique in omnibus Ecclesiis restitui jussit, non sinè magno Lutheranorum & Calvinistarum fremitu. Quin etiam biennio antè Aquisgranum urbem, diu contumacem & Cæsareis mandatis obstreperam, tum suâ, tum Ernesti Colonensis auctoritate, ad unius Catholicæ Religionis exercitium redire compulit; utì alii scriptores clariùs, Teschenmacherus autem paulò obscuriùs tradidit hísce verbis: *Anno 1598 Joannes Wilhelmus, dum in Aquenses rebelles executionem sibi et aliis à Cæsare demandatam pararet; consilio Wilhelmi à Waldenburgh, solâ auctoritate suâ eos ad obedientiam reduxit, ità ut anno 1600 respublica plenè pacata fuerit.* Qua de causa etiam Albertus & Isabella Belgarum Principes Aquisgranensibus hoc anno reddiderunt omnia privilegia, à Burgundicis Principibus olim accepta, & propter invectam hæresin suspensa vel abolita: eâ tamen juratâ lege, ut in urbe sua nunquam aliud, quàm Catholicæ Religionis exercitium haberi sinant; neque ibidem ferant vel admittant ullos Principum Belgicorum hostes.

Religionem in suis provinciis restituere incipiunt.

*acta publica apud Meyer l. 2. pag. 174.

Ernestus Colonensis proscribit libros hæreticos. *Turck. in hist. ms.*

Joannes Wilhelm. Cliviæ Dux è suis ditionibus heterodoxam doctrinam ejicit, *Klockner in hist. Paderb. ms.*

Aquisgranum à duobus annis ad Fidem Catholicã revertitur; ideóque & hoc anno à Principibus Belgicis antiqua privilegia recipit *Turck. in hist. ms.*

Non minori Catholicæ Religionis ac Fidei zelo jam pridem arserat Paderbornæ laudatissimus Princeps & Episcopus noster Theodorus Fürstenbergius, de cujus egregiis, maximisque facinoribus nunquam satìs. Ejecerat ille hactenus concionatores heterodoxos è plerisque ditionum suarum pagis & oppidis. Interdixerat omnibus animarum curatoribus, ne contra morem veteris Ecclesiæ ministrarent Eucharistiam sub utraque specie. Maceraverat carceribus & jejunio sacerdotes & parochos, qui saluberrimo huic decreto non fuerant obsecuti. Proscripserat à scholis publicis ludimagi-

Theodorus Ep. Paderb. Catholicæ Fidei reducendæ studiosissimus Romæ impetrat, ut medietas bonorum Falckenhagensium

attribuatur collegio Societatis JESU. *Ex Bulla Clementis VIII. Papæ, in archivo Collegii Paderb.*

magistros ac præceptores acatholicos, ne erroneis opinionibus suis tenera puerorum corda inficerent. Postremò etiam, ut Paderbornensis juventus unà cum literis pietatem Christianam biberet, quarto abhinc anno Paderbornæ, tanquam in urbe primaria & sequioribus doctrinis maximè corrupta, Societatis JESU Patribus novum & illustre collegium excitare cœperat: planissimè confisus, indè non solùm urbi; sed etiam universæ Diœcesi nostræ, perpetuum Catholicæ Religionis præsidium fore. Ac tametsi hæc nova fabrica triennio proximo paulò tardiùs processerit, cùm ob gravem pestilentiam, quæ duos annos Paderbornæ tenuit; tum ob irruptionem Hassicam, & consecutam protinus dysenteriam, quæ anno superiore multis hominibus vitæ spiritum intercluserit: nihil tamen interea destitum est ab augendis inchoati collegii proventibus, effectúmque tandem ab Episcopo, ut Clemens VIII Pontifex, pro commodiore magistrorum docentium sustentatione, duas Capellanias, nimirum S. Bartholomæi infra ædem Cathedralem, & Ss. Fabiani ac Sebastiani in collegiata Ecclesia Bustorffiensi, unà cum dimidia parte monasterii Falckenhagensis prædicto Societatis collegio in perpetuum attribui posse permiserit. Bullæ Apostolicæ hujus unionis vel incorporationis (uti vocant) initium & finem hîc paucis accipe. *Clemens Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Intelligentes, quàm Domino grati, et Christianæ reipublicæ utiles sint fructus, qui ex verbi Dei assidua prædicatione, ac frequenti sacramentorum Ecclesiasticorum ministerio, aliorúmque operum piorum exercitio, per dilectos filios Religiosos Societatis JESU producuntur; ea ipsis Religiosis libenter concedimus, quæ ad id facere, quæque eorum commoditatibus fore conspicimus opportuna. Sanè pro parte Venerabilis Fratris nostri, moderni Episcopi Paderbornensis etc. - - - Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo, quinto Kalendas Martii, Pontificatûs nostri anno octavo.*

Annus Christi 1601.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 10.
RUDOLPHI II. Imperat. 25. & 26.
THEODORI Episc. Paderb. 16. & 17.

Albertus Archidux & Belgii Princeps inchoat obsidionem urbis Ostendæ,

ANnus hic memorabilis est ab obsidione Ostendana, mense Julio inchoata, ac deinde per tres integros annos continuata, usque in Septembrem anni millesimi sexcentesimi quarti. Oppidum illud Flandriæ non ità pridem adhuc fuerat pagus maritimus, à solis ferè piscatoribus habitatus, teste Haræo. Sed initio hujus belli

belli civilis ab Hollandis, ejusdem loci opportunitatem conspicantibus, paulatim ità præmuniri, & in oppidi validissimi formam efferri cœpit, ut ex eo miles Batavicus toti penè Flandriæ tributa imperaret; neque ab iisdem extorquendis, per castella varia ab Hispanis undique circumjecta, sufficienter impediri vel coërceri posset. Quare tandem Albertus Archidux, continuis Flandrorum precibus invitatus, die 5. Julii magnis animis castra sua admovit ad Ostendam: putántque multi, urbem istam exeunte hoc anno, tum ob alimentorum inopiam, tum ob militum peste & ferro consumptorum paucitatem, Catholico Marti succubituram fuisse; nisi Albertus Archidux à Francisco Verio, ejusdem urbis gubernatore, fraudulenter se deludi permisisset. Rogabat hic inducias belli pridie Natalis Domini: eâ quidem specie, ut inter hæc armorum silentia de urbis dedendæ conditionibus transigeret; re verâ autem, ut vicinam urbis invasionem tam diu sisteret, donec ab Hollandis & Zelandis nova militum & alimentorum subsidia accepisset. Credebat & annuebat Archidux dolosæ huic petitioni: sed ingenti suo, suorúmque malo. Nam cùm inter quæsitas illas, prorogatásque inducias quinque naves, novo milite & multo commeatu plenæ, è Zelandia in portum Ostendanum invectæ essent; suprà dictus gubernator simulatæ hactenus deditionis tractatum repentè iterum abrupit, modestè* se excusans: *ad priora deditionis consilia se adactum fuisse ob extremam necessitatem: hanc verò cessare nunc per advectas naves; ideóque peccaturum in conscientiam, famámque suam, si acceptis hujusmodi novis viribus defensionem sibi commissam prosequi detrectaret.*

toto postmodum triennio continuatam. *Haræus in ann. brab.* *Galluc. de bello Belg. l. 14.* **Galluc. de bello Belg. l. 14.*

Interea Mauritius Nassovius, Princeps Arausicanus, obsedit Rhenoberckam territorii Colonienses urbem, ab Hispanis hactenus retentam: eámque tandem die tricesimâ Julii ad honestam deditionem compulit, Alberto Archiduce de eadem suis armis conservanda non multùm solicito. Nec longè pòst, ineunte mense Augusto, etiam urbem comitatúmque Mórsensem armatâ manu Clivensibus eripuit: frustra obnitente Joanne Wilhelmo Clivorum Duce, qui priore anno, post mortem ultimæ Comitissæ Walburgis, comitatum hunc, velut feudum recidivum occupaverat; eundémque Mauritio Nassovio (uti factum erat) nullatenus legari vel donari potuisse contendebat. Nimirum ea tunc erant tempora, iique mores Mauritii, ac rebellium Batavorum (quibus præerat) ut ea, quæ libebant, sibi etiam licere crederent, ac penè in solis armis jus omne constituerent. Eâdem agendi licentiâ Batavi grassati sunt per varias Westphalorum provincias: neque ullus Principum acatholicorum fuit, qui, ùt ante biennium contra Hispanos; ità pariter contra Hollandos & infestas eorundem incursiones

Hollandi interim occupant Rhenobergckam, Mórsam & alia loca viciniora. *Haræus ad hunc annũ.*

In Diœcesi Monasteriensi propter eas Hollandorũ incursationes hoc aõ

intermittitur supplicatio Strombergensis, *Annales Collegii Monast.*

siones ad arma conclamaret. Qua de causa etiam in Monasterienſi Episcopatu solennis illa supplicatio Strombergensis per æstatem hujus anni penitùs intermissa; & effigies thaumaturga crucifixi Domini (quæ à raptoribus Hollandicis anno superiore despoliata, & nunc iterum novo argento inclusa fuerat) in collegio Patrum Societatis JESU Monasterii retenta, neque ad antiquam stationem suam reportata est, ne hæc iterum hominibus impiissimis in spolium cederet. Mirum interim, & æternâ posteritatis memoriâ dignum est, quàm apertè ac dilucidè ostenderint Superi, veterem illam pietatem Strombergensem Deo plurimùm complacere. Nam eâdem illâ die, quâ solennis illa supplicatio celebrari debuisset (nimirum Dominicâ proximâ post nativitatem S. Joannis Baptistæ) vicini opiliones, pastorésque gregum campestrium clarissimè audiêrunt per totum aërem insonare consuetas cantantium voces ac tintinnabulorum sonitus; non secùs, ac si eadem staurophoria more veteri peracta & circumducta foret. Id quod iidem pastores & opiliones juramento edito contestati sunt coram Notario publico, qui hæc eorum testimonia in publicam scripturam retulit. Neque interim cessavêre prodigia, Strombergæ aliàs patrari solita. Nam & virgo Monasterienſis, quæ hydrope, vertigine, stomachíque doloribus diu pessimè laboraverat, eodem anno Strombergam ex voto adiit: &, cùm ibidem in eo loco, in quo aliàs thaumaturga crux asservari solita erat, aliquamdiu Deum pro nobis crucifixum ardentissimè invocâsset; repentè plenam omnium infirmitatum suarum absterſionem, sanitatémque retulit. Ob hos igitur, aliósque eventus admirabiles veneranda Crux illa sequenti anno Strombergam reportata; simúlque staurophoria celeberrima, quæ ibidem ab antiquissimis temporibus floruit, incredibili piorum hominum affluxu rursum instituta est. Quæ & postmodum ità semper in assiduo flore & usu mansit, ut etiam inter omnes gravissimas bellorum subsequentium furias continuata, ac ferè nunquam intermissa fuerit.

Nihilo minus consuetâ supplicationis die audiuntur ibidem in aëre solennes concentus vocésq; supplicantium: *Annales iidem.*

item virgo Monasterienſis ex voto Strombergam adiens, prodigiosè curatur à variis morbis. *Annales iidem.*

Unde & anno sequenti supplicatio ea rursum instituta est. *Annales Colleg. Monast.*

In territorio Corbejensi Diœcesis nostræ Paderbornensis novam hoc anno mutationem ac reformationem spiritualem subiit monasterium virginum, quod olim Beringhusanum appellabatur; nunc autem paululùm inflexo nomine Brenckhusanum dicitur. Fuerat illud hactenus instituti Cistertiensis sub inspectione aut visitatione Reverendissimi Abbatis Hardehusani: neque dubium est: quin ejusdem Ordinis observantia perpetuis temporibus fuisset inibi perstitura; nisi post annum superioris seculi sexagesimum, corruptissimi virginum religiosarum Patres ac Præpositi florentem hujus monasterii statum pessimè convulsissent. Ex horum numero

Theodoricus Abbas Corbejensis monasterium Brenckhusanum virginum Cistertiensiũ hoc anno transfert ad Ordinem S. Benedicti,

præci-

præcipui dissipatores fuerant Liborius Bolte, Bernardus Kopperschmidt, & Petrus Krantz, qui sibi invicem in istius monasterii cura *& administratione infelicissimo fato successêre. Primus eorum Liborius Bolte cum Brenckhusiana monacha, à se publicè violata, secularem vitam repetiêrat; sub Lutherano matrimonio dulciùs, quàm sub excusso Christi jugo victurus. Alter, nimirum Bernardus Kopperschmidt, posteaquam toto suæ administrationis tempore nihil aliud egisset, quàm illius monasterii bona disperdere, literas antiquas alienare, proventus annuos divendere, æs alienum contrahere, sanctimonialium fundos oppignerare; tandem pœnæ secuturæ metu cum pecuniis malè partis aufugit, & monasterium in statu misero dereliquit. Neque melior his duobus fuit, qui iisdem ex Hardehusano monasterio statim surrogatus est, Petrus Krantzius, lupo magìs, quàm animarum sacrarum curatori similis. Nam & ipse pariter sceleratis decessorum suorum vestigiis institit, fœdissimísque libidinibus ac spurcitiis ità se ingurgitavit, ut urgente criminum suorum conscientiâ sese furtim subducere maluerit; quàm includi carceribus, quos promeruerat. His igitur, aliísque malis oppressæ virgines, cùm omnia pessum ire & in præsentissimum interitum deturbari ac præcipitari cernerent, proximioris auxilii causâ confugerant ad Reinhardum Abbatem, Principémque Corbejensem: profundis eundem lachrymis rogantes & obsecrantes, ut labentis monasterii curam susciperet, eique tam in temporalibus, quàm in spiritualibus necessarium auxilium ferre non dedignetur. Non poterat hanc earum petitionem respuere benignissimus Princeps: præsertim cùm in aperto esset, Parthenonem hunc in Corbejensi territorio situm, & à suis decessoribus fundatum, & ab Hardehusano Abbate ferè penitùs derelictum aut neglectum esse. Quare protinus misit illuc è conventu suo sacerdotes duos: unum, qui sub nomine Præpositi administrationem rerum temporalium gereret; & alterum propè septuagenarium senem, qui dirigendis virginum sacratarum conscientiis præesset. Ipse verò curabat sedulò, ut prædictæ sanctimoniales non modò sanctè ac devotè secundùm veterem sui Ordinis Cistertiensis disciplinam viverent; sed etiam ut antiquos monasterii proventus reciperent, literas à malis Præpositis alienatas recuperarent, æs alienum diluerent, & in veterem rerum domesticarum florem sese restitutas esse lætarentur. Probabant hæc summopere virgines Brenckhusanæ: neque etiam contradicebat *Hardehusanus Abbas; utpote cui penitùs persuasum erat, hoc modo nihil aut in suo visitandi jure, aut in virginum prædictarum statu ac professione, mutatum vel innovatum iri.

& congregationem ejus Bursfeldiensem. *Ex veteribus manuscriptis Paderborn.* *ex Relatione Reinhardi Abbatis Corbejensis, ad Cathedrale Capitulum Paderbornense data anno 1574. die 30 Aprilis.* *ex eadem relatione & aliis manuscr.*

At ubi postmodum Reinhardus Abbas & Princeps Corbejensis, anno seculi prioris septuagesimo tertio, potestatem suam eò usque extendere voluit, ut Margaretam Teves, monasterii Brenckhusani *Abbatissam, propter calumnias aliquas eidem imprudenter ex ore lapsas à magistratu & officio suo deposuerit; repentè graves discordiarum flammæ inter utramque partem suscitatæ sunt. Margareta enim cum suis asseclis ad se tuendam ac defendendam imploravit Abbatem Hardehusanum, ejúsque Superiorem, Joannem Wachtendonckium, Abbatem Veteris Campi. Hi deinde, suorum veterum privilegiorum diminutionem veriti, ab Episcopo & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Paderbornensis, tanquam à Dominis *Diœcesanis monasterii Brenckhusani, opem & auxilium quæsivêre. Ab iis autem, post varios tractatus & conventiones, eò tandem res deducta est, ut Reinhardus Corbejensis ab hujusmodi novationibus absistere debuerit, & monasterium illud Hardehusano Abbati, ac Præpositis ab eo constitutis, regendum ac gubernandum relinquere. Tum verò, si unquam antea, Brenckhusensium fortuna cœpit adhuc ampliùs in ruinam agi. Cùm enim eo tempore ipsímet monachi Hardehusani vitam planè inordinatam ac religioso statui suo dissentaneam ducerent (utì constat ex antiquis Cathedralis Ecclesiæ literis) necesse erat, ex indoctis dissolutisque monachis pejores Præpositos & sanctimonialium Præfectos nasci. Horum ignaviâ Brenckhusensium bona rursus interire, monastica disciplina solvi, nulla rerum spiritualium *solicitudo geri, moniales ad sacrilega connubia pertransire, Luthe-rana hæresis in cœnobium & Ecclesiam ejus parochialem recipi, ac demum omnia ità in pejus labi, ut exeunte priore seculo Virginum sacratarum numerus ad binas tantùm personas totidémque sorores laicas redactus fuerit. Qua ex re cùm præsentissimum eversionis periculum immineret, hoc anno rursum Corbejensis Abbas ac Princeps, Theodoricus de Beringhusen, ruentis monasterii curam suscepit; & sinè omni Cistertiensium Abbatum *contradictione, imò & eorum consensu rogatúque, parthenonem suprà nominatum ad Ordinem S. Benedicti & Congregationem ejus Bursfeldiensem tanstulit, virginibus aliis profugarum loco surrogatis. Ne autem secuturis temporibus novæ lites & controversiæ ob illud factum suboriri possent; congregatio Bursfeldiensis anno seculi præsentis decimo nono translationem hanc ab Antonio Vigiliarum *Episcopo, tunc ad Rhenum inferiorem Nuntio Apostolico, Papali auctoritate roborari petiit, & impetravit hoc diplomate:

*ex eadem relatione mſ.

*ex variis literis in archivo Cath. Eccl.

*ex literis, infrà citandis, Antonii Vigiliarum Episcopi, Nuntiique Apostolici.

*ex iisdem literis.

*Italicè Biseglia, urbs Episcopalis in Regno Neapolis.

Anto-

ANtonius, Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Vigiliarum, Sanctissimi Domini nostri Pauli V. ejusdémque sedis ad Germaniæ partes et per tractum Rhenanum cum potestate Legati de latere Nuntius, ad futuram rei memoriam. In hac nostræ legationis functione ad ea mentis nostræ aciem sedulò dirigimus, per quæ abusibus et incommodis, quæ in Ecclesiasticas personas tractu temporis irrepunt, eliminatis, non solùm suo antiquo splendori restituantur; sed etiam instituta ad laudem Dei et gloriam ejus stabiliantur. Et, ut id votivè succedat; his, quæ pro ipsarum reformatione salubriter ac prudenter ordinata fuerunt, ut firma semper et perpetuò illibata persistant, libenter, cùm à nobis petitur, Apostolici roboris firmitatem adjicimus. Sanè exhibita nobis pro parte Præsidentis et sacræ unionis Bursfeldensis, Ordinis S. Benedicti petitio continebat, quòd, postquam monasterium sacrarum Virginum in Brenckhusen, Diœcesis* Paderbornensis, ad visitationem Ordinis Cistertiensis spectans, à compluribus annis gravissimè in regula, moribus, et monastica disciplina periclitaretur (quòd ex eodem Cistertiensi Ordine ad regendas istas virgines præfecti et collocati erant soluti monachi, bona cœnobii abalienantes, et post comperta illorum crimina in fugam sese dantes, monialibus virginibus desertis, ex eodem claustro ad sacrilega connubia transeuntibus; quarum numerus velatarum ad duas omnimodo totidémque sorores laicas decreverat, ac hæresis in templum ac cœnobium istud invecta fuerat) sic bonæ memoriæ* Theodoricus, monasterii Corbejensis, Ordinis S. Benedicti, unionis Bursfeldensis Abbas, sub cujus territorio hujusmodi monasterium situm erat, cum suo Capitulo, præmonitis Cistertiensibus Abbatibus et ejusdem monasterii visitatoribus (ùt qui coràm et per literas hoc ipsum petiêrant) omni conatu et sollicitudine incubuit, quibus mediis hujusmodi cœnobium ad cultum divinum et veram orthodoxam Religionem, ac morum et disciplinæ monasticæ reformationem reducere posset. Et idem eidem monasterio Præpositum F. Gerardum Eickel, monachum Ordinis S. Benedicti, quæ Benedictinis* et Cistertiensibus communis est, nec non in cantu et ritibus ejusdem Ordinis instructis, præfecit. Ac monasterium ipsum in loco, Vallis Dei, nuncupato, sub præsidio ac nomine gloriosæ Deiparæ et sanctissimi Præcursoris Christi, ut à diuturno squallore ac propemodum præsenti interitu retraheretur, in fidem, patrocinium, et gubernationem, divi Benedicti professis, tam in spiritualibus, quàm in temporalibus, de anno 1601, nullâ contradictione interveniente, totaliter, liberè, et quietè, cum bonis et rebus omnibus appertinentibus translatum ac transportatum; ac hactenus, recuperatis magna ex parte bonis alienatis, et respectivè restauratis, laudabiliter ab eodem Præposito in spiritualibus et temporalibus administrandum fuit. Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, illa, quæ Apostolicâ auctoritate munita sunt, majorem obtineant roboris firmitatem; dictúsque Præses ac unio Bursfeldensis cupiant prædicta per nos omnia approbari

Antonius Vigiliarum Episcopus, Nuntiúsq; Apostolic⁹, rogatu unionis Bursfeldiensis, translationem istam confirmat Coloniæ anno 1619. *ex archivo monasterii Brenckhusani. Et ex chron. virginum Ottenbergensium apud Paullinum pag. 254.*

*hæc duo verba Paullinus malâ fide omisit.

*defunctus anno 1616.

*etiam hæc verba omissa sunt à Paullino.

probari et confirmari, ac, ùt aliàs opportunè providere de Apoſtolica auctoritate dignaremur: Nos igitur, ut ea, quæ prædicti monaſterii ſalubri directione et reformatione ſtatuta ſunt, inconcuſſa maneant perpetuò; hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Apoſtolicâ, quâ fungimur in hac parte, auctoritate translationem et transportationem dicti cœnobii Brenckhuſani ſic, utì permittitur, in laudabilem Fidei Catholicæ propagationem, ac piæ fundationis conſervationem, utilitatémque reipublicæ, cum reſtauratione et augmento cultûs divini pio zelo factam, confirmamus et approbamus, ac illis perpetuæ et inviolabilis firmitatis et approbationis robur adjicimus, omnésque juris et facti defectus, ſi qui intervenerint, ſupplemus: non obſtantibus conſtitutionibus et ordinationibus juramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate ſuâ roboratis, ſtatutis vel conſuetudinibus, privilegiis quoque et indultis in genere vel in ſpecie dicto Ordini Ciſtertienſi conceſſis, ceterísque contrariis quibuſcunque. Datum Coloniæ die decimâ octavâ menſis Julii, anno MDCXIX, Pontificatûs prædicti ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ anno decimo quinto.

Wolffgangus Archi-Epiſcopus Moguntin⁹ hoc anno moritur: *Serar. l. 5. rer. Mog. pag. 967.*

In Dioœceſi Moguntina vitam hoc anno & Pontificalem dignitatem exuit Metropolitanus noſter, Wolffgangus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus, Aſchaffenburgi defunctus die quintâ Aprilis, & Moguntiæ in æde Cathedrali ſepultus die decimâ ſeptimâ ejuſdem menſis. Funeralem ei concionem dixit Sacellanus aulicus & ſacroſanctæ Theologiæ Doctor Joannes Elgardus, qui inter alia ejus encomia ſummopere dilaudavit hæc tria: *quòd* in extrema ægritudine ſua, tempore quadrageſimalis jejunii, nunquam à medicis amicísve ſuis induci ad hoc potuerit, ut in cibum carnes admitteret. *Quòd* omni die præſcriptas Clericorum precationes, quas Romani *horas Canonicas* vocant, cum ſingulari accuratione perſolverit; eásque etiam in hoc morbo lethali nunquam intermiſerit. *Quòd* omnia ſubditorum damna ſtudiosè præcaverit: atque ideo, cùm audiſſet, à ſilveſtribus, montanísque feris multùm detrimenti ſegetibus inferri; ſyncerè dixerit: *malo totâ vitâ meâ ferinis carnibus perpetuò carere; quàm idcirco ſubditos meos rerum ſuarum detrimentis affici.*

In cujus locum elect⁹ eſt Joannes Adamus à Bicken. *Serar. ibid. pag. 970. Klockner in hiſt. Paderb.*

In ejus defuncti locum, die 15. Maji, per canonicam electionem ſurrogatus eſt Metropolitanæ Eccleſiæ Scholaſticus Joannes Adamus à Bicken. In cujus nomine, non infelici omine, præſentis anni numerum eluxiſſe, non inſcitè id temporis obſervavit Klocknerus noſter; quando nomen ejus majoribus literis numeralibus hocmodo ſignat: ADAM à BICKEN.

At longè infeliciùs hoc anno deceſſit Gebhardus de Truchſes

Longè infeliciore fato ſceleratam animam hoc anno perdidit Gebhardus Truchſeſius, quondam Elector & Archiepiſcopus Colonienſis; quem ante hos octodecim annos cum Agnete Manſfeldica ſacrilegè maritatum, Calviniana dogmata complexum, à

Ca-

Capitulo Colonienſi exauctoratum, nec multò pòſt ab Erneſto Bavaro devictum, & omni ditione ſuâ expulſum vidimus. Speraverat ille quidem, ſe reſtitutum iri à Wilhelmo Principe Arauſicano, ejuſdémque auxiliatore Franciſco Alenſonio Regis Galliarum fratre. Sed, cùm uterque eodem anno, quo Truchſeſii fortuna peſſum ivit, inopinâ morte ſublatus fuerit: ad Eliſabetham Angliæ Reginam ſe convertere; atque, ut in ejus Regno ſuſciperetur, mendicantis in modum petere compulſus eſt. Illa verò tam faſtidioſos convictores dedignata, juſſit eidem Hagæ Comitis numerari duo millia dalerorum Imperialium: ſimúlque huic munuſculo literas addidit tam acerbo felle & abſynthio mixtas, ut ex earum contextu ſole clariùs eluceſceret, aures iſtius Reginæ Truchſeſianis precibus in poſterum occluſas fore. Ecce hîc literas iſtas, ex anonymo ſcriptore Lutherano ſumptas, & à me latinè redditas: *Perdilecte Domine etc. Quæ à vobis concepta fuerat intentio ſeu voluntas laborandi et efficiendi, ut reformatio* induceretur in Archidiœceſim veſtram, mihi admodum grata et auditu jucunda fuit. Sed quantum indè voluptatis hauſeram; tantum poſtea contriſtabar, cùm intelligerem circumſtantias connubii veſtri: per quas dilucidè oſtendiſtis, in inceptis veſtris longè fortiùs operatam eſſe carnem et ejus titillationem; quàm ſpiritum, fervorémque Religionis veræ. Prudentiores homines probi admodum præviderunt infortunium, in quod eſſetis prolapſuri: cùm impoſſibile ſit, feliciter evenire ea, quæ cæcam animi paſſionem pro fundamento habent. Quare non eſt, ut conqueramini, vos eum in modum ubique deſeri. Incuſate potiùs vosmét ipſos, et inconſultas machinationes veſtras, quæ cauſa ſunt, ut amici veſtri à vobis manum abſtraxerint. Quidquid egiſtis, Romano-Catholicis maximo offendiculo fuit; neque ab ipsismet Proteſtantibus approbari, aut ratum gratúmque haberi poterat. Quidnam igitur auxilii vel propenſæ voluntatis ab una alteráve parte exſpectabitis? interea tamen intimè cor meum afficit fortuna veſtra; eóque magìs, quòd nullum ampliùs vos adjuvandi remedium videam. Proinde in eo ſtatu luctuoſo, in quem veſtrâ culpâ incidiſtis, unicè neceſſum erit, intrà vôsmet ipſos conſolationem quærere. Imò patientia veſtra nunc temporis tanta eſſe debet; quantam, ùt optavimus, oportuiſſet eſſe prudentiam et circumſpectionem veſtram, ſi voluiſſetis evitare miſeriam, quam incurriſtis. Ceterùm quod à me petiiſtis, ut indulgeam vobis habitationem ac permanſionem in Regno meo; ſcitote, modernas temporum circumſtantias non ferre, ut hoc à me permittatur: et jam Legato meo apud Hagam Comitis demandavi, ut iſtius rei unam alterámve cauſam vobis aperiat. Orabo Deum, ut ſub umbra ſuæ protectionis conſtanter in poſterum vos cuſtodiat.*

quondam Archiepiſcopus Colonienſis & Calvinian⁹ apoſtata. *Turck. in hiſt. mſ.*

Epiſtola Eliſabethæ Anglorum Reginæ, olim ad eundem expulſum data.

* *puta. fides Calviniana, quam vocant reformatam.*

Perlectis híſce literis vir infelix in ſummam animi triſtitiam incidit. Fruſtráque à Batavis, aliísque Principibus acatholicis auxilium præſto-

præstolatus, tandem extremis ætatis suæ temporibus confugit Argentoratum; ubi ante acceptas Archiepiscopales infulas Majoris Ecclesiæ Decanum egerat. Ibi vel è proventu sacerdotii prioris alitus, vel Canonicorum Protestantium ope sublevatus, vitam diu miseram tristiori morte concluſit die vicesimâ primâ*Maji, nullâ prole è sacrilegis, vetitísque nuptiis post se relictâ Infelix Princeps in hac vita! sed, utì metuendum est, longè infelicior in altera!

*Turck. in hist. mſ.

Annus Christi 1602.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 11.
RUDOLPHI II. Imperat. 26. & 27.
THEODORI Episc. Paderb. 17. & 18.

Obsidio urbis Ostendæ ab Archiduce continuatur, Hollandis interim occupantibus Graviã. *Haræus in ann. brab. Galluc. de bello Belg. l. 14.*

ALbertus Archidux, Belgarum Princeps toto hoc anno continuavit obsidionem urbis Ostendanæ, superiori æstate cœptam. Contrà verò Mauritius Nassovius, Hollandicæ militiæ Præses, interea cœpit obsidere Graviam, olim Geldriæ, nunc autem Brabantiæ Hollandicæ urbem; eámque tandem bimestri oppugnatione, duodecimo Kalendas Octobris, ad honestam deditionem compulit: non sinè magno militum Archiducalium dedecore, quorum iterata rebellio & intempestivæ stipendiorum flagitationes liberationem istius urbis impedivêre.

Theodorus Episcopus Paderborn. hoc anno perficit exteriorem fabricam collegii Paderbornensis Societatis JESU.

Interea Paderbornæ Theodorus Episcopus exteriorem structuram collegii Societatis JESU, quod ante sex annos ædificare cœperat, inter innumeras præteritorum temporum difficultates hoc anno tandem feliciter perfecit. Neque jam aliud ad consummandam fabricam exteriorem deerat, quàm ut excelsæ, magnificæque turri, quæ egregio prospectu ad collegii ingressum visitur, supremum fastigium imponeretur. Id autem ut solenniori cum apparatu fieret, ipsémet Celsissimus Princeps die 29 Julii Neuhusana ex arce in urbem venit, & inter festivos cantus colophoni seu globo turris hanc inscriptionem includi fecit: *Vetera transiêrunt: ecce nova facta sunt omnia! Anno 1602, Clemente VIII Pontifice maximo, Rudolpho II. Imperatore, Reverendissimus et Illustrissimus Dominus, D. Theodorus à Fürstenberg Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus, sacri Romani Imperii Princeps huic ædificio, ad honorem in primis Dei, Ecclesiæ utilitatem, reipublicæ emolumentum, ac juventutis erudiendæ gratiâ à fundamentis erecto, fastigium imposuit vicesimâ nonâ Julii.*

Pari sollicitudine pro suarum Ecclesiarum bono curavit hoc anno perfici novum *librum Ritualem*, quem vulgò *Agendam* vocitant,

tant, Paderbornæ impressam cum hoc titulo: *Agenda Ecclesiæ Paderbornensis per Reverendissimum in Christo Patrem et Illustrissimum Principem ac Dominum, D. Theodorum Episcopum Paderbornensem etc. in gratiam Pastorum suæ Diœcesis recèns evulgata. - - - Paderbornæ excudebat Matthæus Pontanus, Anno Domini MDCII.* Hunc deinde librum, pro incudenda sacrorum rituum uniformitate, jussit ubiq; in omnibus parochiis recipi; neque aliter, quàm ex ejusdem præscripto, sacramenta ministrari. Paruerunt huic mandato plerique parochi* & Ecclesiarum Pastoralium Rectores: nec ferè alii se eidem opponere sub initium visi sunt, quàm soli parochi & parochiani Côrbekenses & Rhederenses, à suis perillustribus hæreticísque Dominis, de Spiegel & de Mengersen, ad hoc audendum instigati. Quapropter ut istorum repugnantiam frangeret; primùm ultimâ die Martii sequentis anni 1602 severiora ad eos mandata dedit, etiam cum imposita (nî parerent) ducentorum aureorum mulcta: deinde verò, cùm adhuc protervè restitarent, Dringenbergici quæstoris ministerio Rhederensibus complures equos; Côrbekensibus autem ducentas oves in pœnam commissi abstulit, non priùs hæc iisdem redditurus, donec in recipiendo suprà dicto Ordinationum Ecclesiasticarum libro se morigeros exhiberent. Vehementer indè commoti sunt Spiegeliorum ac Mengerseniorum animi. Atque ut iniquitati suæ pallium aliquod obvolverent, inobedientiæ suæ culpam reticentes, coram Illustrissimo Capitulo graviter conquesti sunt, *eâ pecorum abactione violatam esse jurisdictionem suam, quam in pagis antè dictis obtinent: omnem executionem, in iisdem pagis faciendam, à se primùm tanquam à Dominis immediatis requiri oportere: quòd si aliter fiat, agi contra privilegium Bernardi Episcopi; ideóque peti à se, ut Canonici Majores curent, ablata pecora Côrbekensibus et Rhederensibus propediem restitui.* His auditis, respondit Princeps: *supremam jurisdictionem in toto Episcopatu suo, et consequenter etiam in prædictis duobus pagis, indubitatò pertinere ad se: præsertim cùm ipsímet Spiegelii et Mengersenii sint ejusdem vasalli seu clientes beneficiarii; et quidquid juris ibidem obtinent, à suo Principe in feudum habeant. Superioritatem hanc à nullo unquam Episcopo abdicari, vel in personam laicalem transferri potuisse; ideóque privilegium Bernardi Præsulis malè in favorem causæ præsentis trahi. Côrbekenses et Rhederenses Ecclesiasticæ Ordinationi suæ contumaciter obstitisse, idque non solùm instigantibus Spiegeliis et Mengersenniis; verùm etiam interdicentibus et vetantibus, ne hac in re suo Principi morem gererent. Proinde justissimam sibi causam fuisse, ut supremæ auctoritatis suæ conservandæ causâ, iisdem non requisitis, contra hujusmodi refractarios ad pœnalem hanc mandatorum suorum executionem procederet. Quod si tamen sæpe dicti Côrbekenses et Rhederenses vel nunc tan-*

Evulgat etiam novũ librum Rituales, quem vulgò nominant *Agendam* Ecclesiæ Paderbornensis.

**hist. collegii Paderb.*

Duo pagi Côrbeke & Rheder instigantib⁹ hæreticis dominis de Spiegel & Mengersen librum hunc protervè rejiciunt: ideóq; puniuntur abactione ovium & equorum anno 1603. *ex processu apud Cæsarem ea de re instituto anno 1603.*

Spiegelii & Mengersenii conqueruntur, per hoc violatã esse jurisdictionem suam in prædictis pagis. *ex eodem processu.*

Theodori Episcopi responsio ad has querelas. *ex eodem processu.*

dem caput ſubmittere, et Epiſcopalem Ordinationem ſuam recipere velint; acquieſcere ſe, et curaturum protinus, ut abacta pecora iiſdem abſque omni pœna reſtituantur.

Spiegelii & Mengerſenii contra Principem ſuum primò concitant Ordinem equeſtrem:

Quis non putâſſet, hac leniſſimâ reſponſione Spiegeliorum ac Mengerſeniorum animos ad obſequium inclinandos eſſe? At illi, hæretico ſpiritu tumentes, tertio Idus Maji ejuſdem anni 1603, non parvam heterodoxæ Nobilitatis partem auctoritate propriâ convocârunt in urbem Lichtenaviam: factâque ibidem deliberatione, rurſus denuntiârunt Capitulo: *perſiſtere ſe in repetendis pecoribus abactis ab Epiſcopo; et nisi ea propediem reſtituta fuerint, neceſſariò ſe coactum iri ad arripienda alia media, Theodoro Principi ſuo minimè placitura.* Nec multò pòſt nimirum, die viceſimâ octavâ Maji, nova Ordinis equeſtris conventio ab iiſdem inſtituta eſt Paderbornæ: ubi, ſub inani prætextu violatæ jurisdictionis & privilegii ſuprà dicti, ad ſeditioſorum iſtorum partes acceſsêre non ſolùm duæ urbes Paderborna & Brakelia; ſed etiam nonnulli Cathedralis Eccleſiæ Canonici, nimirum Hermannus de Keppel, Joachimus à Langen, Rotgerus ab Horſt Cathedralis Eccleſiæ Decanus, hâc in re à Joanne Môllero Capituli Syndico fallaciſſimè deceptus. Horum conſpiratione quinquaginta equites, multáque pedeſtris turba, nocturno tempore Paderbornenſi urbe emiſſi, pridie Kalendas Junii armati involârunt in Epiſcopi curiam Steinhemenſem; confractísque ejuſdem oſtiis, detentas inibi Côrbekenſium parochianorum oves abſtulêre. Indè cum ingenti plauſu Brakeliam profecti, eâdem die cuſtoditos ibi Rhederenſium equos in libertatem, nullo jure conceſſam, aſſeruêre. Poſtremò etiam ſequenti die quæſtori Dringenbergico, qui nuper in abigendis Côrbekenſium & Rhederenſium pecoribus mandata ſui Principis ex impoſito ſibi munere executus fuerat, ex Beverungenſi præfectura ducentos & ampliùs verveces abegerunt: non ſecùs, ac ſi Principem Dominúmque ſuum in ejus executore vel miniſtro ad pœnam depoſcere vellent. Acerrimè res iſta pupugit Clementiſſimum Principem. Singulari tamen prudentiâ ac manſuetudine dolores cordi infixos tam diu preſſit, uſque dum in feſto S. Margaretæ frequentius Capitulum Paderbornæ conveniſſet. Ibi, dum plerique Canonicorum in domo Capitulari pro more conſidêrent, improviſus adeſt Celſiſſimus Princeps: & explicatâ facinoris indignitate rogat omnes, quid in caſu tam inſolente ſentiant? cui parti accedant? ſecúmne facere; an verò cum ejuſmodi turbatoribus velint? ſtetêre ſtatim plerique (ùt æquiſſimum erat) pro Theodoro Antiſtite. Solus ferè cum tribus aliis antè dictis ſe opponebat Arnoldus Horſtius Major Decanus: quem proinde per Officialem ſuum Eccleſiaſticâ cenſurâ percuti,

ac deinde aliquos è Capitulo Cathedrali, nter quos riam Decanus Arnoldus ab Horſt. *ex eodem proceſſu.*

orum præcipiti conſilio violentâ manu rurſus auferunt abacta & in cuſtodiam deducta pecora. *ex eodem proceſſu Cæſareo. Klockner ad an. 1603*

Epiſcopus Eccleſiaſticâ cenſurâ Decanum ferit. *Hiſt. Collegii Paderb.*

cuti, & non solùm à templi Cathedralis aditu; sed etiam ab omni rerum sacrarum exercitio submoveri fecit.

Brakelenses à Spiegeliis excitati, Prædicantem Lutheranum in urbem suâ revocant. *ex processu apud Cæsarem instituto.*

Sed indè oleum flammæ additum. Nam exutâ semel Theodori Principis reverentiâ, sæpe dicti Domini de Spiegel novo ausu denuntiârunt publicè & apertè, *Agendam*, vel *Ordinationem Ecclesiasticam* recenter evulgatam à se suisque repudiari. Brakelenses, eodem spiritu Lutherano ducti, protervè reduxerunt Prædicantem hæreticum, Episcopali auctoritate priùs expulsum. Tota demum Nobilitas heterodoxa, unà cum prædictis urbibus, Paderborna & Brakelia, in perniciem antiquæ Religionis Catholicæ, varias conventiones & confœderationes illicitas moliri visa est. Quæ omnia cùm in evidentem Theodori Episcopi, imò & omnis dominii principalis despectum cederent; Rudolphus II. Imperator, die 10 Novembris, ejusdem anni millesimi sexcentesimi tertii, ad omnes machinationum istarum auctores severissimum ex urbe Praga mandatum edidit: præcepítque sub pœna quadraginta marcarum auri puri, ut ablata omnia sinè mora ad locum priorem referant, intrà dies triginta sex de mandati hujus obtemperatione doceant, Episcopo suo tam in spiritualibus, quàm temporalibus accuratè pareant, & si quid injustæ querulationis contra ipsum habeant, viâ juris remedium quærant; neque in causa propria sibi ullam judicandi, invadendi, vel exequendi potestatem, quocunque juris prætextu arrogent. Quid acceptis hísce mandatis egerit Arnoldus Horstius Majoris Ecclesiæ Decanus, cum tribus aliis ejusdem causæ consortibus; non memorant scriptores nostri. Videntur illi protinus retraxisse manum de tabula; tametsi adhuc aliis de causis per aliquot annos cum Episcopo discordes fuerint. Contrà verò, qui ex Ordine equestri erant, unà cum Spiegeliis & Mengerseniis eò progressi sunt, ut sequenti anno 1604, non attentâ comminatione Cæsaris, à Mauritio Hassiæ Landgravio tutelam expetiêrint. Quæ cùm esset res omnium jurium Episcopalium eversiva: non multò pòst ab eodem Rudolpho Cæsare novis aliis, arctioribúsque mandatis pressi, ac demum in eas angustias adacti sunt, ut non modò tutelam Hassicam abdicare debuerint; sed etiam inobedientiæ crimen ære non parvo luere.

Rudolphus Imperator severissimè præcipit Nobilitati & Capitulo ut ablata omnia confestim restituant, & Episcopi mandato pareant. *mandatum Cæsaris typo datum. Klockner in hist. Paderb.*

Nobilitas Diœcesana à Cæsare cogitur, tutelam ab Hasso impetratam rescindere, & Episcopo sese submittere. *Klockner ibid.*

Graviori hoc anno intra urbem Paderbornensem exortæ seditioni occasionem dederat præposterum perversúmque regimen senatorum & consulum, qui, cùm à longo tempore senatoriam dignitatem ad se suásque familias pertraxissent: spiritu superbo cœperant supra communem civium aliorum sortem se attollere, ex proventibus publicis dapsiliter vivere, plebem despicere, jussa Principis flocci facere; & si quid ideo mulctarum dictaretur, id

Historia seditionis Paderbornensis hoc anno cœptæ: & ejusdem occasio ab anno 1600. *Klockner in hist. Paderb.*

ex urbis ærario, non autem ex propria crumena ſolvere. Unde paulatim contigit, ærarium commune exhauriri, totam urbem ære alieno ſic prægravari, ut vix annuæ penſiones, ne dicam alia urbis onera, ex ejusdem annuis reditibus dilui aut exæquari poſſent. Adverterat hæc pridem univerſa civium communitas: nec tamen aliud reſponſum obtinere à magiſtratu potuit; quàm quòd omnes pecuniæ publicæ in bonum urbis expoſitæ ſint pro tuenda Religione Lutherana, pro qua noverant libenter omnia à civibus profundi. At ubi poſtea compertum eſt, hæc in odium ſui Principis à ſenatu & conſulibus mendaciſſimè confingi: tandem viginti quatuor *tribuni plebis* cum aliis viginti quinque *deputatis* (ùt appellabant) nonnulla civium gravamina in chartam conjecêre: iisdémque magiſtratui urbano traditis, minaciter proteſtati ſunt, nullam ampliùs pacem & concordiam ſibi cum ſenatoribus & conſulibus fore, nisi gravaminum iſtorum articulos propediem expedirent. Quo audito, ſenatores & conſules (cùm viderent rem ſeriò geri, neque ſe ampliùs ſub defenſæ Religionis umbra ſecuros fore) inevitabili neceſſitate coacti ſunt, primùm conſentire in *prædictorum gravaminum articulum ſeptimum: nimirum, *Ut è ſingulis quinque urbis regionibus deligerentur viri ſinguli, qui præmiſſo gravi juramento omnes urbis obventiones recipiant, ſolvenda ſolvant, et anno quolibet accuratas omnium acceptorum et expenſorum rationes communitati Paderbornenſi præſtent.* Acta ſunt hæc die decimâ ſextâ Decembris anno milleſimo ſexcenteſimo; & quatriduo pòſt in iſtorum quinquevirorum ordinem electi ſunt, ex *Campenſi* urbis regione Joannes Hôvelman, ex *Occidentali* Sebaſtianus Tom Berge, ex *Königſtratenſi* Arnoldus Drom, ex *Maſhoffienſi* vel *ükeriana* Walterus Koithe, ex *Gierſtratenſi* vel *Statelhoviana* Joachimus Weites: omnes viri integerrimi, & utilitatis publicæ admodum ſtudioſi.

Klockner. ibid. ad an. 1600

Aliqui cives Paderbornenſes in ükerenſi regione urbis anno 1601 inſurgunt contra ſenatum: *Klockner in hiſt. Paderb. mſ.*

Oportuiſſet his obtentis urbem acquieſcere, Deóque gratias immortales agere, quòd proventus ærarii publici nunc tandem è ſumptuoſis ejusmodi conſulum ac ſenatorum manibus extracti fuerint. Sed, quod in maximum urbis enervatæ commodum potuiſſet cedere; id in ſummam ejus perniciem ac ruinam ex inſperato eventu cecidit. Etenim ſequenti anno cùm ſuprà dicti quinqueviri ſuo muneri perfectè ſatisfacerent, & ex eorum rationibus, toti communitati præſtitis, luculenter appareret, proventus urbicos præcedentium annorum ſpatio periniquè adminiſtratos eſſe; tumultuoſa plebs vehementer inſurrexit adversùs magiſtratum, & abſolutè voluit, etiam reliquos gravaminum ſuorum articulos propediem complanari. Magni idcirco motus in vulgo: multæ civium

vium gregariorum concursationes ad senatum. Et quia hactenus ducem non habebant, qui eorum postulata contentiosiùs perurgeret; nonnulli cives ex ükeriana vel Mashoffiensi urbis regione ad hoc invitârunt *Liborium Wiegers*, vel, ùt alii vocant, *Liborium Wichards*, hominem audacissimum, & ad seditiones concitandas natum: cujus factioso ingenio tandem universa civitas in extremas calamitates fœdissimè præcipitata est. Natus hic erat Paderbornæ ex familia perhonesta; ejusdémque paterna domus incumbebat fonti primario istius Paderæ, quem ab equorum *adaquatione *Paderam*adaquarium* vocant. Ibi enutritus, fortunam à parentibus acceptam opulentiori matrimonio non parùm auxit: eóque demum emersit, ut circa annum prioris seculi *octogesimum primum inter urbis proceres & senatores cooptatus fuerit. Non poterat sese diu intrà novam hanc sortem continere vir instabilis: erat enim arrogantis animi, quíque nulli volebat cedere, nec ullum sibi parem aut superiorem ferre. Quare non multò pòst cum duobus urbis consulibus in gravissimam dissensionem litémq; sumptuosam incidit. Et (quia uterque horum acerrimus causidicus; ipse autem indoctus & expers literarum erat) ab his ità premi, & in eas angustias compelli cœpit, ut non solùm debuerit senatorum subsellia devitare; sed etiam urbem ipsam & penates patrios derelinquere. Sic ejectus recepit sese primò* in pagum *Scherwede*; ubi complures annos cauponem egit, non sinè magno incommodo vicini Abbatis Hardehusani, qui subinde multum adversi* ab eo pertulit. Postea verò, cùm ibidem è vivis abiisset ipsius uxor; novâ conjuge ductâ, Warburgi in suburbio consecutus est præfecturam in hospitali vel xenodochio S. Petri, quod eo tempore satìs opulentum erat, habebátque propria armenta boum, & greges ovium pecorúmque. Ibi cùm satìs opiparè viveret; pro tumultuoso turbidóque ingenio suo rursus ità collisus est cum senatu* Warburgensi, ut hic illum violentâ manu comprehendi, & aliquantisper in urbis curia captivum attineri jusserit. Interea Paderbornæ defuncti erant omnes, qui privatarum offensionum causâ eundem olim à magistratu & urbe excludi fecerant. Quare divenditâ xenodochii* Warburgensis Præfecturâ, cum acceptis pecuniis nummísque suis Paderbornam rediit: paulóque pòst (utì suprà memorare cœperam) in ükeriana urbis regione à seditiosis quibusdam è vulgo civibus instigatus est, ut oppressæ communitatis curam susciperet, atque ad complanandos reliquos propositorum gravaminum articulos magistratum hactenus reluctantem adigeret.

Ducémque suæ factionis eligunt *Liborium Wichards.*

**Klockner ad an. 1604*

**vulgò* die Börne-Bader.

**Klockner ad an. 1601*

**Klockner ibid.*

**hist. collegii Paderb. ad an. 1603.*

**Klockner ad an. 1601.*

**Klockner ibid.*

Pla-

Wichardi⁹ factiosos accendit amplius ad rebellandū. *Klockner ad an. 1601*

Placebat id summopere Liborio, ad solum natale reduci: præsertim, quòd hoc eventu offerretur ipsi commodissima occasio sumendi vindictam de hæredibus eorum, à quibus olim persecutionem passus, & ejectus fuerat. Itaque statim ille coram eis garrire multa de senatoria dignitate sua, jam olim habita: uti etiam de senatorum & consulum infidelitate, quam sui Magistratûs tempore non solùm experiri; sed etiam oculis conspicere, & quasi manibus palpare cœperit. Nimirum *Paderbornam fuisse aliàs urbem opulentissimam, senatum ejus potentem, cives admodum pecuniosos, argentum plenis ferè* **corbibus importatum. Nunc verò à pluribus annis, per quotidianas consulum et senatorum comessationes, esse ærarium exhaustum, cives indigos, reditus accisos, argenti fluxum apprime tenuem ac ferè penitùs interversum. Hæc autem, nisi quis urbem ad incitas redactam velit, non posse diutius ferri: ideóque Magistratum vel ad reddendas præteritorum rationes cogi oportere; vel, si nolit, lege repetundarum agi cum eo posse ac debere.* Talia dicentem audiebant ükeriani murmurones illi, non secùs ac novum Apollinem loquentem è tripode: atque idcirco multi ex eadem urbis regione ità se obligabant huic blateroni, ut promitterent, se pro adjuvandis ipsius ausis, vitam, sanguinem, & honorem suum, libentissimè profusuros. Augebat subinde factionem hanc legulejus garrulus, Wolffgangus Günter, ortu etiam Paderbornensis, & ejusdem farinæ cum Liborio Wichardio; sed occultioris nequitiæ, promptioris calami, versutioris ingenii: ità ut ea, quæ Liborius vi & fœdere suorum occepisset, Wolffgangus calamo & juris prudentiâ ulteriùs promovere ac perurgere posset. His duobus primipilis, quotidie crevit multitudo seditiosorum ükerensium. Et quia gemini ipsorum duces fallacissimè prætexebant, nihil aliud à se quæri, quàm ut reliquis propositorum gravaminum articulis à magistratu satisfiat; etiam non pauci alii ex quatuor aliis Paderbornensis urbis regionibus inquieto huic factiosorum cuneo se adjunxêre. Secuta mox ingens ac plena turbis rerum confusio. Etenim fæx ista hominum die undecimâ Februarii præsentis anni, millesimi sexcentesimi secundi, cum suis ducibus in curiam civitatis irrupit; magnóque fremitu senatoribus & consulibus ibidem congregatis extrema omnia comminatur, nisi reliqua publicorum gravaminum puncta confestim absolverent. Quod cùm illi, nescio quâ suorum facinorum conscientiâ, more solito recusare pergerent; ibidem à furiosa plebe toto triduo detenti, custodiis obsepti, contumeliis onerati, frigore & inediâ pressi, nec indè priùs in libertatem relaxati sunt, donec Princeps, ab eorundem amicis imploratus, die decimâ quartâ Februarii custodiam solvi, & usque ad pleniorem causæ hujus cognitionem

* *hist. collegii Paderb. ad an. 1603*

Adjungit sibi Wolffgangum Günter juris peritum: *Klockner ibid.*

Hist. Collegii Paderb. ad an. 1604 & plures alios homines plebejos ex aliis urbis regionibus. *Klockner ad ann. 1602.*

cum his die 11 Februar. præsentis anni 1602. in curiam involat, & senatum toto triduo captivum detinet. *Klockner ibid.*

tionem ab omni violentia sub pœna duorum millium aureorum abstineri jussit. Paruêre quidem huic mandato seditiosi cives unà cum suis ducibus. At, ubi postmodum causæ hujus decisio propter innumeras ambarum partium querimonias, interlocutiones, exceptiones, appellationes, aliáque juris adminicula, diutius protrahi ac procrastinari debuit; seditiosi rursus in tumultus graviores ruere, moram ulteriorem velut suspectam respuere, desperata consilia cudere, ubique in cœtus clamosos convenire, etiam in ipso Cathedrali templo, non sinè maxima divinorum officiorum perturbatione. Indicabant hæc Principi suo Cathedralis Ecclesiæ Canonici, rogabántque, ut periculosas hujusmodi conventiones ocyùs inhiberet: metuendum aliàs, ne res ista, malorum graviorum prodroma, in extremam totius reipublicæ perniciem vergeret. Perlubenter id egit Princeps: nam & ipse jam pridem nihil boni è damnosis hujusmodi conventiculis ominatus fuerat. Contrà verò Liborius Wichardius, cum suis assèclis, hoc audito horrendùm furere, jussionem Principis execrari, collegium Cathedrale diris omnibus devovere, intérque alia virulentas háisce calumnias in Ecclesiæ Majoris Canonicos velut Cerberi spumam eructare: *Videtis, charissimi cives, videtis, quâ ratione nobiscum agant iidem ipsi, quos vigiliis nostris custodire, in honoribus habere, et ab omnibus oneribus publicis liberare cogimur? Videtis, quomodo interitum, sanguinémque nostrum perditissimè sitiant, cùm non modò satagant Christianum illud propositum impedire; sed etiam Antistitem nostrum eò permovere velint, ut nos, et conjuges puerósque nostros, corpore, vitâ, bonis, et, quod omnium tristissimum est, purissimo Dei verbo et Evangelicâ doctrinâ privet?* Quid autem ad has Wichardii exclamationes & amara ejus dicteria consecutum fuerit, in sequentis anni decursu prolixiùs declarabitur.

Seditiosa conventicula cum iisdem agit, etiam in æde summa. *Klockner ibid.*

In Ecclesiæ Cathedralis Canonicos, ea de re conquestos vehementer invehitur. *Klockner in hist. Paderb. ms.*

Annus Christi 1603.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 12.
RUDOLPHI II. Imperat. 27. & 28.
THEODORI Episc. Paderb. 18. & 19.

SEditiosi Paderbornenses, antè dictâ Cathedralium Canonicorum denuntiatione commoti, priusquam acerbius aliquid in eosdem constituerent, ineunte hoc anno ad eos miserunt complures legatos cum præcipuo Wichardianæ factionis promotore WOLFFGANGO Günter, homine malitioso, & innumeris penè sceleribus involuto.

Günterus, Wichardii socius, cum aliis factiosorum ablegatis, coram Ecclesiæ Cathe-

dralis Capitulo studet excusare conventicula, à se suísque instituta. *Klockner ad an. 1603.*

voluto. Is, ubi die 3tiâ Januarii ad Capitularem congressum admissus est, prolixâ oratione studuit, à se suísque omnem rebellionis inchoandæ suspicionem abstergere. *Audîstis*, inquiebat, *Reverendissimi Domini, quàm iniquè hactenus ærarium urbicum à senatoribus consulibúsque nostris dilapidatum fuerit. Conquesti sumus ea de re, pro ùt oportuit, apud Celsissimum Principem: et hic propenso in cives animo nominavit ante annum plures commissarios, qui unà cum aliis viginti quinque urbis nostræ deputatis, viris admodum pacificis et quietis publicæ amatoribus, causam hanc diligenter excutere satagant. Cùm autem hi deputati, quos inter nonnulli sunt è viris consultissimis totius urbis, deliberationum suarum causâ debuerint aliquoties in unum convenire et colloqui: Vos, Domini Reverendissimi, non modò suspicionem alicujus rebellionis in eosdem conjecistis; verùm etiam adhibendæ cautelæ gratiâ Antistiti nostro persuasistis, ut hujusmodi conventiones, veluti periculosas principali auctoritate suâ interdiceret. Avertant superi boni, ne nobis tales cogitationes in mentem veniant! Nos aliud animi propositum non habemus, quàm ut afflicta civitas tandem è diuturnis malorum hominum oppressionibus evolvatur. Hic scopus nostrarum consultationum est! hæc meta, in quam unicè dirigimus arcum! Quare iterum iterúmque à vobis petimus, Reverendissimi Domini, ut à sinistris ejusmodi suspicionibus decedatis: paritérque nobis exponere dignemini, utrum in hoc dissidio pro communitate civium accusantium; an verò pro senatu et consulibus accusatis facere cogitetis?*

prudentissima responsio Arnoldi ab Horst, Cathedralis Ecclesiæ Decani. *Klockner ibid.*

Finitâ hac oratione surrexit Ecclesiæ Cathedralis Decanus Arnoldus ab Horst, & omnium Capitularium suorum nomine respondit breviter in hunc modum: *Quòd Paderbornenses cives de proventuum urbicorum interversione senatores consulésque suos per viam juris accusaverint, et jam ulteriùs quovis modo licito depauperatæ urbis prosperitatem restaurare satagant, id non solùm auditu nobis jucundissimum est; sed etiam paratissimi sumus, afflictæ huic urbi in omnibus rebus æquis auxilium ferre. Quod autem à vobis additur de suspicatione alicujus rebellionis, quam inter nos enatam esse dicitis ex iterata viginti quinque deputatorum conventione; res illa (pace vestrâ) longè aliter se habet. Non enim conventiones licitæ et probatæ; sed illicitæ ac modis omnibus interdictæ: non aliquoties aut interdum; sed ferè singulis diebus: non à viginti quinque deputatis, virísque doctis et pacificis, utì à vobis dicitur; sed à centum et ampliùs indoctis, clamosis, insolentibus, et gregariis è vulgo civibus, jam passim hìc in urbe fiunt. Neque hi in conventiculis prædictis agunt de rebus ad commune bonum pertinentibus; sed de aliis seditiosis ausibus: idque non solùm alibi, sed etiam in ipso Cathedrali templo; in quo subinde consilia sua tanto cum tumultu ac murmure pertractârunt, ut officium divinum ibidem à Clero peragi vix potuerit. His ergo, et non aliis de causis, justissimè conquesti sumus apud nostrum vestrúmque*

strúmque Principem. Nec enim ignorabamus, quàm periculosæ consecutiones jam sæpe alias è damnosis hujusmodi turbulentorum conventiculis enatæ fuerint. Proinde hæc et similia à civibus vestris, cùm in urbe, tum in templo nostro Cathedrali, sólicitè devitari facite: et scitote, nos in ea causa, quæ cives inter et magistratum Paderbornensem vertitur, juris cursum non impedituros, nec uni magìs quàm alteri parti addictos fore. His auditis Günterus consternatus abiit; effecítque, ut in posterum Cathedrale templum à tumultuosis hujusmodi concursationibus immune fuerit.

Theodorus Episcopus vetat, ne in proxima senatûs electione deligatur quisquam è duabus partibus, inter se invicem dissidentibus, *Klockner hunc annũ. Horrion in Panegyrico Theodori Episcopi l. 3. c. 4.*

Sequenti die, quæ erat quarta Januarii, Celsissimus Princeps ad evitandas ambarum partium offensiones pendente adhuc lite sapienter vetuit, ne in proxima novorum consulum ac senatorum creatione deligeretur ullus è senatoribus, consulibúsque pristinis, tanquam personis ab adversa parte denuntiatis: neque etiam vice versâ Wichardius, Günterus, & alii priorum consulum ac senatorum accusatores primarii, tanquam præcipua modernæ seditionis & factiosorum capita. Prudentissimum sanè consilium! quo reipublicæ turbatæ quies revocari facillimè potuisset, nisì infaustis motibus id iterum impedíssetLiborii Wichardii audax malitia. Is enim die decimâ Januarii, quâ viginti quatuor tribuni plebis ad eligendum senatum pro more veteri in urbis curiam convenerant, iterum cum insolenti sociorum suorum turba in foro curiæ vicino constitit; magnóque terrore electoribus intentato, neminem inter senatores adoptari sivit, nisì è sua, suorúmque adhærentium voluntate. Unde & aliqui ex his, qui eligebant, conspectâ hac illorum vi sublatis in cælum oculis cum fletu & lachrymis exclamârunt: *Bone JESU! quid his tumultibus ac turbis fiet?* Nec minor ejusdem hominis imperiositas fuit electione jam peractâ. Nam & tunc in urbis curiam se intrusit, magistratûs officia distribuit, camerarios instituit, consules designavit, intérque eos * unum sutorem, nomine Henricum Bellersen, virum animo quidem syncero præditum; at sutrinæ dirigendæ magìs, quàm assumendis reipublicæ curis idoneum. Quare Princeps, graviora urbis incommoda veritus, novo magistratui imperavit, ut Wichardum, velut hominem inquietum & magno totius communitatis exitio natum, sinè mora * in custodiam & captivitatem abstrahant. Debuíssent hîc statim senatores consulésque novi tantis imperiis obsequi, si suam suæque urbis tranquillitatem in tuto collocatam vellent. At illi, nescio quo metu perciti, non solùm à Wichardo capiendo & custodiendo abstinent; verùm etiam eò usque habenas viro turbulento laxant, ut Philippum Berningium juris Licentiatum, quem illi Secretarium urbis constituerant, rursus ab officio dimovere,

Wichardus electionem hanc intervertit; nec ullum, nisì è sua suorúmq; voluntate, in senatum adoptari sinit. *Horrion. loc. cit. *Klockner. ibid.*

Klockner ibid. Günterum quoque vi & metu secretarium urbis nominari curat.

ejusdémque loco Wolffgangum Günterum, suæ factionis hominem, substituere ausus fuerit.

Videbant hinc facilè prudentiores viri, quorsum res ista vergeret. Atque ideo plures viri docti è viginti quinque *deputatis*, qui discutiendis prioris anni controversiis unà cum Episcopalibus commissariis præerant, missionem ab officio suo petivêre: causantes, præsentem rerum faciem pro se nimis periculosam apparere, Wichardium & Günterum ferociter omnia pro suo arbitrio gerere, multitudinem seditiosorum quotidie magis insolescere, eáque de causa jam nihil ampliùs pacatè & per viam juris agi posse. Quo audito rursum Theodorus Princeps die 18 Januarii ministrorum suorum aliquos Paderbornam ad monasterium Abdinghoffense misit; indéque denuo severissimè præcepit magistratui, ut Wichardium ab omnibus conventionibus juridicis, quæ ad pristini senatûs denuntiationem pertinent; Günterum verò non solùm ab ejusmodi cœtibus, verùm etiam ab accepto secretariatûs officio propediem depellerent. Cùm autem & huic mandato obsequi recusaret magistratus, prætenderétque se amborum operâ & consiliis carere nequaquam posse: tandem die 15 Februarii in comitiis, extra urbem in pago *Schwanneye* habitis, magistratui Paderbornensi rursum imperatum est sub pœna quingentorum aureorum, ut priori mandato confestim pareant; aut certè intrà octiduum legitimis argumentis doceant, qua de causa non teneantur mandato Principis obedire. Tum verò senatores & consules, tristiora pericula veriti, consilio cum plebis tribunis habito nuntiârunt ocyùs Wichardio & Güntero, ut in posterum à rebus omnibus, Episcopali præcepto vetitis, manum abstraherent. At illi diuturnâ magistratûs conniventiâ suas frontes jam ità induraverant, ut ad omnia superiorum suorum imperia obsurdescerent. Sanè Wichardius, Güntero longè impetuosior, paulò pòst *cum ingenti conjuratorum suorum caterva in curiam senatoriam irruit; &, cur ejusmodi mandatis parere non velit, in hunc modum excusare conatus est. *Ego, Domini consules et senatores, à communitate civium vestrorum ad hoc electus ac penè adactus fui, ut in accusando ac denuntiando senatu pristino causam ipsorum agerem. Illi se mihi, et ego vicissim illis, fide sanctâ porrectísque dexteris me obstrinxi, nos causæ huic usque ad vitæ et sanguinis profusionem instituros, donec ea penitùs confecta et absoluta fuerit. Quid ergo mirum, nos aliquando in frequentiorem cœtum conglobari oportere, et conferre ea, quæ ad hunc scopum assequendum pertinent? Id si Episcopo et Majoris Ecclesiæ Popis displiceat, aut rebellionem seditionémque sapere videatur; patienter ferendum est mihi. Ego interim in rebus bene cœptis pergam, et unà cum sociis meis malo vitam, honorem, et omnia bona, in oppressa*

Cum eodem Güntero mandatis Episcopalibus ferociſſimè se opponit. *Klockner in hist. Paderb.*

* *die 18 Februarii.*

oppreſſæ urbis emolumenta profundere; quàm à fœdere inter nos inito in gratiam Principis abſtinere. Multò minùs verò me ſejungi patiar à conventu viginti quinque deputatorum, qui cum Epiſcopalibus commiſſariis exauctorati magiſtratûs cauſam excutiunt. Non enim ſum ità plumbeus, vel obeſæ naris homo, quin olfacere poſſim, quò mandata Principis collineent. Nimirum, ut me amoto ſolus ludat, me meôsque conſortes deprimat, ſenatores exauctoratos rurſus in altum efferat; itáque tandem urbis totius regimen, etiam in rebus fidei, pro libitu ſuo verſet ac circumvolvat. Quo dicto, ad multitudinem ſuorum factioſorum converſus, altiſſimâ voce clamabat: *Nunquid hæc omnia ſentitis mecum?* Illi autem è diverſo: *ita, ita! ſentimus hæc omnia tecum.* Et hæc primi ante omnes vociferati ſunt ii, qui omnium poſtremi ſteterant, ac nullum propè verbum è rebus à Wichardio propoſitis intellexerant.

Nuntiabant hæc Principi ſenatores: addebántque poteſtatem ſenatoriam, prô dolor! nunc eo in ſtatu eſſe, ut ſinè præſenti capitum ſuorum periculo nihil ſeveriùs agere in tumultu moderno poſſint. Contrà verò Wichardius, ut in poſterum omnia, vel invito ſenatu, pro ſua ſolius voluntate gereret; è ſuo illo hominum perditiſſimorum grege novos viginti quinque deputatos creari juſſit: eorúmque operâ aſſecutus eſt, ut, quidquid ipſe cupiebat, etiam plebs malè ſana vellet juberétque. Ferebat hæc omnia Princeps moderato, ùt erat, animo: ſolúmque præſtolabatur occaſionem commodam, quâ alterutrum è duobus rebellium ſignieferis, Wichardium ſcilicet aut Günterum, caperet. Offerebat hanc demum pro voto ejus dies quartâ Octobris. Quâ die cùm Günterus aliorum negotiorum causâ Neuhuſium iret; confeſtim à Theodoro Principe comprehendi juſſus, & propter adulterium, rebellionem, & alia graviſſima ſcelera, in ſeveram cuſtodiam adductus eſt. Mirabiles indè motus in tota urbe, præſertim inter eos, quos eadem factio implicuerat. alii præ dolore furere ac debacchari, alii occultam inter ſemétipſos proditionem extimeſcere, alii, ut cetera complura taceam, ſeditioſos inter ſe conventus cogere, & in iis conſultare, quâ ratione huic malo à ſe ſuísque occurri debeat. Poſtremùm verò die 11. Novembris velut inſani homines ad urbis curiam ferociter concurſare, ibidémque à magiſtratu congregato poſcere, ut conſpirantibus animis novam legem ſeu conſtitutionem ederet, quâ in poſterum nemo civium, etiam ex infima fæce hominum, juſſu Principis attineri, vel in cuſtodiam abduci valeat: ſed, *Si quis in poſterum fuerit, quem Epiſcopus in jus vocari aut ſiſti velit* (inquiebat audaciſſimus iſte Wichardius) *veniat ipſe in urbem Paderbornam, accedat ad curiam ſenatoriam, equum*

Günterus, negotiorũ causâ Neuhuſium veniens, juſſu Principis comprehenditur & cuſtoditur. *Klockner, in hiſt. Paderb.*

Indè Wichardius, etiam ſe poſtulandum veritus, unà cum ſuis factioſis urget ut novâ conſtitutione prohibeatur, ne quis civiũ ex mandato Principis attineri vel extradi debeat.

ſuum ibidem ad annulum vel uncum alliget, magiſtratûs alloquium poſtulet, nocentem deferat, ſententiam exſpectet, jus accipiat, et nemini illud in urbe dictet. Exhorruit ad poſtulata ſenatus, licèt aliàs Wichardio indulgentior: negavítque, talem conſtitutionem ſinè peccato à ſe condi poſſe, utpote repugnantem juri Principis, & legitimæ poteſtati ab eo ſemper in hanc urbem habitæ. At illi his auditis adhuc graviùs inſoleſcere, tumultuari, fremere, vociferari: *Ecce! conſules et ſenatores noſtri colludere volunt cum inimicis noſtris. Quis ſcit, an non pariter iidem ipſi fuerint, qui inſontem Günterum detulêre Principi, ut in cuſtodiam raperetur?* augebatúrque hæc eorum ſuſpicio, cùm eodem hoc tempore imperaret Princeps, ut ſequenti die, nimirum pridie Idus Novembres, cives omnes, regionatim inter ſe diviſi, extra urbem convenirent; ibíque ſeorſim una regio poſt alteram juſſu Principis auſcultaret. Tunc enim ſeditioſi, animorum disjunctionem inter cives tentandam veriti, (nam potiſſima urbis & ſenatûs pars adhuc erat Wichardianæ perduellionis expers) mox altero mane magno cum fremitu per plateas currere, portas urbis obſerare, nemini ingreſſum vel egreſſum permittere, toto triduo urbem ità occluſam tenere, atque, ut aliquam huic machinationi fraudem obtexerent, mendaciſſimè in plebem ſpargere, quòd Princeps è Transmontana diœceſis parte* multos homines armatos evocaverit, qui interea, dum cives extra urbem eſſent, urbem omni ſuorum civium præſidio denudatam invaderent.

Magiſtratus eam conſtitutionem, ùt iniquam, rejicit. *Klockner ibid.*

Wichardiani idcirco fremunt & magnâ vi impediunt, ne quis civium exire poſſit, ad alloquium Principis extra urbẽ præſtolantis. *Klockner ibid.*

Horrion in panegyrico Theodori l. 3. c. 4.

**Horrion loc. cit.*

Conſtabat inter omnes, unicum hujusmodi malorum architectum eſſe Liborium Wichardium. Atque ideo Princeps, hunc à reliqua ſeditioſorum turba ſegregandum ratus, die viceſimâ Novembris primarios aliquos è ſuo conſilio viros ad monaſterium Abdinghoffenſe miſit: convocatíſque ibidem ſenatoribus & conſulibus graviſſimè rurſus imperavit, ut ex antiquorum receſſuum vel tranſactionum ſtatutis continuò Wichardium, vel ſibi captivum dederent; vel certè protinus apprehendi, & in urbis cuſtodia tam diu ſedulò detineri facerent, usque dum objecta ſibi crimina in legitimo judicio diluiſſet. Magiſtratus, cùm in tam æquis poſtulatis Principi ſuo reluctari nullatenus poſſet, ſinè mora denuntiavit Wichardio, *ut ex mandato Principis ad civilem urbis cuſtodiam ſe demitteret. Suadere ſe, ut hac in re modeſtè pareat; ac viciſſim promittere, quòd interea nihil omittere velint, quo eum Clementiſſimo Principi reconcilient, et omnia civium ſuorum diſſidia feliciter componant. Quod ſi autem id refugiat; orare ſe, ut aliquantiſper ſe ex urbe retrahat, et uſque ad ſereniora tempora ſecuriore in loco domicilium figat.* At ille, mandatis omnibus jam pridem obſtrepere doctus, adhuc lon-

Theodorus Ep. magiſtratui mandat, ut Wichardium vel ſibi captivũ tradat, vel ſaltem in carcere civili cuſtodiat, uſque ad ulteriorẽ juſſionem.

Magiſtratus denuntiat Wichardio, ut vel cuſtodiam ſubeat, vel ex urbe ſe proripiat. *Klockner ibid.*

longè truculentiùs insanire, machinationum suarum socios convocare, & hoc modo coram universa multitudine conqueri: *Jam tandem aperta res est, senatores consulésque nostros cum Episcopo Theodoro facere. Proponunt mihi ac persuadere satagunt, ut vel me ipsum, veluti captivum, custodiæ ipsorum tradam; vel perditissimi nebulonis instar ex urbe et solo patrio me subducam! Vah! quàm acerba ipsorum propositio? Ego nebulonis instar huic urbi me subtrahere? Absit! absit! in æternum non committam, ut hoc fiat. Aut jussu Principis me in urbis custodiam veluti captivum tradere? Id equidem non omnino vereor, nec recuso: Sic enim habetote, me libenter mori pro salute patriæ! sed quid indè commodi nasciturum sit vobis, et oppressæ civitati vestræ (quam ego perpetuæ libertati à me asserendam spero) vobismet ipsis considerandum et expendendum relinquo. Ego, laus Deo! jam eò usque rem deduxi, ut æterna lex vel constitutio (de nullo civium, jussione Principis, in posterum attinendo vel constringendo) jam concepta et in scripturam publicam redacta sit. Nec opinatus fueram, senatum Paderbornensem in approbanda et consignanda eadem scriptura sic à meis consiliis recessurum esse: præsertim cùm ea res non ad meam unius tantùm; sed ad communem omnium nostrùm utilitatem faciat. Quid igitur faciemus in hac senatûs repugnantia? si me auditis, pergendum est in incepto: et, si quidem Princeps acquiescere non velit, nisi manus suas lavet in meo sanguine; ferendum id mihi potiùs, quàm ut sanguinis mei servandi causâ vos ab ista constitutione deterreri patiamini.*

Wichardi his auditis plebem sibi addictam seditiosâ oratione concitat. *Klockner ibid.*

Hísce dictis rursus ingens in plebe fremitus. Et alii quidem per plateas currere & ità Wichardium suum deplorare, ac si gladius carnificis jam esset appositus ipsius jugulo. Alii verò ad curiam urbis advolare, & omnem Wichardianæ captivitatis imperatæ culpam in senatores conjicere. *Si enim*, inquiebant, *prædicta constitutio Wichardiana à vobis recepta et consignata fuisset; nunquam Episcopus noster, conspectâ civium et senatorum unanimi conjunctione, habuisset hôsce animos, ut ejusmodi virum tam audacter in custodiam trahi præcepisset. Quare agite adhuc, et seriò satagite, ut hoc malum evitetur: alioqui grande malum impendebit cervicibus vestris.* Respondebant senatores: *Ecce hîc mandatum Principis! legite in eo pœnas et comminationes gravissimas, quas intentat urbi nostræ, nisi postulationi suæ continuò satisfiat! Quid nostra subditorum constitutio derogare poterit legitimo ipsius juri ac potestati? sanè, si rectè hoc negotium expenditis, aut parendum hîc nobis est; aut suadendum Wichardio (id quod et nos eidem suasimus) ut aliquantisper se ex urbe retrahat, donec ira Principis defervescat. Nos interim, quidquid in ejus absentis bonum poterimus facere, faciemus.* At frustra hæc omnia. Nam insana plebs (cùm audiret senatum à Wichardio capiendo non destiturum, nisi ex urbe fugeret)

Tumultuosa plebs magistratui ferociter obstrepit, *Klockner in hist. Paderb. ms.*

& Wichardii domum ne capiatur, validissimè custodit. *Klockner ibid.*

ret) continuò armatâ manu domum ejus incingere, viciniam omnem custodiis opplere, minores quasdam belli machinas attrahere, violentiæ inferendæ viam obstruere, nullum nisi amicum intrò admittere, &, si quis alius ibidem præteriret, eundem infacetis vocibus deridere.

Magistratus recusat admittere milites, à Principe mittendos ad capiendum Wichardiũ: *Klockner ibid.*

Sperabat magistratus, popularem hunc tumultum, & ostentata civium resistentium arma, sibi magnæ apud Principem excusationi fore. Sed ubi Princeps reposuit, *se facilè occursurum huic tumultui: permitterent sibi tantùm, ut militiæ suæ Præfectus Georgius Bosen cum armatis non valde multis in urbem veniat: eum brevi curaturum, ut Wichardium sinè omni sanguinis profusione, imò etiam sinè omni aliorum civium obedientium adminiculo in suam suique Principis potestatem redigat:* tunc, inquam, senatores consulésque nostri rursus admodum tergiversati sunt; ac, nescio quo animi metu, honestatem prioris excusationis novo inobedientiæ vel detrectationis vitio turpissimè corruperunt. Id verò quàm nocivum ipsis & urbi universæ fuerit, cum ingente suorúmmet capitum periculo propediem dicêre. Nam paulò pòst, nimirum die 26 Novembris, Wichardius cum frequenti suorum caterva, quorum singuli gladiis, cultris, pugionibus, securibus, & quovis alio telorum sanguinariorum genere sub pallio clanculum obarmati erant, furioso impetu in medium senatum irruit, rogátque consules & senatores, nunc tandem sæpe dictam constitutionem approbare, admittere, consignare, & suis consiliis in posterum obsecundare velint, nec ne? Cumque ipsi responderent, id à se nec bonâ conscientiâ fieri posse, nec, si fieret, ullo jure validum firmúmque fore; conjurati ejus, reducto nonnihil pallio, ostensísque parricidalibus armis, cum quibus venerant, impudentissimè comminati sunt eis, *paululùm se recessuros à conventu senatorum, ibíque tertiâ vice comprecaturos orationem Dominicam. Interea vel consentiendum esse postulatis; vel ejusmodi tragœdiam à se adornatum iri, de qua adhuc post centum annos locuturi sint posteri.* Bella sanè comprecatio! quam cælum superíque omnes detestentur! Orabant cyclopes isti flexis genibus: *dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Et tamen finitis precibus, volebant magistratui suo manus injicere, dissentientes trucidare, jugulatorum corpora minutatim concidere, atque (uti postmodum gloriati sunt) concisa ipsorum frustula de fenestris in subjectam aream ità devolvere, ut nulla mulier mariti sui carnes ab alterius occisi carnibus distinguere vel discriminare posset.

Paulò pòst à Wichardianis in extremas angustias agitur. *Klockner ibid.*

Ac tandem, cæde intentatâ, ab iisdem cogitur consignare suprà dictam constitutionem de nullo cive, ad mandata Principis attinendo. *Klockner loc. cit.*

In his angustiis magistratus, extremâ necessitate compulsus, tandem impiis ipsorum postulatis annuit: maluítque ad breve tempus

pus furori tam inhumano cedere; quàm diuturniori tergiversatione, certissimam sui corporis & vitæ jacturam incurrere. Wichardius autem, eo rerum successu hilaris, decem daleros Imperiales consulibus & senatui elargitus est pro liberali vino, quo terrorem abstergerent. Neque jam aliud quidquam videbatur ei deesse ad promovenda suæ rebellionis consilia; quàm ut Güntherum commilitonem suum, qui adhuc Neuhusii captivus erat, è Theodori Principis custodia solveret. Id autem quò faciliùs efficeret; ejusdem socero & affini, duobus opulentis fortunatísque civibus, blandè persuasit, ne in eo liberando ulli sumptui vel pecuniis offerendis parcerent. Consensit horum iteratæ petitioni benignissimus Princeps: eâ tamen lege, ut & hi, duorum millium imperalium cautione præstitâ, fidem suam obligarent pro Güntero in priorem custodiam restituendo, cùm id à Principe imperatum fuerit; & Güntherus pariter juratò polliceretur, se in legitimo judicio comparuturum, ibíque responsurum esse de objectis accusationum suarum articulis. Quæ omnia cùm ab utraque parte recepta essent, infelicissimus iste homo die tricesimâ Decembris è custodia sua relaxatus, & Paderbornam reversus est: magno quidem Wichardii & omnium Wichardianorum gaudio; sed irreparabili totius urbis & seductorum civium detrimento, quemadmodum sequenti anno declarabitur.

Günterus rogatu suorum affiniũ è custodia Neuhusana relaxatur, erga datam cautionem bis mille imperialiũ. *Klockner ad an. 1603.*

Interea nunc etiam breviter attingam ea, quæ de aliarum provinciarum rebus gestis præcipuè memoranda sunt. In Regno Angliæ die 3. Aprilis juxta Calendarium Gregorianum, aliàs verò juxta veterem stylum die 24. Martii, tandem è vivis abiit Regina Elisabeth, Henrici VIII. & Annæ Bolenæ filia: magnis quidem ingenii naturæque dotibus exornata; sed Catholicorum omnium & maximè sacerdotum atrocissima persecutrix. Quibus tamen, cùm terrestrem vitam eripuit, glorioſi martyrii palmam vel invita in manus tradidit. Mortem ejus è vestigio consecuta est funestissima pestis: quæ in urbe Regia Londinensi tam horrendùm sæviit, ut à mense Majo usque ad Novembrem sæpe singulis hebdomadis* tria hominum millia devoraverit. Successorem coronæ, titulo sanguinis propinquioris, habuit Jacobum Regem Scotiæ: qui deinde primus omnium sese *Magnæ Britanniæ Regem* nominari voluit, quòd universam insulam, Angliæ, Scotiæque Regna complectentem, feréque semper sub diversis Dominis constitutam, solus uno imperio possideret. Natus hic erat parentibus probè Catholicis; matre etiam pro Fide martyre, videlicet Mariâ Stuartâ Scotorum Reginâ, cujus glorioſum agonem jam alio in loco* explicavimus. Unde & multis Catholicis in animo persuasum erat, eum Catholicæ Re-

Elisabetha Angliæ Regina moritur. *Spond. ad hunc annũ. n. 2.* *Haræus in ann. brab.*

**Haræ ib.*

Succedit Jacobus Scotorum Rex. *Spond. ib. n. 3.*

**ad annum 1587.*

Religionis defensorem fore, cùm ad Regni Anglicani solium perveniſſet. At illa ſpes repentè iterum in aërem & ventos abiit. Jam enim virus Calviniſticum, quod ab ætatis primordio ſuxerat abſente captivâque matre ſuâ Mariâ Stuartâ, tam altè in ipſius animum deſcenderat, ut illud revomere difficulter poſſet: præſertim cùm videret, novam hanc Religionem ad retinenda Regni Anglicani ſceptra ſibi plurimùm profuturam, imò & neceſſariam eſſe.

Henricus IV. Galliæ Rex novo edicto curat, Societatis Jesu Patres, ante novennium ejectos, in Franciam revocari. *Juvencius in hiſt. Soc. Jeſu. part. 5. l. 12. n. 62 Buſſier. l. 23. hiſt. Franc. n. 18.*

In Regno Galliæ tandem hoc anno Henricus IV. Francorum Rex novum edictum condidit, pro revocanda in Regnum iſtud Societate JESU; quæ novem abhinc annis, ob iniquas malevolorum aliquorum criminationes, cum ſummo dedecore indidem expulſa fuerat. Æquitatem hujus rei paulò pòſt, nimirum V. Kalendas Novembres, in ſupremo ſenatu Pariſino propoſuit ipſémet in hunc ſenſum: *Decrevi, jam revocare Patres Societatis JESU: veſtræ jam partes erunt, in re tam æqua voluntati meæ ſuffragari. Veſtrum erga me ſtudium fecit, ut eos Regno pelleretis: idem erga me ſtudium faciat, ut eos mecum reſtituatis. Expendi omnia diligenter: multa de illis quotidie falsò in vulgus jactitari didici: leges, diſciplinam, et conſtitutiones, piæ hujus et eruditæ Societatis perſpexi. Magnas hæc attulit utilitates Hiſpanis, Germanis, Italis, et orbi toti: afferet et Gallis non minores.* Ægerrimè adduci poterat prædicti concilii præſes Harlæus, ut huic propoſitioni morem gereret. Acceptâque deliberandi licentiâ, tandem pridie Natalis Domini coram ipſo Rege & ſenatu frequentiſſimo bene longam orationem contra Patres Jeſuitas habuit: nimirum quòd vehementer ambitioſi, multísque perſonis Eccleſiaſticis admodum inviſi ſint: quòd Romano Pontifici nimìs arctè ſe obſtringant, Regem Hiſpaniæ magnopere colant, atque ideo Gallicanæ reipublicæ nocituri magìs, quàm profuturi ſint. At Henricus Rex, nihil indè motus, totam Harlæi orationem à principio ſtatim reduxit; & omnia, quæ ab eodem objecta fuerant, admirabili memoriâ pariter ac reſpondendi celeritate præclariſſimè refutavit híſce verbis à Buſſierio* traditis: *Gratias vobis habeo plurimas pro ſolicitudine, quam de me et regno meo geritis. Cogitationes veſtras omnes mente complector: ſed vos mentem meam non aſſequimini. Objeciſtis mihi ea, quæ vobis viſa ſunt magni ponderis et momenti: nec animadvertitis, nihil dictum à vobis, quin id ego jam ab annis novem ſeriò perſpexerim et conſiderârim. Jeſuitæ Poſſiaci dederunt ſpecimen doctrinæ; ſed non ambitionis: nec ſatìs video, quâ ratione hoc vitium affricetis iis, qui dignitates Eccleſiaſticas ex peculiari voto recuſant. Quòd ſi è perſonis Eccleſiaſticis nonnulli ab iis Patribus alieni ſunt, id enim verò vel ignorantiæ eſt, quæ ab omni ævo ſcientiam carpit; vel ſolutioris vitæ, quæ ab iiſdem reprehendi metuit. Obſervavi enim, cùm de iis reſtituendis*

**Buſſier. ibid. Juvenc. loc. cit. n. 63. & 64*

agere

agere cœpi, duo genera hominum iis potissimùm refragari: nimirum Religionis novæ sectatores; et è personis Ecclesiasticis eos, qui de morum licentia merentur argui. Sed objicitis, quòd ingenia præclara ad se pelliciant. Imò vel idcirco magni apud me sunt nominis. Nam et ego, cùm scribo militem, cupio deligi fortissimum quemlibet: vellémque, et neminem in senatum vestrum adscisci, nisi digniorem. Quod asseruistis de ipsorum doctrina, in eam sedulò intendi: nec ullum ex eorum discipulis aut alumnis reperi, qui ab ipsis doceri dicat, fas esse tyrannum occidere, aut necem Regibus intentare. Castellius hac de re eos nunquam accusavit. Et, si accusâsset, imò si et aliquis Jesuita mihi vulnus intulisset; an idcirco oportebit Jesuitas omnes pœnam ferre, cunctósque Apostolos ob Judam unicum exturbari? Quòd ad jussa Pontificis arctiùs obstricti sint, hoc ad infidelium conversionem pertinet: neque arbitror, hoc votum obedientiæ firmius esse, quàm sacramentum fidelitatis, quod mihi præstituri sunt. Postremò, quòd Hispaniæ Rex utatur ipsorum operâ, sapienter facit. Et ego in posterum operâ ipsorum utar: neque volo, ut Franciæ conditio hac in re pejor esse debeat, quàm Hispaniæ. Si timetis, ne quid ex arcanis meis vel hosti vel Hispano prodant; meum erit, nihil ipsis arcanum aperire, quàm quòd voluero. Vos hujusmodi curas mittite; nec jam aliud cogitate, quàm ut impleatis id, quod volo et jubeo. Mirati sunt omnes, qui adfuêre, tam expeditam Regis in refutando promptitudinem. Ac, tametsi Harlæus adhuc aliquantulùm cunctaretur in exequenda Regis voluntate; nihilominus tandem ineunte Januario sequentis anni coactus est imperata facere, & unà cum supremo senatu Parisino edictum illud in tabulas publicas referre. Quo peracto, Patres Jesuitæ mox in omnem Franciam cum ingenti plurimorum gaudio revocati, nova multa Societatis domicilia variis in locis expetita, collegium Flexiense ab ipsómet Rege magnificis impensis erigi fundaríque cœptum: nec multò *pòst, urgente Petro Cottono Societatis JESU eruditissimo sacerdote, quem Henricus Rex conscientiæ suæ arbitrum & concionatorem sibi adlegerat, ante Palatium curiæ dejecta est ignominiosa illa pyramis, cui olim ejectæ Societatis decretum injuriosis verbis & versibus inciſum fuerat.

Sequenti anno 1604 revocantur, & ab eo novum collegium accipiunt in urbe Flexia, loco natali Regis. *Bussier. ib. Juvenc. ib. n. 65. Spond. ad ann. 1604.*

**anno 1604 die 13 Febr.*

In Belgio hoc tempore adhuc acriter urgebatur obsidio urbis Ostendæ: erátque jam annus tertius, quo Albertus Archidux cum suis castris ante hanc urbem consistebat. Inter varias retardatæ expugnationis causas numerari non ultimo loco debet infausta seditio aliquorum Hispanorum; quos ob infidelitatem & inobedientiam, ex importuna stipendiorum flagitatione consecutam, vernaculâ linguâ* *Meutenirios*, id est, perduelles nominabant. Hi dum anno superiore Hochstratanam arcem & oppidum ex insidiis occupâssent, non modò ibidem validè se præmuniêrant; sed etiam pro-

In Belgio perduelles Hispani (quos vocabant Meuteniri-os) retardant expugnationem Ostendæ. *Haræus in ann. brab.* **à verbo* Meuteren *quod est perduellio.*

processu temporis tam multos alios vi & lenociniis ad se pertraxerant, ut seditiosæ ipsorum phalanges per æstatem hujus anni creverint ad duo millia peditum & mille quingentos equites. Vivebant autem ex rapinis vicinorum populorum, quos identidem affligebant novis pecuniarum postulationibus. Atque ideo tandem Albertus Archidux, postquam frustra tentâsset omnia concordiæ reducendæ media, coactus est decem millia peditum equitúmque ad eosdem oppugnandos mittere, non sinè magno Ostendanæ obsidionis damno. Quod cùm illi advertissent, novâ perfidiâ se addixerunt Mauritio Nassovio copiarum Hollandicarum præcipuo duci: pollicitíque sunt, se eidem hoc anno militaturos, dummodo sibi contra Archiducem auxilio foret; & finitâ expeditione currentis anni, adhuc aliam urbem ampliorem sibi pro hibernis assignaret. Utrumque perlubenter iisdem præstitit Mauritius. Nam & copias Archiducis ab Hochstratensi oppugnatione desistere compulit; & finito hujus anni bello urbem Graviam prædictis (ùt appellabant) Meuteniriis tenendam & insidendam tradidit. Indè damna non provinciis solùm Clivensi & Montensi; sed toti etiam Westphaliæ illata.

Conjungunt se Hollandis & ab iis urbem Graviam pro hibernis accipiunt.

Haræus ad hunc annũ. Gallus. l. 15

Annus Christi 1604.

CLEMENTIS VIII. Pontificis 13.
RUDOLPHI II. Imperat. 28. & 29.
THEODORI Episc. Paderb. 19. & 20.

PEr frigidam hujus anni hiemem vehementius exarsit ferocia perduellium Hispanorum. Freti auxilio ab Hollandis accepto ex urbe Gravia in ditionem Leodiensem, Juliacensem, Coloniensem, & Clivensem proruunt; ferro ubique & flammis omnia devastantes, donec imperata pecunia penderetur. Mox, transmisso Rheno, per terras Montenses, ineunte Martio, in Westphaliam ad Visurgim usque effusi, immensam ex interjectis provinciis pecuniæ vim extorquent. Theodorus Episcopus noster, simul atque transitâ jam Unnâ, in Diœcesin Paderbornensem rectâ eos pergere dicerat; misit, qui adventantantium furorem mitigarent oblatis ultro tredecim imperialium millibus. Dono hoc placatiores unicâ duntaxat nocte in Episcopatu commorati, nihil præter unius diei annonam abstulêre. Eodem ad sedandam rabiem remedio usi sunt reliqui Westphaliæ Proceres; nullo, quod mirêre, vicinorum Principum, Comitúmque ad arma conclamare, ausо: atque, ùt meminit

Excursiones Hispanorũ rebellium in ditionem Leodiensẽ, Juliacensẽ, Colon. &c. deinde in Westphaliam.

Haræus in ann. brab. Klockner in hist. Paderb.

minit Klocknerus, pendere Lippienſis comitatus debuit quatuor millia; duo millia Ravensbergenſis, totidem Tecklenburgicus; Epiſcopatus Mindenſis ſex millia, novem millia Oſnabrugenſis, Monaſterienſis undecim millia, decem millia Ducatus Montium; urbs Suſatum, pagíque huic circumſiti ſex millia. Generatim tota Weſtphalia imperialium millia ſexaginta tria. Quàm exigua laus Weſtphalicæ gentis, auro redimere, quod ferro ſolvendum erat!

At nullis, plùs damni ab his *Meuteniriis* importatum, quàm Delbrugenſibus colonis; quorum tamen temeritati eam cladem adſcribas. Pridie Idus Martii *in Dominica Reminiſcere* revertebantur Meutenirii ex *Oiſtſchlangen* comitatûs Lippienſis pago, per deſertum *Sendæ Ritbergam cogitantes. At pervenire eò haud facilè poterant, nisì itinere per Delbrugenſem agrum inſtituto. Edocti de illorum propinquo adventu Delbrugenſes, quòd in reditu è templo congregati adhuc eſſent, quàm primùm coire in cuneos, muſſitare, conferre capita, mox veteri*Rhythmo (quæ populo illi tum teſſera belli erat) ſe incendere ad eundum obviàm venientibus ad uſque campum, quem Haſpelium vocant. Ibi, dum armata ruſticorum turba ſe oſtentat, militem Hiſpanum videt pacato ſinè omni noxa tranſitu implere datam Theodoro Epiſcopo pactámque fidem. Sed quæ ruſticanæ gentis plerumque, dum extra teli jactum ſe putat, magnanimitas eſt, auſi nonnulli ſunt, extremum agmen carpere, duobus prætereuntium glande plumbeâ ex equo in terram dejectis. Audito, qui prægreſſi erant, bombardæ ſonitu pedem è veſtigio referunt; furore tanto incompoſitam hominum turbam adorti, ut eorum facilè quadringentos inſtar pecudum mactaverint. Reliqui in vicinas domos & mapalia profugi cum uxoribus, liberis, pecoribus, injecto tectis igne, conflagrârunt. Hæc inconſultæ aggreſſionis pœna fuit; cujus vel memoriam hodiedum Delbrugenſes impendiò magìs oderunt; nec unquam amariores eos, aut ſtomachoſiores feceris, quàm ſi iis joci causâ veterem illum odioſum*Rhythmum occinas, jubeásque ad campum Haſpelium faceſſere: tanquam *Rhodus* illic eſſet, ubi *ſaltare* poſſent.

*vulgò die Senne.

*hilrio! hilrio! tom Haſpelkamp hinto.

Delbrugenſes fœdiſſimè cæduntur à Meuteniriis; quæ cauſa ſtragis. *Turckius in hiſt. mſ. To. 6. Klockner loc. cit.*

*hilrio! hilrio! tom Haſpelkamp hinto.

Ulti audaciam Delbrugenſium *Meutenirii* cœptum iter inſiſtunt tardiùs, quòd ſpoliis graves eſſent, ad urbem Graviam pergentes. Hìc equitum peditúmque Batavicorum novis aucti ſuppetiis, novum pariter prædandi campum aperiunt. Die viceſimâ Aprilis ſæviſſimæ in Brabantiam excurſiones fiunt; nec pagus uſquam nec vicus ab igne & ſævitia innocuus; nisì qui paratâ pecuniarum, quas cogebant, ſolutione incolumitatem à prædonibus redimerent. Major deinde metus inceſſit omnes, ex eo ortus; quòd

Poſt cæſos Delbrugenſes pergunt Hiſpani ad urbem Graviam.

Populantur Brabantiam

ac tandem reconciliantur cum Archiduce. *Haræus in ann. brab. Galluc. de bello Belg. l. 15. pag. 204 & 205.*

rumor ferebat, post expilationes illas progressuros per mediam Brabantiam, ac Flandriam ad invadenda Catholicorum castra, à quibus urbs Ostenda jam triennium obsidione premebatur. Quare Archidux Albertus pejora metuens per Legatos cum ipsis hunc in modum paciscitur: *ut stipendium omne adhuc residuum rite repræsentaretur. Arcem Hochstratensem Archiduci restituerent. Desererent militiam Batavicam, seque rursus Catholico jungerent exercitui. Sic sancitâ injuriarum perpetuâ oblivione, concordia redintegraretur.* Hic tandem finis perduellioni, quæ Westphalis etiam & regionibus trans-Rhenanis, non Belgis solùm quàm maximè exitiosa hoc anno fuerat.

Interea Ductore Mauritio Nassovio exeunte Aprili Scluſa à Batavis ingenti armorum classiúmque numero circumsideri cœpta; neque adeò laboriosum fuit eam urbem subigere; cùm Archiduci in obsidenda urbe Ostendana distento exercitus tanti roboris non esset, ut dispertitis agminibus simul Ostendam premere, simul depellere à Scluſa urbe obsidentes posset. Vicesimâ igitur Augusti urbs ea ex inopia annonæ cum triremibus decem, & tormentis bellicis ferme centum hosti cessit. Consternatos ex hujus urbis jactura Catholicorum Belgarum animos non parùm erexêre alii duo admodum felices nuncii: primus retulit; octiduo pòst Anglos inter & Hispanos convenisse pacem; dissolutam ab Anglorum Rege Jacobo armorum societatem, omnéque fœdus cultum hactenus cum Hollandis; nec permissu Jacobi Regis, aut eo sciente quidquam deinceps subsidii ex Anglia venturum. Alter primo felicior nuncius gaudium ingens apportabat de optatissima deditione urbis Ostendanæ; quæ post trium annorum in reluctando pertinaciam, tandem die vicesimâ Septembris se Hispanico Marti subjecit; territa cumprimis domitáque insigni virtute bellicâ Ambrosii Spinolæ, quem per Octobrem superioris anni Rex Hispaniarum admoverat moderandæ huic oppugnationi, ex eo potissimùm tam diuturnæ & difficili, quòd aperto semper mari pervióque Hollandi uterentur ad alimenta, militésque intromittendos. Ex his memorant *obsidionis triennio periisse septuaginta obsessorum millia, totidem ex obsidentibus Hispanis, certè non pauciores. Tantæ nimirum molis erat, tantum profundendum sanguinis & temporis, ut nova illa Belgarum Troja expugnaretur, quam tamen sequenti seculo* hæc nostra ætas tridui spatio expugnatam vidit.

Scluſa urbs Flandriæ occupatur ab Hollandis. *Auctores iidem.*

Ostenda post triennalem obsidionem deditur Archiduci. *Haræus ad hunc annũ. Galluc. l. 16. pag 242*

**Galluc. l. 16. pag. 253*

**in Julio ab Anglis & Hollandis. 1706.*

Nunc ab externis ad tumultus domesticos me recipio, visurus, quò tandem Wichardii Catilinæ nostri perduellio evaserit. Gunterus, postquam die tricesimâ Decembris ex custodia Neuhusio reversus

versus Paderbornam erat, una omnium fuit conjuratorum sollicitudo, ad consulatum evehendi Wichardium, ut eo turbarum duce & antesignano faciliùs urbis dominatum occuparent: jámque subornati erant, quorum suffragiis Wichardius in proxima magistratûs creatione inter senatores cooptaretur, cùm ecce! casus planè fortuitus, novo tumultui populari occasionem attulit. Erat ex Cathedralis Ecclesiæ Canonicis, cui in parvo quodam vivario, sive piscium intra urbem post molendina receptaculo, lutra ingens damnum dederat, piscibus non semel nocturno tempore aut absumptis, aut morsu enectis omnibus. Noxium animal, cùm sæpius insidias fefellisset, hoc modo circumventum neci datur.

Student rebellantes ut Liborius Wiegers vel ùt alii dicunt Wichards Paderbornæ consul eligatur.

Nonnihil escæ, cujus lutra appetentior est, annectunt fistulæ minori ferreæ; illámque ex insidiis ità collocant, tendúntque, ut esca tam leniter attrectari à lutra, tollíque non posset, quin eo motu fistulæ solveretur rota, ac pulvis nitratus, elicito igne, accensus grandinem plumbeam in corpus furtivi animalis excuteret. Successit ea res quidem ex animi sententia, & lutræ mortem conscivit; at secùs, quàm sperabatur, inde nova simul turbarum origo. Quarto Idus Januarii, qui novo erat magistratui creando præstitutus dies, cùm horam noctis secundam inter & tertiam displosi sclopeti fragor audiretur, nonnulli factiosorum civium, (uti pavidum semper scelus est) terrefacti insueto nocturna per silentia sonitu, è lecto citi prosiliunt: curritur per urbem; admonentur socii; contentâ voce clamatur: *Hannibal ad portas! Episcopus cum exercitu ad urbem est! eum intromittere magistratus cogitat in nostrum exitium, ad nos, qui Episcopo refragamur, Neuhusium abripiendos. Proditio! proditio! proditionis signum modò datum audivimus.* Clamore tanto exciti plures socii, primùm ad duplicandas portarum vigilias procurrunt, inde ad pervestigandas consulum senatorúmque ædes; excussi omnes anguli & sinus, num quid armorum in imis ædium recessibus, aut periculi lateat. Alii cum Wichardio, factionis tubâ, pro curiæ foribus congressi, tumultuosè parant omnia, quæ ad hostem arcendum facerent.

Tumultus novus occasione lutræ (germanicè einOtte?) de nocte sclopeto enectæ. *in contin. Cosmodromii Gobelini Personæ ad hunc & præc. ann.*

Lux demum exorta, cùm nihil hostium ad portas uspiam appareret, detexit inanitatem timoris; cùmque exonerati sclopi causa passim divulgaretur; consules jubent, ut tranquilli omnes, & hostium securi domum se recipiant; nec diem legendo magistratui destinatum suis misceant tumultibus. At illi neglectis consulum monitis sublatiùs exclamare; comminari; non priùs arma posituros se, quàm Günterus adsit, palámque edicat, quam ob rem & quibus actoribus Neuhusium protractus in custodiam fuerit. Vocatus ille multis quiritationibus mendacissimè narrat: *Captivi-*

tatis

Wolffgangus Günterus mendaciter narrat causas captivitatis suæ. *in contin. Cosmod. Gobelini.*

tatis causam imputari non posse, nisi suæ de republica sollicitudini, suis studiis ad erigendam diu oppressam urbem, eámque in puro Dei verbo, veterúmque privilegiorum usu, conservandam. Ex hoc uno omnium in se odiorum fomitem inflammatum; qui et restingui à se facilè posset, si, quam fortiter suscepisset urbis defensionem, per timiditatem animi, aut perfidiam abjiceret. Quod ad delatores; nihil certi sibi, suspicionis tamen non parùm esse de illis ipsis, quos scirent haud pridem ærarii depeculatores fuisse, consules nimirum, et senatores, ante annum exauthoratos.

Mendacem hominis sermonem, secunda plebis admurmuratio secuta est; & Liborius Wichardius, qui eodem navigabat vento; velis, dum hæc popularis aura aspirabat, indulgendum ratus, plenis apud consules buccis, Günteri merita crepat, jactitátque, virum esse extra controversiam meritissimum; cui magistratus omni ope adversùs mandata Principis & injurias præstò sit, oporteat. Consules verò, cùm finem regiminis sui obtenderent, quòd, eò jam perfuncti, nihil polliceri ultra securitatis aut præstare possent, Wichardius intrà se errantibus oculis ac torvo vultu immurmurans, abit cum gregalibus suis; & eodem die, quemadmodum antè per vim & fraudes conventum erat, in solenni magistratûs electione primarius urbis consul renunciatur. Hoc honore auctus Wichardius jam satìs elatos spiritus in immensum auxit, extulítque. Ut tamen, quæ jam animo impiæ perduellionis consilia volvebat, fuco simulatæ pietatis tegeret; quasi à Jove principia perituros, jubet proximo die Dominico senatores omnes unà cum uxoribus *Forensi* in * templo adesse, pro urbis incolumitate supplicaturos: illuc senatorum agmen deductum est, Wichardio ac consule alio de tribu sutorum* tumido gressu præeuntibus. Turmam mulierum, longo per plateas ordine procedentem, utriusque consulum uxores, cultu supra sortem superbo, præcessêre. Duas Junones dixisses, rejectis centonibus, alienis plumis turgidas; nisi *incessu* mendicabula *patuissent*.

Liborius Wichards consul eligitur. Ejus fucata pietas. *ibid.*

*Marck-Kirche.

**dictus* Joannes Wennebier.

Jam à sacris ad profana conversus opera Wichardius, ab urbe meliùs communienda orditur. Remotis ab officio veteribus civium signiferis ac tribunis; novos de conspirantium numero surrogat rei bellicæ administros. Pulchræ illis bipennes ex urbis ærario apparatæ; ipse pretiosam sibi, rutilantémque hastam, eodem sumptu publico coëmit. Inspectis singulorum civium armis, lustratóque armamentario tormenta majora rotis imponenda curat; certámque imperat metalli ac æris copiam, qualibet è domo pro novis aliis fundendis afferri. Mox tympani cantu evocantur ad arma induenda cives: militares in foro ac plateis vicinioribus ordines instruuntur, sua cuilibet, si quid periculi ingrueret, cohorti assigna-

assignata statio: ipse Wichardius cum tympanis ac fistulis per noctem frequens in mœnibus, ad conatus hostium, qui nusquam terrarum erant, observandos. Credidisses delirum caput cum larvis nocturnisque spectris belligerare. Mitto plura ludione magis, quàm viro consulari digna; quibus homo fanaticus miseris civibus illudebat. Postremò vicinum urbi *quercetum Wichardii jussu stirpitus excisum. Cæsæ arbores, postquam vecturas urbi imperiosè descripsisset, sonantibus tympanis ac tubis in urbem advectæ: varia inde propugnacula ac loricæ prope urbis muros constructa; iisdémque, superinjectâ mole terreâ, firmatis grandiores belli machinæ impositæ.

*vulgò Priwinckel.

Hæc tragœdia, ùt se initia dabant, quàm feralem aliquando sortitura catastrophen esset, non pauci è civibus, quorum pars bene magna fida adhuc Episcopo, aversa à Wichardio erat, facilè prævidebant. Nec deerant è prudentioribus, qui sapientissimè Wichardium remotis arbitris monerent: *plùs satìs irarum esse; temperandas vehementes illas animi commotiones; minimis momentis maximas fieri voluntatum inclinationes: nec quidquam ipsi metuendum magìs, quàm ut flexile vulgus in voluntatem Principis inclinatum, cum Principe et Cathedrali Capitulo in unius Wichardii exitium conspiret.* Quibus ille caperatâ fronte: *quorsum mihi ista occinitis; quasi verò non hæc jam pridem à me expensa, dolúsque dolo oppositus in animo non esset? Si adeò meticulosi sitis, induite galeam leporis; eâque induti in cœmeterio majoris Ecclesiæ vos collocate: ego verò nec Episcopum vereor, nec *magnos illos Popas et sacrificulos. Regant illi Diœcesin et ea, quæ ad Cathedralem ædem spectant, nos penès arbitrium est, et vis et norma regendæ urbis, à Deo nobis concreditæ; neque eorum tonitrua pluris facio, quàm puerilium digitorum talitra, aut straminis paulò madidioris incensi crepitus.*

Monetur Wichardi⁹ ab amicis de temperando furore.

Insulsæ ejus responsiones. *in contin. Cosmod. Gobelini germanicè scripta.*

*Thumb Pfaffen.

Haud mollius responsum abstulit civis alius, qui, ex arce Neuhusana redux, Wichardio multa amicè retulit de lenitate Principis; de propensione ad eum in gratiam recipiendum; imò principali adhibendum mensæ, si consulatûs initia præter modum dura & acerba comitate quadam & majore prudentiâ mitigaret. Huic Wichardius contracto supercilio: *méne parasitum putas? aut ollarem amicum? major est honestiórque Wichardius, quàm ut sordido abjectóq; animo sorbillare offam Principis, et lambere ejus lances ambiat. Tu, si voles, per me licet, ad satietatem parasitare. At me, mea agere, sinito: tantidem mihi sunt gratia et odium Principis; neque hunc reverebor unquam, cum diabolo licèt et sociis ejus contra me acheronta moveat.* Hæc contumeliosa verba brevi re ipsâ & injurioso exemplo confirmavit. Aderat ad occlusas urbis portas, præter alios aulæ consiliarios, missus Neuhusio *Cancellarius, qui Principis nomine negotia quædam

Theodoro Episcopo & Cathedrali Capitulo ferociter insultat Wichardi⁹

*D. Henricus Recquin alii scribunt Richwein.

dam cum Cathedralis Ecclesiæ Canonicis expedirent: severè autem prohibitum erat, ne ulli injussu Wichardii portæ panderentur. Re intellectâ mittitur statim è ministris Capituli, qui ocyssimè Legatos in urbem intromitti, poscat. At, illo cum opprobriis rejecto, unus de Cathedrali collegio Prælatus, comitante Syndico, in curiam ascendit; acritérque Wichardio rei indignitatem exprobrat; gravem certè, nisi portas confestim recludi jubeat, offensam apud Principem nec impunè subiturum. Ille verò hæc ridens, atrocissimas quasque contumelias in ipsúmmet Principem effutit. Ac tametsi *hac vice*, ùt inquiebat, *in Capituli gratiam aperiri portas pateretur*, has tamen ore impudentissimo minas adjecit: *quòd si Cancellarius et socii ejus posthac in urbe demorentur; curaturum se, ut minutatim concidantur, dissectæque eorum partes, sacco inclusæ, projiciantur extra portas.* Audias hîc loquentem rabiosum hominem, unius infirmæ urbis dominatu ebrium. An quidquam eo asperius est, quod ex humili in altum surgit?

Inter hæc, nuntiis & literis perfertur, Hispanos *Meutinirios* transmisso Rheno invasisse in Ducatum Montensem; indè in viscera Westphaliæ irruptionem meditari. Novum ex hoc rumore falso Wichardius arripit nequitiæ suæ pallium. Fingit hoc rapax hominum genus, in urbis excidium à Theodoro Episcopo invitatum, rectâ Paderbornam petere. Mox classicum per urbem insonat; evocantur cives tympani sonitu ad arma protinus sumenda: cúmq; congregati ante curiam essent, prælegi diversas jubet belli gerendi leges; sed leges Deo, & Principi injuriosas, repugnantes veteribus conventis; civibus, civiúmque liberis ùt plurimùm nocituras: atque ideo non paucis, quibus plùs animi & virtutis inerat, civibus præsertim habitantibus in Campensi* urbis regione (in qua id temporis habitâsse se Klocknerus meminit horum omnium scriptor) jurare in leges tam iniquas horrori fuit, iidémque timidè Wichardio opposuêre: *nulli bono esse nova illa conscientiæ onera; cùm urbem consuetâ juris jurandi formulâ jam satis obstrictam teneret.* Ad hæc excandescens Wichardius *quid? vos me corrigere, inquit, et docere? volo ut fiat; Wichardius imperat, sic visum Wichardio, satis est. Qui contrà mutire amplius ausit, Wichardium ultorem sentiet*: statímque erectis digitis coacti in verba sacramenti præeuntem sequi, ore tenus omnes, non pauci ex metu, nec animo jurandi.

*platea Kamp dicta.

At nondum hîc ineptiarum finis, stolidarúmque machinationum. Rursum undecimâ Martii, nullo adhuc urgente periculo, compulsantur per urbem tympana: Canonicis, Clericis, religiosis, sub pœna capitis & jactura bonorum omnium, atrocissimè demandatum, protinus ut omnes & singuli in publicum civitatis forum

Omnes Clericos & religiosos in urbe, etiam Ca-

rum prodirent, arma pro salute publica capturi. Multa Cathedrale Collegium ferocienti homini oppositum; antiqua Imperatorum privilegia; juratas Paderbornensium civium transactiones; Clericorum ab ejusmodi oneribus immunitatem, ipso jure divino sancitam. Sed ubi res ulla adeo sancta? quæ induratum in malo animum emollire valeat. Parendum fuit iniquissima imperanti. Et primi quidem Canonici Majores villosis induti amiculis cum reliquo Clericorum cœtu prodire jussi: eorum pars alia ad *vulturam, alia ad aliam, quæ orientem respicit, portam excubias noctem totam agere coacta. Secundùm hos Abbas* Abdinghoffensis cum sacra religiosorum turma hominis nequam imperio se stitit: His omnibus teste *Klocknero* hastæ longiores datæ; quibus armati ad stationes suas, pro mœnibus occidentem versùs, obeundas, præcinente tympanotribâ processêre: inde eâdem viâ postridie matutino tempore reducti, inter multos hæreticæ plebis cachinnos, cùm ignota tela parùm ex arte tractarent; canáque capita timidi demitterent ad fragorem ferrearum fistularum, quæ solo pulvere pyrio oneratæ per fenestras, forésque domuum à petulante populo de industria in prætereuntes displodebantur. Ventum ad Patres Societatis: enim verò deerat absque illis lepidi spectaculi pars magna. Hi idoneam, quòd primâ die non comparuissent, excusationem peti ex literariis occupationibus putabant: at Wichardius scientiarum osor; *trium* duntaxat *literarum* homo, ceterùm fungus, mox justitio scholis, è quibus jam ducentos ad arma per ætatem ferenda habiles abstraxerat, indicto, de capite Patrum & bonis proscriptionem minitatur; nisi quàm primùm jussis pareant: venêre sacerdotes duo, cum totidem fratribus Laicis; quibus vigiliæ ad portam orienti obversam demandatæ: ubi & alias militares, quas nunquam didicerant, functiones extemporali Marte obiêrunt.

thedrales Canonicos Wichardus ad arma sumenda cogit. *Hist. Collegii Paderb.*

*Geyrs Pforte.

*Leonard Rubenus.

Juvencius L. XV. pag. 299.

Maximâ exinde rabie desævitum in cives plurimos; in rusticanam plebeculam; in omnes, quos jussionibus suis, consiliísque vel minimùm repugnantes, aut culpæ levioris reos deprehenderet. Ad hos coërcendos compedes, catenæ, ferrea monilia, in conspectu urbis ante curiam in oculis omnium fabricata. Quis lacrymas, gemitus, querelas referat eorum omnium? qui aut nulla prorsus, aut certè levi de causa compedibus illis, & catenis constricti sub dio frigidissimâ hieme inter imbres maximos dies noctésque in plateis ad palos alligati spectaculum Wichardianæ crudelitatis fuêre; nec vinculis soluti priùs, quàm gravem illam molem ferream auro argentóque redemissent. Ab his corporum cruciatibus ad ipsam necem innocentibus inferendam progressus, indignissimum atrocitatis exemplum edidit in misero & egente operario, qui tenui

ex lignis ferrâ in asseres diffindendis, mercede vitam ægre sustentabat. Hic inopiâ rei cibariæ adactus minuta quædam esculenta clepserat. Delatus tantillo de furto, post adhibita ad exprimendam veritatem tormenta acerbissima, mox nullo juris aut judiciorum servato ordine in furcam agitur. Non id laborabat crudelis & fallax homo, ut aliorum in terrorem levia etiam scelera inulta ne essent; sed ut viâ hac dudum quæsitâ grassaretur ad arrogandam sibi solíq; urbi capitalia scelera plectendi potestatem. Divisa hæc potestas jam ab antiquis temporibus hunc in modum fuerat Episcopum inter & urbis magistratum: magistratus, si qui delicti gravioris insimulati ferebantur, manus illis injiciebat; & postquam per tormenta ex comprehensis elicita confessio erat, de ea ex tabulis publicis excerpta ad Principem referri oportuit: penes quem tum erat capitali judicio diem præfigere; missísque ex curia sua ministris conjunctim cum senatu capitis judicia administrabat. Hunc ergo morem, ut interverteret Wichardius, Principémque suum omni illâ jurisdictione spoliaret; misellum hominem celeriter, nullo defensore dato, nedum causâ cognitâ, per summam iniquitatem suspendio enecat: atque, ut conspicua tam glorioſæ rei vestigia extarent: novum in vicino ericeto, trianguli figuram referens, patibulum erigitur, septem catenis ex trino latere defluentibus adornatum. Verisimile habeas, per idem tempus jussu Wichardii arcem Neuhusanam Principis sedem ballistis majoribus verberatam fuisse. Id enim contigisse paucis ante urbis obsidionem septimanis, ex majorum relatione accepimus; constanti posterorum civium opinione confirmatum. Hoc certius: Wichardium, cùm tormenta curulia in aggeres producenda curaret; propalam comminatum esse; *quòd* iisdem Episcopum in arce Neuhusana considentem petere; totúmque illud exscindere oppidum ferro ac flammis vellet.*

Sævitia Wichardii in cives.

Civis levi de causa suspenditur. *Klockner loc. cit.*

**Horrion in Paneqyr. Theodori*

Tentantur remedia concordiæ reducendæ

Tot cumulatæ injuriæ duriores videri poterant; quàm ut concoqui diutius aut porrò ferri moderatè deberent; præsertim cùm numerosus à Joanne Comite Ritbergensi, clàm in auxilium vocato, scriptus miles jam in procinctu armatus staret; nihílque faciliùs ipsi esset, quàm caput, ducémque cum universo turbulentorum grege subactâ urbe capere, obtereréque. Sed quæ longanimitas Clementissimi Principis fuit; omnia antè maluit leniora rursum instaurandæ concordiæ remedia experiri. Eam in rem Dringenbergæ primùm, deinde Paderbornæ in cœnobio Abdinghoffensi institutus Ordinum totius Diœcesis conventus; ut condonatis sanatísque injuriis, quovis æquiore modo, amica compositio fieret. Dringenbergam venêre nonnulli ex gremio factiosorum allegati. Ad monasterium intra urbem accessit Wichardius ipsémet; sex bi-

ex perscriptis rei gestæ actis à Klocknero

penni-

penniferis stipatus; pavonio incedens gressu. Ea verò Wichardii, ejúsque gregalium in utroque congressu fuit in obloquendo protervitas; tam inverecunda altercatio cum arduis superciliis vocísq; immodica contentione conjuncta, ut ab aliis de equestri Ordine præsentibus viris non obscurè animadversum, creditúmque fuerit, gladium eos non pacem petere; & novum quodammodo per jurgia illa, & inconditos clamores classicum canere.

Theodorus Ep. tentatis sed frustra lenioribus remediis tandem bellum indicit rebellanti urbi Paderbornensi. *Auctores iidem.*

Quare in æquissimum furorem toties læsa, tandem malis victa, Episcopi patientia erupit, senatoribus, urbíque toti ferale bellum ineunte Aprili denuntiando. Minaces literas, quas ea de re ad senatum, urbémque Theodorus Episcopus dederat, Wichardius, ne belli instantis metu animorum mutatio fieret; tam studiosè, subdoléque suppressit, celavítque omnes; ut argumentum illarum, tametsi traditæ ipsi in curia in consessu sociorum essent; ne cum ipsis quidem senatoribus communicatum fuerit: pauciores si exceperis; quorum indolem, uti ad quævis audenda promptissimam, ità exequendis desperati animi sui consiliis magis idoneam noverat. Cum his igitur, quos inter Günterus præcipuus, frequentata seduló nova rursus conciliabula; arctiùs occluduntur portæ; firmantúrque geminato excubitorum numero. Compulsi cives quàm primùm arma resumere: non segnes illi quidem, quòd jam de motu Ritbergensium rumor increbuerat, securi tamen, & sinè ullo adhuc gravi metu, quòd nec fecialem nec literas belli inferendi nuncias vidissent. Adhæc Wichardius pro suis, suorúmque deliramentis vi existimabat, & terrore adigi Cathedrales Canonicos posse, ut, novo Antistite Diœcesi imposito, Theodorum Episcopum à gubernaculis Ecclesiæ dejectum, Neuhusio procul exturbarent. Incredibile hoc dictu videatur, nisi ex insulsa responsione, quæ tabellario Wichardium Lipspringam, quo Majores Canonici tot turbarum saturi profugerant, vocanti reddita fuit, rei veritas pateret: *abi Tabellarie*, inquit Wichardius, *ac dicito tuis Domnis; ut ad pacem urbis et reipublicæ nostræ confestim alium sibi Episcopum quærant: alioqui faxim ego, ut in Cathedrali templo non relinquatur lapis super lapidem. Quòd si ista non dixeris, quemadmodum ego tibi, consul civi, impero; certus esto, tibi non solùm hac urbe interdictum iri; sed etiam uxorem, liberósque tuos in exilium agendos; et unà tecum à foco patrio proscribendos esse.*

Contra Episcopum Wichardi consul Mauritium Hassiæ Landgravium implorat. *in contin. Cosmodromii Gobelini Personæ*

Exceptæ hæ minæ sunt, & insana consilia magno, uti excelsitatem animi ejusdem Dominorum condecebat, contemptu, & indignatione. At tanto infensior Wichardius, sollicitiórque de præsidio alio sibi quærendo. Confugere ad domum Hasso-Casselanam statuit, petiturus opem, eò certiorem, potentiorémque,

quo citiùs è vicinia, faciliúsque afferri posset, ut ingens in mora periculum subitò præverteretur. Eum in finem pridie solennitatis Paschalis convocat in urbis curiam senatores omnes, tribunos* plebis, aliósque de civili concilio viros. His ille in pleno consessu miseram urbis sortem ob oculos ponit; aspici illam infestis ab Episcopo oculis; ejúsque malignis instigationibus jam Ritbergenses copias imminere urbi, funditus exscindendæ: nec aliud eum quærere quàm ut innocentum civium sanguine manus lavet. Occisissimos brevi fore omnes; nisi in uno, quod superesset, præsidio salutem quærerent. Illud verò velle se summo silentio premi; & consultiùs fore, si ex iis, quos coràm cerneret, paucioribus duntaxat notum fieret; ne multis, ùt ferme fit, scientibus improvidè divulgatum, in hostium notitiam perveniat. Deliberarent, edicerétque; si ità penes paucos esse accersendi ejus auxilii potestatem vellent. Refragati sunt initio propè omnes: quòd periculosum nimis, neque satis providentiæ consentaneum dicerent; summam rei paucis committere, ignaris aliis, quid rerum agatur; quibus tamen eadem fortuna si contra quid, ac speretur, accidat, subeunda sit. Victi demum blanditiis Wichardii & mendaciis consensêre in hos quatuor viros: Liborium Wichards, Wolffgangum Günter, Joannem Scheper, & Henricum Bône, homines nequissimos, & ab ipsómet Wichardio suggestos. Ex quibus statim Günterus illo ipso die, quo resurgentis Christi Domini & pacem mundo annuntiantis memoria agitur, ad Mauritium Hassiæ Landgravium clàm aliis festinanter abiit; gladios, arma, viros, in exeidium patriæ comparaturus. Atque, ut facilior ad postulata Landgravius esset; mundis duabus *chartis infrà appositio urbis sigillo instructus ibat Günterus: in quarum altera notaretur civium obligatio ad rependendum, quidquid in hanc expeditionem sumptuum fieret. In altera fœdus de urbe tradenda scriberetur, quovis Comiti collibitum esset etiam durissimo modo ineundum. Itáque in Landgravii arbitrio ponebatur, quodcunque in utraque charta vellet, necem etiam omnium totiusque urbis eversionem signare.

*die Gemeinds Herren.

*chartam blancam vocant.

Consilium atrox, sed cassum effectu; inversúmque ex maturato adventu Joannis Comitis Ritbergensis: hic enim die Veneris post Pascha (vicesima tertia Aprilis erat) inter nocturnas adhuc tenebras sub horam, quæ diem vigesimum tertium Aprilis à quarto dividit, Neuhusium delatus; & postquam pauca locutus Theodoro Principi, rogatúsque ab eodem esset; ut sibi, quantum fieri posset, à cæde civium atque urbis vastatione temperaret; Paderbornam cum exercitu properat, ad eam vi & astu subigendam.

dam. Jámque circiter horam noctis primam ad mœnia consistens, portæ occidentem versùs diffringendæ * pyloclastrum admovere parabat, cùm destitutum se videns aliis militaribus copiis, quæ per errorem noctis itineribus deviis profectæ seriùs adveniebant, interrumpere machinationem cogitur. Interim appetente die detectum stratagema cives omnes ad arma concivit: lignis, lapidibus, congesto fimo, contra vim pyloclastrorum obvallata porta, revulsæ è mœnibus scalæ. In muros eluctati milites ferro transfossi, impetiti saxis, sclopetis enecti: quin adeò in remotiores alios tormenta bellica è vallis tam ferociter displosa, ut conspectâ strage, plurimi terga verterint. quos è vestigio Comes, licèt tentatus febriculâ aliquantùm langueret, stricto gladio insecutus, ad honorificam præ turpi fuga eligendam mortem reduxit. Statímque grandiores belli machinas ad everberanda mœnia necessarias advehi in castra jubet. Eas idcirco Comes expeditionis initio adduci noluerat, quòd solis pyloclastrorum viribus confici rem totam posse existimaret. Priùs verò, quàm hæ propiùs adveherentur machinæ, Clementissimus Princeps, imperatis utrimque induciis, per tubicinem ad obsessos missum percontatur: *urbémne principali Clementia velint et potestati suæ dedere, an secùs? non defore sibi ea, quibus cogi ad deditionem nolentes possint.*

Hoc audito multùm fluctuabat urbs trepida rerum, nescia, quodnam consilium satìs firmum capesseret & diversis civium voluntatibus distrahebatur. Eorum plerisque satìs adhuc animi ad porrò renitendum inerat, non ignorantibus, promissum ab exorato Landgravio subsidium plenis jam passibus adventare. Tandem omnibus ademit animos militaris hic dolus, quo Theodori Episcopi jussu excitæ è pagis ingentes rusticorum turbæ, ligonibus, furcis ferreis, tanquam armis instructæ in propinquis, editísque collibus se urbi spectandas obtulerunt. Has illi è turribus & domorum fastigiis eminus conspicati, esse armatorum militum putant, atque suppetiarum ad castra Comitis properantium legionem. Conterriti vehementiùs, habitâ deliberatione brevi, respondent tubicini: *venturos celeriter, qui de paciscenda urbis deditione agant cum Principe. Obtestari se, ut ab armis interim et impugnanda urbe cessetur.* Nihil interpositum moræ. Adsunt continuò ex urbe supplices, de genibus Principem per innatam ipsi clementiam pro salute civium infimis obsecrant precibus: *veniam daret malè meritis, sed delicta agnoscentibus: ne sineret paucorum scelus omnium interitu expiari.* Princeps objurgatos leniter, surgere jacentes jubet: eâdemq; die quartâ nimirum, & vicesimâ Aprilis (primum erat post Pascha sabbathum) pactionis tabulæ consensu mutuo confectæ: intérque alia

* *vulgò* ein Petarde.

Comes Ritbergensis Paderbornam oppugnare incipit. *Juvenc. L. 15. pag 299 Annales Collegii Paderb.*

Magnanimitas Joannis Comitis Ritbergensis.

Stratagema Theodori Episcopi.

Mittuntur qui cum Principe de urbis deditione tractent. *in contin. Cosmod. Gobelini.*

alia conventum; ut biduo pòst, ne in craſtinum incidens ſacer dies (Dominicam in *Albis* vocant) militari ſtrepitu profanaretur, urbs tota cum omni apparatu bellico ſe Principis redderet arbitrio, ejuſdémque poteſtati. Præcipuos turbarum concitores vivos, vinctósque traderent.

His inſciente Wichardio peractis, in urbem reverſi ſubornant qui vigiles ubique oculos in Wichardium intentos habeant; ne vel elabi è domo ſua, vel novo ſcelere ſe ipſe interimere poſſet. Erant enim, qui eum dicentem audiverant: *malle ſe cum uxore et liberis ſuffocari igne ædibus ſuis injecto; quàm vivum in Epiſcopi manus incidere.* Illuxerat jam dies vigeſima ſexta Aprilis, dedendæ urbi præfinita; cùm Wichardius rerum omnium ignarus in curiam progreditur; póſtque multos cum alio conſule ſermones inopinata hæc verba audit: *adveniſſe finem Wichardiani regiminis; nec ſupereſſe jam aliud, quàm ut ocyùs in cuſtodiam Theodoro Principi et captivitatem tradatur.* Conturbatus nuncio, & propè præ ira à mente deſertus: *collocabo me,* inquit furiosâ voce, *in conſulari ſede mea; et ubi ille, cui animus ſit extrahere Wichardium ex ea, et captivum abducere?* Senſit illico vecors, nimiúmque ſibi præfidens homo; non deeſſe fidos Epiſcopi miniſtros ad id audendum imperterritos. Cùm enim arroganter ſurgeret, ſe in illa conſulum ſella reclinaturus; proſiliunt ex adſtantibus, involant in hominem, injectísque manicis & compedibus columnæ in curia ſtanti adſtringunt. Reſeratæ mox urbis portæ, earúmque claves venienti Legato Principis obviàm miſſæ. Exceptus cum omni honoris & gaudii ſignificatione Comes Ritbergenſis; armatæque ejus ſonantibus tubis ac tympanis in urbem introductæ cohortes. Wichardius deinde ex urbis curia in publicum forum producitur; iiſdem vinciendus catenis, quas torquendis aliis in atrio curiæ fabricari curaverat, ut orbis diſceret, non unum ſuo Perillum tauro torqueri. Fecit tamen bene ſaginati corporis craſſitudo; ut adhiberi eædem pedicæ non potuerint, arctiores nimirum, quàm ut abdominis tam obeſi crura pinguedine diffluentia, extenſaque ſtringere aut complecti poſſent. Quare ſubitò ad infamem in propinquo cataſtam raptatur; pendulo ex ea monili ferreo religandus: Sed, cùm & hoc anguſtius eſſet, nec aptum tam adipato & ſemilunari collo capiendo; prægrandi eâq; craſſiſſimâ ad probroſum ſtipitem catenâ adſtringitur, die toto ludus omnium, quibus antè per atroces cruciatus terrori fuerat. Sole demum in occaſum vergente cataſtâ ſolutum, ſed aliis oneratum vinculis in maleficorum carcerem lictores detrudunt. Severis deinde quæſtionibus, ex præſcripto legum Cæſarearum, ſubjectus ſcelus confitetur, capitísque damnatur.

Capitur Wichardi⁹ & urbs Theodoro Epiſcopo deditur. *Annales Collegii Paderb. in contin. Coſmod. Gobelini*

Com-

Commodùm inter hæc aberat Evangelii Lutherani in templo Forensi Præco, homo nequam, *fidei & Ordinis desertor. Perculsus famâ obsidendæ urbis *videt* **lupum venientem, et dimittit oves et fugit* Lipstadium, cuti suæ magis, quàm ovili prospecturus. Quare *mercenarii* vices *Pastor bonus* supplevit; adeundo crebriùs ad Wichardium in carcere jacentem; *eúmque variis è sacro codice selectis adhortationibus, ad eluendas animi noxas, ad mortem, quam commeritus judicaretur, fortiter obeundam excitando. Mirificè hominem affecêre sedulò impensa & singulari amore obsequia; & impensa ab eo, in quem antea omnésque ejus socios odio implacabili exarserat. At tanto nunc avidior, sæpius audiendi virum, etiam inimici sui commodis, tam naviter servientem. Nec multò pòst inter ipsas carceris tenebras mentis oculos aperuit: receptóque veræ Fidei lumine vidit impios errores commissáque scelera; & detestatus est apud sacerdotem, Catholicorum ritu confitenti aures dantem. Sumpto deinde sub una specie sacramento Eucharistiæ; cùm datus *ipsi defensor nihil afferre ultra ex jure subsidii ad purganda facinora, aut inficiari ea reus posset; die veneris pridie Kalendas Majas ad feralis supplicii locum eductus est: ubi cognito acerbissimæ mortis genere totus cohorrescens non parùm confirmatus fuit à P. Friderico Wachtendonck S. J, deprompto è sacris literis, sanctísque Patribus solatio de brevitate ejusmodi dolorum; de æternis, quibus piè tolerati exciperentur, gaudiis. Indè Pater conversus ad circumstantes, postquam multa breviter ac nervosè de syncero Wichardii reditu ad Romanam Ecclesiam, de confessione scelerum summo pœnitentis animi dolore peracta disseruisset; altissimâ voce Wichardium coram omni populo interrogat: *bone vir, an non omnia hæc vera? nunquid vivere in Fide Catholica, ac mori statuis?* ad quæ Wichardius: *ità ità! sic vivam et moriar.* Mox in genua procumbens, auditus ab omnibus est orationem Dominicam, & Angelicam salutationem dicere; his præcipuè verbis aliquantò altiùs pronuntiatis: *Sancta Maria Mater Dei; omnésque Sancti et Electi, orate pro me misero peccatore nunc, et in hora mortis meæ Amen.* Traditus post hæc lictoribus, vestibúsque exutus in ferali mensa constringitur. Extensus, atque jam jam dissecandus clamore valido ingeminat: *Domine JESU suscipe spiritum meum.* Et hæc dicenti venter subitò per medium sectus, extracta viscera, cor in faciem impactum, revulsum à trunco caput, corpus concisum in partes quatuor, totidem portis affixas; relicto tamen capite ad portam solis occasui objacentem; ubi irrogando supplicio ferale pegma structum fuerat in loco, cui à veteribus nundinis *nomen hæret.

*Hermannus Tünneken.

*ità sæpe Episcopum nominaverat.

*fuit D. Philippus Berning.

Wichardi* supplicio afficitur & moritur Catholicè.

*vulgò die Kermisse bey dem Wester-Thor.

Reli-

Reliqui seditionis authores tum fugâ elapsi sunt; tum clementiâ Principis scelerum veniam consecuti: nec minùs indulgentem fuisse, & propitium Wichardio cælestem in supremo tribunali judicem, non temere opinari nos facit publica illa Catholicæ Religionis professio cum scelerum omnium detestatione conjuncta. Eam verò, mirum est, quàm impudentibus & putidis calumniis insectari, opprimere, evellere ex hominum memoria conati sint Nigrinus sive Swartzius, Susati ad S. Thomam Lutheranorum dogmatum prædicator, ejúsque commilito Philippus Nicolai. Primus in libello contra Jesuitam Paderbornensem in lucem protruso, dubitanter innuit: *fortassis promisisse aliquid Jesuitæ Wichardium, spe falsâ obtinendæ gratiæ, aut mitioris pœnæ inductum: quòd autem postea in publico foro post acceptam sententiam, sese palàm coràm omnibus circumstantibus Romano-Catholicum professus fuerit, credat, qui volet; ego certè hac de re non parùm ambigo; quia Papisticæ huic et Esauiticæ turbæ* nihil novum aut singulare est aperta et impudentissima mendacia pro vero obtrudere.* Ecce solidam scilicet! probationem in commentitia fundatam & futili calumnia. Sinè injuria dixero, Nigrinum illum notari hoc Horatiano versu:

Qui captat risus hominum, famámque dicacis:*
Fingere qui non visa potest - - - -
- - - Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Alter verò in præfatione ejusdem libelli Swartziani ex Gangolpho, ùt ait, Hergundo memorat: *Wichardium à Theodoro Principe sinè judicio ullo aut sententia abreptum in mortem: deinde à duobus Jesuitis, cùm educeretur, de fide sollicitatum respondisse, quòd ab ipsis dissentiat; habeátque fidem, quam sibi nemo sit erepturus: postremò etiam, cùm in loco supplicii staret, audenter edixisse: adesto jam Theodore Episcope! adesto! et pota largiter sanguinem meum, quem tam avidè et diu sitivisti.* Quot verba, tot putida mendacia, quæ maledicus scriptor ex se fingit ùt araneus. An non lenitati potiùs, quàm ferociæ assignandum; ulcisci supplicio unius scelera omnium, quos humana lex æquè ac divina ob rebellionem, capitis damnabat? An Theodoro Episcopo minùs in rebellem populum juris, quàm olim Ottoni Episcopo? Quid verò ille? Paderbornenses seditiosos cives* ad arcem Neuhusanam (quod & tentatum tormentis bellicis à Wichardio diximus) diruendam ex urbe egressos, immisso milite ex improviso adortus, eorum quingentos, nulli factâ vitæ gratiâ, contrucidat. *Cadavera injecta plaustris, ínque urbem revecta, ut cæsorum aspectus lamentantium uxorum proliúmque lacrymas & dolorem irritaret. Sed nolim diutiùs his refellendis immorari: cùm satìs acrem eorum, & eruditam confutationem *panegyricus Theo-*

Nigrini Prædicantis mendacia de morte Wichardii.

Horrion in panegyrico Theodori l. 3. c. 4.

**putà Jesuitis.*

**serm. Lib. 1. satyra 4.*

**contigit anno 1281.*

**Gobelinus ætate 6. c. 66.*

Theodori Episcopi habeat. Accedit, quòd narrata hactenus de vita & morte Wichardii piè & Catholico ritu obita, à nobis excerpta ex eo sint, qui oculis omnia & auribus coràm usurpavit: cui si fidem deroges, omnem ex commercio humano fidem sustulisti.

Sanè: quòd inficias iturum neminem arbitror, tanto illustrior hæc victoria fuit; quo benigniùs parta sinè cæde, sinè ullius civis interitu, salutem urbi jam in exitium ruenti reddidit. Id auxilio cælitum adscribens Theodorus Episcopus, statim Kalendis Maji postridie Wichardiani supplicii Paderbornam subiit. Eo deductus à Joanne Comite Ritbergensi & primaria Nobilitate patriæ. Solenne sacrificium in summa æde oblatum urbis liberatori Deo; actæq; gratiæ pro consiliis rebellium feliciter dissipatis. Secundùm hæc in Abdinghoffense monasterium se recepit Theodorus: ubi in pomario congregati cives novo fidei & obedientiæ sacramento se obstrinxerunt; veterémque perfidiam detestantes Principis dexteram viritim oculo contestandæ subjectionis ergô veneratæ sunt. Primas deinde quietioris animi curas dedit Theodorus perficiendo Patrum Societatis JESU domicilio; cujus structura interior ex urbano tumultu interrupta hæserat. Ea nunc duplicatis operis maturari cœpta: datúmque negotium Godefrido de Mirlo, Harlemensi Episcopo, & Vicario Episcopi Monasterienſis in Pontificalibus; ut annexam domui Patrum Societatis veterem Minoritarum Ecclesiam cerimoniis consuetis, sacro Beatissimæ Virginis natali, expiaret. Quo eodem die, cùm res divina ad aram præsente Theodoro Episcopo post reconciliatum templum perageretur; deventúmq; ad eam esset sacrificii partem, quam Catholici *Offertorium* vocant; surgit Theodorus; tabulásque fundationis collegii Patrum Societatis JESU manu tenens, ad altare procedit; eásque Christo Domino, cujus solius gloriam per Patres propagandam unicè sibi propositam habebat, Majori Clero & Nobilitate patriâ inspectante, offert. Appono hîc tabulas ex ipsa origine, nullo, ùt merentur, quantumvis prolixæ sint, apice omisso. Lege, & demirare literarum elegantiam, Religionis tuendæ ardorem, liberalitatem, & excelsas cogitationes pientissimi Principis.

Theodorus à Fürstenberg Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Paderbornensis ad perpetuam rei memoriam. *Cùm à primis ferme annis adolescentiæ nostræ adscripti in Cathedralis Ecclesiæ nostræ Paderbornensis Clerum fuissemus; multorúmque deinde annorum usu confirmati, in eadem Ecclesia ad Præposituræ dignitatem promoti essemus; magna nos cura tenuit, præcipuè de Religione Catholica ac Majorum pietate, per temporum horum calamitates in civitate atque per Diœcesin Paderbornensem miserabiliter collabescente, retinenda et in antiquam speciem honorémque resti-*

Theodorus Ep. novum fidelitatis juramentũ accipit à civibus Paderbornensibus. *Klockner in hist. Paderb. Annales Collegii Paderb.*

restituenda. Quod nimirum prævidebamus futurum, ut, si tempestiviùs non occurreretur, succrescentibus per Westphaliam universam hæresum pestiferis zizaniis, extremum in hac ipsa ditione periculum Fides Catholica subiret, et provincia tandem omnis ad interitum prorueret.

Literæ fundationis collegii Paderb. *ex archivo collegii Paderb.*

Nec verò aliud magis opportunum remedium nobis aliísque Religionis antiquæ zelatoribus collegis venichat in mentem; quàm ut in tam conspicuo ac luctuoso periculo, juventuti tanquam omnium Ordinum reipublicæ seminario, per fidos incorruptósque magistros; populo autem per idoneos miniméque depravatos concionatores sacerdotésque quàm diligentissimè consuleretur. Quare, cùm et ipsi in floridiori ætate nostra Patrum Societatis JESU, quos hoc tam necessario tempore ad reprimendos hæreticorum furores, et consopitam Germanorum pristinam virtutem pietatémque resuscitandam, divinitus submiserat Deus; acuratissimam diligentiam in juventute literis virtutibúsque excolenda, populóque de Religione et sanctitatis studio informando, perutilem experti essemus; satísque insuper sciremus, eorum institutum ab Sede Apostolica et ab œcumenico Tridentino concilio cum singulari elogio approbatum; operámque eorundem Patrum Imperatoribus Romanis, Regibus maximis, Principibúsque per orbem terrarum Catholicis mirificè antehac placuisse: omni curâ allaboravimus, unà cum Reverendis Capitularibus collegis nostris, ut à superioribus Societatis anno 1580 Paderbornam destinarentur aliquot idonei operarii, quibus deinde conciones, gymnasiúmque nostræ Cathedralis Ecclesiæ cum scholarum annuo proventu, additis insuper ad pleniorem sustentationem nonnullis reditibus, communi Capitulari consensu commissa sunt: ídque tam bono eventu, ut fructus paulatim haud contemnendus è Patrum indefessis laboribus apparuerit. Postea verò, quàm Deo optimo maximo visum fuit, ut consentientibus Capitularium omnium suffragiis, pérque publicam approbationem et confirmationem S. Sedis Apostolicæ, ad munus Episcopale legitimè vocaremur: sensimus confestim, quàm gravis, dura, ac laboriosa provincia nobis obtigisset; quámque seriò curandum esset, ut tot animæ, Christi pretioso sanguine redemptæ, atque infinitis obnoxiæ periculis, nobis commissæ conservarentur; útque lolia hæresum vitiorúmque, quibus Ecclesiæ nostræ agrum obsitum ac penè oppressum videbamus, exstirparentur; et Fides rursus Catholica, virtúsque optimorum Majorum nostrorum vindicata à corruptoribus per Diœcesin efflorescceret. Eáque de re circumspicere solicitè omninò cœpimus, quâ ratione et officio nostro Pastorali satisfacere, et subjectarum tot ovium à Christo Domino nobis concreditarum saluti periclitanti, his præsertim tam iniquis infidísque temporibus, succurrere possemus. Neque tandem aliud invenimus futurum magis ex usu Diœcesis hujus Paderbornensis, et ad relevandam conscientiam nostram opportunius; quàm si denique Societatis JESU Patribus, quorum jam sat multos per annos virtutem operámque utilissimam cognoveramus, firmam stabi-

stabilémque sedem, constituto in Episcopali civitate nostra Paderbornensi collegio, fundaremus. Quod ut succederet, sumptibus laboribúsque pro Dei honore animarúmque salute parcendum non putavimus. Nam quamvis post electionem nostram Episcopatum obæratissimum acceperamus, ac sumptibus erant maximis oppignerata Ecclesiæ bona recuperanda, et collapsa minúsque commoda ædificia Episcopalia haud modicis erant impensis instauranda: tamen, quòd Religionis nobis fideique cura erat præcipua, cuperemúsque pro Pastorali officio nostris consultum ovibus; proinde, posthabito etiam privato dispendio, voluimus Societatis JESU Patribus, qui se in angustis adhuc ædibus continebant, minúsque opportuno templo atque Gymnasio ad sacras scholasticásque functiones utebantur, laxiorem commodioremque habitationem apparare. Eúmque in usum cœnobium Franciscanorum, multos jam annos desertum ab Ordine, ac venditum partim Nobilibus, redemptúmque impensâ aliquot millium aureorum nummûm, approbante Decano et Capitulo nostro, Societatis JESU Patribus tradidimus. Quemadmodum testantur literæ, anno 1592. 10 Julii datæ, et nostro Capitulique nostri sigillo confirmatæ. Sed quoniam fatiscebat sensim antiqui structura cœnobii, nec apta satis ad collegii occupationes in longitudinem futura videbatur; coëmptis nostro ære vicinis aliquot ædificiis, ut ad habendas cum collegio conjunctas de more Societatis scholas capacior esset habitatio, exstrui à fundamentis novam domum vetere monasterio diruto, et templum novo organo erecto quoque restaurari, ingentibus impensis curavimus. Ac nunc denique ad gloriam honorémque Ss. Trinitatis et omnium Beatorum cœli civium, pro Pastorali nostro paternóque in Diœcesin nostram ac subditos affectu, ad restituendam, conservandam, ac propagandam per Episcopatum nostrum Paderbornensem Fidem Catholicam, ad juventutem, quæ est Christianæ reipublicæ omniúmque statuum seminarium, in orthodoxæ Religionis disciplina optimísque literis rectè informandam, ad populum concionibus, catechesi, aliísque piis officiis fideliter instituendum, ad sacramenta aliáque mysteria divina piè dispensanda, ad educendos è collegii scholis idoneos incorruptósque animarum curatores, Ecclesiæque nostræ ministros, ac denique ad animæ nostræ, totiúsque familiæ nostræ Fürstenbergicæ Catholicè defunctorum ac morientium salutem, redemptionémque peccatorum nostrorum, ad collegium Societatis JEsu hísce publicis literis auctoritate nostrâ Episcopali fundandum ac dotandum in civitate nostra Paderbornensi, ad hunc, qui sequitur, modum progredi voluimus. Principiò exædificatam à nobis magnâ curâ, sumptu, ac labore, ex fundamentis domum novam in fundo antiqui Franciscanorum cœnobii, cujus donationem et incorporationem, à nobis modo suprà dicto factam, S. D. N. Anno 1592. 24. Octobris, per Breve Apostolicum approbârat, eidémque perpetuæ et inviolabilis firmitatis robur adjecerat, utì et templum adjunctum, cum horto item, juribus, privilegiis, exemptionibus, ceterísque

risque omnibus ad illud ipsum monasterium quoquo modo spectantibus, vigore ejusdem privilegii Apostolici, cum vicinis domibus, nostrâ industriâ pecuniâque comparatis, eidem collegio Societatis JESU incorporamus atque donamus, ut in præsentia venturisque temporibus habeant Religiosi prædicti opportunam habitationem ad exercenda vocationis et instituti sui propria ministeria, tam pro juventutis informatione, quàm pro aliorum hominum, per conciones, catecheses, sacramenta, aliásque religiosas functiones, spiritali præsidio atque solatio. Deinde, cùm è constitutionum suarum præscriptis legibus iidem Societatis Religiosi gratuitò obire officia omnia debeant, ut suppetat illis, unde vitam honestè tolerare, et necessarium numerum operariorum sustentare semper possint, qui fessis senio, morbôve fractis, aut vitâ exeuntibus succedere queant; præter eos reditus, quos hucusque à Venerabili Capitulo nostro perceperunt, et bibliothecam nostram, Ss. Patrum operibus aliisque insignibus libris satìs instructam, quam gratiosè iisdem donavimus, Falckenhagensis cœnobii proventuum partem mediam, à Comite Lippiensi per nos recuperatam, et ab eo concorditer dimissam, dicto collegio in civitate nostra Paderbornensi, atque sacellum S. Bartholomæi juxta Ecclesiam nostram Cathedralem situm, similiter Capellaniam sub invocatione Ss. Fabiani et Sebastiani in Ecclesia Bustorpiana Ss. Petri et Andreæ, approbante et confirmante S. Sede Apostolicâ, bullâ super hac re datâ Anno 1600. 5. Kal. Martii, in perpetuum attribuimus, ut dictum collegium illa perpetuò retinere, illorúmque fructus, reditus, proventus, jura, obventiones, et emolumenta quæcunque, percipere, exigere, et levare, ac in suos usus et utilitatem convertere possit. Ad extremum, quoniam cuperemus liberali sustentatione bene provisum collegio; ut perfectior, et plurium, quàm hactenus, personarum sit fundatio; donamus insuper de nostro decem millium dalerorum Imperialium summam capitalem ad stabilem perpetuúmque reditum comparandum. Hoc igitur Religiosorum Societatis JESU collegium, modo suprà dicto erectum à nobis, atque fundatum in civitate nostra Paderbornensi, libere et gratiosè offerimus donamúsque R. P. Claudio Aquaviva, ejusdem Societatis Præposito Generali, ac successoribus ejus: petentes, ut hanc fundationem, dotationem, oblationémque nostram, instar piæ eleëmosynæ amanter accipere; collegiúmque hoc nostrum Episcopale, utì cetera Societatis collegia, conservare, ac perpetuare velit; atque eidem de idoneis personis quovis tempore providere: quæ et Ecclesiæ nostræ, et subditorum nobis commissorum salutem, magno ardore, utì hactenus factum libenter vidimus, promoveant, et scholas secundùm instituti sui rationem administrent. Quam ob rem iisdem Religiosis Societatis JESU potestatem facimus, ut per Diœcesim nostram universam, secundùm constitutiones, ac data ipsis à S. Sede Apostolica privilegia, obire vocationis suæ ministeria omnia, atque exercere libere valeant. Nósque vicissim spondemus pro nobis successoribúsque nostris,

quòd

quòd hanc ipsorum fundationem, unionem, incorporationem, ac donationem, paterno affectu defendere, conservare, ac sartam tectámque tueri pro viribus velimus. Ac proinde seriò vetamus, ne quispiam omnino subditorum nostrorum, seu Ecclesiasticus, sive secularis, hujus collegii nostri Societatis JESU Religiosos ullâ prorsus ratione in hac ipsa possessione, liberóq; usu ac dispositione prædictorum bonorum perturbare directò vel indirectò, per sese aliúmve ausit. Mandamus autem Officiali nostro, judicibus aliis et Præfectis, ministrísque nostris omnibus, ut, quotiescunque eorum auxilium, seu communiter, seu seorsim, fuerit contra adversarios turbatorésque quoscunque requisitum, extemplo diligenter atque efficaciter succurrant; et eosdem, tum censuris, tum pœnis debitis, ità coërceant, ut maneat collegio Patribúsque Societatis JESU integra, pacatáque possessio. In quorum omnium fidem indubitatam háscce literas sigillo nostro Episcopali et manu propriâ communivimus: et earum literarum exempla duo collegii Rectori dari voluimus, ut eorum alterum ad R. P. Præpositum Generalem transmittatur; alterum verò in collegii archivo perpetuò asservetur. Datum in arce nostra Nienhusana, Anno à nativitate Domini millesimo, sexcentesimo quarto. Die 8. mensis Decembris.

Peractâ re divinâ, grates egit amplissimas collegii Rector P. Henricus Koestius nomine totius *Societatis*; palàm contestatus, parem liberalitati tantæ gratiam referri à Patribus haudquaquam posse: habituros quidem certè, quantam capere animi illorum, quantam prædicare voces, & literæ posteritati consignare possent. Principi deinde labores, obsequia, preces prolixè detulit, superos tanquam fidejussores ac obsides appellans; ut quam vicem reddere tenuitas sociorum haud posset, ipsi cumulatissimè solverent, consuetis cœlestibus beneficiis munificentissimum Principem, totámq; ejus Perillustrem Familiam prosequendo.

Non minores de Religione Catholica in ditionibus suis servanda curas gessit, iisdémque immortuus hoc anno est Moguntinus Archiepiscopus, Metropolita noster, Joannes Adamus à Bicken. Brevitatem regiminis multo fructu compensavit; annis enim quibus præfuit*duobus tantùm supra octo menses, duos comitatus Reineckianum & Konigsteinianum repurgatos hæreseos novitatibus ad vetera & vera sacra reduxit: atque ut fontes obstruerentur, unde virus propinari incautis solet, libros ab hæreticis in Catholicæ Fidei calumniam editos, Moguntiæ ex tabernis librariis gravi præcepto sublatos suppressósque voluit: adeò alienus à contubernio sectatorum novæ Religionis; ut nemo unquam, de præcipua licèt patriæ Nobilitate esset, Electoris mensæ adhibitus in aula fuerit, nisi quem constaret mensæ Eucharisticæ ritu Catholico accumbere. Plura dum meditatur pro militantis Ecclesiæ incrementis,

*electus ao 1601. 15. Maji.

Moritur Joannes Adamus à Bicken Archiepiscop⁹ Moguntin⁹. Serar. l. 5. rer. Mog.

Succedit Joannes Swicardus à Cronenberg. *Serar. ib.*

tis, ad triumphantem abiit evocatus morte immaturâ Aschaffenburgi decimo Januarii. Bene cœpta explevit successor Joannes Swicardus à Cronenburg electus XVII Februarii: vir acer ac solers in agendis versandisque negotiis publicis; ingenii perspicacis, ac spectatæ prudentiæ.

Annus Christi 1605.

LEONIS XI & PAULI V. Pont. 1.
RUDOLPHI II. Imperat. 29. & 30.
THEODORI Episc. Paderb. 20. & 21.

TRistior hic annus fuit duorum Pontificum funeribus, Clementis VIII. & *Leonis XI. Prior post sanctissimam annorum tredecim, & aliquot dierum Ecclesiæ gubernationem sublatus è vivis est quinto Nonas Martii. Vacantem Pontificis cathedram Kalendis Aprilis sexaginta Cardinalium consensu obtinuit Leo XI; dictus antea Alexander de Medices, Cosmi Hetruriæ Ducis consobrinus: at perbrevi tempore in ea sedit, dejectus morte quinto Kalendas Martii. Hæc intrà dies paucos iterata sedis vacuitas, ut paucorum quoque dierum esset, fecit mira Purpuratorum in conclavi Patrum consensio: senatu enim convocato, cùm pro more diebus aliquot res permissa suffragiis esset, electus est sinè longiori procrastinatione decimâ sextâ Maji Camillus Burghesius Romanus, Cardinalis Presbyter titulo S. Chrysogoni; assumptóque Pauli V. nomine coronatus die vicesimâ nonâ ejusdem mensis. Electionem maturaverat fama virtutum, quæ in Burghesio maximæ erant; utpote *quem*, uti Spondanus loquitur: *magnus usus rerum agendarum, zelus honoris Dei, et libertatis Ecclesiasticæ, singularis morum comitas, placida in omnes beneficentia, et incorruptissimæ vitæ integritas egregiè commendabant.*

*hunc alii Leonem X. dicunt, & Joannem Mediceum volunt esse Leonem IX non X.

Moritur Pontifex Clemens VIII. Huic Leo XI; Leoni eodem anno Paulus V. succedit. *Spond. ad hunc annũ. Stangefol. in synopsi circuli Westph.*

Tam habili igitur successore persanata videri poterat gemina per Italiam mortis plaga: at turbæ majores & vulnera à Marte in pluribus aliis per orbem locis. In Transilvania post multas hominum cædes dominatum occupat rebellis Bostkaius; inque comitiis ibidem mense Aprili habitis factiosorum procerum sententiâ Principatûs possessio raptori confirmatur. Mittit insuper huic seditioso capiti Turcarum Imperator Achmetes præter alia augustalia ornamenta Ladislai, ùt perhibebant, olim Hungariæ Regis coronam: quâ insignitum Regio deinceps nomine Bostkaium salutandum, colendúmque præcipit. Tam nobilis provinciæ jacturam multùm auxit secuta amissio urbis *Strigonii post triginta quinque dierum obsi-

Transilvania capitur à Bostkaio, Strigonium à Turcis. *Auctores iidem.*

*germanicè Gran.

obsidionem Turcis traditæ quinto Nonas Octobris. Imputata celerior deditio ignaviæ germani militis arma abjicientis: tametsi Comes Dampetra Præfectus urbis sat virium, moneret, ad sustinendos porro hostiles impetus superesse. Non omnibus impunè abiit. Authores immaturæ deditionis servatam sinè honore vitam, inter supplicia ignaviæ propositæ cum dedecore perdiderunt.

Nec plus quietis in Belgio ab armis. Hærebant fixis castris Hollandi pertinaciter in Flandria, aucupantes locum Antwerpiæ per insidias obruendæ. Eos ut inde eliceret Albertus Archidux; totam belli molem constituit in ditionem hosticam transportare. Igitur ejus jussu mense Junio Carolus Longevallius Comes Buquoi cum numeroso exercitu per Juliacensium & Ubiorum terras festinanter movet; transitóque Rheno & depulsis ibidem, quæ pro tutela fluminis excubabant, Hollandorum navibus post varias per viam cum hostibus velitationes ad oppidum Rurordam progreditur; ibíque loco operibus editísque munimentis circumsepto considet. Ipse verò Marchio Spinola, qui contento itinere ex Flandria ad Rhenum delatus die secundo & vicesimo Julii se Buquoii copiis junxerat; nunc eodem ad Rurordam relicto, pari celeritate cum infestis agminibus ad Transisalanos abit; præmisso ad vicinos Principes Philippo de Croy, qui exercitum sinè noxa transiturum significet: mentem Archiducis esse, ut ne ulli gentium miles suus fraudi sit. Sexto Idus Augusti Oldensaliam perventum: urbs ea vix tormentis bellicis verberari cœpta, cùm suæ imbecillitati diffidens oppugnatori cessit. Inde Spinola Lingam versùs maximâ usus festinatione exercitum reflectit; spémque victoriæ in præveniendo hoste reponens id brevi effecit, ut & tanti momenti locus, naturâ & arte, nec levi præsidio munitus quinto decimo Kalendas Septembris sese dederet. Lætus tam faustis successibus Spinola iter ad Rhenum relegit; direptâque ibi Hollandorum navi, quæ posita ad ostii Lupiæ custodiam erat, omnibus modis Mauritium ad pugnam provocat. At eo prælium detrectante, Marchio Spinola divisum tribus in locis exercitum collocat, hosti quavis viâ nociturum. Triplex hæc copiarum partitio majores animos Mauritio attulit; cogitanti, vires loco à se disjunctas obrui faciliùs posse. Igitur postridie Nonas Octobris silenti agmine è castris Wesalienssibus proficiscitur, ac die postero eam copiarum partem, quæ ad Ruram hosti arcendo à trajectu fluminis invigilabat, adortus prospera habuit prælii initia; cùm nihil minus metuentes opprimerentur Hispani. At exitum satis funestum, quingentis nimirum, quà vulneratis quà cæsis, in fugam compulsus. Posthæc à Comite Buquoio die sexto & vicesimo Octobris urbs Wachtendonca, arx Cracavienssis

Albertus Archidux bellum è Belgio in hostile solum traducit.

Galluc. de bello Belg. lib. 17. Stangefol. loc. cit.

Oldensalia & Linga capitur à Spinola.

Clades Batavorum.

Galluc. lib. citato pag. 325. & seq. Stangefol. in summ. circuli Westph. pag. 93. Helvicus pag. 124.

vienſis ineunte Novembri expugnata. Meurſæ urbis obſidionem proximum in annum dilatam oportuit; cùm frigidum pluviúmque tempus vergeret in hiemem; milésque caloribus æſtivis fractus hiberna & quietem poſceret.

Hoc turbido rerum ſtatu in Belgio, Erneſtus Colonienſis Archiepiſcopus, idémque Leodienſium & Monaſterienſium Antiſtes, non nihil etiam turbarum in ſubjectis ditionibus, ab iis moveri comperit, qui, vulneratis impunè legibus Eccleſiaſticis, avitæ pietati excidium moliebantur. Leodienſibus eâ ſeculi pravitate ludibrio erant magni jejunii eſuriales feriæ, quibus, nullo cibariorum dierúmve habito diſcrimine, bene pranſi & cænati, pro ſua lubidine derogatum ibant. Hos Erneſtus ſeveris gravibúsque literis ad frugem & frugalem vitam cohortari; in memoriam revocare ſacros majorum ritus: quantâ ſe illi crediderint illis diebus religione obſtrictos, ut omnino modicè cænando, ne tantillum contra antiquas leges vel primoribus labris deguſtarent. Nec dubitem malè ineſcatas oves ſuaviſſimi Paſtoris voci, monitísque morem geſſiſſe, ab illicitis paſcuis ad conſentaneam interdictis diebus frugalitatem reverſas.

Erneſtus Archiep. Colon. ſtudet reducere Diœceſes ſuas ad meliorem vitæ normam. *Chapeauville in Erneſt. vetus mſ.*

Exinde Erneſtus eâdem, quâ Leodienſes, etiam Ubios Weſtphalósque complexus ſollicitudine, multa Arensbergæ in arce ſua pro Diœceſibus Colonienſi ac Monaſterienſi præclarè ſanxit, quibus religioſos, in diſſolutæ vitæ licentiam prolapſos, reſtringeret arctiùs; ſublatísque, quæ irrepſerant, corruptelis ſuo in officio contineret. Invaluerat in quibuſdam utriuſque ſexûs cœnobiis vetus conſuetudo, quâ in afferenda & multa & lauta ſupellectili, in apparandis ultra modum exquiſitis epulationibus ſe ſumptuoſiùs jactabant ii, qui primùm religioſâ veſte induerentur, aut ſolennia vota nuncuparent. Erneſtus hos immodicos ſumptus intra modum eſſe; atque ad certas moderatæ largitionis, epulíque leges adſtrictos voluit; neque propterea augendos, aut protrahendum, geminandúmque epulum; ſed partitis inter ſe ſumptibus eâdem religioſâ mediocritate inſtituendum, ſi quando in monaſteriis duo plurésve eodem veſtirentur tempore; aut votorum profeſſio in unum eundémque diem incideret; *turpe enim et indecorum fore, vitam pauperem ab immoderato aut ſuperbo luxu auſpicari.* Optimis his ſanctionibus ſuperadditæ tres aliæ: unâ Erneſtus teſtamentum Religioſorum cujuscunque ſexûs declarat irritum, infectúmque, quo tunebre epulum aut perpetuam ſui ad aram quot annis memoriam decernerent. Alterâ religioſis qui[illegible]cunque adempta facultas eſt colligendi aut poſſidendi peculii. Tertiâ conſcientiæ, religioſarum virginum, libertati conſultum voluit; integrúmque illis eſſe,

Prohibet magnos ſumptus fieri in monaſteriis dum veſtiuntur aut profitentur. *Chapeauville loc. cit.*

Si duo ſimul eodem die in monaſteriis veſtiantur & profiteantur, mandat Erneſtus ut ſumptus inter illos dividantur, non à ſingulis convivium apparetur. Item tres aliæ ſabubertimæ ſanctiones. *Auctores iidem.*

facer-

sacerdote alio nonnunquam ad sacras confessiones uti; hac lege parthenonum præfectis, aut conscientiæ moderatoribus impositâ: iterum ac tertiùm singulis annis suî vice quendam accerserent, qui confitentibus aures daret. Has sanctiones biennio pòst Paulus Pontifex assensione suâ, multâque laude ornavit, póstque factam in synodo Leodiensi promulgationem non laudis tantùm; sed optatæ etiam emendationis fructum uberrimum consecutæ sunt.

Haud dispar Theodori Episcopi nostri nec minùs laudabile studium extitit in Diœcesi sua ad veterem Dei, Divorúmque cultum formanda. Hæc fœdam superiorum temporum faciem aliquantùm deterserat, pulchrior jam ex virtutum aspectu gratiórque Episcopo suo: cujus tamen animum adhuc omnem in partem hæc cura versabat, quibus adminiculis, extinctam in animis omnium, ac prope sepultam erga Dei matrem venerationem exsuscitaret. Subinde optimo Principi in mentem venit suburbani sacelli dimidiâ horâ à mœnibus remoti; quod olim ob statuam Dei matris, cælesti miserorum ope celeberrimam, multis miraculis inclaruerat, quotidiano multorum hominum accessu frequentatum. A Romana urbe sacellum nomen sortitur: Roma dictum, sed nihil tum Romani splendoris habebat, angustum, malè materiatum opus, rudi leviq; brachio ex lignis & luto coagmentatum. Diceres, magnam Dei matrem, quæ *Ancillam* Domini se vocat, simplici cultu delectari magìs, & inculta sæpe loca deligere, quibus coli malit. Senserat præterea vetus hoc sacellum non semel inimicas, violentásque hostium manus, adeò, ut jam neglectum penitus, collapsúmque ad ruinam propenderet. Huc oculos & sollicitum animum advertit Theodorus Episcopus noster: nec moderari priùs dolori suo potuit, quàm sacellum hoc, impensis ultro oblatis, à ruina defensum, ac novo, eóque elegantiori opere ornatius cerneret, haud alio instituto, quàm ut meliori sacelli specie refrigescentibus subjectorum animis, antiquæ in virginem matrem pietatis igniculos subderet. Neque eum concepta spes fefellit. Ut primùm enim detecta, populóque ostensa, quæ à majoribus impressa erant, priscæ venerationis vestigia, relegere ea pedentedim cœpit. Versus hic, lapidi superliminari incisus, reparationis annum posteritati notum facit:

EN ALTORE, *Labans*, THEODORO RO*Ma refLoret.*

Germanicè:

ALs RoM war ohne FLor / newrt es FVrſt TheoDor.

Non hic omiserim imbecillioris sexûs fortitudinem in propugnanda re Catholica. Antonia Princeps Lotharingica, Joannis Wilhelmi Cliviæ, Juliæ, ac Montium Ducis, Marchiæque Comitis, ùt Thalami sic & gubernationis socia, cùm in domo Lotharin-

Theodorus Episcopus Paderborn. sacellum ruinosum Roma dictum instaurat. *Annales Collegii Paderb. Item libellus cum licentia superiorum & approbatione editus anno 1691. fol. 44.*

gicæ tanquam palæstra virtutum versata à teneris esset, satísque veritatem docta à falsis opinionibus secernere; hoc summo inter reliqua studio egit, ut vetus religio non nihil depressa rursum attolleret caput, quíque sub Wilhelmo Principe refrixerat Catholicæ Religionis ardor, efferveſceret. Aderat consilio & operâ Antoniæ Principi Hermannus Lennepius Agrippinas; Clivensis Cancellarius, vir singulari authoritate valens; notæ expertæque Fidei & eruditionis. Hoc peritissimo, fidóque consiliario & duce, Antonia Princeps ad leniora primùm remedia progreditur, comiter hortando; positâ contumaciâ imperio Romanæ Ecclesiæ se redderent. At ubi præfractè hortationibus obstrepitur, durior quoque manus rescindendo malo adhibita. Aliquot verbi præconum obstinatio officii privatione mulctata. Alii variis in urbibus coacti, dimissis cathedris, solum vertere. His eum in modum profligatis, sacerdotes Catholici postliminio rediêrunt ad pristinam templorum possessionem: intérque eos, Patres de Societate JESU, Antoniæ jussu Embricâ Clivos adsciti, ut lapsantem illic Religionem consiliis laboribúsque suis sustinerent. Actum ab his sedulò quà privatis congressibus, quà publicis ad populum dictionibus, ut in primis sacræ cœnæ sub utraque specie sumptio ad unam reduceretur; sublato, qui multorum animis altiùs insederat, stolido errore; quasi sacerdotum superbia sibi soli sacrum calicem præriperet, tenuiore cœnâ, neque per subtractum Christi sanguinem integrâ, imperitæ plebi obtrusâ. Placuisse Antoniæ Principi Patrum labores, ex eo facilè conjicias, quòd præter navatam alias benevolentiam, anno qui præsentem proximè insequitur, benignè providerit, ut Embricæ ampliori habitationis loco potirentur.

In ducatum Clivensem, Juliacensē, Montensē, & comitatum Marchiæ reducitur Religio Catholica per Antoniam Principem Wilhelmi Cliviæ Ducis conjugem. *Chaupeauville in hist. de Ep. Leod. in Ernest. cap. 39. & seq. Vetus ms.* Eadem Antonia Lotharingica fecit provideri Patrib⁹ S. J. de meliore domicilio Embricæ. *Annales Societat.*

Hæc studia proferendæ Religionis, ut interrumperent adversarii; in eósque, quos non uno in loco defensores pietatis conspexerant, odium afflarent omnibus; enormia quædam, quorum consortes illi religiosi essent, scelera commenti sunt. His tanquam proditoribus, parricidis, impiæ conjurationis authoribus carceres, patibula, rotas parabat Anglia. Sed decantata satis, notáque fabula est: uti meris, crassísque à Chytræo aliísque innumeris referta mendaciis; ità falsitate perspicuis rationibus* propositâ, ab æquioribus arbitris explosa, rejectáque. Neque Anglia tantùm, sed & Saxonia eos impietatis hoc modo arcessivit.

Variæ persecutiones Jesuitarum. *Videantur Authores passim de pulverarea conspiratione in Anglia. Thuanus, Chytræus & alii.*

Tristis & infaustus rumor totam prope Saxoniam inferiorem anno superiore pervaserat, juventutem in urbe Hildesiensi Patrum Societatis JESU institutioni commissam, pessimis depravatam corruptelis; atque adeò magicis imbutam artibus, scire veneficorum incantationes, diráque carmina, quæ magistro aliquo, ex inferorum

Videatur Juvencius l. 13. part. 5

rum sedibus in reipublicæ perniciem recèns protruso, hausissent. Patres invalescente famâ conturbati, territíque; adolescentum vitâ, sermonibus, moribúsque studiosè observatis, dolenter compe-riunt, haud esse inanem; neque malignâ omnino dicacitate confictum rumorem. Pestilens hæc contagio primùm infecerat triviales summi templi scholas, in quibus Tirones à pædagogo quodam nullius religiosi Ordinis legibus adstricto prima literarum elementa docentur.

Scholæ Hildesienses inficiuntur arte magicâ *Annales Societ. ad hunc & præc. ann.*

Malum tam exiguis profectum initiis quotidie ità augescebat, ut brevi Patres de Societate nullam non classium suarum eadem lue infectam adverterint. O quanta hîc scilicet! quàm lata area in laudes Jesuitarum patuit. Una omnium aut in scholis Lutheranis docentium pueros, aut in templis pro concione dicentium assidua hæc vociferatio: *Patere nunc demum nequitiam Jesuitarum diu tectam parietum custodiis. Relegandum extra diœcesis fines in malam crucem perditissimum hoc genus hominum; qui neglectis honestissimarum artium studiis, ad turpissimam ipsius mali genii doctrinam occultè alios, nequitérq; abducant.* Appellatur, urgetur magistratus: miscentur in circulis & vicis sermones: prospiciendum esse saluti publicæ: curandum omnibus sedulò, ut nequam homines fictè tantùm & fallaciter probi, diu celatæ improbitatis rei peragantur. Senatus post diuturnam disquisitionem, sed casso eventu adhibitam, consultius duxit, rem totam ad arbitrium quarundam academiarum deferre. Earum omnium, tametsi cum Luthero aut Calvino facerent, ideóque à Religione Jesuitarum dissiderent; mira tamen in hanc sententiam consensio fuit: re ponderibus suis examinatâ repertum nihil, quo inclinari possent ad gravius quidquam contra Patres statuendum: multò minùs, ut ad eorum propenderent opinionem, qui, post inustam ignominiæ notam, urbe & patriâ Patres ejectos cuperent. Nisì manus abstinerent ab omni violentia Patribus inferenda; linguámque à jaciendis probris: certè altiorum tribunalium justitiam brevi affore, ultricem pœnæ immerentibus irrogatæ.

Ars magica ex alphabetaria summæ ædis promanat in totum gymnasium.

Jesuitæ habentur authores artis magicæ, turbæ & tumultus in urbe. *Annales iidem.*

Consuluntur academiæ Lutheranæ quomodo Jesuitæ pellendi urbe, & ignominia afficiendi.

Respondetur pro Jesuitis. *ibid.*

Tam grato nuncio recreati Patres paululùm à metu respirabant: adversùs inimicorum molimina hoc solo quidem, sed quod venusino Poëtæ validissimum est, muniti præsidio:

Hic murus aheneus esto
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Horatius Epist. 1.

Ne qua tamen nova rursum suspicio Patres tanquam sceleris illius fautores afflaret; invigilatum diligentiùs, ut, quibus hæc nota adhæresceret; quósque jam senatus nigro notârat calculo; deprehensi è scholis ejicerentur. Vota deinde superis facta ad impetrandum malo radicibus evellendo cœleste auxilium; hac stabili à scho-

Instituuntur solennes preces pro avertenda arte magica. *ibid.*

ſcholarum moderatoribus conſtitutâ lege; ut poſt finitas pomeridiano tempore in ſcholis literarias exercitationes quot diebus certæ (orthodoxi *Litanias Lauretanas* vocant) obſecrationes in honorem Reginæ cœli, malignorum ſpirituum domitricis, fierent. Eas cælum habuiſſe ratas, adoleſcentum perverſorum fuga, metu divinitus injecto, docuit. Quare id gymnaſio Hildeſienſi in hunc uſque diem, quo poſt centum triginta quinque annos hæc ſcribimus, ſolenne manſit, manebítque deinceps perpetuum. Æquior deinde animus magiſtratui utcunque placato rediit: Patribúsque à turbis quies aliquantò major. Atque iidem hodiedum Patres in eadem urbe quotidianos in juventutis inſtitutione labores ſolâ conſcientiâ rectè factorum: atque mercedis æternæ memoriâ conſolari pergunt: ſæpe memores illius, quo juſtus Lipſius non rarò obtrectatores ſuos in ruborem dedit: *mihi ſententia de me non nisi ſertur apud me: nec quis ſim, alium rogo. Interno iſto judice ſi probus audiam, quid addent aut dement mihi hi ſermones?*

Lipſius Cent. 1. Epiſt. 77.

Incidit in hunc annum improviſa mors Joannis Nopelii, viri in propugnanda Religione acerrimi: ídque eo majori ardore, quo ſæpius ſingularem illam ſibi ob oculos ponebat felicitatem, quòd, exactis pueritiæ primis annis, è natali ſolo vicinâ nobis urbe Lipſtadio divinâ quodammodo manu ad Ubios eductus in veram fidei lucem eſſet; popularibus præ ſe infortunatis plurimis, ínque ſua caligine etiamnum demerſis. Vitæ integritas & eruditio parem ipſum ampliſſimis muneribus fecerant: dignúmque, qui Cyrenenſis Epiſcopatûs infulâ donaretur. Quâ dignitate exornatus diu patriæ commodis inſerviit, Pontificalia munia, vice Erneſti Archi-Epiſcopi Colonienſis, obeundo.

Obitus Joannis Nopelii Lipſtadienſis *Meshov. in vita Ulenberg.*

Plurimùm huic viro præcipuè Weſtphalia debet, quòd profligato Truchſeſio ad eam Calvini fæcibus purgandam properârit; multísque ſanctis, ſeverísque decretis poſt inſtitutam variis in parochiis ſynodum prolapſos mores ad meliora erexerit. Neque paſſus ſuam eſt deeſſe illis operam, quorum in gremio enutritus inter errores fuerat. His *Confeſſionem Ambroſianam* multo elucubratam ſtudio transmiſit: ut ſi eos non cogeret amplecti verum, ſaltem intueri. Pluribus aliis laboribus impigre perfunctus cùm viceſimâ ſeptimâ Decembris anni ſuperioris, peractâ re divinâ, habitóque in paræcia ad populum ſermone domum pergeret; fallente greſſu per viam ex attrita glacie incertam, ac lubricam Coloniæ in platea corruit, pede dextro in coxendice ex illa prolapſione contuſo, ac fœdè diſrupto. Nec diu fuit, cùm illud Religionis columen vehementia dolorum planè dirueret; virúmque optimum præmaturâ opprimeret morte octavo Idus Januarii, anno ætatis ſeptimo,

& quin-

& quinquagesimo. Certè si octogenario evasisset major; in deliciis *labor* *illi *et dolor* pro augmento religionis fuissent.

*in potentatibus octoginta anni. & amplius eorum labor & dolor. psal. 89.

Alio per hæc tempora spiritu agitabatur Mauritius Hassiæ Comes provincialis. Non illi animus acceptam à patre Religionem quovis modo tueri; sed ejicere, conculcare penitus. Felix consilium: si eâ ejectâ antiquam aliam majorum suorum Religionem ad avitas Hassiæ sedes revocâsset. At quemadmodum via semel à recto itinere devia, ùt diutius teritur; ità longiùs abducit errantes: non aliter Mauritius Lutheri vestigia secutus, nunc ex alio in alium lapsus errorem; *tritam à Calvino in diversa abeunte viam ingreditur: omnibúsque Lutheranæ sectæ primoribus (*Superintendentes* vocant) Marpurgum accitis palàm edicit: abundare erroribus *Augustanam Confessionem*; velle se, ut ex ea potissimùm hæc tria rescindantur:

*vide dicta ad ann. 1592. Mauritius Hassiæ Landgravi nunc fortiùs introducit Calvinismum in contin. Cosmod. Gobelini. Kleinsorgi

1. *Sublatam voluit opinionem de præsentia Christi in cœna cum humana pariter ac divina natura.*

2. *Auferendas è templis imagines contra Moysis decalogum à Papistis intrusas.*

3. *Antiquandum morem utendi orbiculatis in cœna hostiis. Accumbentibus mensæ Eucharisticæ divisi panis fragmenta deinceps juxta usum cœnantis Domini porrigenda.*

Huic Landgravii decreto cùm Marpurgensium in scholis, templísque doctores gerere morem, & populo promulgare detrectarent; pertinaciæ pœnas dedêre, exilio multati: omnibúsque ex urbe profligatis, suffecti Cassellis Georgius Schônfeldius, Zigenheimio Valentinus Schonæus, Wigandus Pfaffius; aliíque, penes quos summa rerum Ecclesiasticarum ex voluntate Mauritii erat. Schônfeldius ante alios præfidentior; miniméque dubius, varium & mutabile vulgus facilè ad nova commenta abiturum; XVI Augusti de mutanda Lutheri doctrina pro concione verba facit. At contrà, quàm opinabatur, adeò erroris tenacem, sibíque infensum comperit auditorem; ut verbosè declamantem Schônfeldium aggressi, impactis pugnis unguibúsque os oppilârint: eúmque & socios omnes verberibus ad livorem contusos præcipiti ità ex urbe exegerint. Schonæus suprà reliquorum fata dirissimè habitus; idem ille, qui mercenariam *Truchsesio Colonienſium infelici Archiepiscopo in pervertendis Westphalis operam locaverat: famosus à prima Werlis, & Gesekenæ habita concione. Sed quod illis in locis aureum pro dictione munus imperiosè depoposcit, extorsítque; hîc nolenti etiam, liberaliùs ferratis fudibus persolutum. Mauritius temeritate populi commotior animum obfirmat, frangere potiùs quàm corrigere, quæ in pravum obduruissent. Nume-

*vide annum 1583. pag. 491.

Mauritius armis suos cogit ad Calvini partes, &

ipse populo de Calvini doctrina concionatur. *in appendice ad Cosmod. Gobelini Kleinsorgius.*

merosus igitur in urbem miles inducitur: & subitò tubarum clangor acriùs, quàm antè voces oratorum aures incolarum feriunt. Armis nudantur cives: atque ità inermis civitas Calvini legibus, & imperio violenter subjecta. Ipsum ferunt Mauritium ex suggesto Calvini laudes & dogmata prædicâsse. Dubites, plúsne ferri, an orationis acumine valuerit? Quàm triste Lutheri fatum! tanto turpiùs ejecti, quanto præstabilius fuisset non admisisse hospitem, retentâ veteri Romanâ Religione; jam indè à Caroli Magni, ejúsque filii Ludovici *Pii* ævo admissa ab Hassis: magnóque studio culta adusque tempora Philippi I. Hassiæ Landgravii, cognomento *Magnanimi:* qui novitatibus Lutheri pellectus pientissimi parentis sui Wilhelmi II. majorúmque omnium *antiquare Religionem cœpit. At quàm brevi consumpta novitatis gratia? Hujus enim Philippi, ex filio Wilhelmo IV, nepos Mauritius, ne uno quidem seculo disjunctus ab avo, Lutherum jam perosus se, suósque Calvino addicit. Quid periculosius, quàm varietate delectari in negotio, ubi una, immutabilis, & æterna veritas spectanda? Non desunt tamen, qui Mauritium Landgravium non adeò temere egisse velint; odiíque adversùs Lutherum concepti causam ex eo profectam asserant; quòd Mauritius indignabundo secum animo sæpius expenderit: quàm turpiter olim Lutherus homo mulierosus suo (Mauritii) avo Philippo potestatem fecerit, viventi conjugi, & gignenti adhuc, aliam *thalami duplicis sociam adjungendi. Fœditatem illam inquiunt, quemadmodum id temporis* uni filiorum incitamento fuerit à Luthero ad Zwinglium abeundi; ità nunc induxisse nepotem Mauritium; ut lutulentam ejusmodi doctrinam aspernatus, puriora suo judicio Calvini dogmata amplecti maluerit.

*anno 1527 cœpit Lutheranismus in Hassia, Kleinsorgi ponit ejus initia ad ann. 1525.

*fuit Margareta de Sala. vide dicta ad ann. 1540. *cognomen non addit scriptor. Vide librũ de ortu & occasu Lutheranismi pag. 110. item vitã Ulenbergii pag. 15.

Annus Christi 1606.

PAULI V. Pontificis 1. & 2.
RUDOLPHI II. Imperator. 30. & 31.
THEODORI Episc Paderb. 21. & 22.

Cæsar paciscitur cum Bostkaio, deinde cum Turcis. Bostkaius moritur. *Spond. in contin. Baron. p. 948.*

EX perdita superiore anno urbe Strigonio, aliísque cladibus, Imperatoris animo fixus hærebat & vehemens dolor. Cúmque spes nulla fortunæ melioris affulgeret, rebus quotidie in deteriora labentibus: ad prævertendam aliarum urbium jacturam, necessum habuit confugere ad consilia pacis. Per quam postridie Idus Septembris initam Stephano Bostkaio, ejúsque hæredibus masculis relicta est Transilvania; præter Hungariæ partem aliam à Sigismun-

gismundo Bathorio olim possessam. Idem pacis negotium quinto Idus Novembris cœptum cum Turcis, confectúmque. Utriusque pacis conventa fusè narrat Joannes Palatius in *Aquila Austriaca. Inde Bostkaius quinto Kalendas Januarii tot manubiis dives prædator morti in prædam cessit, nihil ex tot spoliis ad manes suos ferens, nisi *cælestium inanem animam*. Ab obitu Stephani Bostkaii, sinè mascula prole decedentis, Transilvaniæ possessio ad Rudolphum Cæsarem reciderat: à Transilvanis autem interversa, datáq; Sigismundo Ragotzio. Novum vulnus Domui Austriacæ. Sed, cui posteros mederi, voluit Rudolphus: tum quòd diffideret Ordinibus Imperii, adeò parcis in mittendis suppetiis: tum quòd fessus ipse senio, & tædiis ad pristinos bellorum turbines in extrema vitæ statione abripi nollet.

*Palatius in Aquila l. 47. c. 2.

Institutum anno proximo in hostili solo cursum Alberti Archiducis copiæ novo ardore prosequuntur. Eductus in expeditionem miles duce Terralio primâ aggressione Zutphaniam petit: in eáque provincia, postquam Bredevorda ad fines Monasterienses agri pridie Idus Martias astu militari intercepta esset; arx ibidem situ, altísque paludibus munitior diu multúmque labores oppugnantium exercuit, nec dolo, nec virtute expugnabilis. Interventu enim auxiliaris Hollandici exercitûs ductore Henrico Nassovio abrupta arcis oppugnatio est: póstque arctam obsidionem subita urbis deditio rursum extorta.

Bredevorda capitur ab Hispanis sed brevi rursum amittitur. *Galluc. l. 18. pag. 349 & seq.*

Plus virium, animíque prodidit Ambrosius Spinola, gnarus & prudens feliciter auspicatis insistere. Is reversus ex Hispania post Flandriam, Brabantiámque probè communitam ineunte Julio in munimenta ad Rurordam properat. Ibi Comite Buquoio trans Rhenum ad exploranda hostium molimina, transitúmque fluvii Wahalis tentandum relicto; ipse Locheimium urbem sibi expugnandam sumit. Quæ die vicesimâ Julii sinè longa renitendi contentione sub jugum missa est: magno Westphalorum gaudio, cùm affligi cernerent pernicioſam sibi urbem; infame receptaculum nefariorum prædonum, qui diu crebris in Westphaliam excursionibus ex rapto vixerant. Mox Grollam longè firmiorem majori nisu adortus Spinola, majus etiam bellicæ virtutis argumentum dedit, præsidiarios mille, & quadringentos eò brevi adigens, ut Mauritii cum auxiliaria cohorte approperantis adventum celeri deditione postridie Idus Augusti præverterint. Converso hincitinere exercitum conjunctis Buquoii copiis validiorem, reflexit Rhenoberckam versùs; in eáque urbe munitionibus, ac vallo è regione destructis, suffossísque; atque Hollandis ex insula Rheni in oppidum rejectis, pari fortitudine ac celeritate Kalendis Octobris rerum poti-

Spinola occupat Locchemium, Grollam Rhenoberckam. *Galluc. l. 18. pag. 363 item l. 19. pag. 373. item l. 19. pag. 395. Spond. in cont. Baron. pag. 948. Theatrum hist. l. 5. pag. 125.*

Expugnatio Rhenobercæ plus difficultatis habuit. *Galluc. l. 19. fol. 396*

potitur. Celebrior fuit hujus urbis expugnatio, tum à numero cæsorum hostium ad quadringentos, tum à multitudine superstitum adhuc præsidiariorum militum. Tres enim equitum turmæ, cum ter mille peditibus egressæ sunt: ità tanti herois nomine & famâ perterritæ, ut sese dederint, antequam res ad triarios rediisset.

Inde ad Meursam subactis his urbibus adjungendam, facilis admodum & plana via erat. At ea nimiùm aspera & difficilis videbatur Catholico exercitui ob attritas vires tantis porrò ferendis laboribus impari. Neque per seditionem ab Hispanis rursus concitatam eò progredi licebat. Cùm enim militaria æra in mora essent; nec rite statis diebus repræsentarentur: miles stipendiis defraudatus non solùm discordiis miscere omnia cœpit; sed perfidioso etiam aliquot millium transfugio hostium castra augere. Mauritius pro versuto ingenio non ignorans, hebescere ferrum, dum illud aurum non acuit; occasione, quam in turbido luculenter videbat, nono Kalendas Novembres usus, Locheimium milite socordiùs obnitente recipit; & per easdem seditiosorum turbas idoneum tempus recuperandæ Grollæ aucupatur. Jámque magna vis machinarum, trigesimâ primâ Octobris, urbi admota erat. At Marchio Spinola itinere inter varia cæli pluvii incommoda per Monasterienſem Diœcesin maturato, feliciter cum hoste congressus, machinationes omnes proturbat. Eo in conflictu die octavâ Novembris pars magna cæsi, pars in turpem fugam versi.

Seditio Hispanorum ob stipendia non soluta *Galluc. l. 19. fol. 397.*

Mauritius per hunc Hispanorũ tumultum recipit Locheimium.

à Grolla urbe rejicitur per Spinolam. *Galluc. fol. 395 & 393. Helvicus fol. 125.*

Præcipuam ex Proceribus Westphalis laudem in hoc bello consecutus est Joannes Comes Ritbergicus: idem ille, qui Theodoro Episcopo nostro duobus abhinc annis in edomanda urbe Paderbornensi strenuam commodaverat, felicémque operam. In his verò expeditionibus duplici famâ clarior. Præterquam enim, quòd Ambrosio Spinolæ ex Brunswicensis belli reliquiis dispersè vagantibus collectam militum manum subsidio miserat; ipsum etiam Comitem Joannem cum fratre Christophoro Embdano in expugnatione urbis Grollensis, decimo quarto Augusti primos inter ductores armatâ manu duo propugnacula pulsis defensoribus conscendisse, legimus; utrumque non mortifero quidem, gravi tamen & glorioso vulnere cruentatum.

Laus duorũ Comitum Ritbergensium. *Galluc. l. 19. fol 971. Hist. ms.*

Ex his toties illatis acceptísque cladibus, ex varia urbium alternatim expugnatarum fortuna, ex tam crebrò per Juliam, Ubiorum, Westphalorúmque terras copiarum transitu magna ubique vastitas, & pernicies. Ante regiones alias tristiùs afflicta, bonísque ferme omnibus eversa fuit Diœcesis nostra. Malo huic occasionem dedit obsidio urbis Brunswicensis. Hæc enim, quòd Imperialium *urbium jura, indéque à pendendis Duci tributis immuni-

**alii aliam causam assignant. Vide Buleng. Juliũ Cæsar.*

munitatem obtenderet; gravissimam in se concitaverat Ducis Henrici Julii indignationem. Ille, quò certiùs urbs illa & validiùs ad obedientiam redigeretur, cum aliquot Imperii Principibus; atque in primis cum Danorum Rege Christiano IV. fœdus pangit; socialia etiam Hollandorum arma invitans. ùt circumsideri se urbs Brunswicensis vidit; atque omnia sibi indies arctiora fieri: urbium Hanseaticarum fidem opémque exposcit, ne sociæ urbis periculum negligerent. His urbibus ad subsidia omni celeritate ferenda jam accinctis, cùm metus non inanis esset, ne utrimque nimiùm intensæ vires in nervum erumperent: adest Legatus Cæsareus, monet Henricum Julium Ducem; æquius visum Imperatori, ut, si quid cum urbe haberet controversiæ, cum ea jure, non armis experiretur. Eâ monitione Ducem, aliósque belli socios metu proscriptionis eò permovit, ut solutâ obsidione sub initium mensis Januarii inducias fecerint; sublato aggere, cujus objectu, qui urbem perfluit, flumen Occarus retrò adactus erat, vicos, plateásque omnes eluvione complens.

Obsidetur urbs Brunsvicensis. *Julius Cæsar Bulenger. Imhoff de notitia Procerum S. R. I.*

Promulgatis induciis, dum receptui canitur, ut suam quisque exercitus viam relegerent: Batavi proximam, quæ occurrebat, Diœcesin Paderbornensem mense Februario atrocitate tantâ percursant, diripiúntque, ut nihil illâ spoliatius, nihil egentius. Obviæ quæque villæ prædis exhaustæ; abacta pecora; injectæ manus, inque miseram captivitatem abrepti homines. Miratus tantam barbariem Theodorus Episcopus per tubicinem sciscitatur; unde tantæ iræ, tantæ populationes? Id solùm responsi datum: *Occisi consulis Wichardii manes, ac profusum ab eo sanguinem flagitare vindictam: adesse se ultores justissimos necis per summam injustitiam illatæ. Ità parentandum innocentis viri manibus.* Quæ malum! isthæc peregrinæ gentis in alieno solo intolerabilis arrogantia! homines exteros in territorio alio, ubi nihil ipsis juris, se judices, seditiosi capitis defensores se jactare! ideóque populabundos irruere! id scilicet placidè ferrent Batavi! si eorum in provinciis tantum sibi authoritatis & licentiæ sumerent Imperii Principes: utcuncque speciosо nomine facinus prætexerent. Mare cælo, summa imis movebunt priùs, quàm ausa ejusmodi inulta ferrent! Et tamen Theodoro Episcopo tam iniqua audentium furor non placatè ferendus modò, sed etiam oblatâ vi magnâ pecuniæ placandus fuit. Crediderim sapientissimum Principem consultò hunc bolum objecisse; ne gens majoribus assueta spoliis Diœcesin totam planè pessundaret, integramque absorberet.

Diœcesis Paderbornensis dirè affligitur ab Hollandis. *Stangefol. Julius Cæsar Bulingerus. Vetus mſ. Hollandorum quæsita causa invadendi & vastandi Diœcesin Paderbornensem. ex archivo Paderb. Cath. Eccl. Hist. Collegii Paderb.*

Neque aliud mense Junio iterata in Westphalorum fortunas incursio portendere & moliri timebatur. Expilatæ rursum villæ, oppi-

Spoliato ab Hollandis cœnobio Bredelarienſi, ipſe Abbas captivus abducitur. *Stangefol. l. 4. pag. 94 Vetus mſ.*

oppida, urbes, quotquot ſe primùm in Weſtphaliam redeuntium rapacitati offerrent. Demum atrocitas omnis in vicinum nobis Bredelarienſe Archidiœceſis Colonienſis cœnobium exprompta. Cohortis prædatoriæ ducem ſe præbuerat olim de ſervitio monaſterii nequam juvenis. Hic ex impacto ob errata quædam colapho in rabiem verſus ad Hollandos profugerat; ſuúmque dolorem impiâ ultione expleturus viam aperit pinguis prædæ, cœnobiíq; Antiſtitem comprehendendi occaſionem. Fit irruptio tam violenta, auri argentíque, rei pecuariæ, utenſilium omnium direptio tam ſordida, tam crudelis; ut ne minimam quidem rem reliquam fecerint. Cænobiarcha* adhuc deerat, ultimum rapinæ complementum. Hunc excuſſis domûs totius angulis, omnibúsque veſtigiis indagatum, cùm nuſquam locorum reperire eſſet; proditori juveni perfidiam inſcitiámque exprobrant. Suſpendio, nî rectiùs promiſſa præſtet, ex aſſeribus portæ puniendum. Deprecatus tantiſper pœnam nebulo; unas, inquit, latebras ſupereſſe, nondum perveſtigatas. Conjeciſſe ſe in eas Abbatem neceſſum eſſe. Quò cùm ocyſſimè advolatur; Antiſtitem offendunt ſubtus veteris organi folles abditum. Mox in lucem protractum vinculis onerant: inque duram ſervitutem abſtrahunt: nec libertati priùs redditum, quàm imperialium millia quatuor ſibi numerata cernerent. Potiſſima exitii cauſa parvulo cani, qui cum Abbate in latibulum profugerat, attributa. Is ubi accurrentium ſtrepitu excitus, arcere hoſtes latrando nititur, dominum ſuum iis prodidit. Quos, haud ſcio, an triceps inferni Cerberus abigere immani latratu potuiſſet.

**Abbas Udalricus Iſerenhoit electus anno 1593.*

Abbas Bredelarienſis, latratu parvuli canis, proditur, delitescens ſub follibus antiqui organi. *Literæ ex Tabulario Bredelarienſi.*

Theodorus Epiſcopus Diœceſin ſuam variis modis ad opem è cælo contra hoſtes petendam inſtigat. *ex literis à Celſiſſimo Principe Neuhuſii datis, quas vide infrà.*

Theodorus Epiſcopus tam frequentes & acerbas patriæ afflictiones intuitus, velut totidem divinæ iræ flagella, quibus ſuperiorum temporum malitia, atque urbis Paderbornenſis rebellio etiamnum cæderetur: eò ſanctiores curas vertit, ut ſubjectam Diœceſin crebrioribus hortamentis, largísque promiſſionibus ad iratum numen ardentiùs colendum induceret. Quibus horis res divina ad aram à ſacerdotibus peragitur, ut frequentior in templo adeſſet populus; certam pecuniæ ſummam, ſed ſequentium, opinor, annorum fatis ereptam, fidei quorundam & curæ credidit; cujus annui proventus in pauperes erogarentur, certo numero deſignatos; qui, ſacerdote ſacris operante, pro communi urbis, patriæ, ac Principis incolumitate quovis die preces ſuas conjungerent. Literas ea de re à Theodoro Epiſcopo ſcriptas germanicè ità latinè vertimus.

THEODORUS Dei gratiâ Episcopus Paderbornensis ad perpetuam rei memoriam, publicámque universorum notitiam.

Proponentes nobis, atque animo sæpius expendentes; quantopere cupiat Pater misericordiarum & Deus totius consolationis *aliorum benignitate miseriam pauperum sublevari*: beatos *pronuntians* misericordes: quoniam misericordiam consequentur. *Item sibi fieri reputans; quæcunque uni ex minimis illorum fiant. Verba etiam Ecclesiastici*: Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccatis, *sæpe considerantes inducti sumus ad majestatis divinæ gloriam, pro levamento egentium, nostræque cælestis gratiæ egentis animæ solatio perennem in omne ævum duraturam eleëmosynam pro decem et octo pauperibus fundare. Assignamus in hunc finem sexies mille imperiales; quos Philippus Ludovicus Comes Hannoviæ mutuos à nobis sumpsit cum promisso fœnore annuo trecentorum et sexaginta imperialium. Literas contractam à Comite obligationem testantes; reique totius curam committimus dilecto nobis Officiali et Abbati Abdinghoffensis cœnobii, ejúsque successoribus. Rogamúsque, ut diligenter invigilent, ne quid unquam de sorte sive summa pecuniæ intereat. Si quando contingat eam à creditore reddi: providè rursum exponatur fœnori, ut idem proventus annuus ad sublevandos pauperes exspectari certò possit. Volumus autem, et ordinamus; ut hoc beneficio cujuscunque sexûs fruantur illi, qui Religioni Catholicæ addicti, eandem quoque moribus et inculpatâ vitâ profitentur. Major tamen eorum habeatur ratio; quos senium aut languor malè affecti corporis lucrando pani inhabiles reddidit. Hos octodecim pauperes volumus quotidie simul eâdem horâ congregatos interesse sacro Missæ officio ab introitu ad finem usque: idque in templo fundati a nobis collegii PP. Societatis Jesu; ibi fideliter orare pro nobis et Catholicis nostris Majoribus; pro commissa nobis Diœcesi; ejúsque universo populo; pro temporali salute et æterna Catholicæ Domûs Fürstenbergicæ, ex qua originem ducimus. Singuli horum pauperum quot diebus duos grossos lucrabuntur, erogandos à fido ad id ex gremio pauperum constituto dispensatore. Qui et quovis anno ipso Pentecostes die, aut paucis pòst diebus tenebitur præsente, quem nominavimus, inspectore et executore pauperibus rationem reddere; indicare, quinam et quoties absentes fuerint; aut subduxerint se sacro nondum finito: deferre eos, quorum vita minùs proba aut sceleris alicujus insimulatà sit. His exclusis substituentur alii. Absentibus, nisi satis de absentia se purgaverint; et qui non fideliter integréque preces suas persolverint; subtrahetur quotidianum lucrum, apponendum sorti; ut eâ crescente numerus fruentium pauperum crescere possit. Hæc gratiosa nostra voluntas est. Iterúmque rogamus dilectum nobis Officialem, et Abbatem cœnobii nostri Abdinghoffensis, ejúsque successores; utne graventur hoc*

Christianæ caritatis onus in se suscipere : ut curent assiduè, ne quo unquam casu, hominum iniquitate aut temporum hæc ultima voluntas nostra intercidat ; aut applicatæ pauperibus juvandis pecuniæ alios in usus avertantur. Et ut hæc authoritas nostræ largitionis firma stabilisque permaneat, præsentes literas manu propriâ subscriptas, sigilli nostri impressione corroboravimus. Dabantur in arce Neuhusana ipso Pentecostes die anno 1606.*

*incidit eo anno festū Pentecostes in 14 Maji sub litera Dominicali A.

THEODORUS *Episcopus.* (L.S.)

A filio ad matris opem poscendam se confert pientissimus Princeps. Sacellum huic Virgini sacrum ad occidentem extra muros situm, ut ex ruderibus & ruina ad meliorem speciem resurgeret; nullis à Theodoro Episcopo sumptibus parcitum, meminimus anno proximo. Hoc demum, ne quid ad solennitatem, & promovendum Virginis cultum deesset; quarto Idus Septembris illud à Monasterienſi Proëpiscopo Godefrido de Mirlo ritè initiari voluit: annuo vectigali addito, quo omnia ex præscripto Romanæ Ecclesiæ ad rem divinam decentiùs peragendam necessaria comparari possent. Sacelli deinde possessionem, Patribus Societatis JESU traditam, munitis, appenso sigillo subscriptóque nomine, literis confirmat. In his ille graviter deplorat sacelli *reditus incuriâ* et malitiâ temporum suppressos atque expilatos esse.* Tristiorem certè in modum, nisi jam tristitiæ sensum inter cælites amisisset, deploraturus esset novos paucis ab obitu annis exortos hostium furores; quibus & munificentia ejus, nova præda fuit.

Consecratur sacellum Romanum. *Annales Collegii Paderb.*

Verba Celsissimi Episcopi.

Juvat nunc hujus sacelli nomen, ejúsque originem paulò altiùs repetere. Fuit olim auriga quidam* ísque civis Paderbornensis; qui in ducendo curru incautior, puerum temere obviàm venientem, actis per corpus rotis, imprudens insciénsque obtriverat. Hominem hunc rectum & simplicem, ad pœnas piaculi, quod præ tenerioris conscientiæ cruciatu commissum opinabatur, subeundas, ultro se judicibus stitisse ferunt: etiam atque etiam obtestatum ; fatalem justitiæ sententiam in se ferrent. Qui pro tribunali sedebant, mirati tam insolitum animi candorem ; postquam re expensâ casum fortuitum intelligerent, malitiæ expertem ; monitum de incogitantia, lenitérque increpitum impunem dimittunt. At ille veritus, alia sæpe in supremo illo, minima quæque perspicientis cæli foro, judicia esse: fixum habet, quidquid culpæ à se etiam imprudente & judicum oculos fugiens, contractum, voluntariis afflictationibus corporis plectere & expiare. Igitur Virgini Deiparæ peccantium communi refugio juratâ sponsione se obligat ad statuam ejus ferendam pedestri itinere Romam usque:

Viri nomen & annus prodigii, scriptorum incuriâ intercideruntur.

Origo Romani sacelli unde statua miraculosa, unde sacello nomen, Roma. *Annales Societat. Jesu.*

usque: indéque in natale solum aduſque urbem Paderbornensem reportandam. Mox ſtatuam pro tenuitate opum haud magno ſibi comparat: eâque majoris ponderis, quàm pretii ſarcinâ onuſtus ſe viæ committit. Quà quà iter facit; inter ſingultus ac ploratus lacrymis veſtigia notat. Romæ provolutus ad pedes Pontificis, ſuóque multùm illacrymatus delicto: impertiri abſolutionem ſibi, ſtatuámque ſceleris expiandi causâ aſportatam petit à ſummo in terris Chriſti Vicario ſolenni precatione luſtrari. Pontifex hominis innocentiam demiratus, eum votorum compotem, & fauſta cum prece dimittit.

Liber de ſacelli origine typo editus ao 1691 ex relatione juratt Notarii. Hiſtoria Paderb. Atlas Marianus.

Hîc ille triumphans gaudio nihil præ lætitia oneris ſentiens, citra ullam corporis defatigationem longam ac difficilem viam relegit: illámque haud multo dierum intervallo permenſus eodem, ubi contuſus puer fuerat, loco reponit: animo jam tranquillo, miſsísque è cælo conſolationibus affluens. Poſtquam piis animi motibus tantisper indulſerat, effigiem reverenter amplexatus, movere de loco ſtudet, ad pauxillum reliquæ viæ in uſque urbem Paderbornenſem conficiendum. Atecce tibi! graviſſimo jam ponderе reſiſtit homini in bracchia eam ſuſtollere conanti. Auriga id aliunde evenire exiſtimans; térque, quatérque vires ſuas experitur. Sed incaſſum conatus omnes. Statua quaſi clavis trabalibus loco affixa hæret; nullis inde viribus movenda. Rei inſolentiâ perturbatus homo deſcendere in ſe; perveſtigare, num quo novo rurſum errato ultra cum ſacro hoc theſauro progrediendi, gratiâ excidiſſet. Re interim à prætereuntibus ad urbem perlatâ magiſtratus mittit, qui lacertis, & robore valentes in tollenda effigie extremas vires periclitentur. His pariter movendo oneri imparibus portenti quid ſubeſſe: cælíque Reginam ad diſpenſandas gratias hunc ſibi locum delegiſſe, rati: inſtitutâ ſolenni ſupplicatione eminentem coloſſum aſportant; terræque defigunt. Hujus in apicem ſtatua haud difficilè elata fuit: ſerviitque hæc porrecta in altum columna publicæ ſub dio venerationi: dum pluribus pòſt annis pia quorundam liberalitas ad ſacellum, in quo magìs honorificè prodigioſa imago coleretur, exſtruendum opes, & animum adjicerent.

Hæc de Roma noſtra veteribus tabulis conſignata habemus ab Henrico *Politoris* ſcriba publico; qui *Ferdinandi Epiſcopi* juſſu decrepitos quoſdam ſeneciones juris jurandi religione ad ea edicenda adegit; quæ vel oculis, vel auribus, pro longæva ætate, à majoribus de ſacelli hujus origine accepiſſent.

narratam hiſtoriam Henricus Politoris Notarius à teſtibus de viſu & auditu acceptam retulit.

Nomen ſacello hæſiſſe vel ab urbe Romana volunt; vel à ſacelli præſide, ſacra olim in eo miniſteria obeunte. Hunc enim, quòd

Sacellum, Roma, dictum, putant aliqui, à Romana urbe, unde statua asportata, aliqui à sacellano, quòd habuerit potestatem absolvendi à peccatis Pontifici reservatis. *Auctores iidem.*

quòd peculiari Pontificis gratiâ, id temporis infrequente, paucísq; concessâ, absolvere quosvis pœnitentes posset ab iis etiam gravioribus peccatis, quorum ceteroqui absolutionem Pontifex ipse suo tribunali reservat; joci causâ Papam Romanum passim appellatum esse. Sed omnis hujus rei certa memoria planè interiit: sicut & ipsum sacelli satis amplum, & dives sacerdotium; Conrado Ekelendorff ultimo possessori anno MDXXIX ab Erico Episcopo datum; tanquam *insignis*, ùt veteres tabulæ loquuntur, *literaturæ præmium*. At postea in profanos usus aversum est. Hoc sacellum quàm opulentum olim & ornatum; tam miserum & desertum ad Theodori Episcopi tempora pervenerat: ut is piâ quadam jactatione *gloriari in Domino* potuisset; se suam ad Paderæ fontes Romam; quam ne *lateritiam* quidem, sed luteam, & ligneam invenerat, si non *marmoream*, certè solidam de lapide parabili structuram *reliquisse*.

anno 1598 magistrat° Lutheran° proscriptus à Cæsare, & rebellio suppressa. Typographia Westphaliæ Matthæi Merian.

Non eadem hoc tempore studia propagandæ religionis fervebant Aquisgrani. Erat urbs ea tumultuario aliquot abhinc annis bello implicita: jámque ab octennio* se turbis evolverat, quiete & pristinâ fruens libertate orthodoxæ Fidei redditâ. Eam evertere hoc anno occultis artibus connituntur turbulenta quædam capita; quæ in diversis tribubus intra mœnia clàm perstiterant, lenitate, an incuriâ eorum? quibus id temporis integrum erat, omnibus diversæ religionis sectatoribus urbem prorsus expurgare. Hæ sub doloso cinere glisscentes scintillæ, quò tutiùs in apertum aliquando incendium erumperent; sibi in creatione magistratûs adjungere quorundam Catholicorum benevolentiam student, publica illis munia unanimi suffragatione deferendo. Indè audaciores non nihil tentandum decernunt: erupturi copiis omnibus in loco; sed incerti adhuc, quæ machinæ primùm adhibendæ. Visum pluribus, jacienda esse primores inter & populum semina discordiæ. Nihil fore hac viâ tectius, aptiúsque ad insinuandum se in dissidentes civium animos. Itaque in clandestinis coitionibus insidiosi sermones sparsi de senatûs in plebem; de plebis in senatum malevolentia. De supprimendo jure; quod Dux Juliacensis in urbem *Advocatiæ* titulo arroganter sibi vendicatum iret. Et jam eò incensi animi; ut Joannis Guilielmi Juliæ Ducis conjugi Antoniæ Lotharingicæ multo comitatu portam Borscheidtianam subeunti, magno numero occurrerent minitabundi cives: *reflexo curru viam, unde veniisset, relegeret ocyùs: alioquin daturam pœnas, quòd ausa sit prærogativâ quadam se eximere à communi lege, quâ nemini liceat, nisi obtentâ priùs à senatu facultate, urbem Aquásque ingredi.* His comminationibus insuper habitis, cùm satellitum nobiliúmque, quæ Principem assectabatur, turba admissis equis civium cuneum perrumperet;

Diffidium inter Aquisgranenses & Ducem Juliæ. Molimina hæreticorũ ibidem. *Teschenm. p. 2. f. 343. Petrus Beeck de origine & incremento civitatis Aquisgran.*

peret; acerrimè in progredientes depugnatum. Ferro, bombardis, fustibus lapidibúsque obluctati cives tam graves iras exercuêre, ut ipsa Princeps multitudinis furori contortâ rhedâ cedens, vitæ periculum ægre evaserit. Urebat vehementer Joannem Guilielmum Ducem injuria conjugi illata; & illata ab urbe, quam sibi obnoxiam haberet. Nec dubitavit ultionem opprobrii ab armis reposcere. Scribitur in vindictam miles. Viæ circùm undique in civium peregre abeuntium direptionem obsessæ omnes. Urbs ipsa intercluso commeatu, omnibúsque molendinis ex aquarum obstructione languentibus, ad rei cibariæ inopiam redacta: hæreticis clàm in sinu eo magìs gaudentibus; quo plùs spei ex tempore tam turbido affulgebat telæ, quam ex insidiis exorsæ erant, pertexendæ. Hujus bellici tumultûs exitum annus proximum insequens narrabit.

Aquisgranenses Joanni Wilhelmo Duci Juliæ, Cliviæ &c. insultant. *Auctores iidem. supra adducti.*

Præter has turbas gravioribus aliis per omnem vitam obrutus sæpe fuerat idem Joannes Guilielmus Dux Juliæ; jámque tædiis, senio, & morbis fatiscens vergere ad finem vitæ, etiamnum improlis, videbatur. Inde omnium tam patriæ, quàm pervetustæ familiæ bene cupientium eò vehementior sollicitudo; quò metus gravior, ne hærede masculo vacuæ ditiones competitoribus fierent altercationis bellíque irritamentum. Igitur arcendo huic impendenti malo indicta Essendiæ Procerum comitia; in quibus unâ omnium consensione sancitum: si Superis fortasse visum, hærede provincias destituere; earum partitionem conjunctis viribus & armis impugnare: nullum populum, urbem nullam seorsum ulli auxiliaturum candidato; qui soluto ditionum vinculo divellere aliquid, aut partem sibi præripere machinaretur. A consiliariis Ducis Juliacensis deinde propositum cætui congregatorum fuit: magnum in eo boni publici, & pacis servandæ momentum fore; si ad omnes, qui quovis nomine sibi juris aliquid in has ditiones assertum cuperent; mitteretur, qui ex voluntate Cæsaris denunciaret; ab obitu Ducis sinè prole decedentis controversiam, si qua inter competitores oriretur, æquissimorum judicum arbitratu decernendam. Ante horum decisionem nihil tentandum in provinciis. Hìc vehemens sententiarum conflictus, aliis aliò inclinantibus. Ratam demum habuêre legationem Ordines; modò ipsos inter & Ducis consiliarios divisum foret in interregno regimen: nec ii soli, qui à consiliis Duci essent, rei summam tenerent. Id verò cùm præfractè nollent omnes; quos Cæsar & Guilielmus Dux publicæ rei moderatores præfecerat: altercationibus consumpti comitiales dies sinè ulla difficultatibus data luce occiderunt.

Comitia Procerum Juliæ Cliviæ &c. de inveniendis mediis, quibus consulatur patriæ si fortassis Dux sinè prole moreretur. Comitiorũ exitus. Cur irrita fuerint. *Hist. ms. Teschenm. ad hunc annum.*

Expun-

Moritur Arnoldus Comes Bentheimii, Tecklenburgi Steinfurti, Limburgi ad tanam primũ lutheranus pòst Calvinista, gymnasii Steinfordiensis conditor. *Stangefol* Imhoff de notitia Procerum. mſ. vetus, *parte 1. hiſt. Eccl. pag. 784. *Hamelm. ibid. pag. 785. *Hamelm. hoc obſcurè innuit part 1. hiſt. Eccl. pag. 788.*

Expunctus hoc anno Arnoldus Comes Bentheimii & Tecklenburgi &c. è numero vivorum, non item è Calviniſtarum faſtis. In his immortali nomine & multis in cælum laudibus effertur, quòd ex Weſtphalorum dynaſtis omnibus ipſe primus Calvini dogmata invexerit in Weſtphaliam. Meliorem ipſi laudem Hamelmannus* ſcriptor Lutheranus his verbis tribuit: *Vir erat naturâ pius, et ex ſancto zelo Pontificiæ Religioni deditus.* At depravatus poſtea per concionatorem aulicum Joannem *Loënum** mendaciis ejus & technis, quibus inſperſum dictionibus ſuis venenum tegere primùm, & neſcientibus propinare ſcivit. Infecti ſtatim in aula quàm plurimi: Arnoldo Comite adhuc novitatis virus reſpuente. Quare Loënus more ſerpentis, qui antè Evam, quàm virum in paradiſo dolosè aggreſſus eſt, ad conjugem Magdalenam (Hamelmannus Walburgem vocat) fallacibus eſcis decipiendam ſe vertit. Eâ brevi ineſcatâ protinus & Arnoldum Comitem pronum habuit ad *comedendum de fructibus* Lutheri. Verùm paulò pòſt *aperti ſunt oculi* Comitis: vidénsque Lutheri vanitatem auribus illam & animis averſatur. At heu dolor! parùm profuit aperuiſſe oculos. Proſcripto enim Luthero ſecutus Calvinum* itidem cœcum ducem incidit in profundiorem foveam, in novos errores, gymnaſio ad eos latiùs diſſeminandos Steinfurti, haud procul à Weſtphalorum Metropoli, ſub annum ſuperioris ſeculi nonageſimum erecto; ídq; ad perniciem confiniumin urbe Monaſterienſi ſcholarum: ibi enim, cùm magna diſcipulorum celebritas eſſet; incauta juventus doctrinæ mollioris oſtentatione faciliùs Steinfurtum pellicienda, ſperabatur. Et jam hæreditarias ditiones omnes rejecto Luthero ad Calvini partes coëgerat, imaginibus è templis, ceteríſque omnibus locis Calvinianorum more abolitis, profanatísque. Reſtabat in oppido **Lengerke** divæ Margaritæ Virginis & Martyris inciſa ſaxo effigies: cui tanquam tutelari Patronæ olim multi honores habiti. Comes ſaxeam molem jubet tanquam inutile pondus ex altari in terram proturbari. Tergiverſantibus oppidanis ipſus Comes ſtatuæ ſacrilegas manus affert; déque altari revulſam afferri per ſatellites curat, in commune pagi lavacrum demergendam. Senſit illico ultores ſuperos. Manus ùt applicitæ fuerant iſti ſtatuæ; obſtupeſcentibus contractæ nervis, detortæque facti pœnam uſque circumtulerunt, dum tertio Idus Januarii ſub anni hujus initium finis calamitati morte daretur. Ab exceſſu patris* paternarum poſſeſſionum facta partitio inter filios. Ex his Fridericum* Ludolphum eâdem pravitate corporis laborâſſe, confirmatum habetur teſtimonio viri nobilis fide digniſſimi; cui vetere junctus amicitiâ Ludolphus non rarò queſtus fuerat; ſuarum, quibus captus

Arnoldi Comitis Bentheimienſis &c. in ſacras imagines injurioſi pœna. *Vetus mſ. Joannis Turckii.*

**Imhoff de not. Procer. l. 9. c. 1. *alii Fridericum Ludovicum vocant.*

tus esset, manuum triste vitium in se à patre transfusum.

Nihil de hac cælesti vindicta meminit Hamelmannus: at tantò verbosior in narrandis figmentis aliis. *Idolon*, dicit, *Margaretæ sacrum in pago* **Lengerick** *fuisse. Deprehensúmque dolum sacrificorum, quasi coram vulgo statua sudorem emitteret, artificio quodam tale quid ad decipiendum vulgus adornantium. Neque ad hoc idolon aliter, quàm ad oraculum Delphicum concurrisse populum.* Tandem ereptum ex oculis hominum; prostratúmque non ab Arnoldo, sed Conrado Comite Tecklenburgico & Lingensi. Inde triumphum plausu ingenti celebrat: advocátque in auxilium poëtam Joannem *Pollium*, qui heroi tam egregio Epinicium canat. Vulgares * & proletarii versus sunt: nihil poëtici nitoris habent; nec quidquam virium ad obliterandam memoriam tam tristis rei, quæ illustrissimam Comitum Benthemicorum familiam, pessimorum hominum consiliis ad pejora inductam, afflixit. Fortunatiores olim; atque à Divorum cultu celebres primi harum regionum Comites: intérque eos cum primis Sophia Ottonis *(qui misso Tubantino nomine primus se Comitem Bentheimii scripsit) soror à Sanctorum veneratione memorabilis; atque à votivo itinere tertiùm Hierosolymas instituto his * versibus posteritati commendata:

Hamelm. pag. 849.

**vide illos loco citato.*

It procùl ad Solymas mulier, trans Ilion uxor;
Imbellémque Asiæ suspicit ora nurum.
Excidimus jam laude viri: si femina Christi
Ter bustum quærit, quæ manet umbra viros?

**Bentheimienses olim dicti Tubantes.*

**vide Hackenbergiũ de origine Germanor. & Suedorũ Imhoff de notit. Procer. l 9. c. 1.*

Eodem hoc anno justus Lipsius morte extinctus est celebre hujus, & superioris seculi literatorum lumen. Is olim apud Ubios* in gymnasio Patrum Societatis JESU scientiarum alumnus, jam tum semina jecit frugis pòst enatæ, cujus ubertatem * complures multis passim laudibus exornârunt. Secùs quàm recentior quidam *laudum ejus obtrectator: qui libello nuper in lucem dato Lipsium invidiosè criminatur, tanquam Proteum, varias indutum figuras, omnium horarum, & religionum hominem: aliàs Jenæ in Thuringia Lutheri, Calvini aliàs in Hollandia Lugduni Batavorum personatum se asseclam tulisse. Pluribus insuper superstitionibus, simulationúmque involucris tectum toti illusisse mundo. An turpior viro tam gravi, & innocenti macula aspergi ulla potest? sed quæ à vento facilè difflabitur, decidétque, quando in nulla prorsus à scriptore adducta probatione innititur. Equidem nemo inficias iverit, Justum Lipsium reprehensione temeritatis non carere, quòd ab Hollandis ob eruditionis famam accersitus, publicè docendi munus Lugduni Batavorum non sinè gravi Catholicorum offensione susceperit. At inde continuò arguere, quis ausit? incidisse ipsum in

**missus Coloniam anno 1563.*

**Chapeauville in vita justi Lipsii à Miræo edita.*

**Christianus Jöcher* historiarũ Lipsiæ Professor edidit librum 1733.*

Moritur hoc aõ justº Lipsius. Defenditur vita ejus contra calumniatorẽ

deliria Calvini; aut ficto ea animo popularis auræ gratiâ propugnâsse. Quanquam naufragii periculum non leve fuerit. At eo per Delrii viri sapientissimi, quocum vetus ipsi necessitudo erat, consilia tempestivè discusso, ad tutiorem portum in patriam *relictâ apud Hollandos uxore & familiâ se recepit. Exinde reliquum vitæ in Christianæ pietatis cultu & otio erudito positum. Quàm sanctè ritu Catholico ad mortem compositus decesserit; abunde narratum ab aliis. Juvat *ultima morientis verba repetere: oculis manibúsque in cælum sublatis: *O Mater Dei*, inquit, *adsis famulo tuo cum tota æternitate decertanti: Nec me deseras in hac hora, à quapendet æterna animæ meæ salus.*

*ex literis à Lipsio Moguntiæ datis 14. Aprilis anno 1591.

*obiit Lovanii die 23 Martii.

Ad tanta hoc anno homini ab homine illata mala, accessit alia ab irato cælo immissa calamitas. Sexto Kalendas Aprilis feriâ secundâ Christo resurgenti sacrâ sub meridiem tanta ventorum vis repentino motu exorta est, quâ post hominum memoriam violentior extitisse vix ulla memoratur; fastigiorum domuum, turriúmq; dejectu, evulsarum sinè numero arborum strage per omnem Europam pernicioſa: quin & funestissima fuit interitu plurimorum hominum, quos de via sublatos, ínque gyrum ludibrii instar circumactos per aërem sepositis in locis terræ allisit. Multa insuper narrant integra oppida, pagósque in Ducatu Clivensi suis dimota sedibus corruisse, obtritis hominibus & jumentis. Exinde continuis per æstatem pluviis ac inundationibus & vineæ & agri corrupti, tenues fructus tam vindemiæ, quàm messi immaturos dedêre; spicis & uvis nimio frigore perustis, emortuísque. Terrorem ex hac cæli inclementia incussum non parùm auxit sexto Nonas Octobris horâ primâ pomeridianâ Solis tanta defectio, ut plerisque in locis die in noctem verso mercenariæ operæ, ex agris in domos profugæ, turbatas naturæ leges inclamarent; ipsis etiam pascentium pecorum gregibus præ horrore obstupefactis.

Inaudita tempestas ferè totam Europam affligit. *Chytræus fol. 115. Hist. mſ. Stangefoli°*

Alio jam antè metu decimâ sextâ Februarii perculsa hæc urbs Paderbornensis fuerat. In aëre visa nubes variis primùm coloribus distincta: mox atrato luridóque; demum colore igneo, multísque dejectis in terram flammulis horrifica. Non una inde divinationum materies. Qui ex colorum varietate variam, disparémq; rursum intrà mœnia aliquando fore religionem; ex eaque fatum aliquod reipublicæ ominabantur, graves concivêre motus in complurium animis, tam futurorum, quàm præsentium malorum formidine suspensis. Princeps tamen, ne quid sibi, tanquam hostile aliquid adhuc molienti, diffiderent cives; militari eos onere immunes deinceps voluit: atque urbis custodiâ civibus concreditâ Principis miles ab excubiis aliò migrare jussus. Neque consules, quos susspi-

Paderbornenses terrentur mirâ nube per aërem apparente. *in contin. Cosmod. Gobelini.*

Episcopus Theodorus leniùs procedit cum suspectis de hæresi. *Hist. mſ.*

suspicio erat hæresin ore tenus abjurâsse tantùm, animo reconditam fovere; Princeps loco aut officio movendos censuit; ne Religionis fervore vicinorum in se Principum animos incenderet; intráque urbem gliscenti adhuc igni affunderet oleum.

Annus Christi 1607.

PAULI V. Pontificis 2. & 3.
RUDOLPHI II. Imperator. 31. & 32.
THEODORI Episc Paderb. 22. & 23.

HOc anno Archiduci Alberto inducias pacémque petendi necessitas imposita, tum à seditione ac tumultu militum; quos parca rursus stipendiorum solutio ad prædas, & in furorem verterat; tum à Batavis terrâ, maríque grassantibus; eóque navalium expeditionum felicitate jam progressis, ut Hispanicam classem in ipsis freti Gaditani faucibus hoc anno adorti profligaverint. Missi in Hollandiam, qui de Alberti mente ad Ordines referrent; suâ dexteritate & solertiâ inflexêre fœderatorum animos ab armis ad inducias; atque ab his ad pacis tractationem: cujus initium, ne quâ hostili offensione impediretur, armorum cessatio *pari utrimque consensu in menses octo sancita. Albertus ut Mauritium beneficio aliquo delinitum, sibíq; conjunctiorem haberet; ultro illi Cracaviam comitatûs Meursensis arcem cedit, eidémque toti extra Belgii limites in fundo imperii sitæ ditioni ab hostium incursu & injuriis securitatem pollicetur. At tantò postea acerbior Albertus in seditiosos milites. Ut turbidum tot hucusque malorum fontem obstrueret; omnes seditionis unquam in castris concitatæ authores; ejúsque flagitii quovis modo rei publico edicto, omni sublatâ cunctatione, *in exilium pelluntur: pœnâ capitis constitutâ in eos, qui ampliùs viginti quatuor horas in ditionibus Belgicis hærere ausi essent. Hoc *ense* illud *immedicabile vulnus rescindendum* erat.

Albertus Archidux inducias paciscitur cum Hollandis. *Spond. in contin Baron. f. 949. Stangefol. Haræus Galluc. & alii.*

**menſe Aprili Spondan.*

Pœna seditiosorum militum in castris Alberti. *Galluc. ad hunc annũ. fol. 411. Haræus.*

Quas modò memoravimus belli ferias; bis mille Batavi equites viginti in turmas distributi prædatoriâ in Westphaliam excursione mense Februario præverterant, tam latè per omnem Ducatum, quàm impune prædis, cædibus, incendiis grassando: ut gentem, crederes, ab omni humanitate relictam ex ultimo barbari orbis spoliario prorupisse. Sacra, profana, publica, privata, sursum deorsum versa. Villicorum præsertim & religiosorum ruri indefensis domibus ingens illata vastitas. Populata afflictáque omnia. Demum oppido, cui **Balve** nomen in tractu Angariæ penitùs in

*24 Decembris.

Hollandi Weſtphaliam & Diœceſin Paderbornenſem crudeliter devaſtant. *Stangefol. in ſummario circuli Weſtph. n. 1. & 2. Kleinſorgi.*

cineres redacto; direptóque Ohlinghuſano cœnobio, prædæ jam aliàs deguſtatæ dulcedine laceſſiti ad expilandam Diœceſin Paderbornenſem feruntur: ubi maxima rurſum vis prædantium in miſeros agricolas; atque ex his præ ceteris in Delbrugenſes incubuit. Præter abacta jumenta alia coacti ſunt equos magno numero abreptos caro redimere: duobus præterea imperialium millibus ad ſaturandam eorum rapacitatem oblatis. At hoc exiguum nimis prædatoribus viſum, & illiberale munus. Afferentibus illud pro honorario redditum tergus bene depexum; cum hac inter acerrimos ictus exprobratione: *ſordidam eſſe gentem et ſtupidam; quæ gratiori animo reponere in beneficii loco neſciat, ſecum tam benignè actum eſſe.* Hæc lenitas latrocinantium eſt: videri miſericordes volunt, quando ablatis omnibus peram inanem, & vitam viatori condonant. Neque animus erat Delbrugenſibus, genti aliàs pugnaciſſimæ veterem Bructerorum * fortitudinem hîc rurſum periclitari: quippe territi adhuc infelici nuper cum Hiſpanis congreſſu; à quibus inflictæ illis plagæ * nondum coaluerant.

Delbrugenſes ex Bructeris orti. vide mon. Pad. pag 58. 59.

**vide annum 1604.*

Theodorus Ep. arcem Wewelsburgenſem anno 1604 à fundamentis inchoatam hoc anno abſolvit. *Monum. Paderb. fol. 230.*

Theodorus interim Epiſcopus ac Princeps noſter; poſtquam anno prioris ſeculi octogeſimo nono ad Diœceſis ſuæ fines profe-rendos, ſummâ ter mille quingentorum ſex & triginta aureorum Rhenanorum Dynaſtis Bürenſibus numeratâ, Wewelsburgum Eccleſiæ Paderbornenſis patrimonio recuperâſſet; hoc itidem anno arcem Wewelsburgenſem, cujus fundamenta triennio abhinc jecerat, ſex & triginta millium nummorum imperialium ſumptu (vecturas, operásque, jure * angariarum præſtitas in rationes impenſarum non referimus) ad faſtigium perduxit, artificiosâ triangulum exhibente formâ, & tam magnificâ, ut teſte quodam de gente Suecorum non ignobili viro; cujus ex ore id audiviſſe ſe Schatenius notatum reliquit, univerſum Sueciæ Regnum nullam illi parem; nedum auguſtiore ſpecie arcem id temporis habuerit. Exciſa quidem poſtea, & per Gothos * abſumpta flammis arx illa fuit; aliqua tamen tam ſumptuoſæ & elegantis aulæ utcunque imperfecta adumbratio in his verſibus extat:

Zwang-Dienſte.

**aõ 1646.*

Deſcriptio arcis Wewelsburgenſis. *Monum. Paderb. Horrion in panegyr. Paderb.*

--Wewelsburgi ſolido domus ardua ſaxo
Nubila ſublimi culmine ſaxa ferit.
Hæc olim à priſcis (famæ ſi credimus) Hunnis
*Poſt varios dominum * Te ſibi legit heros.*
Nunc te digna domus: ſed erant mapalia nuper;
Pœne ruinoſo ſemiſepulta ſitu.
Circùm Chaoniæ texunt umbracula quercus;
Sylváque vicinas occulit alta feras.
Quásque ſub hoſpitiis cetat frondentibus arbos;
Plurima laſcivo gutture vernat avis.

**alloquitur poëta Theodor. Ep.*

Aliud

Aliud hoc anno Ludovicus Darmstadii Princeps musarum non incelebre domicilium tradendis omnibus scientiarum artibus constituit Giessæ in præcipua ejus ditionis urbe. Atque ut labem Luthero ex vicinis Cassellanis ditionibus per Mauritium Hassiæ Landgravium ejecto aspersam nonnihil elueret; neminem in hac Academia voluit Doctorum subsellia, aut docendi munus adire; nisi qui in Lutheri institutionibus diligenter versatus, ejus doctrinam cum juris prudentia sociâsset. Post impetrata à Rudolpho Cæsare privilegia solenni eorum promulgationi octava dies Octobris dicta: literatis circùm viris, Principis invitatu, ad hanc solennitatem affluentibus. Invitationis programma Chytræus prolixè adducit.

Ludovicus Darmstadii Princeps author Academiæ Giessæ. *Chytræus fol. 125. Stangefol. fol 94.*

Rudolphus Imperator comitia celebrat Ratisbonæ sed inutilia, nil subsidii contra Turcas obtinet. *Helvic. in theat. hist. univers. l 5 pag. 126*

Gravioribus per id tempus curis distinebatur Rudolphus Imperator. Is certior factus Turcicos rursum in bellum apparatus fieri; veterésque rebellium Hungarorum turbas recrudescere: ad copias auxiliares ab imperii Ordinibus poscendas Ratisbonam comitia exeunte anno indicit, à Præside Ferdinando Archiduce vicariâ potestate gubernanda; ipso Rudolpho Cæsare jam per devexam ætatem publicis negotiis non satis idoneo. Ejus vero absentiâ audaciores Calvinistæ, postulationibus obfirmato animo refragantur: comitiisq; proximum in annum inaniter altercando extractis præfractè contendunt; se priùs ne unum quidem militum manipulum daturos; quàm Imperatoris animum in *postulata sua facilem ac benignum haberent: atque in primis æquum & placabilem Donawerdæ civitati: utpote cui pœna turbatæ pacis Religiosæ nullo merito * irrogata esset. Adeò debile in ea perversitate temporum erat Cæsaris imperium, & quasi precaria authoritas. Læti hac pervicaciâ Duces & *capita factionis Calvinisticæ & tanquam nacti occasionem commodam pariendi aliquando, quod jam diu parturiverant; paulò pòst Aschusium conveniunt, ad nihil minùs, quàm ad Cæsaris, Germaniæq; salutem intenti. Omnes ibi ab aliis negotiis curas avocant ad excudendam famosam illam *unionem*, quæ in assiduis occultísque coïtionibus, Procerum nuptiis, natalibus aliísque conventiculis, multo labore fabricari cœpta.

*Helvicus ea narrat ad an. 1608 *Palat. in Aq. Aust. narrat fusè pœnas & tumultus urbis Donawerdæ *Friderici IV Elector Palatinus Christian. Princeps Anhaltin., Joachimus Ernestus Brandeb. Marchio Onoldinus sive Anspacensis.

Libet rem paucis repetere. In comitiis Augustæ Vindelicorum celebratis, lapso *seculo in illa Religionum rerúmque omnium confusione; cùm post longas acrésque disceptationes, Imperii Ordines ægrè admodum reduci tranquillitatem publicam posse, nisi duarum Religionum permissu, viderent; comitiali sanctione data omnibus libera optio, utram amplecti Religionem mallent, Catholicam an *Augustanæ Confessionis*: ceteris extra has duas cum Cal-

*ao 1555. & 1566. Duæ tantum religiones in Imperio Romano permittuntur.

Calviniſmo damnatis, proſcriptísque ex Imperio omnibus. Hæc ſententia *mollioribus* quibuſdam Lutheranis æquo durior viſa: ideóq; nunc Ratisbonæ in comitiis Calviniſtarum vices miſerati, huic decreto interceſsêre; verbis ad commiſerationem compoſitis perorando: *infirmiores fratres* (ità nominabant fortiſſimos ſuæ & Catholicorum Religionis hoſtes) *non adeò duriter habendos: dandum aliquid eorum infirmitati; nonnihil libertatis et domicilii intra Imperii terminos permittendum.* Ex ea igitur blanda fratrum indulgentia id mali natum, ut pauci antè & inquilini duntaxat Calviniſtæ; poſtea augeſcente gregalium multitudine, ad ſedem ſibi propriam in Imperio ſtabiliendam, ínque hoſpitum ſuorum perniciem erumperent; ſacerdotum, monaſteriorum, & Epiſcopalium Eccleſiarum patrimonia, facultates, bona omnia, aras ipſas per ſummam fruſtra dehortantis Cæſarei tribunalis contemptionem evaſtando, diripiendóque. Haud alia herinaceo ſive echino indoles ſpinis hirto animali. Dum admitti alienum in cubile petit; ſpinas occulit, blanditur; intromiſſus ſua ſe in arma colligit: ſpinas exerit longiùs, hoſpitémque aculeis configendo faceſſere de cubili cogit.

Initia unionis Calvinianæ in comitiis Ratisbonenſibus. *Acta horum comitiorum manu ſcripta.*

Corroboratâ hunc in modum ſeditiosâ factione, ſuum cuique munus deſcriptum. Æraria, armamentaria impleta: comparata annona militaris. Deſignati copiarum duces Princeps Anſpacenſis & Anhaltinus; idem ille, qui ſub Galliæ, Hollandiæque ſignis merens, ad Calvini caſtra transfugerat. Quo etiam ſuaſore præter Mauritium Haſſum, Fridericum Ducem Wittenbergicum, Godefridum Comitem Oettingenſem; prætérque ceteras minores urbes, inſuper in hujus fœderis ſocietatem pellectæ ſunt urbes aliæ Ulma, Argentoratum, Norimberga: omnes exemplo ſeveritatis ab Imperatore in Donawerdam edito conterritæ, perſuaſæque, ut graviora ſæpius auſæ in Cæſaris iras ſeſe hoc inito fœdere præmunirent. Mira exinde fuit horum fœderatorum ad replendum ærarium liberalitas an effuſio? quàm reſtrictæ & parcæ manus in contribuendo ad tutandum contra Turcas Romanum Imperium; tam exporrectæ jam & liberales, ubi largiendum aliquid ad prodendum illud, perdendúmque. Quindecim enim millia & nongentos ſeptuaginta quatuor florenos germanicos ab univerſo fœdere ſingulis menſibus ærario inferendos, decernunt. Ingens certè vis pecuniæ, & maxima videbitur reputanti paucitatem eorum, qui ſoli ad eam ſummam quovis menſe repræſentandam ſe obligârant. Fœda inde ſi quæ alia ad eum diem, labes Romano Imperio tam turpiter in ſe diviſo hæſit.

Augetur unio Calviniſtica acceſſione Ducum & Comitum multarúmque urbium, quæ ſibi à Cæſare metuunt. *Palatius in Aq. Auſt. l. 47. p. 112 Helvicus theat. hiſt. univ. l. 5. pag. 126. mſ. Turckii*

Longè felicior hic annus Venetis ex lenitate Pauli V. Pontificis maximi. Is ſublato nunc, quo ſuperiore anno Venetos ob violatam

latam* immunitatem perculerat anathemate; Rem publicam communioni fidelium restituit: Legatis Galliæ ac Hispaniæ ortas simultates componentibus, ne res ad arma & bellum vergeret. Ferunt contumaciam Venetorum in Pontificem longiùs processisse ex impulsione Jacobi primi* Anglorum Regis; illud solùm tectè sollicitéque agentis, ut sectam in Anglia ex Pontificii solii ruinis surgentem altiùs eveheret per calcatam à Venetis quoque Pontificis authoritatem. Cui & graviùs labefactandæ jam anno proximo quandam juris jurandi formulam, velut novum bellicum arietem admoverat. *Juramentum fidelitatis*, appellabant Angli, *et tesseram fidei ad internoscendos Papistas*. Horum singuli in certa jurare verba jussi; quibus omnem summo Pontifici potestatem Rex abrogatum ibat. Indignatus Pontifex alteris hoc anno literis docet Catholicos, vinculum iniquitatis ac perfidiæ hoc sacramentum esse; ejúsq; quantumvis atrocibus tormentis extortam susceptámque obligationem cum sempiterno exitio conjunctam: illis omnibus graviter interminatus, qui à Sedis Apostolicæ judicio alienâ interpretatione effugium circumspicerent, diceréntque; Regem merè civilem obedientiam & cuilibet Principi debitam reposcere à Catholicis.

Memorabilis etiam hic annus ex hyeme contra exsuccam tristémque aliàs naturam læta admodum & fœcunda. Februario enim mense non modò in pratis jam virentibus matura videre erat pastioni gramina; sed & in hortis plantas arborésque frondibus & floribus convestitas. Et quod magis mirêre, vidisse se, horum temporum æqualis* scriptor meminit, Padibornæ sub ferias nascenti Domino sacras stipitem brassicæ jam floridum & desinentem in semen. At breve hortorum gaudium. Vicesimo octavo Februarii subitò ingruens tempestas vi ventorum, ac grandine imbri mistâ; ictúque fulminum præcoces fructus enecuit, absumpsítque. Secuta dein ex inverso temporum ordine gravis cæli aspiratio luem pestiferam in æstate afflavit; quæ hac in urbe Paderbornensi multos depasta; plures Coloniæ centum prope & quadraginta quot diebus; multa verò paucos intrà menses hominum millia extinxit.

*Canonicũ Vincentinũ & Nervesæ Abbatem pertraxerant ad judicium senatûs Item Canonicũ in carcerem conjecerant. Juvenc. l. 20. part. 5. pag. 90.

Veneti reconciliantur Pontifici. Chytræus Juvenc. & alii.

*Rex Scotiæ ejus nominis VI. Novum fidelitatis juramentum à Jacobo Angliæ Rege obtrusũ Catholicis, improbatur Romæ & severè prohibetur. Spond. ad hunc annũ.

Hyems lenis, inde secuta pestis & alia damna. Kleinsorg. in contin. Cosmodr. Gobelini.

*Klockner in appendice ad Cosmod. Gobelini.

Annus Christi 1608.

PAULI V. Pontificis.	3. & 4.
RUDOLPHI II. Imperat.	32. & 33.
THEODORI Episc. Paderb.	23. & 24.

IN cumulum malorum, quibus diu pressus Imperator, hoc anno accessit reliquis omnibus atrocior calamitas. Archidux Matthias, in Hungaria non ità pridem in salute Rudolphi Cæsaris & Imperii contra Turcas

Turcas propugnanda acer & diligens; nunc subito à Rudolpho fratre alienior coactis *Posonii comitiis in ejusdem exitium, tragœdiam commutatâ consiliorum scenâ adornat: atque ut rebelles Hungaros Austriacósque, ad arma in fratrem sumenda alacriores habeat; peramplam Religionis, cujuscunque arbitratu eligendæ, potestatem facit: cum valido dein exercitu viginti millium armatorum hominum inter acerrima hiemis frigora, ipse regnandi cupiditate & irâ æstuans, in Moraviam irrumpit: eâ subactâ Bohemiam adulto Vere pari armorum terrore obruit; positísque haud procul Pragâ castris, mittit in urbem, qui Rudolphi Imperatoris, Ordinúmque in ea, quæ Posonii cum Hungaris ex æquo bonóque conventa essent, assensum postulet: velle Matthiam firma haberi ratáque omnia; stabiliri pacem Turcicam & Hungaricam: atque datâ protinus cautione de hæreditariis aliis ditionibus, jam nunc cum Austriæ Archiducatu sibi Bohemiæ, Hungariæque coronas deposcere: ipso Rudolpho fratre ad privatæ vitæ tenebras in comitatum Tyrolensem secedere jusso.

*Presburg.

Bellum & dissidium inter Imperatorem Rudolphũ & Matthiam fratrem Archiducẽ. *Palatius in Aq Aust. Chytræus, Helvicus.*

Hîc macti animis, ùt nunquam antè, hæretici. Gaudere tristem & sinistram vicem Cæsaris: Calviniani cum primis in Germania convolare rursum ad perficiendam, quam affectam reliquerant, *unionem.* Plura Hussitæ ausi in Bohemia, non obscurè jactitantes; fortunas omnes vitámque ipsam pro servanda prosperitate Cæsaris sibi venales esse, sed non alio emendas pretio, quàm datâ approbatione quorundam* articulorum, quos in favorem sectæ suæ consignatos Cæsari exhibebant. Ità partitis in diversa consiliis hæretici Rudolpho alii; alii Matthiæ favere visi; re ipsâ neutrarum partium omnes: magísque clàm accendendo fratrum dissidia eò solùm tendere, ut, in quem inclinaret fortuna, factioni suæ adjungerent: ejúsque exitio ad sua commoda uterentur. Imperator Rudolphus, cùm ad promissa aliqua, quæ dura temporis necessitas imperabat, Bohemos aliquantò placatiores haberet; justum ex tempore exercitum contrahit: jámque in occursum adventantis Matthiæ explicata acies sese ostentabat, quando pro suo in Austriacam Domum studio opportunè intervenientes arbitri, reductâ inter fratres concordiâ, structas acies solvunt. Pacis hujus conciliatores fuêre in primis Paulus V. Pontifex, Philippus III. Rex Hispaniarum, Christianus Saxoniæ & Fridericus Elector Brandenburgicus. His arbitris in has leges conventum: *cederet Rudolphus Matthiæ Hungariam, Austriam, Moraviam: datâ insuper fide, Bohemiam his ditionibus ab obitu fratris adjunctum iri.*

Gaudium hæreticorũ de orta Imperatorem inter & fratrem Matthiam discordia. **recenset eos articulos Helvic° ad an. 1608*

Reconciliantur fratres Imperator Rudolphus & Archidux Matthias, *Helvic. in theat. hist. univers. l 5 pag 128 Palatius in Aq Aust.*

Gravis item hoc anno plaga inflicta Luthero in Diœcesi Paderbornensi ex odio in ipsum & alienatione animi Simonis Comitis Lip-

pienſis. Is cùm plures annos Lutherum in ditionum ſuarum gremio foviſſet; nunc Mauritii Haſſiæ Landgravii exemplo novas hominis opiniones deteſtatus, alia Calvini commenta ſibi veriora finxit. Atque ut eadem faciliùs, quàm veriùs propugnata ſubjectorum animis ingeneret; rudiores primùm è pagis ſuis Lutherani verbi præcones ad ſynodum in arcem ſuam* convocat, jubétque cum adverſario*, quem Lipſiâ acciverat Calvinianæ doctrinæ peritiſſimum, de rebus fidei in certamen deſcendere. At nihil expeditiùs, quàm leviores ejuſmodi arundines, mobiles omni vento, quamlibet in partem traxiſſe: paucis contrà obnitentibus officio & patriâ interdictum. Ignari hujus mutationis Lutherani Paderbornenſes, cùm occluſa illis eſſet, ac reddita Catholicis Forenſis Eccleſia, in Lippienſe territorium ad pagum *Schlange* concedunt, ex ritu Lutheranorum cœnam ſumpturi. At viſâ novitate rei ità indignati omnes, ut, aliis aliò abeuntibus, non pauci etiam ad menſam Euchariſticam, antiquo & immutabili majorum more frequentandam rediêrint. Hic idem Simon Comes Lippienſis eſt, qui ſylvarum ac prædiorum, quæ Crucigeri monachi è monaſterio Falckenhagenſi olim profugi* reliquerant, parte aliquâ, neſcio cujus rei obtentu, ſibi vendicatâ non contentus; alteram quoque hoc anno partem, à Patribus Societatis Jesu Pontificis largitione impetratam invaſit; omnes glandemiæ fructus multásque cæſas arbores ſibi præripiens. Implorata adversùs vim uſurpatam Curia Romana non modò gravatè tulit indignitatem rei; ſed & Pontifex latâ è tribunali ſuo ſententiâ utramque bonorum partem (utpote Religioſorum bona nulli profanæ jurisdictioni ſubjecta, nec in ſciente ſummo Pontifice ab ullo occupanda) tanquam ſupremus bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſator Patribus Societatis JESU addicit. Ex literis Pontificiæ donationis, cùm prolixæ nimiùm ſint, gratius lectori fuerit principium & finem adjeciſſe.

Simon Comes Lippienſis Calviniſmum amplectitur. *in contin. Coſmodr. Gobelini.* *Bruck dictam. *Henricus Dreckmeyrus dictus.

*vide de vita horũ monachorum annũ 1596.

Bona & prædia omnia deſerti monaſterii Falckenhagenſis à Pontifice dantur Patribus Societ. Jesu *ex literis Romanis.*

Literæ Apoſtolicæ Pauli V. Pont.

Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio Officiali Paderbornenſi ſalutem et Apoſtolicam Benedictionem. Sedis Apoſtolicæ providentia circumſpecta circa collegiorum et aliorum piorum locorum, præſertim iis in regionibus conſtructorum, in quibus major ineſſe dignoſcitur ſapientum et religioſorum virorum neceſſitas, qui rudem populum eorum exemplari vitâ et doctrinâ erudiant: ac pravas hæreticorum opiniones ad divini Nominis laudem et Catholicæ Fidei propagationem totis viribus refellere ſtudeant, ſtatum intendens, quæ pro neceſſitatum ſuarum ac onerum illis incumbentium ſublevamine opportuna remedia fore noſcantur, libenter adhibet; ac deſuper parochialis officii ſui partes et favorabiliter per ſuppreſſionis beneficiorum Eccleſiaſticorum, miniſterium interponit; pro ût rerum locorum et temporum circumſtantiis debitè penſatis id in Domino con-

conſpectum eſt ſalubriter expedire. etc. etc. Nos igitur --- ſupplicationibus inclinati per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in dicto monaſterio nomina et titulos monaſterii, Abbatis, et dignitatis Abbatialis; atque omnia et ſingula officia, dignitates Canonicales, authoritate noſtrâ perpetuò ſupprimas, et extinguas: dictique monaſterii ſic ſuppreſſi et extincti ſitum, domos, ſtructuras, ædificia, membra, Eccleſias, Capellas unà cum parochiali Eccleſia nec non reliquos tam per dictum Simonem Comitem Lippienſem, quàm quoscunque alios occupatos et nondum eidem collegio applicatos fructus, reditus, proventus, jura, jurisdictiones, decimas, pertinentias, cenſus, proprietates, emolumenta, obventiones, res et bona univerſa quomodolibet qualificata, et nuncupata, ac in quibuscunque rebus, et ubicunque exiſtentia eidem collegio perpetuò applices et appropries, ac unias, annectas et incorpores: ità tamen, quòd ſecutâ reali et actuali recuperatione parochialis Eccleſiæ hujuſmodi Rector et collegiales prædicti illi de parocho Catholico et idoneo, qui in ea divina officia celebret, et ſacramenta Eccleſiaſtica ritu Catholico adminiſtret, cum aſſignatione congruæ portionis pro ipſius parochi manutentione providere debeant et teneantur; liceátque prædictis, ac pro tempore exiſtentibus ipſius collegii Rectoribus et collegialibus poſt factas à te præſentium vigore applicationem et appropriationem, ac unionem, annexionem et incorporationem hujuſmodi eorum et dicti collegii nominibus omnium et quorumcunque præmiſſorum et præter applicatorum ſeu unitorum corporalem realem, vel actualem poſſeſſionem per ſe vel alium ſeu alios libere apprehendere, et apprehenſam perpetuò retinere: ac fructus, proventus, jura, obventiones, res et bona prædicta, propriâ authoritate etiam libere percipere, colligere, levare, exigere, recuperare, arrendare, locare, dislocare; ac in ſuos et dicti collegii uſus, et utilitatem convertere, Diœceſani loci, vel cujusvis alterius licentiâ deſuper minimè requiſitâ; onera ſpiritualia monaſterio prædicto pro fundatoribus et benefactoribus illius incumbentia in ſolita dictæ Societatis miniſteria et ſuffragia dictâ authoritate commutando, et decernendo eaſdem præſentes ſub quibusvis ſimilium vel diſſimilium quarumcunque revocationibus, ſuſpenſionibus, limitationibus, aut aliis contrariis diſpoſitionibus, et per nos, et per ſucceſſores noſtros ſummos Pontifices quomodolibet editis et in craſtinum aſſumptionis eorum ad ſummi Apoſtolatûs dignitatem, et unionum et applicationum ſuum effectum nondum ſortitarum revocatoriis edendis minimè comprehenſis: ſed ſemper et perpetuò validas et efficaces, et ab illis exceptas, et quoties illæ emanabunt, toties in priſtinum et validiſſimum ſtatum, et ſub quacunque poſteriori datâ per pro tempore exiſtentes Rectorem et collegiales, collegii hujuſmodi eligendâ reſtitutas, repoſitas, et plenariè redintegrandas, ac de novo conceſſas fore et eſſe. Romæ apud ſanctum Marcum Anno incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, quinto decimo Auguſti, Pontificatûs noſtri anno tertio.

Datæ

Datæ sunt hæ literæ anno proximè elapso Romæ. Hoc anno in has regiones in ejúsque, cui inscriptæ, manus pervenêre, ex quibus consultò prætermisimus, quæ *de vita monachorum, defectione ab ordine & Fide narrantur; ne putida materies iteratò proposita nauseam moveat. Vi harum literarum & Cæsaris insuper voluntate Patres possessionem adiêre. Sed quâ paulò pòst expulsi rursum illâ temporum licentiâ; cùm nulli piaculo duceretur, spoliis permiscere omnia: & rapere tantum quisque auderet, quantùm prævalere armis poterat; eóque imbecilior esset authoritas Pontificis, quò plures ejus in contemptum & ruinam arma sumpserant, Luthero & Calvino, maledicis summorum mundi capitum conviatoribus incitati.

*vide annũ 1596. ubi fusè illa narrantur.

Videatur Fabri Staats-Cantzley p. 4. pag. 576. & seq.

At neque benigniùs actum superiorum temporum improbitate cum diœcesi nostra Paderbornensi. Ex tot bellis & depræda-tionibus maxima rerum omnium difficultas: fundi ac villæ passim pignori oppositæ, urbes, arces, oppida non levi ære alieno pressa. Theodorus Episcopus videns in limine Episcopatûs sui diœcesin adeò discerptam ac propè deploratam, nihil prætermisit, quo eam confestim persanaret. Expunctis jam pridem* nominibus, quibus Wewelsburgum Dynastis Büranis obstrictum erat, hoc pariter anno non minor ejus cura versabatur in arce Heristalli *ad Visurgim contractis debitis & alienis manibus liberanda. Fuit hæc arx patrio vocabulo Herstall) à statione castrorum Caroli Magni olim, ejúsque hibernis sic dicta) Cæsarum dono Episcoporum Paderbornensium possessio; eóque Theodoro Episcopo majori in pretio, quòd prima isthic sacrorum fuisse Præsulum sedes* memoretur. Sed quæ rerum omnium vicissitudines & fata sunt; ab Episcopatûs patrimonio avulsa in dominatum Falckenbergicæ familiæ transiêrat; non antè reversa ad Paderbornensem Ecclesiam, quàm Theodorus Episcopus eandem à Falckenbergicis, aliísque creditoribus septendecim millium sexcentorum sex & sexaginta aureorum solutione redemisset. Alterum, quod ex anni hujus memoria Episcopo nostro Theodoro laudi datur, est placabilitas animi, & Christiana facilitas in condonandis offensis. Licet enim ipsum inter & Arnoldum ab Horst Cathedralis Ecclesiæ Decanum orta *dissensio jam in quinquennium protracta & novis irritamentis exasperata sæpius esset; ubi tamen Româ literis Pontifex deponendæ simultatis hortator accessit, nihil tergiversatus est Theodorus, interpositæ summi capitis authoritati morem gerere, ac controversiâ amicè compositâ pristinam erga Decanum benevolentiam instauravit. Eundem Theodori animum pacis amantissimum experti hoc anno nonnulli de patria hac viri nobiles. Quamvis enim

Heristallum ab Episcopo Theodoro Paderbornensi hoc anno redemptum. *Monum. Paderb. fol. 216 & 217*

*aõ 1599.

*aliud Heristallum Francicum ad Mosam.

*unde Episcopi Paderbornenses, primùm Episcopi Heristallenses dicti. de quo vide Schateniũ ad annum 780.

*ad annum 1602 narratur dissensio orta & causa illius.

Componitur controversia inter Theodorũ Ep. & decanũ majorẽ.

*Videatur mſ. pòſt typo editum in cauſa contra Spiegelios.

inobedientia eorum *ære non parvo mulctata fuerit; utì videre eſt ex rei totius argumento typis dato; graves tamen ab illis exercitas inimicitias mox oblivioni dedit; eóque faciliùs certis legibus dirempta lis fuit, quòd Principem viderent non tam ſumendæ vindictæ, quàm juris tuendi cupidum. Hoc optimum ultionis genus eſt: hæc propria dos excelſæ indolis, adverſantibus ignoſcere.

Plus irarum ſub hæc tempora in finitimo nobis comitatu fuit, eaéque tantùm non implacabiles. Simon VI. Comes Lippienſis, poſtquam ſuperiore anno pellexerat minores pagos ad recipiendam Calvini doctrinam, nunc lætus pergit ad eandem per omnes ditionis ſuæ urbes diſſeminandam. Neque magnæ molis erat minora oppida Detmoldiam, Hornam, Blombergam, nec mœnibus ſatìs, nec magnis civium animis munita eò inflectere. Sola urbs Lemgovia majoribus confiſa viribus obnitebatur ſtrenuè; exitioſum arbitrata, omni vento jam Lutheri jam Calvini in ponderoſo Religionis negotio circumferri. Urebat vehementer Comitem repulſæ dolor: eo tamen diſſimulato, lenitate uſus virum popularem adhibet geſto conſulatu celebrem, qui amicos inter ſermones populum doceat; nihil in ſtructura Religionis à Luthero cœptæ immutandum: ſolùm addenda quædam parerga, ut paria utrobique ornamenta ſint, & par in utriuſque Religionis ſectatoribus pietas foveatur. Credula plebs aſſerenti fidem habet. At ubi poſtea deventum ad Cœnam Euchariſticam, ex panis de furno extracti fruſtillis, & puro puto vino inſtructam; commune exortum murmur, damnatáque inconſulta mutatio. Magnis deinde iris in Doctorem Dreckmeyerum, hominem animi falſum; novitatis authorem exarsêre, invadendo domum ejus, feneſtrásque omnes intortis lapidibus excutiendo. Punita quidem à magiſtratu hæc inſolentia, aliquot tumultuantium in carcerem detruſis. At inde populi alienatio major; aurium oculorúmque in audiendo, videndóque homine faſtidium tam grave, ut functionibus, ad quas obeundas ſtato die rediêrat, præ rubore ob paucitatem auditorum intermiſſis, ac celeriter conſcenſo, quo ſuperbus venerat, equo ex urbe Hornam aufugerit; multa inter maledicta per plateas ſaxis, ſumptísque de cloaca telis impetitus: non ſolo jam nomine tenus*, ſed toto etiam corpore ſordidus ac lutulentus. Perfractis deinde carcerum oſtiis à ferociente populo captivis libertas reddita. Comes ulturus plebis contumaciam ſcripto milite vim meditatur. At Hollandi, Haſsíque alio impediti bello, metu Cæſarei exercitûs detinebantur, quò minùs, utì à Simone rogati erant, auxilio venirent. Mauritius tamen Cattorum Princeps, ne ſuo Simoni, quem ferventiſſimum ſuî imitatorem habebat, planè deeſſet;

Simon Comes Lippienſis conatur urbes ſuas ad Calviniſmum cogere.

Lemgovia fortiter reſiſtit *in contin. Coſmodr. Gobelini. Kleinſorg.*

Doctor Dreckmeyerus Lemgovienſib⁹ odio eſt, nec videre eum nec audire volunt, lapidatus & luto fœdatus urbem deſerere cogitur. *author antè citatus.* *dictus Dreckmeyer.

set; ad Lemgovienses misit, qui furiosam plebem leniter officii commonitam gravi dein oratione cohortaretur: *plus ut voluntati Simonis Comitis sui et ejus prudentiæ, quàm odio in Calvinum et pertinaci cerebro suo tribuerent: memores essent sacramenti, quod in leges Comitis et mandata dixissent. At illi in ea solùm*, inquiunt, *mandata, quæ res temporarias spectabant, statúmque politicum: neque in his se ulla unquam imperia detrectaturos: minimè verò Religionis, negotii omnium maximi cardinem versari in volatico spiritu Comitis; ad quem cæco motu se populus continuò obverteret: ea in re solùm se moderatorem Deum rectámque conscientiam ducem sequi.*

Comes armis cogere Lemgovienses cogitat sed desertus ab Hollandis & Hassis cœpto absistit.

Kleinsorgii in contin. Cosmod. Gobelini.

Mox defensio adversùs vim omnem à civibus comparata; sparsúsq; de ea rumor Comitem à cœptis deterruit. Majoribus certè animis, & conatu laudabiliore hujus Comitis avus Simon V. anno MDXXX Lutherum* à Lippiensibus per seditionem in urbem Lemgoviam intrusum junctis cum Erico Antistite nostro viribus ejecerat, veteri majorum Catholicâ Religione restitutâ. At eundem Lutherum postea à Bernardo* Comite filio Simonis V. in ditiones Lippiacas revocatum, nunc Comes Simon VI. Bernardi filius, nepos Simonis V. hostilibus armis persequitur; atque in erepta Luthero sede Calvinum collocare studet. Sic *varium et mutabile semper* regnum & quævis ditio est, ùt primùm amissa semel Fides vera, donum Dei, **datum optimum descendens à patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Nonnullorum equidem opinio fuit, Comitem Simonem sextum, cùm novem annorum puer Bernardum patrem amisisset; primis adolescentiæ annis in Mauritii Hassiæ Landgravii tanquam tutoris potestate fuisse; ideóque ab eo facilè illectum ad eandem secum Religionem amplectendam. Hujus tamen tumultûs causa verior adscribi poterit insciitiæ, aut mendacio eorum, qui, cùm prædicatores veritatis se jactitent, eam aut ignorant sponte, aut adulterant: eodémque Lutherum pretio & Calvinum venalem habent; pro ùt Principes, Comites, magnósque Dominos, quorum blandiuntur auribus, & gratiam aucupantur; ad peregrinas hujus vel illius novatoris merces emendas propensos sentiunt. *Nec unquam*, ùt bene Spondanus inquit, **finis erit hujusmodi ardelionum; quousque redigant omnes intellectum suum in captivitatem in obsequium Christi, et ejus Ecclesiæ; quam dedit Deus in opus ministerii, ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.*

*vide dicta ad an. 1530

*Vide dicta ad an. 1563

*Epist. Jacobi cap. 1. v. 17.

*Spondan. pag. 963.

Desperatâ Lemgoviâ Calvinus Coloniam ad Rhenum progreditur; eámque in urbem, ut feliciùs tutiúsque irrepat sub pallio tuendæ libertatis civicæ, clàm dolosas artes per amicos adhibet, qui-

tumultus à Calvinistis excitatus Coloniæ.

quibus seditiosum vulgus in senatum concitetur; eóque vel amoto vel subverso, admissi sensim ad ea munia Calviniani totâ urbe ad arbitrium gubernandâ potiantur. Author seditionis è Calvinianorum secta homo ultimæ sortis; cui Reinero *nomen, in agro Ruræmundano in casa natus: inde è cœno emersus in tribum victorum Coloniæ. Hoc vile caput, homo nihili, rusticanis quidem moribus asper, sed nequiter blandus; postquam sæpius in conventiculis opificum, officinis, tabernis, in circulis, in publicis confessibus libertatem civium à senatu iniquè oppressam per suos emissarios deplorâsset; demum ipse vicesimâ octavâ Augusti in corona victorum frequente ad sexcentos, velut larvatus catilina, ad tristitiam compositâ facie, rostra conscendit; acerbâ callidâque oratione in urbis optimates, tanquam iniquos civium oppressores invectus: *Agi fortunas, salutem omnium; periclitari pessundari libertatem civium; quæ et vitâ ipsâ carior, pro qua sibi, urbíque vindicanda suum ipse caput cum primus devoveat.* Post hæc injurias omnes, quas commentus erat à senatu irrogatas populo, longâ narratione prosequitur, præsentésque fallaciter monet: *minimè omnium tangi se Religionum varietate; albi sint, an atri eo in genere, suâ tantidem interesse: expergefierent tantùm è veterno ad miseram illam servitutem, in quam prolapsi per ignaviam essent, quacunque ope à fortunis à capite propulsandam. Quæ liberorum? quæ nepotum? quæ totius posteritatis olim querimoniæ? si quem à majoribus acceperint libertatis thesaurum, sibi è manibus patiantur eripi, suâ interire socordiâ.* Rapuit astuta hominis vociferatio plurium etiam Catholicorum animos; tantúmque valuit, ut turmatim in plateas effusi lymphatis similes vim ac terrores inconditis clamoribus magistratui denuntiarent. Consulibus ancipiti, quò se verterent, curâ distractis placuit demum, post varias de mitiganda plebe deliberationes duos è senatorum gremio viros prudentes, neque populo ingratos mittere, qui seditiosos officii sui commonefaciant; verbísque studeant lenioribus pacare ferociter exultantes spiritus. Sed in ventum verba omnia. Validiori igitur prosternenda hæc quercus ictu erat: útque securis statim ad radicem poneretur, missi ad Reinerum totius seditionis architectum apparitores, carceris pœnam illi nomine magistratûs comminantur. Ille verò quàm primùm insanire, aspernari consulum jussa; inverecundè in os regerere, se pariturum nunquam tam iniqua imperantibus: sociorum opem, tribunatias domus appellare: *Viderent jam, quò senatus audaciæ et injuriarum progrediatur; ipsum adeò libertatis assertorem ad carceres deposcendo. Equidem nihil fore sibi honorificentius, quàm suo unius sanguine pro communi salute omnium litâsse: nimiùm verò socordes futurorum esse, nisi prævideant, se libertatis defensore oppresso, palàm majoris dominatûs vexilla erectum iri.* His

*cognomen Linckens.

Reinerus turbarum author longâ oratione seditiosos magìs instigat.

Meshovi° in libro de hac re edito.

Magistrat° Coloniensis remedia ad sedandũ populum adhibet sed sinè fructu.

Ibidem.

His dictis obfirmatior populus animos identidem extulit; eóque processêre exacerbatorum iræ, ut perruptis jam omnibus obedientiæ reverentiæque repagulis, diurnæ per urbem nocturnæque fierent armatæ plebis concursationes: graves passim, apertæque jactarentur minæ, de senatu honoribus, ac fortunis exuendo; de proscribendis Clericis, Religiosis, de compilandis eorum domiciliis, templisque: hoc onere à cervicibus civium dejecto, respirare urbem aliquando posse; & quæ ejusmodi esse plures solent impotentium animorum contumeliosæ voces; ipsi adeò, neque pauci Catholici, quos in communionem sceleris subdolè pertraxerant hæretici, terrificum quid animo in senatum, & linguâ spirabant. Tempestati ut tantisper cederet magistratus; ab intentata Reinero pœna conversus ad lenitatem, comiter invitat seditiosos ad amicam dissidii compositionem: *Seligerent ex quavis tribu aliquos urbanarum, tribuúmque rerum scientes viros; qui de injuriis, de jugo, quo premi se contra jus fásque populus diceret, ad senatum placidè referrent: non defuturam magistratûs æquitatem: si quæ hactenus onera æquo graviora fuerint, ad justæ moderationis leges reductum iri.* Nihil eo consilio prudentius leniúsque: sed quod procacitas Calvinistarum, & fraudulentia fructu cassum reddidit. A sextili enim mense ad Novembrem creberrimè tam in curia, quàm in tribunitiis rebellium domibus consultatum; Calvinianis semper, ubi se vel specula concordiæ offerret, eò majore strepitu repugnantibus, quò sibi nequiùs persuasum habebant, Rhenum turbidum, quàm tranquillum aptiorem fore ad Calvini fæces in urbem invehendas; eóque faciliùs eripi senatoribus gubernacula posse, quò majores procellæ in motu manerent. Pauciores tamen è Catholicis nobilioribus, cùm edocti à senatu essent, latere anguem in herba, & nomine libertatis servandæ quæri eversionem avitæ Religionis; mox damnatis seditiosorum consiliis ad pristinam quietem redîre; parte interim de vulgo Catholicorum maximâ ad quævis hortamenta silicis instar immotâ persistente. Ità hæc urbs veræ Religionis studio flagrantissima semper; illa hactenus ab hæreseos corruptelis illibata virgo in proximo erat integritatis amittendæ periculo. Id cujus fuerit virtute remotum, anno sequente narrabitur.

Et tentatâ Reineri captivitate populus magìs tumultuatur. *Meshov. Turckius tom. 5. mſ.*

Invitantur à magistratu rebelles ad amicam compositionem, sed nihil efficitur. *Auctores iidem.*

aliqui Catholici advertunt periculum Catholicæ Religionis & à rebellibus discedunt. *Auctores iidem.*

Lis inter Ducem Juliæ & Aquisgranenses composita. *Teschenm. p 2 fol 343*

Hoc interim labente anno turbis Juliæ Ducem inter & Aquisgranenses exortis, quarum biennio abhinc initia dedimus, finis datus: sapientissimis enim Ernesti in primis Colonienſium Archi-Episcopi, & Gonzagæ Ducis Mantuensis, qui fortè, usus Spadanis *aquis, lustratâ Coloniâ in Belgium cogitabat; adhortationibus eò inclinati dissidentium animi, ut sibi tanquam vicinis ex jure amicitiæ, quæ vicinitati debetur, condonarent multa; positis odiis

germanicè Spa. *lat. vicus Spadanus in Diœcesi Leodiensi.*

odiis, quæ hoc rursum anno alternis prædis, infestis in agros procursationibus, aliísque mutuis injuriis recrudescere cœperant: atque ut tam crebris simultatibus disjuncti toties animi coirent arctiùs, à congregatis Dusseldorpii Ordinibus sollicitè laboratum.

Adolescens in diœcesi Paderbornensi per quatuor fermè annos ab omni cibo & potu abstinens. *Philippus Sechtlenus in libello, qui hac de re, typis vulgatus est anno 1614.*

Ad calcem hujus anni rejecimus typis olim vulgatam narrationem de adolescente ex hac patria oriundo, quem impransum semper, & incœnatum, cœptam hoc anno ab omni prorsus cibo & potu abstinentiam nullâ unquam panis micâ aut guttâ aquæ sumptâ, in ipsos quatuor annos produxisse, tradunt. Rem non temere diceres fabulæ, quàm vero propiorem; nisi scriptor, qui eam posteritati literis mandavit, jejunanti non rarò id temporis præsens, testimonio suo credibilem faceret. Adolescenti nomen Hermanno **Lommers**. octo & decem annos natus matre per pestiferam luem extinctâ, & ipse Bochendorpii in vico hujus Diœcesis alio morbi genere corripitur: Græci ἴκτερον, Latini *morbum regium aut arcuatum auriginémque vocant.* Ex hoc morbo decumbens sub initium mensis Martii paulatim cœpit modici & tenuis cibi esse. Variæ quidem ad irritandam ciborum appetentiam curationes adhibitæ: verùm secuta tam gravis est languentis stomachi nausea, ut circiter illud tempus, quo annua adventûs Spiritûs sancti memoria recolitur, omnia prorsus esculenta poculentáque, quantumvis lautè condita, rejecerit. Fuítque perpetuum hoc stomachi fastidium, dum quarto post anno *eadem sancta Pentecostes solennia recurrerent. Quo tempore, parco primùm, dein largiore cibo, curare corpus cœpit, stomacho jam frustra alimentorum ejectionem tentante. Ingens interim durante hoc morbo quorumvis hominum de plebe, de nobilitate in ægroti domo frequentia, ad habitudinem corporis visu, tactúque explorandam.

*aõ 1611.

Adolescentis in diœcesi Paderbornensi quadriennio jejunantis descriptio à teste oculato affertur.

Ego quoque, inquit ipse hujus rei scriptor, rem primùm fucatam, & commentitiam existimans, duobus aliis viris eruditissimis me comitantibus, eundem accessi & hanc, quam subjicio, macerati hominis constitutionem notavi. *Quantum ad externa corporis lineamenta: vultu præditus erat satis liberali, qualis in villici filio requiri potest, pleno etiam et mediocriter carnoso: genæ tinctæ colore pallido; oculi acres, cæsiique: vox virilis et minimè refracta; extenuata brachia; manus et digiti teretes; hi cultro vulnerati nihil mittebant sanguinis; secùs ac caput, aliáque membra cultello læsa. Nullos ex tam longo decubitu dolores percepit; surgere tamen, niti pedibus, aut formare gressus, haud potuit. Inter alia fallendi temporis oblectamenta persæpe recreabatur aspectu columbarum; quibus in lecto decumbens objectare pabulum solebat.* Ità ille; addítque, rem insolitam multorum cerebra torsisse; aliis diuturnam inediam boni, aut mali genii ope; aliis eam spe lucri, aut

Ostenditur jejunium illud solis naturæ viribus adscribendũ esse.

cibis

cibis furtim captis toleratam affirmantibus. Nulli harum opinioni assentitur. Primam refellit ex vita hominis, vulgari instituto pietatem, Deúmque colentis; qui sæpius ad sordidos satísque illiberales jocos aberraverit, vix unquam de Deo divinísque rebus factâ mentione. Quotus autem quisque est, qui credat, eum, cui rarus de cælestibus sermo; quem nulla pietatis peculiaria virtutúmq; indicia superis supra reliquos gratum produnt; Moysis & Eliæ instar divinitus foveri ac sustentari? Neque etiam potuisse suspicionem pacti aut familiaritatis cum malo genio cadere in Lommerium; utpote in quo nihil vitæ tam flagitiosæ, nihil ejusmodi scelerum, quibus ea amicitia confletur, notatum unquam. Alias autem conjecturas de spe lucelli ab invisentibus captandi; de cibis furtivè subministratis, ex eo inanes dicit, quòd pro suî statûs conditione satìs locuples fuerit, bonorum omnium à parentibus scriptus hæres. Neque vero simile videatur, voluisse vitricum* & novercam nullo suo emolumento eam privigni simulationem quatuor annorum obsequiis tegere. Quare illam tot annis ab omni esca & potione abstinentiam citra miraculum, & præstigias stetisse intrà solas naturæ vires, non inscitè probat: nimirum ex eo morbi genere remansisse pravos crudósque humores in ventriculo, aliísque partibus; in quem remissior congenitus calor interea egerit: eâ verò relictâ vitiosâ materiâ affici primarias corporis partes; sæpe lienem, aliàs vesiculam felleam; quandoque hepar ipsum: hepate autem læso, fonte atque principio vegetantis animæ necessum esse omnes simul auxiliares, in quibus tota nutriendi vis versatur, facultates concidere; ut mori, quàm vel summis labris quicquam attingere, præoptent ægri. Hanc opinionem suam Galeni, *aliorúmq; sententiis stabilitam in libellum retulit, exiguum quidem, sed ad unguem expolitum; neque indignum, quem medicorum, physicorúmque periti, manibus terant.

Philippus Sechtlenus olim Pastor Delbrugensis in libro, quem Theodoro Episcopo dedicavit & ità inscripsit: Lapis Lydi⁹ inediarum prodigiosarum, quas plurimi in multos dies septimanas menses & annos produxerunt.

**Mater ej⁹ patre mortuo alteri viro nupserat, qui rursus germanâ matre defunctâ aliam duxit uxorem.*

**L. 5. de locis affect. c. 1.*

Annus Christi 1609.

PAULI V. Pontificis.	4. & 5.
RUDOLPHI II. Imperat.	33. & 34.
THEODORI Episc. Paderb.	24. & 25.

FLuctuante jam pridem Belgio inter prosequendi belli, aut pacis cum Archiduce Alberto ineundæ consilia, tandem hoc anno induciæ, cùm de firma pace conveniri nondum posset, in annos duodecim quinto Idus Apriles prorogatæ sunt. Mox earum facta Antwerpiæ decimo octavo Kalendas Maji promulgatio West-

Induciæ duodecim annorum inter Albertum Archiducem & fœderatos Ordines. *Spond. ad hunc annũ.*

phalis quoque eò plùs attulit gaudii, quò recentior triſtiórque erat recordatio malorum, quæ ex bello iſto, per annos ferme quadraginta ſummis utrimque viribus geſto, etiam in Weſtphaliam promanârant. At oſtenſa tantùm ſpes alicujus malaciæ. Brevi & hæ regiones in graviſſimos bellorum fluctus revolutæ ſunt. Quintâ enim & vigeſimâ Martii Joannes Wilhelmus Dux Juliæ, Cliviæ, & Montium, Comes Marcæ, Ravensbergæ & Meurſæ, Dominus Ravenſteinii ætatis anno ſeptimo & quadrageſimo decedens, tot ditiones hærede vacuas, totidémque novi, nobísque vicinioris belli irritamenta reliquit. Infelix Princeps ob filiorum omnium in utroque thoro orbitatem.

Moritur Joannes Wilhelmus Dux Juliæ Cliviæ &c. *Spondan. Stangefol. & alii.*

Felicior, fœcundúsque ſex prolibus thalamus fuerat Wilhelmo Patri ejus cum Maria Auſtriaca, Imperatoris Ferdinandi primi filia, Caroli V. nepte. Ex ſenario illo prolium numero, qui filiorum primus mundum* ingreſſus, primus ex eodem* deceſſit Carolus Fridericus. Adoleſcens præter donatas à natura, & acquiſitas ſcientiarum dotes à pientiſſima matre Auſtriaca ad omnes Chriſtianas virtutes, quibus ornari ad bonæ ſpem frugis, educaríque adoleſcentiam par eſt, ſanctè formatus. Is variis regionibus peragratis diúque in Maximiliani II. Cæſaris, aliorúmque Germaniæ Principum verſatus aulis, peregrinationem ſacram inſtituit, jubilæi Kalendis Januariis* Romæ inchoandi ſolennia ſpectaturus. Tam nobilem advenam Pontifex Gregorius XIII. magnis excepit honoribus; intérque ipſa primæ diei gaudia gladio, pileóque conſecrato donatum ad regnum, quò cogitabat, Neopolitanum perluſtrandum dimiſit. Ex eo reverſus Romam in morbum incidit, plùs valentem omni arte medicâ. Ipſe ſummus Pontifex ſæpe decumbenti præſens, & ſolatio erat; anxius, multúmque ſollicitus, ſi quâ ope vinci malum poſſet. At doloribus morbi in horas invaleſcentibus oppreſſus die IX. Februarii, anno Chriſti ſupra milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimo quinto, ætatis viceſimo vixdum expleto, innocentem animam exhalavit. Funus regali pompâ Romæ tumulatum in Eccleſia germanorum B. MARIÆ Virginis dell' anima. Pontifex Gregorius, quem minimè fugiebat triſtitiæ in paterno animo de morte filii perceptæ vehementia; plenas ad Ducem conſolationis literas dedit: earum partem hîc adjeciſſe, lectori non ingratum fuerit.

natus anno 1555.

mortuus aõ 1575.

anno 1575

Moritur Romæ Carolus Fridericus filius Wilhelmi ducis Juliæ, Cliviæ &c. cum ingenti luctu Pontificis. *Pighius in Hercule prodicio. Teſchenm. in annal. Juliæ, Cliviæ & Montium. p. 2.*

Dilecte Fili, Nobilis Vir, ſalutem et Apoſtolicam benedictionem. Nihil potuit nobis gravius accidere eo caſu, quo ſumus graviſſimè afflicti. Carolus Fridericus, non minùs nobis caritate filius, quàm tibi naturâ, venerat à Maximiliano avunculo deſeſſus et languens de via. Excepimus eum eo honore et gaudio, quo par erat, filium noſtrum in Chri-*

*erat is Maximilianus II.

ſto

sto charissimum, et tanti Principis natum: nec priùs illum à nobis discedere et Neapolim (cujus urbis visendæ studio tenebatur) ire passi sumus, quàm bene firmum et robustum vidimus; inde, cùm rediret, eodem ipso, quo ad nos pervenit die, cum febre decubuit. Nihil prætermisimus, quod quidem humanâ ope provideri, atque effici potuit: eandémque in eo curando diligentiam adhiberi fecimus, quæ nobis ipsis simili in periculo adhiberi potuisset. Cùm autem nihil proficeretur, morbúsque ingravesceret, quod extremum erat, ad divinam opem impensiùs implorandam confugimus, pérq; omnia templa, et religiosas domos pro illius salute supplicari fecimus. Neque tamen nostras et ipsorum preces aspernatus est Deus, sed ùt solet ampliùs multò, et abundantiùs tribuit, quàm postulabamus. Nam pro hac mortali et caduca, quam Carolo Friderico precabamur, vita tribuit ei divina bonitas immortalem illam, et beatissimam cujus causâ facti sumus, et quò totis viribus omnes niti, atque aspirare debemus. Acerbum certè nobis, et ferè intolerabile, carere tanto filio, támque amabili. Et è dolore nostro facilè existimamus de tuo. At quoniam nos mortales agnoscimus, Deúmque benedictum (tametsi sæpe nos latet ejus consilii ratio) omnibus in rebus, ùt optimum Patrem, nobis, nostrísque, scimus præclarè consulere: æquum est nos ejus voluntati acquiescere, et gaudere, quòd illum ad se in cælum evocârit. Quod quidem pollicetur nobis ipsius bonitas, quam sæpe aliàs, tum verò in ipsa ægritudine (sæpius enim ad eum visendum ivimus) in eo singularem perspeximus. Ferebat æstum febris cum summa patientia, Deum semper in ore habebat, eum invocabat, et non corpus, sed animam ei suam commendabat. Ad extremum omnibus criminibus absolutus, sacramentísque Ecclesiasticis munitus, nostrâque dispensatione ex Ecclesiæ thesauro omnibus pœnis, si quæ reliquæ fuissent, liberatus, eò charitatis provectus est, ut multis audientibus proferret illa Pauli verba: Cupio dissolvi & esse cum Christo. Maxima hæ sunt, charissime fili, ad consolandum: et tanta, ut meritò debeant omnem dolorem abstergere. Etenim de filii felicitate dolere, parentis non est: suo verò ipsius incommodo commoveri, se ipsum amantis est, et suas rationes ad summi parentis Dei voluntatem non accomodantis. Cogitemus non periisse filium, sed ad optimum parentem perveniisse, non vitam perdidisse, sed ad meliorem migrâsse: non nobis ereptum esse; sed in cælum receptum. Divinam sapientiam audiamus: justus, inquit, si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit: raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Hæc nobis ipsis ad consolandum proponimus: quibus ut tu quoque utaris, et ubi primis naturæ commotionibus satisfeceris, te sapientem et servum Christi, in dolore leniendo, præstes, dicásque cum Beato Job: Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ità factum est: etiam atque etiam rogamus. Deus ipse omnis consolationis auctor consoletur Nobilitatem tuam, téque indies augeat suâ gratiâ, nobísque facultatem tribuat nostram erga te voluntata-

Imperator, cujus soror Maria, erat mater defuncti Principis.

Gregorii XIII Pontificis literæ consolatoriæ de morte Caroli Friderici filii ad Wilhelmum patrem ducem Juliæ Cliviæ &c. *Pighius in Hercule prodicio à pag. 454.*

luntatem declarandi. Quæ cùm semper fuit paterna, tuorúmque commodorum cupidissima; hoc tempore eò propensior erit, quò altiùs in animo conservabimus dulcissimam memoriam amoris, quo hunc filium benedictum prosequebamur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die X. Februarii MDLXXV. Pontificatûs nostri anno tertio.

Quantùm confirmârint hæ literæ, erexerintque Ducis Wilhelmi profundo mœrore mersum animum; abundè liquet ex responsoriis Pontifici redditis. Pauca ex iis notatu digniora decerpsimus.

Habentur hæ literæ apud Pighium in Hercule prodicio pag. 456.

- - - - Cùm autem hîsce doloribus animus meus obrueretur, vixque consolationem recèns istud vulnus reciperet, peropportunè eodem ferè tempore sanctitatis tuæ Nuntius Casparus Gropperus *ex mandato sanctitatis tuæ me convenit: méque non solùm verbis aptissimis consolatus est; sed etiam Breve sanctitatis tuæ plenum è Christiana Philosophia petitis consolationibus mihi reddidit: cujus quidem lectione animus meus nonnihil erectus est; cœpíque mox tuæ sanctitatis paterno, et piissimo consilio acquiescere, et me divinæ voluntati (cui repugnare non licet) magìs, magísque accomodare. Hoc autem vel mihi maximam consolationem attulit, quòd filius meus etiam sanctitatis tuæ testimonio, in orthodoxa et Catholica Fide piè et devotè obdormiêrit; ità ut certus sim, nihil mali illi accidisse; sed mortalem hanc vitam cum immortali, ad quam omnes aspiramus, commutâsse - - - - Datum ex arce nostra Clivensi septimo Idus Martii Anno MDLXXV.*

Mortuo hoc Carolo Friderico in vivis adhuc restabant feminei sexûs proles quatuor; unus duntaxat filius Joannes Wilhelmus, cujus mortem hîc paulò ante narravimus; & in quo sita solo erat spes tota conservandæ Domûs Juliacensis. Is quanquam *uno ante fratris obitum anno Monasterienſium postulatus Antistes esset; nemini tamen jam dubium, quin ex sacra hac præfectura ad propagandam Juliacensium familiam regrederetur. At cùm difficultas non levis orta esset in deligendo alio Præsule vitæ & Religionis incorruptæ, qui evidentissimum introducendæ hæreseos periculum propulsaret; jussu Pontificis abdicatio Episcopatûs integro in aliud tempus decennio dilata fuit. Quo præterlapso, postquam Ernestum Bavarum Colonienſem Archiepiscopum anno MDLXXXV. decimâ octavâ Maji successorem in Episcopatu Monasterienſi nactus esset; statim mense Junio ad primas *cum Jacobæa Philiberti Marchionis Badensis filia; hac mortuâ ad secundas *cum Antonia Caroli II. Ducis Lotharingiæ filia nuptias, utrasque steriles processit. Huic improli mortuo Joanni Wilhelmo quatuor germanæ sorores erant. Major natu Maria Eleonora Alberto Brandenburgico, Borussiæ Duci nupta. At hæc præmortua anno superiore An-

*ao 1574.

*ao 1585.

*ao 1599.

nam

nam filiam reliquit, Joanni Sigismundo Brandenburgico Electori in matrimonium datam. Altera Joannis Wilhelmi soror Anna, Ludovico Comiti Palatino Neoburgico juncta, ab excessu fratris superstes & mater Wolffgangi Wilhelmi. Magdalena soror tertia thori consors adscita à Joanne Palatino Bipontino, non unius etiam filii parens. Quartam denique Sibyllam sibi junxerat Carolus Austriacus Burgaviæ Marchio: sed sterili & infœcundo planè matrimonio. Felicem Domum reputares ob contractam per tot connubia cum præpotentibus familiis amicitiam. At quàm fallax affinitatis fides, & fluxa est, ubi ad bonorum divisionem pervenitur. Quàm primùm ab obitu Joannis Wilhelmi, quotquot in Domum Juliacensem nupserant unquam, certatim advenêre omnes, aut hæreditatem sibi totam, aut partem asserturi. Non est nostri consilii, quam quisque Candidatorum ad has provincias sibi vendicandas ingrediatur viam, explicatiùs referre, quando *plurimæ jam extant, eæque satis eruditæ ingeniorum concertationes, de jure inter tot competitores controversо; Brandenburgicum aliis, aliis Neoburgicum, Saxonem aliis, pro ùt quemque vel veritas, vel affectio animi rapit, præferentibus. Neque diu hæc chartacea pugna placuit Brandenburgico & Neoburgico: illi paulò post mortem Joannis Wilhelmi omisso verborum calamorúmque conflictu stylo ferreo de re controversa, & armis decernere maluerunt; jámque in mutuas incensi iras, alter alteri præripere vi armorum hæreditatis partem parabant. Violenta hæc consilia tantisper ab Imperatore inhibita quidem severioribus literis, postridie Kalendas Apriles Pragæ datis; quibus suam utrumque Principem jubet causam abjectis armis viâ juris persequi: neutrum in ditionum illarum possessionem priùs admissum iri, quàm plenior de ambiguo inter illos jure decisio ex Cæsareo tribunali afferatur. At secutæ brevi majores turbæ per instigationem Mauritii Hassiæ Landgravii. Is suasor utrique Brandenburgico & Neoburgico, impulsórque extitit: positis inimicitiis in gratiam redirent; cúmque successionis jure essent uterque reliquis omnibus propiores; factâ æquali provinciarum partitione suam quisque partem armatus invaderent; atque ad eam contra vim omnem tutandam arma, animósque conjungerent. Huic pacto in congressu pridie Kalendas Junii Tremoniæ illigati, Dusseldorpium cum multo comitatu progrediuntur; se cognatos Principes intromitti in urbem hospitio recipi, amicè flagitant. Consiliarii, Ordinésque magnopere obluctati, cùm se mandato Cæsaris ad id permittendum prohibitos dicerent; fuêre alii vel muneribus, vel sinistrâ affectione inducti cives, militésque, qui portis clàm apertis, intrandæ urbis copiam fecerunt. Eam vix ingressi Prin-

*Videatur Lucius Veronensis. Pufendorff hist. Brand. Rhetius Swederus in Th. hist.

Londorp. supplet. tom. 1. l. 2. cap. 113. & cap. 114. Gastel de statu publ. Europ. c. 9. num. 108.

Brandeburgicus, & Neoburgicus reconciliati per Mauritium Hassiæ Landgravium pacisc untur de provinciis inter se dividendis.

Dusseldorpienses ad jurandam fidem cogunt. *Londorp. Pufendorf. Hist. Brandenb. §. 9. Stangefol.*

Principes, tantâ freti faventium civium, militúmque audaciâ; jubent continuò refigi mandata Cæsaris; Proceribus, Ordinibúsque comitia imperiosè indicunt: eósque præfinito die congregatos obseratis priùs civitatis portis, cogunt ad fidem sibi tanquam legitimis Dominis jure jurando * obligandam.

*16. Junii. *25 Julii. Imperator contra attentata à Neoburgico & Brandenburgico mittit mandata gravia, item Leopoldum Archiducé mittit, qui Juliam Cliviam &c. sequestri nomine occuper. *Londorp. supplet. tom. 1. l. 2. c. 116. Ludolff in in theatro mundi tom. 1.*

Imperator non parùm commotus ob spretum tribunal suum & explosa mandata: literis Pragâ missis, publicéque *Dusseldorpii affixis, quidquid machinati hactenus Principes essent; frivolum & inane declarat: iteratò sub pœna proscriptionis Imperialis præcipiens: ocyùs absisterent cœptis, totiúsque causæ cognitionem Cæsareo tribunali submitterent. Ad hæc Imperator Leopoldo Austriaco Patrueli suo, Argentinensium sacro Antistiti in mandatis dedit, festinatò tendere Juliacum, ad provincias omnes sequestri titulo occupandas. Nihil territi Principes adventu Leopoldi; audaciores etiam fiduciâ auxiliarium ex Hollandia copiarum, transito Rheno in Juliacensem Ducatum sub initium Decembris irruptionem tentant. Marcodurum inter præcipuas regionis urbes primo impetu petebatur; ubi senatum inter & plebem dissensio erat, & contraria partium studia; plebe Principum, senatu partes Cæsaris sectante. Neoburgicus Princeps, cùm quatriduo ferè vicino in agro hæsisset, demum octavâ Decembris plebs seditiosa clavibus per vim magistratui ereptis Neoburgico portas urbis aperit. Prima illi cum Brandenburgico ab ingressione cura, hîc quoque cives in suam fidem arctiùs adstringere; paucis, qui obnitebantur, aut ejectione ex urbe, aut carcere mulctatis.

Marcodurũ à Brandenburgico & Neoburgico occupatur. *Auctores iidem.*

Magna inde gaudia hæreticorum. Utpote qui tacito hactenus pede in has regiones proserpserant; nunc liberum sub horum Principum dominatu sibi campum gratulabantur prodeundi palàm, atque in miserias & rempublicam Catholicorum insultandi. Idq; Bielefeldienses, ut ne ad remotiora abeam, haud cunctanter ausi, Comitatûs Ravensbergici in Westphalia nobis finitimi cives. Horum in oculis hærebat Sparemberga arx suburbana, in edito colle sita; ne quidquam diu ad defectionem apertè sollicitata. Præfecto arcis, quem Imperator fidum habebat, ad comitia Dusseldorpium evocato; hic dolus clàm adhibitus: præsidiarium militem alium atque alium è castello in urbem blandè invitant; levibúsque oblectamentis & fabulis, quas comminisci simulata amicitia novit, usque attinent; dum suis præsidiis infessam arcem tenerent; atque redeuntibus ex urbe præclusus in illam aditus esset. Tum palàm erupit omnium atrox odium in Religionem Catholicam, ejus cultoribus plurimis cum curione suo depulsis. Mox quoque Decanus, & primores Catholici falsò in proditionis crimen vocantur.

Fallaciæ & itæ Bielefeldiensium in Westphalia contra Catholicos. *Kleinsorgii in contin. Cosmod. Gobelini.*

Statu-

Statuta in commentitios proditores pœna carceris, exilium, variáque supplicia. Sed æquior Brandenburgici & Neoburgici Principum animus iniquitatem hominum compressit; dimissis captivis, additâque severâ inhibitione, ne porrò injuriis lacesserent Catholicos. Urbi interim arcíque custodiendæ, quæ fœderatorum Principum jussu venerat, militum manus injecta. Grati primùm hospites Bielefeldiensibus, ac velut delapsi è cælo tutelares Angeli magno excepti gaudio adversùs Joannis Ritbergensis vicini Comitis molitiones; à quo numerosum sub Cæsarea signa cogi militem, rumor erat. Pérque æstivum tempus ex odio in Catholicos & quòd omnia ad denarium solvenda, dicerent, supra vulgarem modum liberaliter habiti. At spe solutionis per subitum militis discessum frustrati Bielefeldienses, dolum dolo punitum senserunt.

Arx Sparemberga propeßielefeldiam occupatur à Brandenburgicis & Neoburgicis cum magno gaudio Bielefeldiensiũ quod in luctum pòst vertitur. *Auctores iidem.*

In eundem prope modum Coloniæ consulis, viri sapientissimi, Joannis Hardenradii æquitate & prudentiâ hoc anno popularis seditio compressa. Multis illa viribus anni unius spatio increverat. Accersiti undique ex regionibus hæresi infectis triobolarii, egentes, capite censi homines, tribuúmque albo inserti: eò ad quodvis facinus proniores, quòd metuere opum nullam, aut subire jacturam possint; ex publica rerum agitatione, aliorúmque damnis lucra inopiæ suæ captantes. Horum hominum duritiem inflectere, & corrigere insaniam, haud potuêre duo à Joanne Schweickardo Moguntinensium, & *Lothario Metternichio Trevirensium Archiepiscopo, missi Oratores. Hi enim post diutinam in urbe Colonienſi, & sumptuosam commorationem; post frequentes, sed irritos ad plebem cum senatu componendam congressus, hoc anno ad suos quisque Principes re infectâ regressi. At tantò jam securiùs confluere perditorum hominum colluvies; miscere furiosos sermones de magistratu à reipùblicæ gubernaculis dejiciendo; de inferenda ipsa nece, nisì portarum clavibus cum populo communicatis, nonnullísque de grege suo ad publica munia admissis, populum vellent omnium in curia consiliorum participem facere; nisì rationum tabulæ, urbis proventuum libri traderentur, ad rectiorem calculum revocandi: eáque consilia agitabant nocte concubiâ, tenebrarum & parietum custodiis tegendo omnia; ne quâ parte feralium machinationum suspicio pelluceret.

*hos duos Electores Cæsar delegaverat ad reducendã Coloniæ pacem.

Turbæ & seditio in urbe Colonienſi sopiuntur. *Meshov. vetus ms. Turckii.*

Fallere tamen Hardenradium consulem diligenter circumspicientem omnia, atque sagacem virum non potuêre. Is re compertâ senatum jubet ocyùs coire: atque expositâ periculi gravitate, cùm nosset, certam violentæ irruptioni designatam à conjuratis horam, singulis quibus per urbem horologiorum cura, de senatorum sententia imperat, ut vel horologii cursum omnino sistant; vel erratico

Singularis magnanimitas consulis Colonienſis. *Auctores iidem.*

ratico motu faciant inter ſe diſcrepare; diverſam diverſis in locis horam nuntiando. Ipſe interim conſul Hardenradius ferreâ loricâ, quam pallio oblongo texerat, indutus, ponè magno armatorum globo ſequente accedit ædes: interritus contemptóque vitæ periculo fores pellit. Iis per errorem velut conſpirantium ſocio patefactis, audacter in medium conjuratorum irruit: projectóque pallio, & arreptâ, quam poteſtatis inſigne miniſter à tergo ferebat, haſtâ ſeveriore vultu ad præſentes converſus: *num*, inquit, *veſtrum me conſulem agnoſcitis, vobis, totíque urbi imperitantem? quorſum igitur me invito illa coëuntium multitudo? illa nocturna conciliabula?* Hìc ſtatim in pallido omnium vultu nequitiæ indicia; alter in alterutrum oculos, latentis animi proditores defigere: ex abruptis ſermonibus, ac turbido ore; ex truci ſilentio ipſi ſe ſceleris meditati reos agere: indè latebras, fugam, ſalutem optare. At nihil uſpiam effugii. Jam enim, obſtructo ubique elabendi loco, velut in cavea concluſi, ab excubiis circà domum poſitis, detinebantur. Facto dein ſenatûs conſulto, ſi per tenebras dilapſos, ac judicio conſulis mitiorem pœnam promeritos excipias, alii perpetuâ lege relegati omnes. Ità demum ejectâ ſordidorum hominum ſentinâ, tam celebris reipublicæ relevata navis feliciore curſu provehitur.

**Schahabas.* Rex Perſiæ rogat Pontificem, ut Imperii Principes contra Turcas arma ſumant. *Spond. ad hunc annũ*

Hos per Imperium in tot regionibus inteſtinos motus eò ægriùs ferebat Paulus V. Pontifex, quò ipſi facilius fuiſſet, ſublatis ejuſmodi turbis deſideria*Regis Perſarum explere. Sollicitabat is Pontificem iteratâ legatione, ut Sedis Apoſtolicæ impulſu fortiùs Imperii Principes Turciam bello premerent; prolixè multa Pontifici per Legatos pollicitus: ſe omnes belli impenſas compenſaturum, tum ſingulari erga quosvis Chriſtianos humanitate, & benevolentiâ; tum etiam ceſſione plurium locorum variis in urbibus & provinciis pro ſcholis templíſque conſtruendis; in quibus propagandæ per regnum ſuum religioni Catholicæ vacari tutò poſſet. Nihil his promiſſis optabilius Pontifici. Sed quid ageret urgerétque hoc dejecto rerum ſtatu? exilis majeſtas Imperii; Imperatoris authoritas debilitata, ac propè nulla ex diſſidio ipſum inter & fratrem Matthiam: Auſtria, Bohemia invaleſcentibus hæreticis turbata: turbatior Germania ex percuſſo* duplici hoſtium domeſticorum fœdere; utroque magnam plagam injiciente toti Imperio. Calamitoſa tempora! quando Chriſtiani Principes civilia in ſe ipſos arma vertunt; quæ ritu majorum noſtrorum barbari ipſi in barbaros ſumenda ſuadent.

**Fœdus Calvinianorum Principum qui correſpondentes ſe dicebant: & Catholicorum contra Calvinianos, quod* liga Catholica *dicebatur.*

Non alia ex hoc anno Theodori Epiſcopi noſtri memoria, niſi propenſionis ejus in juventutem literarum ſtudioſam. Formabatur illa in ſummæ ædis periſtylio, minùs commodo functionibus lite-

literariis loco. Inter cetera grave erat adolescentibus itare illuc; redire longo lutulentæ viæ intervallo per cæli,& insolentium etiam hæreticorum quandoque injurias ad remotius templum; ubi rebus divinis interessent. Sublata sunt hæc juventutis tædia, postquam de Theodori Episcopi & Cathedralis Capituli consensione empta templo vicina domus; opportuno admodum loco è regione collegii Patrum Societatis JESU sita; solo cœmeterio, & angustæ plateæ interjectu dirempta; satísque apta scholasticis exercitationibus: non tam à pretio & elegantia memorabilis, quàm ab antiquo ejus possessore (cui nomen Antonius *Crato*) uti Lutheri amantissimo, ità Patrum S. J. insigni osore. Horum ille in vituperationem præter convitia alia nuper famosum libellum hoc titulo in vulgus emiserat: *Possitne fidelis quispiam salvâ conscientiâ permittere, ut filii scholas Jesuitarum adirent.* A morte hominis partæ in vita opes ità dilapsæ sunt, ut vidua necessum habuerit, rei familiaris inopiam venditione domûs juvare. Maluisset illa emptores alios, at, nemine ad licitandum se offerente, pretium obtulit nobilis virgo Odilia de Spiegel; aditâque possessione jus suum Patribus Societatis JESU cessit. Adeò rebus in humanis sæpe ludit divina providentia; illudítque obtrectatorum machinationibus.

Commodiõr locus pro instruenda juventute, ex gratia Theodori Episcopi comparatus. Mira dispositio Dei. *Annales collegii PP. S. J.*

Supereſt paucis memoranda calamitas inferioris Saxoniæ: per cujus regiones hoc anno grassata pestis, magnam mortalium multitudinem absumpsit. Urbem Hildesiensem non sinè multis funeribus eadem lue correptam, fœda insuper contagio morum infecerat. Potior Ernesti Episcopi cura in curandis his contagiosis animorum morbis. Ejus jussu venêre duo morum censores Nicolaus Episcopus Aconensis, & suffraganeus Monasterienſis, Lubbertus ab Hasfeld Decanus Xantensis, & Canonicus Monasterienſis. Ab his post inspectam Clericorum vitam metu gravissimæ animadversionis, severísque edictis quæsita emendatio eorum, qui per indecoram cum sequiore sexu liberiùs versandi licentiam, non sinè sceleris suspicione probis omnibus offendiculo fuissent. Obtinebat in hunc usque annum prisca consuetudo, sub horam noctis duodecimam in Cathedrali Ecclesia matutinum psalmorum chorum frequentandi: ex arbitrio visitatorum, præter alia laudabiliter sancita, gravibus de causis jussi sunt, tempori aliarum Ecclesiarum se accomodare, eos psalmos manè horâ quartâ decantando.

Pestis grassatur Hildesii. Ernesti Episcopus duos mittit, qui Clerum visitent. *ex archivo Cath. Eccl. Hild.*

Abrogatur consuetudo frequentandi chorũ horâ 12mâ noctis. *ex archivo Cath. Eccl. Hild.*

Annus Christi 1610.

PAULI V. Pontificis 5. & 6.
RUDOLPHI II. Imperator. 34. & 35.
THEODORI Episc Paderb. 25. & 26.

AGebatur jam annus Christi sexcentesimus decimus supra millesimum; Rudolphi quartus & tricesimus, ex quo Imperium, quà intestinis dissidiis, quà Turcarum incursionibus concussum administrârat. jámq; in foribus extremam adesse perniciem formidabat, cùm in suum unius caput tot conjuratos hostes à fronte & à tergo, domi, forisq; parare arma intelligeret. Augebatur in dies singulos exacerbati rursum Archiducis Matthiæ studium & cupiditas sibi utrasque scissi Imperii partes in fratris Rudolphi Cæsaris cladem adjungendi. Maximi fiebant in Anglia, Gallia, Hollandia armorum apparatus: Rudolpho hærente in aula Pragensi, omnis consilii & auxilii inope ac penè neglecto. Pauci etiam Imperii Proceres, quos sibi fidos habebat, mense Aprili Pragam convocati nihil opis contulêre. Hos inter memorantur, Schweikardus Archiepiscopus Moguntinus Metropolitanus noster, Ernestus Archiepiscopus Coloniensis, Maximilianus & Ferdinandus Archiduces Austriæ, Christianus Saxoniæ Elector, Henricus Julius Dux Brunsvicensis, Ludovicus Darmstadii Landgravius. Decimâ quintâ Maji cùm initium congressûs feciissent, deliberaturi de mediis collisos fratres Rudolphum & Matthiam reducendi in gratiam; de creando Romanorum Rege; de sopiendo motu Juliacensi: inopinatæ properantibus tabellariis perferuntur literæ, Henricum IV. Galliarum Regem, postquam bellum in Germania gerendum magnâ mole jam apparâsset; pridie Idus Majas à Francisco Ravalliaco, patriâ Engolismensi, gemino vulnere cultro percussum; trajectóque pulmone exanimem cecidisse. Principes metu, qui maximus ab hoc injectus Rege erat, soluti, mox abruptis consultationibus, nec ullo ad res propositas emolumento discessêre. Elector tamen Saxoniæ & Dux Brunsvicensis sua ex hoc conventu commoda captârunt: hic pleno in urbem Brunsvicensem jure donatus; atque à sapientiæ doctrinæque fama adscitus ad intima consilia Cæsaris: ille aliis æmulis, quemadmodum citati edicto erant, coram tribunali Cæsareo non comparentibus, Juliam annexásque provincias ab Imperatore fiduciario jure obtinuit, clientelari statim institutione confirmatus: sed eam obtinuisse facilius, quàm armis tutari fuit.

Comitia Pragensia solvuntur. Nihil ex illis auxilii obtinet Imperator Rudolphus. Rex Galliæ Henricus IV. necatur. *Palatius in Aq. Aust. l. 47. c 2. Spond. ad hunc annũ. ms. Turckii Vita Rudolphi Cæsaris*

Christianus II. Elector Saxoniæ Juliam Cliviam &c. à Cæsare obtinet & investiturâ donatur. *Helvic. in theat. hist. & alii scriptores de successione Juliacensi.*

Hæc

Hæc enim Cæsaris in Saxonem benevolentia adeò irritavit competitorum animos, ut juncto mox exercitu provincias hostilibus armis ingrederentur; certiorem à Marte quàm à Cæsare fortunam favorémque petituri: ídque tam prospero eventu; tanto animorum æstu; ut oppositus Leopoldi exercitus, multis passim cladibus imminutus, aut internecione deletus, sustinere belli molem, urbésque ac arces tueri haud valuerit. Et jam arx Bredenbenda ab Ernesto Brandenburgico, qui fratris Sigismundi eo in Bello vices obibat, redacta erat ad pulveris tormentarii inopiam; ac penè interîerat, præsidiario milite magnam partem obtrito. Missi in auxilium ab Archiduce trecenti sclopetarii sacculis pulverariis onusti, dum rustico quodam viarum duce conantur per devias paludes penetrare; propè ad unum omnes ab obsidentibus mactantur; neque horum stragem avertere aut ulcisci poterant mille alii, ac septingenti pedites; & sex equitum turmæ, quos cum tormentis bellicis quatuor in proximo nemore Archidux abdiderat. Hi enim facto in obsidentes impetu cum ducentorum amissione pariter rejecti sunt.

Brandenburgicus & Neoburgicus offensi, favore Saxoni à Cæsare præstito, atrociùs Leopoldianos persequuntur. *Helvicus theat. hist. Londorp. Jul. Cæs. Bulengerus & alii.*

Internecio gravior facta à Christiano Principe Anhaltino. Is Majo ineunte è Galliis per Hollandiam redux, cùm in itinere didicisset, non exiguas Leopoldi auxiliares turmas trans Mosam per pagos Juliæ in stativis considere; securas hostium, & nulli, quàm agricolis formidabiles: confestim Neomagi & suum & Friderici Nassovii militem plaustris injicit; plenóque cursu, quasi Jovis quadrigas conscendisset, advectus, incautos adoritur. Perfacile fuit hostem in quatuor equitum, peditúmq; cohortem unam divisum dispersúmque ex improviso opprimere. Pars magna statim contrucidata, plurimi per agros palantes, atq; ex fuga ad sexcentos in captivitatem retracti: qui omnes in triumpho adducti Dusseldorpium, ubi magnus honor habitus victori Anhaltino ab utroque Principe Brandenburgico & Neoburgico, tam gloriosè revertenti ad primum ab urbe lapidem obviàm prodeuntibus. Archidux Leopoldus nihilò dejectior tam adverso Marte; incensus magìs contumeliâ illatæ cladis ad Imperatorem abit, de ratione belli feliciùs prosequendi consulturus, urbe interim Juliacensi prudentiæ & fortitudini Joannis Reuschenbergii commendatâ. Hujus de abitu factus certior Mauritius Nassovius militiæ fœderatorum Ordinum supremus Præfectus, exeunte Julio cum ingenti exercitu ex Anglis, Gallis, Belgísque conflato, per Hollandorum provincias in Juliam irruit. Auctus deinde Christiani Anhaltini copiis oppugnationem Juliaci Kalendis Augusti aggreditur. Magnis ibi animis & ab osidentibus & ab obsessis integro mense pugnatum. Obsessorum

Victoria Christiani Anhaltini de Cæsareanis obtenta. *Auctores iidem.*

rum tamen animos non parùm infregit Chatræi in obsidentium castra adventus cum instructissimo Gallorum peditum novem millium, & ducentorum supra mille equitum exercitu. Jámque munitiones erant, & obliqui accessus ad usque fossas producti: suffossa cuniculis ipsa arcis propugnacula, quæ injecto igne omnia præsentem intentabant præsidiariis mortem; cùm Reuschenbergius, ut communem omnium interitum deditione averteret, arcem oppidúmque secundâ septembris victoribus aperit. Atque ità universa Julia & Clivia aliæque ditiones duorum Principum dominatui traditæ, prorsus exclusis Saxonibus; quorum deinde contentio & ardor plurimùm refrixit. Nihil hoc rerum statu tristius Religioni Catholicæ; ad quam ubique exterminandam Lutheri & Calvini asseclæ sub horum Principum regimine audentiùs conspirabant. Nec illud minùs triste omen, quòd hoc anno Dusseldorpii in palatio cœnam Calvinisticam celebrari à nobili & numeroso cætu, Catholici cernerent; intérque eos magno convivantium gaudio novum convivam Ernestum Marchionem Brandenburgicum, Juliæ & Cliviæ Gubernatorem; ad Calvinum à Luthero nuper transgressum.

Juliacum expugnatur ab Anhaltino. *Stangefol. Buleng. Londorp. & alii.*

Lætiora subinde Religioni Catholicæ tempora obtigêre in Comitatu Ritbergensi. Ubi, postquam Sabina Catharina, Ennonis III. Ostfrisiæ Comitis, & Walburgis Ritbergicæ filia, indéque unica Comitatûs Ritbergensis hæres jam pridem anno MDCI. in gremium veræ Ecclesiæ rediêrat: hoc præterea anno Joannes Comes Ritbergensis, Sabinæ Patruus, ejusdémque sublato per authoritatem Pontificiam consanguinitatis impedimento conjux subjectum sibi populum post sexaginta & ampliùs annorum tenebras ad Catholici veritatis lucem reducere studet. Eâ mente Paderbornâ Rectorem collegii Patrum Societatis JESU Joannem Roberti Ritbergam evocat: paucis, quid cum animo versaret, aperit: eúmque ad Comitatûs sui templa post tot annorum profanationem reconcilianda adhibet. Tam salutari operi XXVIII Februarii, qui primus jejunii quadragenarii dies erat, initium datum à Ritbergensi Ecclesia. Rei divinæ solenni ritu peractæ de præstantia orationis, si jejunio societur, concio subjuncta fuit; præsente Comite, cum Sabina conjuge & prolibus, auláque tota & gynæceo: nec paucis incolis seu novitate rei, seu boni animi motu accitis. Itum deinde longiùs pari pietate ad alias *hujus Comitatûs parochias: templáq; omnia ex more Catholico sacris initiata cerimoniis, supremi Numinis cultui restituta sunt: migrare aliò, & silere jussi omnes doctrinæ Lutheranæ Prædicatores; quòd clàm intrusi, nec *per ostium introiissent*. Reliqui non vi, aut virgâ ferreâ; sed mansuetudine,

Comitatus Ritbergensis ad Fidem Catholicã reducitur. *Fridericus Rôrich S. J. in concione funebri Ritbergæ habita anno 1518. Hist. ms. Turckii ad ann. 1601. & 1610.*

*Neukirchen/ Berle/ Mastholt

piis

piis monitionibus, soliúsque veritatis agnitæ impulsu in viam reducti.

Ut verò *Religionem* esse *vanam* discerent, quæ cum virtute, & vitiorum fuga conjuncta non sit, gravi in eos animadversione utendum censuit, quorum vita & mores à doctrina Religionis dissentirent. Unum proferam hoc anno editum hujusmodi severitatis exemplum. Comes in Juliacensi bello perquam studiosus Cæsaris, ac Christiani Saxoniæ Electoris, non modicum conscripserat exercitum ad recuperandam Bielefeldiam. Ne quid tamen inconsulto Imperatore aggrederetur; ad eum Pragam contendit: milite per oppidum & pagos distributo. Is verò per absentiam Comitis solutior, audaciórque ad proxima quæque loca, ubi prædæ spes aliqua, effusus multa impiè nefariéque committit. Obvii prope Susatum, in ejúsque urbis territorio pagi, & quidquid per viam spoliis opportunum; primos prædantium impetus sustinuêre; ne vomeribus quidem aratrorum in agris parcitum. Ipsáque urbs Susatensis ad pendendum non leve tributum violenter adacta. Indè per agrum Paderbornensem, Osnabrugensem, Monasterienſem, viæ omnes latrociniis, & grassatoribus infestæ. Mox ad Visurgim flumen in Principatum Corbejensem procursantes, latè omnia sceleribus, & vastitate complent. Comes Pragâ ab Imperatore redux, reperit in itinere omnia querelarum, turbarúmque plena. Crebris deinde literis appellatus de sarciendis damnis, sedulò inquisitionem fieri in sceleris authorem jubet: deprehensúmque tandem, culpam residere in eo *, cujus fidei arcem, militésque gubernandos abiens commiserat: non modò hunc omnes militaris licentiæ habenas laxâsse militi; sed datis etiam commeandi literis, quodammodo viam ad prædandum stravisse. Rogantur tria militiæ tribunalia sententiam de pœna delicto irroganda: & à singulis pœna capitis pronuntiatur. Neque Comes ullis ad gratiam vitæ faciendam rationibus induci potuit. Quare reus culpæ gravitatem agnoscens, cunctis facultatibus priùs erogatis in pauperes, consuetísque sicut *bonus miles Christi*, Romanæ Ecclesiæ armis in mortem munitus, cervicem fortiter securi subjecit: dignus, qui ob bellicas virtutes honestiore in arena sanguinem profudisset. Exinde Comes, quòd ex tenui ærario sufficere porrò stipendia tanto exercitui non posset; plerosque militum ultro rude donavit; vel aliò dilabi fugâ, haud ægre passus est. Eorum partim hostium auxêre castra: partim reversi ad gustatas antè in Westphalia prædarum cupedias; sed capti corvorum passim in patibulis, rotísque pabulum fuêre. Valuit autem isthoc justitiæ exemplum ad majus virtutum, religionísque per Ritbergensem Comitatum in hæc usque tempora florentis studium.

Joannes Comes Ritbergensis plectendo scelera studet promovere studia virtutum & Religionis Catholicæ. *Kleinsorgi in contin. Cosmod. Gobelini.*

* *Præfectus arcis* Thot *dictus.*

Plu-

Plurimum inde gaudii Joanni Comiti Ritbergensi. Nec minùs Theodoro Episcopo nostro solatii ex accrescentis per Diœcesin suam Religionis, pietatisque fructibus. Vidit ille non semel eos, quibus antea Catholici ritus deridiculo erant; novo ornatu aut intrà mœnia per ædes sacras, aut extra urbem ad sacellum Romanum in supplicationem prodire: alios oblongâ, pullâque veste; quâ vitæ licentiùs actæ dolorem: candido habitu alios, quo peractæ pœnitentiæ signa testarentur, indutos; obnupto capite, nudísque pedibus omnes corollam precatoriam alterâ, alterâ cereum manu gestantes: moribus tam compositis, tanto precum ardore; expansis, dum salutaris hostia sublimè tolleretur, brachiis, ut auditus sit postea Theodorus Episcopus, cùm diceret; tam uberes, sub ipsa renatæ Religionis incunabula, *primitias* spiritus* sibi præ gaudii abundantia lacrymas extorsisse. Pupugit tamen hoc pietatis spectaculum non leviter hæreticos: Fuítque de trivio rabula tam protervè dicax, ut anniversariam, quâ Divorum urbis tutelarium reliquiæ à supplicantibus circumferuntur, solennitatem conspicatus sinè fronte effutiret: *vel unicum ex Lutheri femoralibus, quæ alibi in honore essent, filum pretiosius sibi, gratiúsque fore, quàm ingentem illam mortuorum ossium congeriem.* Illoti oris, ejúsque similium rabularum sacrilegæ cavillationes, & odia non sorbenda solùm Theodoro Episcopo; sed etiam concoquenda fuerunt: donec tandem satietate defessus, anno proximo omnem in eos stomachum erumperet.

Pietas resipiscentium civium Paderbornensium.

Quantum inde gaudium Theodoro Episcopo.

Annales Colleg. S. J. Paderb.

**ad Rom 8. v. v. 23.*

At cunctantem Theodori Principis justitiam divina prævenit, injectâ patriæ plagâ levi illa quidem; sed quæ ex portento formidabilis, & mali gravioris nuncia timebatur. Sudum omnino cælum erat tertio Kalendas Maji: & gratissima aëris serenitas; cùm repentè sub horam quartam opaca, & nigrore horrida ab occidentis solis regione nubes exsurgit: quæ celerrimo motu, non aliquo impulsa vento, quòd nulla adhuc esset cæli intemperies; sed occultâ agitatione incitata advolat; urbem hanc obtegit, tantam extemplo vim grandinis, ovi gallinacei magnitudinem æquantis effundens; ut contusi in tectis imbrices, comminutæ fenestræ, rami arborum detracti, nemine pedem domo efferre ausо. Vehementem grandinis effusionem lenior pluvia excepit: eâ cessante portentosum erat cernere in quovis grandinis globo, tanquam in pellucidò speculo, feminarum capita, humanósque vultus, iridis quasi coloribus expressos; capronis in fastigium erectis; pendentibus cincinnis, striatísque collaribus. Ipse, qui id temporis hæc literis consignavit, vidisse se testatur aliquot grandinum globos, diu mellis beneficio asservatos ad fidem exteris faciendam. Varii continuò hujus ostenti interpretes, cùm hanc urbem solam, aliis intactis

Prodigiosa grando & pernicioſa Paderbornæ, non item vicinis urbibus.

Kleinsorg. in contin. Cosmodr. Gobelini.

ctis, eâ percussam tempestate intelligerent. Alii mulierum nimio in urbe luxui illusum volebant; derisámque in parando mundo muliebri, comendóque corpore diligentiam. Per fastigiatas capronas divinabant alii, hæreticorum notari cornua; utpote quæ levi ictu paulò pòst convellenda essent, instar aquæ concretæ gelu, ad venti calidioris flatum diffluentis. Sed quid conjecturâ, quæ in varias partes duci potest, incertius? præsertim, cùm id genus fatidici vates non aliquo aganturNumine, sed pro suo quisque genio quidvis augurentur. Haud dubium tamen; hæsisse adhuc in urbe plures projectæ audaciæ homines; & elatos hæreticorum spiritus. Quorum de grege fuit plebejus homo, malæ mercis institor, indolis petulantiâ magìs, quàm lucri cupiditate ductus comparat sibi libellum famosum, vernaculo sermone scriptum; quo Jesuitæ tanquam cædis Henrico IV. Galliarum Regi nuper illatæ authores ad pœnas deposcebantur. Ad calcem libri appendix erat fusè differens de nequitiis & mysteriis, unde tela ad hujusmodi expeditiones depromerent. Atque ut criminationis invidia certiùs diffunderetur; pro summi templi foribus infamem satyram in publico mercatu vendendam exponit. Ut primùm veteratoria scriptio in oculos Patrum incurrerat, compellant hominem, de contumelia conqueruntur; adulterinam mercem diribitori ablatam volunt. Urbis Prætor Henricus Westphalen magìs indignatus, dispositis apparitoribus homini comprehendendo invigilat: comprehensum protrudit in carcerem; certus pro delicti gravitate vel præcisionem auriculæ; vel præter probrosum lictoris manu inflictum fustuarium, exilii pœnam decernere. Patres verò Societatis memores consilii *Christi Domini multis judicem obtestati sunt; ne quid durius in calumniatorem statueret. Mitigata igitur horum precibus sententia, ut diebus octo fame & frigore in ergastulo castigatus, urbe exigeretur. Priusquam exulatum abiret; videns famæ resarciendæ necessitatem, Patres supplex adiit; aspersam maculam, cùm non posset calamo, lacrymis deleturus. Prandio recreatus, & largo viatico discessit; monitus, ut disceret cautiùs mercari. Nihil attinet hîc referre grandiora aliorum aliis in mundi partibus scriptorum volumina, quibus rursum in parricidii hujus suspicionem vocare Jesuitas conati sunt. Vel unas Ludovici XIII. Galliarum* Regis literas legisse, plùs satìs fuerit; quæ de Reginæ matris, de Principum, ac Procerum sententia exaratæ extant, innocentiæ Jesuitarum testes. Habet hoc hæreticorum livor, & maledicentia: iterum iterúmque lectori ad nauseam recoquunt incoctam toties de Jesuitis crambem; tanquam insipidi eorum libri essent, aut impoliti, minúsque grati, nisì bile in Jesuitas effusâ condirentur; aut ab

Variæ divinationes, quid portentosa illa nubes & grando sibi velint. *Ibidem.*

Famosus liber de Jesuitis, quòd per ipsos Henric⁹ IV Rex Galliarum occisus esset, aliisq; plenus calumniis venalis exponitur à bibliopola Paderbornensi. Pœna hominis. *Annales collegii PP. S. J.*

**orate pro calumniantibus vos. Lucæ c. 6. v. 28.*

**diploma illud habetur in Juvencio hist Societ. l. 12. p. 5. pag. 124. Spond. ad hunc annũ.*

ab inſperſis ad eoſdem conſpurcandos ſordibus nitorem ſibi, gratiámque accerſerent.

Annus Chriſti 1611.

PAULI V. Pontificis.	6. & 7.
RUDOLPHI II. Imperat.	35. & 36.
THEODORI Epiſc. Paderb.	26. & 27.

RUdolphus Imperator quò morti propior venientibus annis; eò magìs à fortuna, & amicis fugientibus deſertus, res ſuas omnes vergere in deterius videt; à ſuómet etiam exercitu, quem ad provincias Juliacenſes in quiete continendas miſerat, in graves turbas conjectus. Paſſavienſem vulgò ſcriptores vocant exercitum à duce ejus Leopoldo Auſtriaco Paſſavienſium Epiſcopo. Depulſus ille ex urbe Juliacenſi prædas agere per viam, tumultu miſcere omnia cœpit; non tam irritatus ſiniſtrâ belli fortunâ, quàm negatâ hactenus ſtipendiorum ſolutione: cúmque Paſſavii reſtiturus in hibernis crederetur; motis ex inopinato caſtris, in Bohemiam ſe infundit; oppidísque aliquot expilatis circiter Idus Februarias ad Pragam, ubi tunc ſedes Imperatoris, conſidet; eámque urbis partem, quæ Praga minor appellatur, XV. Kalendas Martii die hilariorum, quo indulgeri epulis largiùs, & oblectamentis ſolet, ingreſſus, lætitiam illius temporis funeſtat, ſtipendia rapturus à nolente Cæſare, quæ obtineri à volente non poſſent. Hìc protinus ad arma Bohemi hæretici: ejectóque ex urbe peregrino milite, in religioſorum monaſteria barbarum in morem debacchari: ſpoliare tanquam receptacula hoſtium, conſiliorúmque peſſimorum officinas omni diritate peſſundare: reliquiis, templorum ornamentis, imaginibus per compita & plateas manu ſacrilegâ diſperſis, proculcatísque; non paucis etiam ex religioſorum cœtu, tanquam turbarum concitoribus, crudeliſſimâ nece illatâ. Pulſis deinde è regno Paſſavienſibus copiis, Archiducem Matthiam ex Auſtria cum exercitu in Bohemiam evocant: eidémque, omnibus læto clamore aſſentientibus, decimo Kalendas Majas regalem coronam conſuetis cerimoniis imponunt: Rudolpho fratre vel armatis precibus ad regni abdicationem inducto; vel nequidquam invito, & repugnante. Proceres quoque Germaniæ, cùm ità vileſcere & negligi Rudolphi authoritatem; corporis etiam animíque vires decreſcere; Matthiam verò fratris detrimenta ſuo apponere lucro, cernerent, menſe Septembri Norimbergæ conſilia agitant de tollendo

Parva Praga intercipitur à Leopoldicis, furor indè & tumultus Pragenſium. *Helvicus theat. hiſt. l. 5. p. 139. Spondan. pag. 953.*

Matthias Rex Bohemiæ coronatur. Comitia Norimbergenſia. *Spond. ad hunc annũ Helvicꝰ in theat. hiſt. pag. 138. mſ. Turckii*

lendo ejus ex humeris Imperii onere: déque alio, velit, nolit, ipsi subrogando: qui majori fortitudine & gloriâ Imperatoriam Majestatem sustineat. Quorundam tamen dissensione, vel potiùs aliquâ adhuc in Cæsarem reverentiâ disturbatum electionis negotium; rejectúmque est ad comitia anno postero Francofurti habenda.

Aquisgrani etiam hæreticorum molimina repressa sæpe, nondum compressa penitùs, ad majorem hoc anno urbis perniciem se se effundunt. Sex in carcerem à magistratu protrusi cives pœnas dabant sæpius violatæ legis: quâ vetitum, ne quis extra urbem hæreticorum immixtus cœtui, aures eorum concionibus daret. Dicta captivis erat levior quædam mulcta, tanquam tessera obedientiæ pendenda. Ejus verò solutionem, cùm in ipsas sex jam hebdomadas contumaciter procrastinâssent, tertio tandem Nonas Julias à senatu decernitur: *penderent pœnam pecuniariam: aut si per tenuitatem opum non possent; meliora polliciti condonationem flagitarent. In alterutro nisi gererent morem; priusquam sol occumberet, tanquam obstinatos et rebelles urbe excludendos.* Antemeridianum hoc senatus consultum sedulò tegebatur; nulla ut ejus ad populum in urbem aspirare suspicio posset. At perdifficilè ità curiæ rimas obstruere, quin aliquid perluceat. Paucis pòst horis ubi res populo suboluit, circiter quartam pomeridianam ad feralem æris campani sonum ingens vesanæ plebis è gurgustiis, tabernis, officinis accursus. Raptis, quæ cuique sors obtulerat, armis ad forum in ipsa curiæ penetralia irruitur: horrendâ vociferatione cædem, incendium, vastitatem conclamant; nî, laxatâ mox custodiâ, religionis suæ socios impunes missos faciant. Neque antè tumultuantium ira desævit, quàm impuniti omnes, solutâ captivitate, prodiissent.

Tumultuantur Aquisgranenses contra magistratum. Causa tumultûs. *Helvic. in theat. hist. l. 5. f. 136.*

Atrociùs deinde grassatum in Jesuitas: eorum duos, qui valetudinis curandæ causâ peregre illuc venerant; dum ex urbe ab amicis domum redeunt; gladiis & fustibus armata cohors per viam aggreditur. Diréque contrucidati ante ipsas fuissent collegii fores; nisi celeri fugâ in vicinæ domûs latebris persequentium rabiem evasissent. Novus deinde sexto Julii sub tertiam matutinam, majórque furentium impetus. Adest conglobatum, densúmque agmen. Saxis prægrandibus, contis, bipennibus, ferociter in domûs januam arietatur. Patres veriti, ne truculentiùs agerent, si per valvarum cogerentur ruinas ingredi; ultro fores sævientibus recludunt. Antesignanus cum sociis aliquot mox irruens, janitore multis verberibus inhumaniter salutato, insignem obvio sacerdoti plagam infligit: horrendùm inclamitans: *ubi urbis consules? ubi reliquorum de grege tuo nebulonum latibula?* cui tremulâ voce Pater: *Contubernales suos*, inquit, *esse in templo congregatos. Nihil extra*

Idem Jesuitas crudelissimè exagitant. *Helvicus libro citato Annales Societ. Juvenc. l. 14. part. 5. pag. 247*

eos peregrini hominis domi latere uſpiam. E veſtigio procurrentes in templum vident eos ante ſacroſanctam Euchariſtiam in genua provolutos. Subſtitêre pauliſper quaſi ſacro horrore defixi: at rediit actutum animi furor: precibúsque interpellatis omnes in vicinum atrium pedibus, manibúsque propelluntur. Indè viâ infami, quâ facinoroſos capite damnatos deduci, moris eſt, curiam versùs ſocii novem inter acerbiſſima verbera protracti. Patres reliquos jam propè exanimes domi non leviùs fœdiſſimæ direptionis conſpectus afflixit. Nihil in re domeſtica tum ſacra, tum profana fuit; quod furentium rapaces manus, ludibria, ſacrilegia, non ſenſerit. Ipſi Patres rebus jam omnibus exuti, immane dictu! quàm multa, quàm indigna perpeſſi ſint. Ex alio in aliud conclave; pérque omnes domûs angulos obtorto collo raptati, nihil nisì maledicta audiunt; terrificósque ſermones de laqueis, quibus gulam frangant; de acuendis cultris, quibus aures, narésque præcidantur. Mitto injurias alias, quibus tandem erepti ſunt commiſeratione quorundam Catholicorum, qui apud vulgus gratioſi id exorârunt; ut, migrare in ædes Decani * tanquam in cuſtodiam, Patribus liceret: indè revocandi, ſiſtendíque populo, quando, & ubicunque libuiſſet. Potentius per Legatos patrocinium præſtitit Regina Galliarum, Maria Medicea, Regis Ludovici XIII mater. Hæc ſeu recenti non levium in urbem beneficiorum memoriâ; ſeu Gallici exercitûs in viciniam adventantis metu eò induxit furentium animos, ut Patres jam menſium quinque ſpatio apud amicum diverſatos, regredi in ædes ſuas pridie Nonas Decembris permiſerint. Neque defuiſſet innocentibus æquitas Imperatoris Rudolphi; nisì paulò pòſt morte coactus eos deſerere, ex turbis hujus mundi abiiſſet.

Furor Aquisgranenſium in Jeſuitas. *Auctores iidem.*

**dictus Joannes Worms à Thomberg.*

Urbs Agrippinenſis inter hæc cautior ex alienis periculis; nihil prætermiſit, quò impias ejuſmodi molitiones quâcunque ope divinâ, & humanâ præverteret. Eò donati civitate hoc anno, publicóque admiſſi decreto fuêre Nono Kalendas Novembris, ut exordia religioſi inſtituti ſui iſtic caperent, Patres Ordinis ſancti Franciſci (quos Capucinos dicimus) quíque cultu rigidioris vitæ, aſpero, incomptóque habitu homines à liberiore per hæreſin depravata vita, ad meliorem frugem, ad expiandam piis pœnitentiæ operibus tot rebellionum culpam allicerent. Crevit deinde pluribus piis aliunde accitis viris religioſa iſthæc familia, ſuóque in rem Catholicam, pietatémque promovendam ſtudio, conſulum aliorúmq; beneficentiam quinquennio pòſt permovit, ad ſtabilem habitationis ſedem aſſignandam.

PP. Capucini hoc anno Colonienſem in urbem admittuntur. *Ægidius Gelenius. mſ. Turckii*

Neque in Diœceſi noſtra ſuis caruit incrementis, ſtrenuísque tutoribus Catholica Religio. Hæretici diu recondita quædam latibula

bula quæsiêrant; in quibus filii ad parentum ingenia, morésque formarentur. Atque ità innocens ista ætas errores combibebat, quos ægre adultiores evomerent. Olfecit damnosas scholas, qui puerili tironum ludo præerat, Bartholomæus Ruffius. Is continuò insidiis, per supplicem libellum Principi expositis, severius decretum, prætori urbano inscriptum, obtinet; quo, facultate pueros privatim, puellásque docendi sublatâ, insuper mandat Princeps, universa clàm discentium, docentiúmque receptacula everti, destruíque. Neque timidior Ruffius in perurgenda decreti promulgatione. Inde conflata sibi, omnium per plateas linguis, saxísque insectantium, odia animo imperterrito tulit: cúmque in petulantem violentè eum in vicis aggredientium turmàm incideret; fortiter luctatus, machærâ uni luculentam plagam infligit. Vulneris dolores aucti sunt pœnâ carceris, in quem læsus ille cum sociis detrusus, emendatúsque fuit. Ceteris levi hac in paucos animadversione coërcitis, res prospere ex bonorum omnium sententia procedebat: consultúmque parvulis eò magìs, quò prima fidei elementa, rudibus percepta annis, hærent tenaciùs. At brevi spes omnis in herba succisa fuit. Filios enim, postquam tribus quatuórve annis, cum aliquo saltem pietatis gustu, imbuti humanioribus literis erant, abstractos è scholis Catholicorum aliò Lipstadium, Lemgoviam, Marpurgum, Rinteliam amandabant; ut velut angues ex agris reversi ejectum virus resorberent, & imbibitus cum literis pietatis succus hæresis veneno extingueretur. Plùs allaturum momenti sperabatur edictum aliud de matrimonio à nemine contrahendo; nisì qui sua priùs peccata sacerdoti Catholico in sacro tribunali aperuisset. Sed & hoc protervè elusum creberrimo ad finitima loca, Lipstadium, ad pagum Sclange, in confini comitatu Lippiensi situm, perfugio. Ubi audacter nullo metu gravioris multæ absterriti, cerebrosa conferebant capita, tædásque nuptiales, & consilia in commune jungebant. Erant & ipsi quorum habitatio in suburbana domo ob contagiosam lepram ab aliis discreta est; non corpore solo, sed mente etiam infecti. Novo huic morbo, à quibus afferri medicinam oportuisset; lepræ turpitudinem non ferentes, adire ægrorum contubernium horrebant. Obtulêre se ultro alii; quibus animi, quàm corporis impetigo periculosior, fœdiórque visa. Nec à remedio ferendo antè destiterunt; quàm omnes ad sanam mentem, ínque sinum Romanæ Ecclesiæ rediissent. Mussitabant interea hæretici, & clàm fremebant; palàm contraire veriti istis recentibus decretis. Nonnulli tamen, qui indolis acrimoniâ magìs, quàm maturitate consilii valebant, ausi tentare rursus per supplices literas Principis clementiam: si, aperire

Theodorus Ep. privatas ædes, in quibus pueri clàm Paderbornæ hæresin docebantur severè interdicit & conventicula illa destruit. *Hist. collegii S. J.*

Hæretici Paderbornenses abstrahunt è scholis Catholicorum filios & aliò mittunt. *Vetus ms. Annales S. J.*

Leprosi à Jesuitis Paderbornæ convertuntur ad Fidem Catholicam. *Ibidem.*

Hæretici supplicant apud Theodorum Ep. pro aperiendis privatis scholis.

Theodori Ep. responsio.

de integro literarios ludos, liceret. Hi responsum immite quidem & asperum abstulêre; sed leni dignum, sapientissimóque Principe. *Nihil*, ait Princeps, *æquè dolere se; quàm diutinam illam errorum in Diœcesi sua tolerationem. Nec aliquid sperent novis sanctionibus adversum ullo unquam tempore sibi indulgendum.* Vehementer brevis hæc responsio feriebat hæreticorum aures. At tantò suaviùs recreati Catholicorum oculi raræ pietatis spectaculo; cùm ipse pientissimus Princeps XV Augusti, qui Deiparæ in cælos assumptæ sacer dies est, supplicantium cætui ad sacellum Romanum se pedes socium jungeret: eo divæ Virginis, cujus statua à primoribus urbis præferebatur, cultu, quorumdam in urbe hæreticorum stolidam correcturus opinionem; quasi rudis plebecula ejusmodi otiosis circuitionibus induceretur, ad honoris aliquid lignis, saxísque habendum: crederétque quidpiam veri Numinis in fictis istis simulacris inesse.

Ejus pietas erga B. V. MARIAM. *Hist. collegii S. J. Paderbornæ.*

Annus Christi 1612.

PAULI V. Pontificis	7. & 8.
RUDOLPHI II. Imperator.	36.
MATTHIÆ Imperator.	1.
THEODORI Episc Paderb.	27. & 28.

HOc anno Christi duodecimo supra millesimum sexcentesimum Rudolphus Imperator ætatis suæ sexagesimo fatale mortis imperium in arce Pragensi subiit X. Januarii; variâ jactatus fortunâ; confectus senio, morbis, bellorúmque tædiis. Eóque magìs sceptra, coronas, Regna, vitam ipsam perosus, mortémque appropinquare gaudens, ità emortualem lectum circumstantes alloquitur: *Charissimi mei, cùm in juventute mea à divo parente meo ex Hispania in hanc patriam meam transitoriam per Legatum revocarer; tanto gaudio perfundebar, ut sequentem noctem, totam insomnem traducerem. Quantò magìs mihi nunc lætandum, quia pater meus cælestis in æternam patriam me brevi avocaturus est: ubi nulla est temporis vicissitudo, aut mutatio; et ubi calamitas nulla est.* Plurimi virtutes ejus, ac naturæ dotes celebrant; contra ac Spondanus scriptor Gallicus, paulò asseverantiùs, eum fuisse, dicit, *bellicis curis ac ferè civilibus minùs, et naturâ et valetudine aptum.* Hoc tamen ipsi à plerisque datum vitio, quòd optimis orsus initiis, posteriora vitæ tempora contaminârit nimiâ in hæreticos benignitate, & indulgentiâ; segniter timidéque hærendo in aula Pragensi, hæreticis interim sacra, profanáque omnia pro libidine sua miscentibus. Matrimonii semper absti-

*Palatius l. 47. c. 11.

abstinens fuit Rudolphus: non tamen improlis decessit. Cujus illiciti commercii, ùt inquit Palatius * *culpam non modicâ dignitatis jacturâ luit.* Evocati postea Francofurtum ad comitia septemviri, Matthiam fratrem, Hungariæ jam tum Bohemiæque Regem, XIII Junii caput Imperii renuntiant. Quem quartâ ibidem & vicesimâ ejusdem mensis Joannes Schweikardus Archiepiscopus Moguntinus Regali decoratum purpurâ, & Augustali coronâ redimitum Romanorum Imperatorem inunxit. Sextus deinde Kalendas Julii designatus dies, quo pari magnificentiâ conjugi Annæ, Austriaci sanguinis, ex Tirolensi Comite Ferdinando, Ferdinandi primi Imperatoris filio prognatæ, corona Imperii imposita: solennibus nuptiis jam anni superioris mense Decembri Viennæ celebratis. Quam in urbem nunc quoque ex arce Pragensi transferre sedem Imperatoriam placuit.

* *Aquila Aust. loco citato.*

Moritur Rudolphus Cæsar. Succedit Matthias frater. *Stangefol. Spond. ad hunc annũ.*

Rudolphum Imperatorem paucis pòst diebus ex hac mortali vita secutus in æternitatem est, Ernestus Bavarus, Agrippinensium Archiepiscopus, in arce Arensbergensi 17 Februarii placidâ piâque morte extinctus. Princeps erat indole ad summa surgente florens; consilii maturus; Catholicæ rei inter paucos diligens; publicæ pacis assertor. Si ditionum, quibus præfuit, amplitudinem *spectes, post Pontificem Maximum major vix ullus in hierarchico universi orbis Christiani statu. Et habuit vires animi, dotésq; præclaras tantæ molis capaces; prudentiâ, magnanimitate, facundiâ illius ævi Principum nemini inferior. Nec ità tamen Diœcesibus bene administrandis se impertiit; quin simul ab ipso Pontifice & Rudolpho Cæsare sæpius in consilium adhibitus, magnam curarum partem daret arduis aliis Imperii negotiis conficiendis. Princeps multis excultus scientiis; eodémque, quo in literas, etiam in literatos amore & benevolentiâ ferebatur; homines eruditos honoribus, opibúsque locupletando. Longum foret, recensere collata in plures Ecclesias, in religiosas domos beneficia, omniáque virtutum præstantissimarum decora. Inter hæc tamen diffiteri, animus non est, *cedros Libani,* viros excelsæ virtutis, quandoque tentationum inflecti ventis, infringíque posse. Vitam ad annos productam * quinquaginta septem quàm laudabili & religioso fine coronârit; lubet ex ipsis Gelenii verbis percipere: *grandi,* scribit, *languore oppressum abdicatis publicis curis, aulæque strepitu totum in Deum fixum; et ad lacrymas, suspiria, divinas meditationes conversum, in ipsum morbidum corpus severè animadvertisse: totiúsque anteactæ vitæ peccata, piâ cordis compunctionis, et pœnitudine animi confessum * Joanni Pelkingio deinde Episcopo Cardicensi. Demum sacrosanctæ Eucharistiæ munitum viatico, ingeminatis sæpius his verbis:* JESU fili David miserere meî

Moritur Ernestus Archiepiscopus Colon. *Kleinsorg. Stangefol.*

* *Archiep. Colon. Ep. Frising. Leod. Monast. Hild. Administr.*

* *Stangefol. Gelenius numerat annos 62.*

Quàm piè mortuus Ernestus. *Gelenius pag. 243.*

* *Fuit Ord. FF. Minor. Convent.*

meî. *placidè, et piè in Domino obdormiviſſe.* Cadaver aromatibus conditum, ornatúmque Electorali habitu per altiſſimas eo tempore nives tertio Nonas Martii transvectum Coloniam; ibidémque in æde Metropolitana illatum magnifico Mauſulæo, ante ſacellum trium Regum exſtructo.

Ernesto ſuccedit Ferdinand⁹ Bavarus Coloniæ, Leodii, Monaſterii, Hildeſii. *Stangefol. Kleinſorg.*

Ab Erneſti obitu relictæ ab eo mitræ, Friſingenſem ſi excepe-ris; pulchro nexu omnes in uno capite Ferdinandi Bavari coîêre. Is Erneſti ex Wilhelmo ejus fratre nepos erat: neque tanto oneri cum laude, & gloria, exemplo patrui, ferendo impar: utpote qui pridem delectus Coadjutor, in partem ſacri muneris veniendo, ſuî jam periculum fecerat. Et Ferdinandus, poſtquam funus ſatìs amplum Erneſto faciendum curâſſet; quartâ Idus Martii Coloniæ inauguratus; mox celebratâ poſtridie ſynodo omnia ad iter Francofurtum versùs ad novi Cæſaris electionem componit. Quò etiam ſplendidâ Procerum comitante turbâ haud multò pòſt profectus; omnium primus cum Joanne Schweikardo Moguntino Archiepiſcopo ingreſſus Francofurtum, ab undecima Maji ad exeuntem uſque Junium Matthiæ Regis honoribus, communi Imperii ſaluti, Catholicæque præſertim Religioni conſultum ivit. Indè in patriam, ex eâque XXII Septembris in Diœceſin noſtram regreditur. Cui multâ cinctus equeſtrium virorum coronâ Theodorus Epiſcopus proceſſit obviàm: ínque arcem Neuhuſanam maximo, quo poterat, apparatu deduxit *Pater Filium*: hoc enim dulciſſimo nomine recreare ſe in familiaribus literis, ſermonibúsque conſueverant. Vetus amor ille, animorúmque conjunctio multùm increverat, poſtquam vivente adhuc Erneſto decimâ Februarii Ferdinandus Epiſcopo noſtro Theodoro Coadjutor datus fuerat omnium, quorum intererat, eligentium conſenſione. Fuítque maturata electio ex gravi metu, ne, ſi quid humanitus ex improviſo accideret ſeneſcenti Epiſcopo noſtro; extinctæ veteres turbæ reviviſcerent; ínque Diœceſis perniciem conſpirandi rurſum occaſio præberetur. Jam enim, ùt narrat Kleinſorgius, turbulenta quædam de Ordine equeſtri capita elato ſupercilio XXVI Januarii in civitatem venerant; aditóque Reverendiſſimo ſummæ ædis Capitulo palàm ſinè omni metu in has eruperant voces: *nolle ſe unquam pati, ut ſuis absque ſuffragiis deinceps Diœceſis Antiſtes legeretur. Penès nobilitatem patriæ jus idem eligendi Epiſcopum eſſe, quod Cathedralis Eccleſiæ Canonici ſibi iniquè ſoli arrogarent.* Verùm hi boni viri minùs Catholici agebantur Lutheri ſpiritu; qui, poſtquam Wittenbergæ flammis dediſſet ſanctiones juris Canonici, laicos ab ejuſmodi electionibus repellentis: illud ubique terrarum continuò ſuppreſſum, abolitúmque, ſtolidè putavit. Sanè inviolatum adhuc in ſuo vigore ad Paderam per-

Ferdinand⁹ Bavarus, Archiep. Colon. venit Paderbornam, jam antè electus Coadjutor Theodori Epiſcopi. *Archivum Cath. Eccl.*

perſiſtebat. Nec defuêre, qui deprompta ex ſacro illo jure tela jacerent in profanos turbatores; domúmque cum ignominia rejicerent. Plus periculi imminebat ab aliis potentibus procis; cupidè Diœceſin ambientibus, velut ſponſam jam ſatìs formoſam; ex quo Theodorus Epiſcopus rugas & maculas deterſerat. Præ ceteris retardare electionem, aut intervertere prorſus, omnibus adniſa artibus fuerat Brunswicenſis & Luneburgica Domus: jámque profuſis largitionibus quorundam occupata erant ſuffragia, alióque averſa. Sed disjectus aureus hic aries interventu Legatorum; qui tum ab Erneſto; tum ab Antonio Albergato Nuncio Apoſtolico aderant. Graphicè illi cohortabantur omnes: *ob oculos ſibi ponerent periculoſum, ancipitémque rerum ſtatum; ſi diſcordantibus votis ad mortem Theodori Epiſcopi extracta electio fuerit: eóque è vivis exempto, Eccleſia ſuo Paſtore orba, novis luporum incurſibus pateat. Ubique locorum augeſcere hæreſin: eóque validius eſſe neceſſarium columen, cui infirmo adhuc pede nutans religio innitatur.* Neque pluribus opus fuit. Quibus jus ſuffragii erat; ſapienter recordati, quantas urbi ruinas ſuperiorum temporum turbæ invexerint; excluſis aliis, ſpretísque omnibus largis pollicitationibus, ſolo patriæ juvandæ amore ducti, quarto Idus Februarii concordibus ſuffragiis Ferdinandum Bavarum Theodoro Epiſcopo Coadjutorem adjungunt.

Quantum indè gaudii in animo Principis optimi jam per ſenium fatiſcentis, cùm diu optatum pro grege ſuo vigiliarum nactus ſocium eſſet! ut verò & Superos in adminiſtranda Diœceſi faventes ſibi, & ſocios haberet; extinguere malum inſtituit, quod horror eſt in oculis Dei; omnémque cælitum avertit opem. Publico, eóque ſevero admodum decreto per totam Diœceſin promulgato interdicit; ne quis rebus divinis ad aram peragendis deſtinatus; aut ſacris initiatus ordinibus impudicas, vel ſuſpicioni pravitatis obnoxias mulieres domi ſuæ ſuſtineat. Qui arcere eas procul ab ædibus, convictu, conſuetudine, cunctarentur; ſacerdotii fructibus carituros omnes. Ipſas verò mulierculas, ſi ex abſtruſis angulis protrahi, neceſſum foret, per lictorem urbe exterminatum iri. Fuit è Clericis, qui amoribus magìs, quàm mandato Principis morigeratus, lupam in latibuli tenebras abditam ſolicitè ſervabat. At brevi obſervatum ſcelus ad fori curiam educitur. Carcere dies aliquot, & fame punita, pòſt ex civitate etiam relegata fuit hoc lepido ſpectaculo. Ibat laſciva pellex ſupernè collum ac humeros nuda, ac ſtramineo redimita ſerto, media lictorem inter & ejus famulum. Hunc lævâ æneam pelvim, quam dextrâ ad numeros ſaltantium pulſabat, præferentem ponè ſequebatur lictor acerbiſſimis virgarum percuſſionibus proſtibuli tergus dilanians: atque

Theodorus Ep. corrigere Clerum ſtudet non viventem congruenter ſtatui ſuo.

Ideóque deprehenſam pellicem puniri jubet. *Klockner. in hiſt. Paderb.*

atque ad portam urbis usque, ubi ejecta, ad quemvis ictum dare artis saltatoriæ specimen, coëgit. Ludicram hanc comœdiam, rudis licèt saltatrix, magno cum plausu, & eo fructu lusit; ut nulla, cui in ejusmodi saltus prurirent pedes, pòst deprehensa unquam fuerit. Neque ea res parùm incussit timoris quibusdam effeminatis Clericis; qui neglecto propè omni cultu divino; in templis rari; infrequentiores ad aram, ipsâ Astarte fœdiora clàm domi idola colebant. Unde obsecro in viris Deo sacratis tanta id temporis vitæ turpitudo? annon ex diuturna consuetudine cum hæreticis, qui fescenninis verbis blandiendo auribus, ea vitia vel humanæ imbecillitatis, vel aliis coloribus oblinunt: satìs experti, haud esse in hæresin suam crebriorem aliam, quàm ex lubrica hac via prolapsionem. Rectè enim glorioſus ille* cum Thoma Moro in Anglia sub Henrico VIII martyr olim ajebat: *libido est mater hæreseos, æquè ac filia.* Quare justissimâ Theodorus Episcopus, & majore jam incensus irâ; certúsque foras extrudere omnes; omnibus optionem facit: novam velint cum Religione veteri, indéque consectariâ meliore vitâ; an patriam hanc mutare cum alia; aliorsum migrando, migrationis certo mense præstituto. Lex altera non mitior accessit; quâ omnes è vita antè, quàm ex urbe excessuros, sepulchri honore in cœmeteriis Catholicorum privandos, declarat.

*Joannes Fischerus Episcopus Rossensis vide Cornelium à Lap. in cap. 7. Matth.

Exilium indicitur Paderbornæ hæreticis. *Author idem.*

Hîc rursum enormia, grandia, sesquipedalia, ùt sese iratæ plebi in buccam offerunt, convitia certatim evomuntur in Jesuitas, veluti horum consiliorum & fraudum machinatores. At omnibus una mulier maledicentior. Huic nomen Hildegundis, uxor Balthasaris Flôren alutarii habitantis in platea *à foveis appellata. Dicax & insana femina Catholicis omnibus, at Patribus Jesuitis multò infensissima; illísque, quoties in plateis obvios haberet, aut domum suam transeuntes cerneret; nunquam non malam crucem, pestem optabat omnem; hoc præcipuè familiari maledicto: *ut tibi* * *et tibi septies mille vicenarii dæmonum in corpus involent.* Et recenter adhuc, cùm S. Marci Evangelistæ festo die sex eorum, tenentes manu pileolum quadratum; præsentésque studiosæ juventuti in supplicatione videret; eâdem linguæ intemperantiâ *ecce*, inquit, *sex* * *coli ungues*; *sex nigros dæmones cum suis quadratis, et cornigeris pileolis. Digni omnes, qui cum suis cornibus attollantur in patibulum.* Hæc autem cùm effutiret oris effreni mulier; paucis diebus à partu aberat, uterum ferens. Iis elapsis pridie Idus Maji fetum enititur masculum; aspectu horridum; coclitem, mortuum; sinè linguâ, & naso; manibus humanis quidem, pedibúsque præditum; ore autem & auribus mordaci feli persimilem: cujus in capite prominebat caro eum in modum torta, ac figurata, ut pileoli Jesuitici formam

*vulgò in der Growe.

*westphalicè dat dy syven dusent slyge Dûvels int Liff fahren.

*pes in modum crucis ad formam quadrati pilei colum fulcit. indè dicitur coli unguis Wocken-Klauwen.

formam exprimeret. Mulieres, quæ adstiterant parienti, viso monstro cohorruêre omnes. Quarum una, cùm admirans exclamaret: **ecce! fetus habet cornua instar Jesuitæ.* Obriguit pater auditâ voce, ac penè in saxum stetit. Recepto spiritu infelicitatem partûs conjugis linguæ procacitati assignat. Hæc pariter deforme monstrum in pelvi exhibitum intuita: *in me*, inquit, *manet ista culpa! meis ego maledictis Deum ad iracundiam concitavi.* Aliæ insuper mulieres, quæ aderant (aderant autem omnino decem) id sentiebant omnes: *non oportuisse tam maledicè loqui de istis Patribus: qui si impiè quid agant, docéantve; non à se, sed ab aliis prudentioribus dijudicandum.* Scriptor hujus prodigiosæ rei sub finem narrationi hæc subjicit: *id temporis Paderbornæ literis vacabam, mulierémque perbene novi. Hospes mea admiratione attonita ipso puerperii, cui interfuerat, die mihi, à me narrata, retulit.* Non deerunt tamen; quibus explodenda res, & velut anilis fabula ad vetularum colum rejicienda videbitur: sed iis potissimùm, apud quos in erroribus fidei, ínque odio adversùs religiosam illam familiam induratos nihil frequentius est hoc miraculo: **oculos habent, et non videbunt; aures habent, et non audient.*

*hat Tompen wie ein Jesuiter.

Mulier in Jesuitas Paderbornæ maledica à Deo punitur monstroso partu *Klockner. in hist. Paderb. Annales Colleg. S. J. Paderb.*

* *psal. 103. v. 5. & 6.*

Percussi his plagis hæretici nonnihil ad Paderam quievêre. At tantò illi turbulentiores ad Rhenum & Mosam. In Julia, Clivia, Montibus, in Marchia, in Comitatu Ravensbergensi odiis omnia ardent in Catholicos. Dejiciuntur oppidorum, arciúmque gubernaculis, ceterísque muniis: eorum in locum Principes Brandenburgicus, & Neoburgicus, quo suam quisque sectam altiùs provehat; non alios sufficiunt, quàm qui aversi à Catholicis, Lutherum, aut Calvinum sectentur. Subinde pomœria Mulheimensis vici proferre, constituunt, novam ibidem, potentissimámque urbem moliendo: quam Agrippinensium civitati rivalem & æmulam è propinquo objiciant. Fervere opus confestim cœpit. Descripta ejus lineamenta peramplo in spatio. Urbs nimirum, portis quinque in murorum circuitu, & propugnaculis munienda decem; directas sex, septem transversas plateas habitura: tribus distinguenda foris, templóque insigniore uno pro Calvini asseclis; qui potiores erant, Albertúmque Brandenburgicum hujus præcipuè operis conditorem habebant. Ad hæc XII Martii literæ triplici idiomate vulgantur, quibus ad domicilia Mulheimii figenda invitati exteri: *liberam ibi fore potestatem, Religionis cujuscunque arbitratu exercendæ; construendi ædificia, negotiandi; omnibus jus civitatis decennio oneribus immune impertiendum.* Iisdem literis speciosa exstruendæ urbis inserta hæc ratio erat: *permotos se precibus, et lacrymis exulum Colonienſium, qui per summam indignitatem nonnisi ex odio Religionis natali*

Inchoata ædificatio novæ urbis Mulheimensis ad Rhenum hæreticorũ bono, & damno Colonienſium *Kleinsorgii in contin. Cosmod. Gobelini. Matth. Merian. topograph. Westph.*

natali solo proscripti, perfugium apud potentes, amicôsque Principes, et commorandi locum quæsiissent. Senatus, populúsque Colonienſis hanc urbis molitionem limis oculis è mœnibus ſuis proſpectabant: eò magìs ſtomachati, quò certius illis erat, ſurgere exitioſam molem non in Religionis ſolùm; ſed ſuorum etiam mercimoniorum, urbísque totius ruinam. Queſti deinde identidem, adverſari ea molimina vetuſtis fœderibus, initis Agrippinenſes inter & veteres Montium Duces, olim ſanctè pollicitos Colonienſibus; neque ſuâ neque ullâ poſterorum ſuorum ætate ad utramvis Rheni ripam caſtrum, arcem, munimentum, urbémque ullam aut exſtruendam à ſe; aut à quopiam exſtrui permiſſum iri. Sed parùm valuit hæc literarum, utrimque jura ſua tuentium, pugna. Nisì armatâ manu cœpti labores, ùt infrà memorabitur, diſturbati fuiſſent; brevi hæc Carthago Romanæ Coloniæ æmulum caput oſtentâſſet.

Theodorus Ep. conditor gymnaſii Paderbornenſis. *Horrion in panegyrico lib 3. cap. 8. pag. 120.*

Melioribus hoc anno conſiliis Theodorus Paderbornenſium Antiſtes illuſtre cœpit Paderbornæ gymnaſium, velut novum ſcientiarum, virtutúmque emporium condere. Magno huic ſub ipſa Epiſcopatûs exordia dolori fuerat, Diœceſin accepiſſe refertam oppugnatoribus Catholicæ Religionis: vacuam propè iis, qui pro dignitate ejus ſcita explicarent; veritatémque adversùs mendacia tuerentur. Indè magnis ſtatim animis muſarum deſignare domicilium; è quo prodire in utilitatem patriæ poſſent, qui tela hoſtium omnia gemino virtutum, doctrinæque ſcuto repellerent. Dies divo Ignatio ſacer Julii ultimus initium pridem meditato operi dedit: quo optimum Principem cernere erat ſuis manibus in angulo ad plateam occidentem versùs primum in fundamento lapidem ponere; haud diſſimili, ſi non majore pompâ & apparatu, quo eaſdem ſacras manus admovere primo lapidi ponendo placuit, cùm Patrum Jeſuitarum habitatio ejuſdem *liberalitate exſtrui cœpta. Jucundum equidem eo die oratores inter, & Poëtas certamen in agendis tanto Mecœnati gratiis fuerat, oratione vinctâ numeris & ſolutâ: at quando laudibus ſuis adæquabunt tam ingentis beneficii magnitudinem? quo uno univerſam complexus Weſtphaliam eſt: Patrésque in primis de Societate JESU; quos perpetuos gymnaſii moderatores ſtatuit, Principali epulo peractis cerimoniis in triclinio recreatos; plurimis præter Joannem Comitem Ritbergenſem de patria nobilitate viris ſimul accumbentibus. Longiùs deinde progreſſa ejuſdem Principis beneficentia. Ut cunctos de Societate Patres non ad Paderam ſolùm, ſed & omnes ad Rhenum inferiorem habitantes devinctos ſibi, beneficiísque ſuis ornatos haberet; communem toti provinciæ, probationis domum, ſanctioris vitæ, doctrinæque palæſtram, idoneis vectigalibus Paderbornæ inſti-

**vide annum 1596.*

Theodorus Ep. inſtituit domum probationis pro Patrib⁹ S. J. Paderbornæ, illúdque ſuâ liberalitate fundat.

instituit; ubi religiosæ militiæ rudimenta conscripti tirones ponerent. Voluit autem providentissimus Princeps, quot annis in hoc religioso exercitu succenturiari viginti & unum; supplementa veteranorum, quos vel senectus à laboribus, vel mors ipsa abstraxisset; assignatis, unde recèns cooptati alumni viverent, viginti imperialium millibus. Literas, in quibus rationes stabiliendi tironum domicilii recensetur; ipso sancti Ignatii, Ordinis Jesuitarum Parentis die, ad aram neque inanes honorario munere obtulit, Præside totius provinciæ Reverendo Patre Henrico *Schereno* sacris operante. Secuti Principem tres infulis ornati monasteriorum Antistites; variíque ex patriâ de equestri loco viri oblatis pariter donis diem illum commemorabilem fecerunt. Inchoatæ dehinc tironum exercitationes tenuêre in ea domo ad annum hujus seculi vicesimum. ex quo consecuta temporum, rerúmque mutatio fecit, ut magìs è publica re esse, visum pluribus fuerit, alios de consensu familiæ Fürstenbergicæ Paderbornam, sublimioribus scientiis Theologicis, aut Philosophicis imbuendos mittere; tironibus Treviros migrare jussis: ubi in sejuncta ab aliis inibi Patrum domiciliis domo, hodiéque nec parvo numero educantur. Juvat nunc ipsas donationis tabulas exhibere; ut amici cum gaudio intelligant singularem à tanto Principe conceptam de Patribus existimationem: neque calumniari per invidiam inimici possint, fuisse largitionem eam sinè Diœcesis commodo profusam, immodicámque.

Horrion in panegyrico lib 3. cap. 8. pag 122.

THEODORUS Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus, S. Romani Imperii Princeps ad perpetuam rei memoriam.

Vlgesimus nonus propè Pastoralis nostri regiminis inchoatur annus; ex quo, divinâ providentiâ dispensante, in Ecclesia Paderbornensi curam animarum suscepimus. Magnæ interea, multaque difficultatum procellæ nos agitârunt. Neque adhuc afflictissimarum curarum in gravi, ac cana jam ætate vel modus apparet, vel finis: dum ingravescentes bellorum motus, atque damnatissimorum adversùs avitam Religionem errorum augescentes discordias apud animum nostrum recogitamus. Attamen stimulat nos misericordissima desuper in nos Dei bonitas; ut sub molestissimo laborum onere non deficiamus: sed multò magìs intenti in eundem authorem fidei, qui ad mortem usque pro animabus nostris decertavit, et eorum, quæ retro sunt, oblivíscentes, novos animos, novásque vires pro glorioso Christi corpore, quod est Ecclesia, induimus. Assumpsimus ante annos ferè triginta in partem laborum Patres Societatis Jesu: quibus, ut fideles nobis cooperatores essent, collegium in civitate nostra Episcopali ædificavimus; et fundavimus tantâ dote, ut concionatores, confessarii, ac humaniorum literarum magistri cum necessariis administris religioso modo sustentari

Literæ Theodori ep. fundantis novitiatum S. J. *asservantur in tabulario PP. S. J. Paderbornæ.*

flentari possent. Et sanè magno subditorum bono, magnâque consolatione nostrâ experti sumus eorum conatus, atque industriam. Sed quia facilè apparebat, ex nulla adhuc, in provincia Rhenana, fundata probationis domo illud futurum; ut paulatim in necessariis operariis pro scholis, et cathedris deficeret juxta religiosum Societatis JEsu institutum præparandis; singulari, ac paterno in laudabilem Societatem affectu novam fundationem vicies mille Imperialium dalerorum pro 21 tironibus alendis cum priore collegii dote conjunximus. Quam quidem fundationem tum in nostri Episcopatûs, tum etiam totius provinciæ Rhenanæ utilitatem erectam munificentissimo Deo ità cordi fuisse, arbitramur; ut ex thesauro sapientiæ suæ ampliora consilia suggerere, et majores cum vita longiore vires donare dignatus fuerit. Datum in arce Neuhusana Anno à Domini Nativitate millesimo sexcentesimo duodecimo die trigesimâ Julii.

THEODORUS à FÜRSTENBERG
Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus.

Accessit præterea, ut hac eâdem, Ignatio viro perfectæ sanctitatis consecratâ luce, trinum perfectum esset; munus tertium, quinquaginta nimirum & trecenti imperiales; quibus parandum jussit elegans in templo organum; quod jucundâ soni sui varietate in varios pietatis motus duceret auditorem. Videas hîc certare quodammodo sacrum Præsulem cum divina in se bonitate: quò enim Superi plures jam grandævo largiuntur annos; eò frequentioribus ille vel res divinas, vel bonas literas, beneficiis prosequitur: ídque tam cumulatè, ut propè dicerem: ubi diem Titus perdiderit, eum ne horam quidem perdidisse. Hanc supremi Antistitis pro patria sollicitudinem piè æmulatus Major summæ ædis Decanus Arnoldus ab Horst, Paderbornam hoc anno religiosam Patrum Capucinorum familiam, consentiente Episcopo Theodoro, ad amplificandam rem Catholicam evocavit; singulari istum præ reliquis Ordinem amore complexus semper, paternâque benevolentiâ, ex quo Romæ familiariter usus sæpe fuerat S. FELICE*, ex Capucinorum Ordine, religioso Laico; pérque crebros cum ipso sermones habitos insignes plurimas in viro integerrimo virtutes adverterat. Vetus intra urbem xenodochium * novis sancti Ordinis hospitibus primùm pro monasterio fuit. At eo quadriennio pòst per incendium absumpto, ejusdem patroni sollicitudo & beneficentia effecit, ut brevi cœnobium elegans è cineribus instauratum habuerint. Grati postmodum pro tanto beneficio Patres quà crebris concionibus, quà spectatis sanctioris vitæ documentis assiduum cum operariis aliis laborem contulêre ad novellam hanc vineam Domino suo recèns assertam, optimâ rursum propagine, excolendam, augendámque.

PP. Capucini à majore decano Arnoldo ab Horst vocantur Paderbornam *in contin. Cosmodr. Gobelini.*

**Cloppenburg in fastis sacris Westphaliæ ad 18. Maji.*

**vulgò* Stadelhove.

Annum

Annum hunc in exitum vergentem viceſimâ nonâ Novembris die funeſtavit ingens cæli intemperies, plurium hîc Paderbornæ & vicinis locis dirutarum ædium; arborumque in ſylvis corruentium ſtrage perniciosiſſima. Pernicioſior tamen in finitimi Comitatûs Ravensbergenſis oppido Bilefeldiæ. Ubi ſubſultantibus paſſim, trepidantibúsque ædificiis, terribili motu & fragore concuſſa tellus; revulſa domuum tecta; muri, parietésque labefactati: cúmque ipsa urbis Bilefeldienſis, proximæque in edito colle arcis Sparembergæ mœnia latas ubique, profundásque rimas agere; ac Sparembergæ quidem jam ad duos ſubſediſſe in terram pedes, cernerent; tanta omnes invaſit conſternatio, ut ſurſum deorſum volvenda omnia, timerent. Hos inter terrores, cùm Lippienſi in oppido præco Calvinianus ſub mutatæ Religionis initia fortè ad populum verba faciens, auditorum non nullos, nuper Calvino authoratos, videret hauſtâ à Majoribus conſuetudine ad repentinam terræ concuſſionem ſacro crucis ſigno munire frontem; ſanctóque Servatoris noſtri invocato nomine genua incurvare: multùm indignatus homo, *malè*, inquit, *ſit vobis omnibus*; *qui odioſis iſtis Papiſtarum ineptiis etiamnum adhæreſcitis. Non Deo, ſed malo genio ſuperſtitioſis talibus, ſtolidísque ritibus litatur. Et quid eſt? quòd iſto terræ motu conturbemini? Legem Moyſi cùm à Deo traditam legimus*; Cœperunt audiri tonitrua, *micare fulgura; & denſiſſima nubes operire montem. *Moyſe ad hæc omnia nihil conterrito. Haud ſecùs vos ſinè metu quietos omnino velim. Hoc turbulento cælo novæ legi à me vobis promulgatæ, quemadmodum Moſaicæ in monte Sinai, teſtimonium veritatis datur. Timeat Papiſticum vulgus; et ſiquid illo ob adoratos toties vitulos aureos ſceleſtius eſt. Probioribus nobis tempeſtas hæc gaudio ſit et conſolationi.* In hunc ſenſum plura, cùm eructâſſet ineptus declamator; quaſſatæ ædes nocte proximâ fuêre tantâ rurſus terræ agitatione; ut ex iis præ metu propè mentis inops cum uxore & liberis profugus, ad tutiorem ſe locum receperit; jam ſuo jugulatus gladio, ſuo ipſius judicio, ſi ſoli terreantur ſceIerati, ſceleratorum in numerum referendus. Rectiùs ſenſêre alii,* à quibus ex prudentiorum opinione hi terræ motus accepti ſunt in omen irati Numinis; vel mortalium caſtigantis flagitia, vel publicas imminentes pœnas prænuntiantis. Hanc tempeſtatem ſecuta hyems eſt leniſſima, multíque caloris, inde ex ſententia phyſicorum orti, quòd motibus ſæpe iteratis velut dehiſcens tellus ex imis viſceribus emiſerit calidiores ventos; quibus aër tepefactus, molliórque brumali tempore ſpeciem quandam æſtatis præbuerit.

Ingens terræ motus & horrida tempeſtas per Weſtphaliam. *Stangefol. Vetus mſ.*

prædicantis lepidus diſcurſus de terræ motu in comitatu Lippienſi. *in contin. Coſmodr. Gobelini.*

*Exod. 19. v. 16.

Matthæus Tympius in libro edito Monaſterii

AN-

Annus Christi 1613.

PAULI V. Pontificis 8. & 9.
MATTHIÆ Imperator. 1. & 2.
THEODORI Epiſc. Paderb. 28. & 29.

Bethlem Tabor invadit Tranſylvaniam, Comitia Ratisbonenſia pro ſubſidiis contra Turcas, ſed inutilia. *Spond. ad hunc annū. Helvic. in theat. hiſt. l. 5 pag 141*

MAtthias Imperator majoribus, ac Cæſare dignis animis Imperium auſpicaturus duodecimo Kalendas Julii Viennâ cum conjuge Ratisbonam diſcedit ad comitia, fine ſuperioris anni indicta. Per id tempus Tranſylvaniæ turbo Gabor Bethlemus pulſo, occiſóque Gabriële Bathorio, totum Principatum ope Turcarum ſub jugum miſerat. Jámque iidem Turcæ ex finibus Tranſylvaniæ magno cum exercitu Hungariæ imminebant. Matthias Imperator, quò bellicis artibus & felici hoſtium illorum clade regni primordia nobilitaret; Ratisbonæ in comitiis Proceres urget acriter ad decernenda in primis militaria ſubſidia, quibus ab incurſu Turcarum Hungaria tegeretur. Sed vetus rurſum cantilena hîc occinitur ab * *umtorum* Principum Legatis: *Nihil Cæſari auxiliorum priùs collatum iri; quàm Donaverda libertati, retracto milite Bavaro, reddatur: ratáque habeantur omnia; quæ Joannes Dux Bipontinus à morte Rudolphi Cæſaris * Vicarius Imperii pro æquitate ſua Aquisgranenſibus benignè indulſiſſet. Addunt præterea inflecti Principes ſuos ad ferendam opem nunquam poſſe; nisi controverſia de urbe nova ad Rhenum cœpta ex utriuſque Religionis Procerum arbitrio; idque ad amicitiæ normam potiùs; quàm juris ſummi apices dijudicaretur. Demum pugnaciſſimè ex ſuorum Principum voluntate contendunt omnes; ut ne porrò rerum deciſio ex majori ſuffragiorum numero, ſed ex gravioribus, pauci licèt eas afferrent, rationum momentis fieret. Hæc an conceſſu Cæſaris aſſecuturi ſint; nisi redditi antè certiores eſſent; comitium ſe neutiquam ingreſſuros.* Imperator quanquam adhuc infirmam, ùt ferè principia regnantium ſunt; authoritatem exerceret; atque ob ſuſceptam cum Rudolpho fratre ſimultatem in hæreticos fuiſſet aliquantò indulgentior: his tamen, quæ omnis juſtitiæ, & Religionis ſpectabant everſionem, iniquiſſimis poſtulationibus prævertendum ſtatim, comprimendámque audaciam cenſuit.

* *correſpondentes dicti.*

* *quia tutor Friderici Palatini erat.*

Theodorus Ep. ſuî loco miſit Ratisbonam ad comitia Jodocum à Landtsberg *ex archivo Cath. Eccl.*

Comitia interim ſatis frequentia fuêre multorum congreſſu Principum; partim ex inferiore Rheno, partim ex aliis Weſtphaliæ regionibus. Princeps noſter Theodorus, quæ infirmior ejus ex ſenio jam ætas erat; cùm itineris ferre incommoda haud poſſet: ſuî vice Ratisbonam allegavit Jodocum à Landtsberg ex Ervite, Satrapam Dringenbergenſem: addito viarum, & muneris ſocio

cio Guilielmo *Horn juris utriúsque scientissimo. Qui aderant in Cæsaris voluntatem proni; non tenue subsidium adversùs Christianorum hostes promisêre; quod à factione adversa tanquam exlege, & imperio non obnoxia pertinaciter detrectatum. Causam offensionis inter reliqua dederat sententia Viennæ sexto Idus Januarii lata adversùs Brandenburgicum, & Neoburgicum; quâ Imperator graviter præceperat, præter urbis ad Mulheimense oppidum inchoatæ demolitionem, tolli quamprimùm nova non levi mercatorum onere imposita Rheno vectigalia: revocari ab insessa Rheni ripa armatas naves: mandata omnia negotiationi, aliísque Colonienſium rebus inimica antiquari, rescindíque. Valuit nonnihil authoritas præcipientis; permovítque Majo ineunte Principes ad nova telonia penitùs abolenda. Nihilò tamen segniùs laboratum in nova ad Rhenum urbe perficienda; provocatúmque concordibus animis ab Imperatore malè informato ad eundem meliùs informandum. Hæc tam firma hactenus animorum conjunctio solvi paulatim, & vacillare inter Principes cœpit: ut ferè omnis consortio odiosa dominantibus est. Ex diversæ potissimùm Religionis studio, atque arcanis utriusque nec comunibus consíliis discordiæ jaciebantur semina: majorémque in modum crescebant; cùm Princeps Neoburgicus Wolffgangus Wilhelmus ductâ septimo Idus Novembris in matrimonium Magdalenâ, Wilhelmi V. Bavariæ Ducis filiâ, Brandenburgico injiceret suspicionem occultæ cujusdam propensionis in Cæsareas, Catholicásque partes. Apertæ dein neque incruentæ offensiones aliquot accidêre inter utrosque Principes. Placatæ illæ quidem, nec adeò graves: sed quibus velut exiguis velitationibus gravissimo sequentis anni bello prolusum. Adeò verum est illud:

Nulla fides regni sociis, omnísque potestas
Impatiens consortis erit - -

Alia Episcopus noster Theodorus consilia pacatiori versabat cum animo: utpote cui in postremis curis terrenæ opes, & ditionum amplitudo erant: modò suppeteret affatim ad instruendos plures sacræ militiæ viros; qui pro aris in aciem, & propaganda re Catholica educti *prælia Domini præliarentur*. Intuebatur nimirum sollicitus Princeps inferiorum scientiarum candidatos, velut levis armaturæ milites: nec satìs paratos ab armis; ut omni ex parte latus præbere cuivis adversario possent. Scribendis igitur auxiliaribus copiis tempestivum censuit, ut literarum humaniorum disciplinis sublimiora Philosophiæ, ac Theologiæ studia adjungerentur. In eam verò deliberationem cùm incidisset; maturo prius consilio agendum reputat cum summis Christianæ reipublicæ Præsidibus

*dictus Goldtschmidt.

Helvic. in theat. hist. lib. 5. pag. 142. Matthæus Merian. in Topograph. Westphal. pag. 88.

Initium dissensionis inter Brandenburgicum & Neoburgicum

Helvic. in theat. hist. loco citato. mſ Turckii Palat. lib. 48. cap. 11.

Lucanus L. 1.

Solicitudo Theodori Episcopi de Theologia & Philosophia, humaniorisbus studiis adjungenda.

Annales S. J. Paderbornæ. Horrion in paneg. academ. Pad.

bus ad jura, & privilegia academiarum Germaniæ obtinenda. Moderari tamen ſuis diu deſideriis haud potuit. Paucis pòſt diebus imperialium millia quindecim jubet eam in rem numerari, aſſerens, *diligentis* (quo lemmate uti conſueverat) *agricolæ eſſe ſemen projicere, ut colligat ſementem*; *hanc enim perdendo ſervari.* Id quod multò putem liberaliùs ab eo præſtitum; cùm ſemen ipſe ſpargeret, aliis meſſem relicturus; ſolâ ſibi divinâ gloriâ, hominúmque ſalute pro fœnore ſat amplo propoſitâ.

Quàm verò Princeps ad munera, & *præmia velox, tam piger ad pœnas erat*; nisi ſi cunctantem vindictam facti atrocitas incitaret. Videre id in profligato hominis * monſtro hîc Paderbornæ fuit. Mortalium ſalaciſſimus nequam fortè ancillam ſub occaſum Solis XI Julii hortum petere advertens, urbe egreſſam inſecutus ſollicitare ad flagitium aggreditur; obluctantem diu robuſtior ipſe, manus, pedésque iſtic defixis in terram palis aſtringit: expletâque libidine ſolutam togâ denudat. Cúmque illa iracundiùs de allato pudicitiæ vitio expoſtulans, abeunti minitaretur; daturum ſceleris pœnas, quippe qui ignotus ſibi non eſſet; minas non ferens ganeo retorſit ſe; ac ſecuri altè capiti impactâ cadentem iiſdem revincit palis, cuneo ligneo per viſcera in humum adacto. Miſera manè reperta eodem loci fuit jam vocis expers, totam noctem cum morte luctata. Quæſitum in authorem ſceleris: & ſuſpicione hic, quòd egreſſus urbe ſeriùs eſſet, notatus eſt. Certius facinoris patrati indicium fecit puellæ toga inventa in perveſtigatis ædibus, agnitáque. Comprehenſus poſt confeſſionem criminis XIV Auguſti ſecundùm feralem ſententiam aſſeri ſupinus affigitur; Neuhuſanum per oppidum inſtar pecudis ad locum ſupplicii protractus. Ibi dexterâ, quâ ancillam percuſſerat, amputatâ; ſimul brachiis, cruribúsque diffractis rotæ imponitur; manu ex infami ligno pendulâ, ſecurim illatæ necis inſtrumentum, tenente.

**vocatus Bernardus Kremerus Borckenſis.*

Libidinoſus juvenis ſeveriſſimè punitus à Theodoro Epiſcopo. in contin. Coſmodr. Gobelini. Vetus mſ.

Principem mitiſſimum, *dolentémque, quoties cogebatur eſſe ferox*; maximo deinde recreavit ſolatio perilluſtris Domina Eliſabetha de Lohe: quando eam poſt ſpretas diu aliorum monitiones rediiſſe hoc tandem anno ad cætum rectè credentium intellexit. Nupta hæc fuerat *Nobili* Domino Joachimo de Büren & Ringelenſtein, Domino in Volbrexen intrà Diœceſin noſtram. Matrona dives multarum opum: cum circumpoſitis prædiis, Geiſtanæ in Monaſterienſi Diœceſi arcis hæres. At conjuge per mortem * ſublato, in viduitate uno è cælis impertito theſauro, verâ Religione, multò locupletior. Filium unicum tot licèt bonorum hæredem, absque hoc cæleſti bono infelicem exiſtimans; non deſtitit in ejuſdem ſecum felicitatis ſocietatem pertrahere. Filio nomen Mauritius, à

**anno 1610 obiit acatholicus.*

Mau-

Mauritio cùm infantem sacro fonte susciperet, Hassorum Comite provinciali inditum. Hic opinatus teneri se pro ratione obiti muneris ad gerendam de salute Mauritii vicariam, defuncti parentis, curam; nihil non insidiosè egit, quo clàm interceptum è laqueis, ùt loquebatur, *Papistarum* expediret. Loci, ubi studebat Mauritius, vicinitas favebat insidiis; ipsi ut tutum haud fuerit vel animi causâ pedem extra urbis mœnia ponere; variis non uno in loco abripiendæ in Hassiam nobili prædæ invigilantibus. Post duas igitur inferiores absolutas classes, relictâ Paderbornâ, Mauritio, ut remotior ab Hassis esset, ad evadendas insidias & excolenda studia Trans Rhenum ad Ubios migrandum fuit. Ubi pariter Mauritii soror Anna Dorothea paulò pòst anno 1615, spretis procorum illecebris, in divæ Brigittæ Ordine sponsum sibi Christum elegit.

Conversio dominæ de Lohe ad veram Fidem ejus filius Mauritius studet Paderbornæ. Huic struuntur insidiæ. *ex archivo Bürensi. Kloppenburg in florilegio sacro Westphaliæ.*

Duo, quæ ab iratis cælitibus immissa crediderim, hunc annum afflixêre mala, reliquis graviora. Primum fuit ingens exortum in urbe Osnabrugensi incendium: quo præter templa, monasteria, molendina varia, præter stabula, horrea duodecimo Kalendas Aprilis mille* & trecentæ ædes redactæ in cineres; cúmque numerosa pecude homines *quadraginta suffocati, aut ignibus absumpti perièrê. Incendii origo, cùm ab incuria famulantium, tum à malevolorum perfidia diu requisita; sed resciri hactenus nequiit, fortuitum fuerit, an oblatum incendium. Alterum malum hiems parùm gelida attulit; adeò lenis, ut solo per Decembrem triduo aquæ tenui perstrictæ gelu hæserint. Dies reliqui æstivo tempori similiores sub natalem Domini rosas, aliósque flores, ornamenta altarium, dedêre. Sed hic floreus ante diem annus fatales deinde spinas protulit. Secuta enim hiemis lenitatem vis magna pestilentiæ, mortalium voracissima; propè dimidiâ Westphalorum parte sepulchris illatâ. In illa funerum confusione Attendoriæ in oppido Ducatûs Westphalici res miranda mense Octobri contigit. De plebe juvenis, cui nomen Antonio, annorum undeviginti, cùm vi pestilentis morbi de potestate mentis, sensuúmque omnium dejectus jaceret; tumultuariè, ùt fit eo malo grassante; feretro elatus humo contegitur. Haud longo intervallo cœmeterium fortè obambulans Sacellanus, gementis, incertus unde, vocem, suspiriáque percipit. Dum circumspectat; dum aurem propiùs admovet; prodire sonum lamentabilem ex injecta recèns humo comperit. Vocantur illicò vespillones; tumulus regeritur; ruptísque, quibus inclusus erat, asseribus ægre spiritum trahens Antonius: *prô hominum fidem!* inquit, *quonam fato infelici meo in hunc detrusus locum miser pereo?* porrectis statim aliquot fomentis paulò valentior, se erigere in pedes cœpit: domúmque seu novus ab inferis reversus homo*

Gravissimũ incendium Osnabrugi. *Stangefol. **archivum Osnabrugense.*

Pestis grassatur per Westphaliam. *Stangefol. Kleinsorg. in hist. Westph.*

Adolescens, cùm peste extinctus putaretur, sepelitur vivus. *ex chartophylacio Attendoriensis parochiæ.*

homo pergere. Plures exinde annos superstes manuum mercede inopiam toleravit. Ac postquam sub celeberrimo *Ligistarum* Duce Tillio aliquamdiu miles stipendia fecisset; gladio rursus cum stiva commutato, *in sudore vultûs sui* reliquum vitæ exegit. Facti memoria hodiedum exstat in Attendorienſis Ecclesiæ tabulis exarata.

Annus Christi 1614.

PAULI V. Pontificis	9. & 10.
MATTHIÆ Imperator.	2. & 3.
THEODORI Episc. Paderb.	30. & 31.

Wolffgangus Neoburgicus fit Catholicus. *Helvic. in theat. hist. ls pag. 144*

INgens hoc anno eluxit, & singularis animi fortitudo, solidáque virtus Wolffgangi Principis Neoburgici in amplectenda Fide orthodoxa. Concurrebant varia, cáque superatu admodum ardua; quæ fortissimum quemque ab ejusmodi deterrere proposito valuissent: periculum grave excidendi patrimonio Juliacensi si quorum illud adeptus ope esset, amicitiam novæ Religionis cultu dirimeret: certissima parentis ex Lutheri, quem parens adhuc superstes colebat, contemptione, offensa; odiúmque universæ Domûs Palatinianæ in Wolffgangum, velut degenerem in nepotem, à Lutheranæ familiæ constantia & probitate descisscentem: incertum verò, an extinctis tot patronorum studiis continuò reviviscceret gratia Imperatoris; utpote qui spretus toties, & illusus: quo etiam aut Rudolpho fratre invito, Juliæ, aliæque regiones per vim occupatæ. At Wolffgangus Princeps ingenio sublimi, maturâ ætate, judicio firmo; postquam Europæ partem non modicam, Germaniam, Italiam, Daniam, Galliam, Angliam peragrâsset: intérque eas peregrinationes ex libris, doctísque aliorum sermonibus discrimina Religionum, & momenta expendisset altiùs; cunctos obices prudentiâ & Christianâ fortitudine perfregit; palàm Dusseldorpii in primario urbis templo Catholicam Fidem, præsente Theodoro Riphano, Archiepiscopi Colonienſis in Pontificalibus Vicario, ex concilii Tridentini forma professus vicesimo quinto Maji; quo tum sanctissimæ Trinitatis mysterium recolebatur; quémque diem in tanti beneficii memoriam præcipuâ quadam omnibus vitæ suæ annis veneratione celebrem egit. Statímque de pecatis singulis, ducto ab ultima pueritia initio, sacerdoti rite confessus, divinis sub una specie epulis, cum pientissima conjuge Magdalena Bavara accubuit. Post parentis * mortem omnibus Romana complectendi sacra, & exercendi potestas facta; edicto eam in rem promulgato, pœ-

Videatur de hac conversione liber qui inscribitur: Muri sanctæ civitatis 12 fundamentis nixi.

12. Augusti hoc anno.

pœnâque in obtrectantes, & impedientes constitutâ. Rationes, quibus ad nuncium pristinis erroribus mittendum impulsus Princeps, vulgatæ libro sunt typis edito; quem *muros sanctæ civitatis inscribi voluit, duodecim innixos fundamentis.* Quæ concutere hactenus nulla vis adversariorum potuit. At quantum hi muri, quàm odiosum attulêre *lapidem offensionis et petram scandali*! Philippus Ludovicus, genitor Wolffgangi, cùm advertisset filii in fide vacillantem animum, indictis per ditiones suas publicis precibus avertere periculum; & fulcire cælesti ope nutantem studuit. Comperto jam, prorsus cecidisse filium; vix dici potest, in quam vehementem subitò prolapsus tristitiam fuerit. Nec multis pòst mensibus pridie Idus Augusti, sive senio, seu curis, & mœrore animi consumptus, mortalitatem explevit: Principatu suo priùs duas in partes diviso; quarum altera Sultzbacensis Augusto filio, Wolffgangi germano fratri transcripta, felicitatem suam in liberos, nepotésque ad usque hæc tempora propagavit.

Tacitum pariter *vivebat* Principi Brandenburgico *sub pectore vulnus*: ille præsagire sibi, nec temere deterrima quæque ex ea Wolffgangi ad partes Catholicorum defectione: intueri recèns cum sponsa Bavarâ connubium, velut majoris, potentiorísque amicitiæ vinculum: Haud dubiè Neoburgensem porrò vertumnum fore; qui in omnes se formas induat: & quemadmodum uxoris illecebris divulsus à Luthero turpiter esset; ità brevi rupto fœdere ad voluntatem Cæsaris inclinandum. Metum magnopere & suspicionem auxit rumor de Archiducis Alberti studiis in cogendo sub signa numeroso milite. Eum belli apparatum cùm fraudi suæ fieri, & bono Neoburgici suspicaretur Brandenburgicus; ut dolum dolo, cuneum cuneo truderet; occultè cum Batavis consilia de socialibus armis, de urbe Juliacensi prodenda agitat. Erat urbs ea à Brandenburgico & Neoburgensi Principe, partito præsidio insessa: utrique Principi sacramento fidem obligaverat gubernator urbis. Urbs ipsa à fossis, situ, propugnaculis firma satis. At quàm facilè aureâ, ubi ferreis nihil profici balistis potest, machinâ perrumpitur. Expugnatus auro gubernator perfidè urbem prodit, Batavo milite tectâ viâ in arcem admisso. Præsidiarii, quid rerum ageretur, ignari, in subeuntes arma corripiunt. At Brandenburgicis sensim arma ponentibus, soli Neoburgenses casso diu conatu obluctati, compulsi demum sunt urbe excedere. Indè plenis tubis utrimque classicum insonuit: palámque pugnatum acriter, quam quis alteri in Julia, Clivia, ac Montibus præripere urbem dolo, an virtute posset. Ambrosius Spinola, Hispanici Neoburgico missi exercitûs, ductor, cùm petere Juliacum crederetur; repentè Aquisgranum

Augetur dissidentia & dissensio inter Brandeburgicũ & Neoburgicum ex variis causis.

Brandenburgicus ad Hollandos desciscit; traditque illis urbem Juliacensem.

Lexicon historicum heroum pag. 1151. Helvicus l. 5. pag. 144 Palatius in Aq. Aust.

24 Augusti num obsidione tam arctâ cingit, ut brevi *urbs coacta fuerit clementiæ victoris, Cæsarísque se voluntati permittere. Dimisso ex urbe, honestis tamen conditionibus, milite Brandenburgico, hæreticis erepta, quæ triennio ab hinc per vim invaserant, urbis gubernacula, & Catholicis restituta fuêre. Spinola deinde Wesaliâ, ibidémque Rheni ponte potitus, ad oppidum Reësam consedit. Nec tardiores Batavi ad sua lucra. Mauritius enim eorum belli ductor, plerisque Clivensium urbibus occupatis, sua Spinolæ castra opponit. At utroque & Mauritio & Spinola otioso, nec moliente quidquam; per brumale tempus in hiberna discessum est: omnibus interim regionum illarum incolis misere sub diversorum Dominorum potestate gementibus.

Ambrosius Spinola subigit Aquisgranum, Wesaliam. *Matthæus Merian. in Topograph. Westphal. Helvis. l. 5. pag. 144. & 145.*

Quàm felix præ his regionibus, & tranquilla Diœcesis Paderbornensis! cujus sacro Antistiti per id tempus nulla de re cura potior; quàm de aperiendis Theologicis, Philosophicísque scholis: è quibus sacra hauriri scientia, & profana posset, felicitatis, rerúmque bonarum omnium mater & conservatrix. Eam in rem pientissimus Princeps, quem ad modum auspicari maxima quæque ab divino honore, cælitúmque priùs imploratâ ope solebat; post ardentissimam pro salute populi precationem, Præside Societatis JESU Rhenanæ Provinciæ, Reverendo Patre Henrico *Schereno* ad aram faciente, consignatam millium quindecim Imperialium cautionem suis ipse manibus ad altare tulit. Reliqua pecuniæ summa mensæ, è regione altaris collocatæ, per ministros imposita fuit: caput nimirum annui vectigalis pro honesta & liberali eorum sustentatione; qui sublimiores scientias profiterentur. Tam salutaris consilii causam multiplicem his literis, à Theodoro Episcopo posteritati transcriptis, insertam legimus.

Fundatur à Theodoro Ep. Academia Paderb. *Ex autographo literarum Episcopi.*

THEODORUS Dei et Apostolicæ Sedis gratiâ Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus, S. Romani Imperii Princeps ad perpetuam rei memoriam.

Literæ Theodori Ep. quibus rationibus fuerit inductus ad fundandam Theologiâ & Philosophiam. *ex autographo quod asservatur à PP. S. J. Paderb.*

Sæpe, ac sollicitè circumspiciebamus, ut cognoscere liceret; quid tandem deesset eorum, quæ ex Pastoralis obligationis munere subditis nostris præstare possemus. Videbamus meliora ingenia absolutis humaniorum literarum studiis ad vicinas hæreticorum Academias cum æterno salutis dispendio abripi: aut si ad Catholicas remotiores abire mallent; sumptuum inopiâ in medio studiorum cursu non absque Catholicæ Reipublicæ detrimento succumbere. Videbamus etiam multa ingenia animarum curæ, sacrísque Religiosorum institutis apta, planè ab omni literarum exercitio impediri. Unde Episcopatûs nostri parochiæ, monasteria, et collegia aptis operariis adversùs hæreseos flagitia, et impietatem destituebantur; non absque justa dolore cordis nostri. Quibus malis mederi cupientes, divi-

nâ

nâ gratiâ opitulante, illud consilium arripuimus; ut in Episcopali nostra civitate Paderborna Academiam duarum facultatum nimirum Philosophiæ, et Theologiæ prioribus fundationibus adjicere vellemus. Et quamvis ante annum constitutum esset; ut Philosophia tota cum sola Theologia morali, quæ controversias de Religione et casus conscientiæ complectitur; auditoribus prælegeretur: visum est tamen utilitati subditorum, et honori Ecclesiæ plurimùm expedire; ut tota Theologia scholastica juxta morem Universitatum doceatur. Ità enim fiet; ut qui ingenio præcellunt, non tantùm excellenti doctrinâ præclarè armatos; sed etiam Doctoratûs Theologici titulis ornatos, subditis utiliùs majori cum honore et authoritate in Ecclesia nostra queamus præstituere. Quare, cùm in collegio nostro Paderbornensi Societatis Jesu operarii eum in finem plures, quàm hactenus, necessarii sint: Admodum Reverendo in Christo Patri Claudio Aquavivæ Præposito Generali pro Philosophiæ et Theologiæ professoribus adhuc quindecim Imperialium dalerorum millia lubentes volentes ex peculio nostro elargimur; quibus prædictarum facultatum Doctores ac Magistri pro tam necessario, utili, ac honorifico Ecclesiæ Dei, ac familiæ nostræ Fürstenbergicæ, labore alantur: petentes, ut hanc auctiorem dotem benignè suscipere; nostríque ac familiæ nostræ Fürstenbergicæ per se, ac per suos in sacrosanctis Sacrificiis ac precibus memor esse velit. Id quod ad majorem Dei gloriam, Ecclesiæ sanctæ incrementum proficiat, et æternùm cedat. Datum in arce nostra Neubusana. Anno à Domini Nativitate millesimo sexcentesimo decimo quarto. Die decimâ Septembris.

THEODORUS à FURSTENBERG,
Ecclesiæ Paderbornensis Episcopus.

Philosophicæ lectiones hoc anno inchoatæ. *diarium Rectoris universitatis.*

Hujus omnium votis diu expetiti operis fama patriam, vicinásque oras pervagata, complures excivit ad feliciſſima ſubtiliorum diſciplinarum primordia; & promulſidem quaſi ſapientiæ deguſtandam. Atque ideo poſt conſuetas muſarum ferias ab logicis præceptionibus ſumptum initium eſt academicarum exercitationum. Frequens ſtatim, ad ſex & quadraginta, auditorum numerus; quem Religioſi ſeptem de ſacra divi Benedicti familia cohoneſtabant, ex ſuo intrà urbis mœnia cœnobio Abdinghoffenſi ad diſcenda Philoſophica ventitantes. Quinque itidem Societatis Jeſu novitii: quibus facta à præpoſito Generali facultas erat, nondum exacto, quod alioquin ejus Ordinis leges vetant; tirocinii biennio profanis ſe ſtudiis applicandi. Fluebant omnia ſecundiſſimo curſu. Ultima jam manus erat ſcholarum conſtructioni admota. Ædificium academicum in ſuas exedras aptè deſcriptum: muſæ cum alumnis ſuis attributas ſedes occupârant: & ecce! non leve infortunium quinto Idus Martii mediâ nocte evenit; innoxi-

um

Ruinam patitur turris in ædificio gymnasii, instauratur ab eodem, cujus sumptibus ædificata fuerat. *Hist. collegii S. J. Paderbornæ.*

um tamen, & sinè vicinorum damno. Altera turrium, quâ per lapideos gradus septentrionem versùs ad scholas ascenditur; in fundo subsidens ruinam patitur, in aream, vicinámque plateam collapsa. Fuerat turris illa non vulgare monumentum liberalitatis Arnoldi ab Horst Majoris Decani, imperialibus trecentis conditum: & ejusdem Arnoldi etiam impensis majori soliditate primo redditum splendori; hodiedum præfixis Horstianæ familiæ insignibus conspicitur. Partem proinde aliquam ex tanta laude sibi decerpit Arnoldus; parte maximâ remanente penes Theodorum Episcopum. Hujus pro grege suo tam anxiè excubantis curas, cùm mirificè dilaudâsset Ferdinandus Colonienſium Archiepiscopus; ipse etiam ejus generis multa ab aliis prædicanda instituit; Theodoro, cujus pridem in Episcopali munere lectus Adjutor fuerat, Catholicæ rei studiis simillimus. Hoc anno enim ad Eburones Leodium abiit; ubi patefacta ejus auspiciis Philosophiæ adita; clavésque Patribus de Societate JESU traditæ. Erant ea in urbe obtrectatores haud pauci; qui multa in Patrum vitam; multa eorum in doctrinam contumeliosè dicerent. At Ferdinandus, quidquid uspiam criminationum audiit, hac unâ responsione brevi illâ quidem; sed acri refellebat: *alieno vel judicio vel authoritate sibi opus non esse in æstimanda Patrum innocentia. Quorum à puero haberet quàm exploratissimam probationem.* Leodio Dinantum profectus, unúmque duntaxat commoratus diem; sepositis aliis gravioribus negotiis, primum ædificando Patrum Societatis JESU templo lapidem, operi bene precatus, collocavit. Quisquámne *stellam stellæ*, quàm suo hunc filium* patri similiorem vidit. Longiùs suam Ferdinandus pro ovibus sollicitudinem in Diœcesis Monasterienſis extremam regionem, Emslandiam, protendit. Hærebat illa regio annos amplius septuaginta in erroribus Lutheri, temporis longinquitate pertinacior. Subegit hoc anno duras cervices in obsequium veritatis Ferdinandus; exturbatis omnibus, qui novi magistri inventa è superiore loco declamitant. Introducti curiones Catholici sunt, viríque religiosi; ac secum Religionem veram introduxerunt.

Ferdinandus Archiep. Colonienſis, Coadjutor Paderbornensis Leodii Philosophica studia instituit, Dinanti primum lapidem posuit pro exstruendo templo PP. Jesuitarum. *Turck tom. 5. ad hunc annum. ms. vetus. *de hac appellatione vide annum 1612.* Embslandia in Diœcesi Monasterienſi sit Catholica. *literæ Monasterienses.*

Annus Christi 1615.

PAULI V. Pontificis.	10. & 11.
MATTHIÆ Imperator.	3. & 4.
THEODORI Episc. Paderb.	32. & 33.

ANnorum viginti pax ultro à Turcis hoc anno mense Majo oblata Matthiæ Imperatori; confirmatáque anno postero peropportuna utrisque fuit, & Cæsari, & Achmeti: huic ut victoribus

bus Persis se objiceret fortiùs: illi, plùs virium ut haberet ad comprimendam Principum quorundam, & urbium, in negligendis mandatis, protervitatem. Indè Imperio affulgere cœpit spes aliqua fortunæ melioris. Neque hanc multùm imminuit leviùs grassata pestilens contagio, quâ Tremoniæ, Werlis, ceterísque in urbibus pauciores occubuêre. Plura & graviora damna Westphalis, à Batavo milite rursum ad urbis Brunsvicensis obsidionem per Westphaliam transeunte, illata. Copiarum ductor Henricus Fridericus Nassovicus, instituto per Diœcesin Monasterienſem & Osnabrugensem itinere, nullâ vel levi lacessitus injuriâ, utrique patriæ tam gravi exitio fuit; perinde ac si miles in aliam eductus expeditionem non esset; quàm ad eas Diœceses affligendas, planéque populandas. Quidquid frumentariæ uspiam aut pecuariæ aut familiaris rei erat; militum rapacitati cessit. Quin adeò magnâ pecuniæ vi ægre flecti potuêre; ut ferrum à cervicibus; ab ædibus ignem abstinerent. Satiati spoliis ad prosequendum iter se accingunt: jámque Visurgis ad trajiciendum militem ponte junctus erat; cùm approperans nuncius, Brunsvicensium Ducem Fridericum Ulricum mitiora, narrat, pacis amplexum consilia, solvisse obsidionem. Proinde viam eandem, quâ venerint, remetiendam. Nova jam belli materia, novus quærendus hostis: nec deliberatum diu. Ravensbergensis Comitatus in conspectu erat; suggessítque, quo tegi colore ardor belligerandi posset. Obtigerat hæc provincia in Juliacensis hæreditatis partitione Neoburgico Principi. Hanc illi ut Nassovius regresso milite eriperet; præsidio Bilefeldiæ, & arci per vim occupatæ injecto, fidem jurare Brandenburgico oppidanos cogit.

Achmetes init pacem cum Imperatore. *Spond. ad hunc annũ. Stangefol.*

Hollandi milites Diœcesin Monasterienſem & Osnabrugensem diripiunt.

Bilefeldiam occupant. *Vetus ms. Monast. & Osnabrug.*

Hic turbo bellicus, qui Ducem cum Brunsvicensibus in mutua arma commiserat; quò propior Hildesienſi Diœcesi, eò illi plùs detrimenti afflavit. Prægressæ aliquot Batavorum copiæ Brunsvicum jam devenerant; non tam pacis, ùt ajebant, inter dissidentes reducendæ, quàm confines terras despoliandi causâ. Diœcesi Hildesienſi, cùm tota ferme * jam alienis in manibus esset; vix tenues pristinæ felicitatis reliquiæ supererant. Has illis animus erat, duris exactionibus, ac prædis prorsus absumere: nec aliâ, quàm objectæ pecuniæ vi, velut aureis repagulis, arceri à finibus potuêre. Patribus Carthusianis prope Hildesium saluti fuit ex suburbano cœnobio celeri se fugâ proripuisse in urbem. Eos enim omnes præter fœdam domûs direptionem captivitati, & exilio destinârant. Moniti de periculo, & machinationibus, intrà mœnia recepti, apud amicos diversorium & tutelam invenerunt. Hoc Lutherani non adeò indignè ferebant: indignius illud; quòd ne suis qui-

**vide annum 1521.*

Affligitur ab Hollandis Diœcesis Hildesienſis *Ex tabulario PP. Carthusianorum, aliisq; documentis Hildesiensium.*

quidem parcitum verbi præconibus esset, crudeliter exagitatis, ut abditos è latebris thesauros proferrent. Fuit haud procul Hannovera, quem pernæ instar ex infumibulo suspensum fumo excruciârunt; modicóque interjecto spatio tanquam satis infumatum demisêre. Duo alii, alter in templo ex ara; alter ex suggesto pendulus, quemadmodum plecti in ludis errata puerorum solent; virgis acerrimè concisi.

Conversio Joannis Comitis Sigenensis ad Catholicam Fidem. *ex documentis Sigenensium.*

Longè alium se Westphalis præbuit Joannes Comes Sigenensis, ex eadem stirpe quidem; sed stipite diverso prognatus: & quanta ejus cum Henrico Friderico affinitatis, sanguinísque conjunctio; tanta utriusque morum & vitæ distantia. Scripserat Comes iste Sigenensis in Westphaliæ finibus numerosum militem, qui sub signis Sabaudiæ Ducis in Italia adversùs Mantuanum stipendia faceret. Jam iter ingressus cum valido peditum octingentorum, ac mille peditum exercitu, Argentoratum attigerat. Ibi edoctus, Ducem Sabaudum, inimicitiis positis, cum Mantuano in gratiam reconciliatum; copias retrahere in patriam cogitur; suóque maximo, incolarum nullo damno, exauthorare. Ità dispersò milite, ipse animum colligere, tot bellicis curis dissipatum cœpit: atque ad momenta suæ, & Catholicæ Religionis expendenda appellere. Brevi, ùt erat ingenio literis exculto sagax; in deliberando prudens, & rectus satis vidit, utra utris præponderarent. Parens filium omnibus diu machinis, sed inani conatu oppugnatum è numero suorum & testamenti tabulis expungit; quòd turpi levitate ad *Papistas* descisceendo, stirpis suæ gloriam iniquinâsset. Hanc gravem bonorum jacturam locuplete, & felici cum Catholica Principe* connubio; multísque favoribus cælum compensavit.

**fuit Ernestina Principis Lamoralii de Ligne filia, nupta 1618.*

Diruitur nova urbs Mulheimensis ad Rhenum. *Helvic. l. 5. pag. 145. Matthæus Merian. in Topograph. Westphal.*

Justiores Colonienſium hoc anno iræ. Hi, obtentâ à Cæsare novam Mulheimensem urbem funditus demoliendi, facultate palis, bipennibus, armísque instructi pridie Kalendas Octobres ex urbe proruunt. Ingens hominum multitudo. Pars fabrorum; pars lapicidarum; textorúmque secundo Rheno Mulheimium devecti, totam propè à sedibus urbem eruunt. Diruuntur valla; implentur fossæ; dierum quatuor spatio ædes quadringentæ solo æquatæ: templum, quod Calvini honoribus jam altiùs surgebat, destructum; inque lapidum congeriem versum. Atque ità concidit Carthago illa Mulheimensis; quam tamen gaudeas fuisse in hoc dissimilem Africanæ, *quòd hæc eversa* Romanis plùs nocuerit, quàm adversa.*

**dictum S. Augustini.*

Sub ea tam damnosi Colonienſibus oppidi demolitionis tempora Paderbornæ novo gymnasio, SOLI DEO* ET PATRIÆ, erecto novum decus additum: elegans scilicet in saxum incisa effigies; quæ tanti operis authorem Theodorum Episcopum sublimem exhibet,

**verba hæc leguntur in fronte gymnasii.*

bet, portæque in media ala orientem versùs insistentem; pedo infulâ, aliisque Episcoporum ornamentis visendum. Infra statuam hæ memores conditi operis notæ, inauratis expressæ characteribus, leguntur.

Elegans statua fundatoris Theodori Episcopi in medio alæ gymnasii orientem versùs.

THEODORUS à FüRSTENBERG DEI, AC APOSTOLICÆ SEDIS GRATIÂ, ECCLESIÆ PADERBORNENSIS ANTISTES, AC S. R. I. PRINCEPS AFFECTU, ZELÓQUE BONI PUBLICI, QUÀ RELIGIONE, QUÀ SAPIENTIÂ PROCURANDI, PROPAGANDÍQUE: RELIGIONI QUIDEM TEMPLUM; SAPIENTIÆ VERÒ GYMNASIUM ACADEMICUM: COLLEGIUM PORRÒ PATRIBUS SOCIETATIS JESU, TANQUAM FIDIS UTRIUSQUE THESAURI DISPENSATORIBUS ÆTERNÙM CONSECRABAT.

ANNO EPISCOPATUS SUI PADERBORNENSIS TRIGESIMO.

CUI VIVO, MORTUÓQUE BENE,
QUISQUIS ISTA PERLEGES,
APPRECARE.

Superi jubeant; *tabida*, quæ *ferrum consumit, lapidémque vetustas*, hîc ut eò parcior sit; quo liberalitas tanta dignior; cui ad perennem memoriam, nullâ diuturnitatis aut hominum injuriâ oblite-randum, ponatur *monumentum ære *perennius, Regalíque situ pyramidum altius.* Sollicitatæ jam pridem à Theodoro Episcopo erant tum Romana, tum Viennensis aula ad impertienda institutæ à se academiæ privilegia, immunitates, atque alia aliis per Germaniam academiis communia decora. Interest ad gloriam hujus primæ in Westphalia academiæ literarum & Pontificis & Cæsaris, quæ hoc anno advenêre, exemplar proferre.

*Horatius l. 3. ode 30.

Literæ Pauli V. P. de universitate Theodoriana ad Paderam.

PAULUS PAPA V.
Ad perpetuam rei memoriam.

*IN supereminenti Apostolicæ Sedis specula, meritis licèt imparibus, disponente Domino constituti; et intrà mentis nostræ arcana revolventes, quantum ex literarum studiis Catholica Fides augeatur; divini nominis cultus protendatur; veritas agnoscatur, ac justitia colatur; ad ea per quæ literarum studia hujusmodi ubilibet excitentur, et humiles personæ eis incumbere desiderantes id efficere possint; libenter intendimus, et in iis nostræ sollicitudinis partes propensiùs impertimur; pro ùt pia Ecclesiasticorum Prælatorum vota exposcunt: Nòsq; locorum qualitate pensatâ in Domino conspicimus salubriter expedire. *Sanè nomine Venerabilis fratris Theodori Episcopi Paderbornensis, sacri Romani*

Studiorum universalium commendatio.

*Theodor. Ep. S. R. I. Princeps collegium

S. J. à Præposito Generali dictæ Societatis regendum ad Religionem & bonas artes in sua civitate Paderbornensi constructum reditibus competentibus dotavit.

*Et in dicto collegio Universitatem studii GENERALIS theologiæ, Philosophiæ &c. à Pontifice institui petit.

Rationes, quibus Theodorus Ep. movet Pontificem ad annuendum petitioni.

*mani Imperii Principis, nobis nuper expositum fuit; quòd ipse à viginti annis vel citra, ut adolescentes suæ civitatis Paderbornensis in bonis literis, et moribus, et syncerâ pietate instituerentur; et populus sibi commissus per frequentiam sacramentorum Pœnitentiæ, et Eucharistiæ, nec non concionum, lectionum et sacrificiorum in spiritualibus promoveretur. In eadem civitate unum collegium Societatis JESU, in quo humaniores literæ docerentur, per tunc existentem Præpositum Generalem dictæ Societatis in vim privilegiorum sibi ab Apostolica Sede concessorum, erigi, et institui curavit: illúdque opportuno ædificio construi fecit, et competentibus reditibus annuis dotavit. *Cùm autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Theodorus Episcopus providè consideret, tam in suo, quàm vicinis Episcopatibus magnam penuriam parochorum, qui literas sciant, ut populum erudire, et seriò hæreticis, eorúmque falsis, et erroneis opinionibus opponere; ac etiam eorum, qui cum dignitate Clero seculari, civitatibus, oppidis et locis, ac etiam Abbatiis et monasteriis præfici possint, existere; et academias Catholicas quinque aut sex dierum itinere distare. Econtra verò propinqua esse gymnasia Hæreticorum, in quibus omnia studia ad hæreses, et falsa dogmata propaganda diriguntur, ac sapientiâ hujus seculi gubernantur: et ad ea meliora sæpe ingenia cum magno spiritualium, et temporalium rerum damno proficiscuntur: et in tota veteri Saxonia nullam adesse academiam Catholicam, et propterea, ut Religionem Catholicam, quæ in locis sibi subjectis, et vicinis Episcopatibus viget; conservet, et ubi collapsa est, hac potissimâ ratione restituat, ac suos subditos, et vicinos quàm plurimos ad literarum studia et navandi bonis literis operam excitet: Universitatem studii GENERALIS, in qua duæ facultates, Theologia, et Philosophia cum scholis linguæ latinæ, Græcæ, et Hebræa sub cura tamen, regimine, et administratione dictæ Societatis Præpositi Generalis, et Clericorum ejus, seu personæ, à dicto Præposito Generali deputandæ doceantur, seu legantur; sufficientibus reditibus per eum dotandam, ac competente habitatione, aliísque rebus necessariis ei providendum per Nos erigi, et institui summopere desideret. Nobis igitur humiliter supplicari fecit; quatenus suorum subditorum saluti, et commodo consulendo in dicta civitate, ac ædibus ipsius collegii Universitatem, in qua Societatis prædictæ Religiosi Theologiam, Philosophiam et ingenuas artes prædictas publicè profiterentur: et juvenes quoscunque docerent, Apostolicâ authoritate perpetuò erigere, et instituere, aliásque in præmissis opportunè providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur *Theodorum Episcopum à quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliísque Ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causâ latis; si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes; hujusmodi supplicationibus inclinati ex nunc pro ùt, postquam dictus Theo-*

*Qui propterea annuit petitioni.

dorus

dorus Episcopus sufficientes reditus ad infrà scripta de suo attribuerit; et de rebus necessariis providerit in civitate prædicta ac ædibus dicti collegii, ubi nunc scholæ sunt, seu forsan in ampliorem formam construentur; Universitatem studii GENERALIS, *in qua Religiosi dictæ Societatis JEsu Theologiam, nec non Philosophiam tam scholasticam, quàm positivam, naturalem, ac moralem, linguas, Latinam, Græcam, et Hebræam, aliásque ingenuas artes prædictas publicè profiteantur; ac juvenes quoscunque doceant ad instar aliarum Universitatum studiorum* GENERALIUM *tam in trans alpinis provinciis et regnis, quàm aliàs ubilibet erectarum, Apostolicâ authoritate prædictâ tenore præsentium perpetuò erigimus, et instituimus, sinè tamen præjudicio alicujus. *Ipsámque Universitatem, et studium* GENERALE *sic erectum, et institutum curæ, regimini, et administrationi dictæ Societatis, et illius Præpositi Generalis seu ab eo deputandi, qui totius Universitatis Rector existat, præfatâ authoritate etiam perpetuò supponimus, et submittimus: ac eidem Universitati, illiúsque Rectori, Magistris, scholasticis, aliísque præfatis universis, et singulis, ùt omnibus, et quibuscunque privilegiis, indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, favoribus, gratiis, prærogativis, honoribus, et præeminentiis hujusmodi Universitatibus, illarúmque pro tempore existentibus Rectoribus, Magistris, Lectoribus, Doctoribus, Præceptoribus, scholasticis, Procuratoribus Pedellis, Nuncius, Officialibus, ministris, et aliis personis in genere, vel in specie tam Pontificiâ, quàm Imperiali Regiâ aut Ducali authoritatibus, et aliàs pro tempore quomodolibet concessis non solùm ad eorum instar; sed pariformiter ac æquè principaliter in omnibus, et per omnia uti, potiri, et gaudere: et* insuper Rectori ejusdem Universitatis, et collegii pro tempore existenti, ut illos quos in ipsa erecta Universitate, vel etiam alibi in alia quavis Catholica per debitum tempus studuisse, et scientiæ, et moribus idoneos esse, repererit; in prædictis facultatibus artium, et Theologiæ ad Baccalaureatûs etiam formati, Licentiaturæ Laureæ, ac Doctoratûs nec non Magisterii gradus (servatâ in omnibus formâ decretorum Viennensis et Tridentini conciliorum, quibus in aliquo derogare non intendimus) et aliàs juxta Universitatum aliorum studiorum* GENERALIUM *consuetudines, et erectæ Universitatis statuta promovere; et ipsorum graduum solita insignia eis exhibere, *útque ad dictos gradus sic per illum promoti postea publicè et privatim etiam in omnibus aliis Universitatibus studiorum* GENERALIUM *facultates prædictas interpretari; et alios docere: et de eis disputare, gradui seu gradibus hujusmodi convenientes actus exercere; ac omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, prærogativis et indultis, quibus alii in prædictis Universitatibus seu aliis, et alibi juxta illarum constitutiones, et mores ad gradus prædictos promoti de jure vel consuetudine utuntur, potiuntur, et gaudent; ac uti, potiri, et gaudere poterunt in futurum. In omnibus et per omnia perinde, ac si gradus ipsos in Universitatibus*

*Universitatem Pontifex regimini Societatis committit.

Privilegia & gratiæ Pontificis.

*Rectori illius, facultatem promovendi ad gradus studentes concedit.

*Promotis autem privilegia in aliis hujusmodi studiis alibi promotis competentes elargitur.

sitatibus ejusmodi juxta illarum mores et consuetudines rite suscepissent, uti, potiri, et gaudere. *Nec non pro tempore existenti dictæ Societatis Præposito Generali, ut per se vel dictorum collegii, et erectæ Universitatis Rectorem, aut alium seu alios pro salubri et felici dictæ Universitatis directione, ac Rectoris, Magistrorum, Procuratorum, Pedellorum, Nunciorum, ac aliorum Ministrorum seu Officialium muneribus, et functionibus modóque, et forma docendi, et aliàs sua officia exercendi, et scholasticorum manutentione quæcunque statuta, et ordinationes, licita, et honesta, sacris Canonibus et concilii Tridentini decretis, et constitutionibus Apostolicis non contraria edere, et promulgare: eáque pro temporum, rerum et personarum qualitate mutare, corrigere, et reformare; seu illa cassare, et abrogare; ac alia de novo edere; et super illorum observatione pœnas ejus arbitrio imponere; dictæque Universitatis Doctores, Magistros, Lectores, scholasticos Procuratores, Pedellos, aliósque Ministros et Officiales eligere, et amovere; seu electiones factas confirmare libere et licitè valeant, authoritate, et tenore præfatis etiam perpetuò concedimus, et indulgemus. *Nec non domum, bona, et jura à dicto Theodoro Episcopo, ùt præfertur, collegio, et illius Universitati per præsentes erectæ præfatis concessa et donata; ac etiam concedenda, et donanda, authoritate et tenore similibus itidem perpetuò applicamus, et appropriamus. *Præsentes verò literas nostras de nullitatis vitio notari, seu impugnari, infringi, limitari, seu in jus vel controversiam vocari; aut adversùs eas quodcunque juris et facti vel justitiæ aut gratiæ remedium intentari, impetrari, vel concedi nullatenus unquam posse; sed illas semper, et perpetuò adversùs quascunque impugnationes et exceptiones validas, et efficaces fore, et esse; suósque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere debere. *Sicque, et non aliter per quoscunque Judices ordinarios, et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac S. R. E. Cardinales judicari, et definiri debere: ac irritum et inane, si secùs super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit, attentari, decernimus. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterísque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris die 2dâ Aprilis 1615. Pontificatûs nostri anno decimo.*

*Præposito Generali S. J. statuta pro Universitatis regimine condendi, Officialésque & Ministros deputandi authoritatem tribuit.

*Bona & jura ab ipso Theodoro Ep. dicto collegio concedenda eidem perpetuò applicat.

*Clausulas hujus constitutionis præservativas apponit

*& ità & non aliter judicari mandat.

Contrariísque derogat.

Matthias Imperator Theodorum voti compotem paulò seriùs reddidit; iisdem tamen & ipsum brevi, & musas omnes favoribus complexus in literis, quas subjicimus.

Diploma Cæsareum de Universitate Paderbornensi.

MAtthias, divinâ favente clementiâ, electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ etc. Rex. Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ etc. Marchio Moraviæ etc. Dux Lucemburgiæ, ac superioris, et

et inferioris Silesiæ, Wittenbergæ et Teckæ. Princeps Sueviæ, Comes Habspurgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, et Goritiæ, Landgravius Alsatiæ, Marchio sacri Romani Imperu, Burgoviæ, ac superioris et inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Portûs Naonis, et Salinarum etc. Agnoscimus et tenore præsentium notum facimus universis. Postquam præpotentis Dei concessu, ac munere ad Imperialis dignitatis fastigium evecti sumus, ad officii nostri munus in primis pertinere existimamus, majorum nostrorum Romanorum Imperatorum, ac Regum, qui inter alias supremæ potestatis curas hanc in primis dignitate suâ dignam existimârunt, ut varia in sacro Imperio gymnasia et universalia studia instituerent, fundarent, et confirmarent: exemplo sollicitè curare, ut liberalium artium, ac scientiarum studia, quæ ad Ecclesiæ, ac reipublicæ gubernationem, et conservationem necessaria, et opportuna sint, excolantur; et convenientibus honoribus, ac præmiis excitentur; nostróque auspicio felicia incrementa consequantur. Quam ob rem à Venerabili nostro, et sacri Imperii Principe Theodoro Episcopo Paderbornensi humiliter rogati, ut quod magno labore, gravibúsque expensis in civitate sua Paderborna instituit, atque erexit collegium; cui Patres Societatis JEsu præsint, requisitis rerum omnium commoditatibus locupletatum, et accommodatum, authoritate nostrâ Cæsareâ confirmare; nec non privilegiis, libertatibus, et prærogativis universalis studii munire et exornare dignaremur. Nos maturo super hoc habito consilio, ac deliberatione precibus ejusmodi per sese honestis, et æquis benignè locum dandum, duximus. Ac proinde ex certa scientia, ac de Cæsareæ nostræ potestatis plenitudine in vim motûs proprii collegium antè dictum ab eodem Venerabili Theodoro Episcopo Paderbornensi erectum, ac fundatum tenore præsentium omni meliore viâ et modo instituimus, et in gymnasium, ac studium UNIVERSALE *erigimus, fundamus et confirmamus; illúdque unà cum personis ibidem profitentibus, ac studentibus, privilegiis omnibus, immunitatibus, honoribus, et gratiis, quibus alia gymnasia, eorúmque membra utuntur, fruuntur, et gaudent; donamus, insignimus, et exornamus. Volentes et eadem authoritate nostrâ Cæsareâ decernentes, quòd Rector et Visitatores, aut Professores, et personæ idoneæ ad id per superiores Societatis JEsu juxta formulam Dilinganæ, aliarúmque academiarum, in ejusdem Societatis constitutionibus comprehensam deputandæ possint, et valeant in prædicto gymnasio, seu* UNIVERSALI *studio in duabus facultatibus;* sacra *nimirum* Theologia, *nec non* Philosophia, *et quibuscunque scientiis in gymnasiis Societatis JEsu tradi solitis, legere, et lectiones, et disputationes, et repetitiones publicas facere; conclusiones palàm proponere, ac prædictas scientias docere, interpretari, glossare, et dilucidare: omnésque actus scholasticos exercere eo modo, ritu, et ordine, qui in ipsorum gymnasio hactenus usitatus est, aut in ceteris Universitatibus, et gymnasiis publicis Societatis JEsu observari solet. Porro cùm ipsa studia eo feliciori gradu pro-*

Magna existimatio Imperatoris de scholis & Universitatibus

Gratiæ & privilegia Matthiæ Cæsaris Universitati Theodorianæ concessa.

procedant, et majus sumant incrementum; si ingeniis et disciplinis ipsis suus honos, seu dignitatis gradus statuatur; ut meriti aliquando digna laborum suorum præmia consequantur; statuimus, et ordinamus, ut per collegia Doctorum seu Professorum electis ad id idoneis, et præ ceteris excellentioribus, si qui ad sumendam palmam certaminis sui idonei judicati fuerint; adhibito priùs per ipsos Doctores, et Professores in qualibet facultate pro more, et consuetudine, atque solennitatibus, et ritu in ceteris Universitatibus observari solitis, rigoroso et diligenti examine (in quo conscientias ipsorum Professorum onerari volumus) in Theologia, Philosophia, et liberalibus artibus eos, qui examini se submiserunt, séque pro more, ac juxta statuta scholarchis per aliquos dignos et honestos viros de gremio ipsius collegii præsentari fecerint; possint ad ipsum examen admitti, et invocatâ Spiritûs sancti gratiâ examinari. Et si hoc modo habiles idonei et sufficientes reperti, et judicati fuerint; Baccalaurei, aut Magistri, aut Licentiati, aut Doctores pro uniuscujusque scientia et doctrina creari, et hujusmodi dignitatibus insigniri; nec non per Bireti impositionem et annuli ac oscüli traditionem; ceterisque consuetis solennitatibus investiri; et consueta ornamenta, atque insignia dignitatum prædictarum eis tradi, et conferri: quódque Baccalaurei, aut Magistri, aut Licentiati, aut Doctores in eadem academia promoti, et promovendi debeant, et possint in omnibus locis, et terris sacri Romani Imperii, et ubique terrarum et locorum libere omnes actus Professorum legendi, docendi, interpretandi, glossandi facere, et exercere, quos ceteri Professores, Baccalaurei, Magistri, Licentiati, et Doctores in aliis studiis privilegiatis promoti, et insigniti exercent, et exercere possunt, et debent de consuetudine vel de jure. Ceterùm, quo præfatum gymnasium Paderbornense suis gubernatum magistratibus solidiori, et firmiori consistat fundamento; omnes, et singulas ordinationes, et statuta in eo hactenus facta tenore præsentium confirmamus: et insuper damus, et concedimus scholarchis, Doctoribus, Professoribus, et scholaribus in dicta academia quoquo tempore existentibus, authoritatem et potestatem condendi, et faciendi statuta, et ordinationes juxta consuetudinem ceterarum Universitatum. Ad hæc damus, et concedimus ejusdem Societatis superioribus potestatem creandi, et constituendi Rectorem scholæ, et Visitatores, et Professores. Item Procuratores ad negotia, vel Syndicos, sive alios quoscunque Officiales Universitatis, pro ut ipsis visum fuerit expedire. Præterea volumus, et decernimus per præsentes, quòd scholastici, ac ibidem dignitatem, seu gradum aliquem assumentes, gaudeant, et potiantur; utique frui, et potiri possint, ac debeant omnibus, et quibuscunque gratiis, honoribus, dignitatibus, præeminentiis, prærogativis, privilegiis, concessionibus, favoribus, et indultis, ac aliis quibuslibet, quibus Universitas Heidelbergensis, Tubingensis, Friburgensis, Ingolstadiensis, ac alia studia privilegiata, ac Doctores, Licentiati, Magistri, Baccalaurei, et scholastici istic

Datur facultas ab Imperatore promovendi doctores Baccalaureos &c. quos ubiq; in omnibus academiis ad omnia Professorũ munia recipi jubet idem Imperator.

Donatur ab Imperatore Universitas Paderb. omnibus privilegiis & immunitatibus quibus gaudet Universitas Tubingensis, Friburgensis, Ingolstadiensis, ac alia studia privilegiata.

istic promoti, aut aliquâ dignitate, seu gradu insigniti gaudent, utuntur, fruuntur, et potiuntur, quomodolibet consuetudine, vel de jure. Non obstantibus aliquibus privilegiis, indultis, prærogativis, gratiis, statutis, ordinationibus, legibus, constitutionibus, reformationibus, exemptionibus, aut aliis quibuscunque in contrarium facientibus. Quibus omnibus, et singulis ex certa nostra scientia, animo deliberato, et motu proprio, hisce derogamus; et derogatum volumus per præsentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ confirmationis, erectionis, indulti, concessionis, et privilegii gratiam, vel facultatem infringere; aut ei quovis temerario ausu contravenire, seu illam quovis modo violare. Si quis autem id attentare præsumpserit; nostram et Imperii sacri indignationem gravissimam, et pœnam centum marcharum auri puri toties, quoties contrà factum fuerit, se noverit irremissibiliter incursurum: quarum dimidiam Imperiali Fisco seu ærario nostro; reliquam verò partem sæpe nominato Venerabili Theodoro Episcopo, et ejus successoribus decernimus applicandam, harum testimonio literarum manu nostrâ subscriptarum, et sigilli nostri Cæsarei appensione munitarum. Datum in arce nostra Regia Pragæ die decimâ quartâ mensis Decembris. Anno Domini millesimo sexcentesimo decimo quinto. Regnorum nostrorum Romani quarto, Hungarici octavo, Bohemici verò quinto.

Pœna statuta in eos, qui violant privilegia & immunitates Universitatis Paderbornensis. *Ex autographo quod asservatur in collegio PP. S. J. Paderb.*

MATTHIAS Imperator.

(Locus Sigilli appensi)

Vice Reverendissimi Domini Jo. Swikardi
Archicancellarii et Elect. Mog.
Vt. L.L. (ô) Uhn subsc.

Ad mandatum sacræ Cæsareæ
Majestatis proprium
Joannes Barvitius mpp.

Ingens urbis & Diœcesis Paderbornensis decus, tot Pontificiis, Cæsareísque ornata gratiis academia. Non defuêre tamen laudis ejus & gloriæ obtrectatores; qui mancam dicerent, mutilámque, quòd juris prudentia in eadem non tractetur. *Eos*, inquit Joannes Horrion *in panegyrico, *non meis, sed hominum juris peritorum verbis hunc errorem dedocebo.* Prima, quam ibidem adducit, Petri Tolosatis doctissimi juris consulti sententia est. *Arbitrarias*, ait ille, *Principibus Ecclesiasticis et secularibus scientias esse, quas velint tradi, sive omnes, sive certas. Quamvis enim omnes habeant commune vinculum, et constituant encyclopædiam: non tamen sequitur, debere in uno, eodémq; loco simul tractari, vel doceri. Neque ideo minùs Universitas privile-*

*Lib. 3 cap. 6. pag. 115.

giata in Gallia, aut alibi dicetur, si modò privilegia concessa sint, quia ibi omnes artes vel studia omnia non tradantur. Sunt enim scholastici et Doctores, qui faciunt Universitatem, et non diversitas scientiarum. Possunt adjungi semper scientiarum diversarum Professores jam introductis professionibus. Ità Petrus Tolosas. Cui Petrum Rebuffum, Batholomæum Cassanæum adstipulari, probat Horrion: atque his verbis disceptationem finit: **qui igitur Paderbornæ negant Universitatem propriè dictam esse; ii jurisperitorum, et summorum Principum inscientiam dum videntur fugillare velle, demonstrant suam.* Hæc, cui libuerit, prolixiùs legat libro 3. cap. 6. panegyrici; qui die natali academiæ Paderbornensis fundatori ejus Episcopo Theodoro oblatus est.

*panegyr. lib. 3. cap. 6. pag. 116.

Vocatum insuper in controversiam à nonnullis fuit; an hîc Paderbornæ gymnasium frequentando, ab Ecclesiarum Cathedralium Canonicis satisfiat legi, aut statuto illi; quo tenentur, ante cooptationem docere de anno studiorum in celebri aliqua Universitate, sinè ulla ex urbe per noctem absentia expleto. Vidi ego non semel, quando perillustrium familiarum filii se Magnifico hujus Universitatis Rectori eum in finem sistebant, rogabántque anni illius à se inchoandi, quem designabant, diem notari. Evoluto anno, postquam viri fide dignissimi, apud quos diversati erant, jurati docuissent de annua intrà urbem commoratione, nunquam foris pernoctando, interrupta; datum à Rectore Universitatis testimonium, Paderbornæ sæpius in Collegio Cathedralis Ecclesiæ, & Hildesii valuit: impugnatum tamen haud ità pridem *Osnabrugi; cùm Reverendissimus, & Perillustris Dominus Wilhelmus à Meschede ex Alme literas Paderbornensis Universitatis sigillo; ejúsque Rectoris, & scribæ publici appositâ manu roboratas, anni studiorum Paderbornæ transacti testes afferret. Neglectæ hæ primùm fuêre tanquam nullius roboris: oppositúmque statutum *vetus de adeundo loco, ubi *Generale*, quod Paderbornæ non esset, studium coleretur. Inducti in hunc errorem erant ex oblivione eorum, quæ in diplomate Pontificis Pauli V, & Matthiæ Imperatoris de *Generali*, ùt vocant, ad Paderam studio satìs perspicuè habentur. Quibus postea in memoriam revocatis statim, quæ æquitas illorum & prudentia fuit; suas testimonium vires, & Orator locum in numero Cathedralium Canonicorum obtinuit. Hæc pace omnium publicæ rei bono strictim narranda, duximus. Erit enim fortassis nonnemo, cui facilius sit in vicina patria parvo comparare sibi; quod alioqui peregrè magno trans Alpes pretio & sumptu petendum esset. Atque hæ sunt illæ jam multis progressionibus auctæ Paderbornenses scholæ, quæ jam indè ab Hathumari & Baduradi, primo-

*anno 1633

*de anno 1239.

*Ex extractu protocolli Capituli Osnabrugensis summæ ædis 9. Januarii 1733.

primorum hujus Diœceſis Epiſcoporum, temporibus per Weſtphaliam celebres, florentésque fuerunt. *Tanquam ad amœnos Paderæ fontes* (verbis Schatenii utor) *ipſa Chriſti Religio muſarum camœnas collocare voluerit.* De Imperio *mero et mixto*; quo & Univerſitas Paderbornenſis in delictis ſuorum atrocioribus puniendis gaudet; occaſionem diſſerendi, annus ſeculi hujus nonageſimus ſextus dabit. *Lib. II. annalium ad annum 815.

Annus Chriſti 1616.

PAULI V. Pontificis	11. & 12.
MATTHIÆ Imperator.	4. & 5.
THEODORI Epiſc. Paderb.	33. & 34.

PRinceps Neoburgenſis factus certior de prærepto ſibi, ínque ſolius Brandendurgici obſequium per Batavum militem ſubacto Comitatu Ravensbergenſi, nihil dubitavit frangere frangenti fidem; & contra injectam plagam lege talionis agere. Quidquid urbium, oppidorúmque ex Marchia, aliísque Juliacenſibus terris poſſet, vi, & armis ſibi vendicando. Quam ob rem Albertus Archidux, cui queſtus de injuria Neoburgicus fuerat; Henricum Montium Comitem cum collectitio novem millium exercitu miſit. His, trajecto Rheno in Weſtphaliam transgreſſis, prima ſe obtulit urbs Tremonienſis; & ſolâ adventûs famâ, exercitûsque conſpectu territa, victáque. Non ità facilè ſe dedidit Suſatum, urbs amplitudine territorii, & civium numero potens. Hæc contrà, ac promiſerat ſe Principum neutri hæſuram; anno ſuperiore, agentibus Batavis, Brandenburgici partes amplexa, negat exercitum, qui pro mœnibus Neoburgici nomine aderat, admitti à ſe in urbem ſinè perfidiæ nota poſſe. Henricus Comes, legionis ductor, per fecialem monet obſeſſos: *ruptam priùs à Brandenburgico pacem, violatámque fidem; nec ulli quidquam fieri injuriæ; ſi perfidiam experti ultionem parent.* At tergiverſantibus illis, lucrúmque (adventabant enim ſuppetiæ) in mora ponentibus, confeſtim Comes machinis bellicis mœnia concuti & portas, imperat. Mox portarum una, ſuis evulſa cardinibus corruens, omnium animos proſtravit: miſsísque ad Comitem urbis clavibus, octavo Aprilis deditio maturata. Valido hîc relicto præſidio Lipſtadium verſùs omni feſtinatione utendum fuit, quò illuc properantia Batavorum auxilia Comes adventu ſuo præverteret. Jámque illa ſeſe in adverſa, cui urbs incumbit, Lupiæ fluminis ripa oſtentabant: at viſo cominus circumfuſi exercitûs robore ſatiùs habuêre, retro referre pedem, quàm congrediendo cum hoſte omnium vitam

Tremonia, Suſatum, Lipſtadium aliæque urbes occupantur per Alberti Archiducis exercitum in favorem Neoburgici. *Matthæus Merian. in Topograph. pag. 55.*

Stangefol. in annal. circuli Weſtphal. Palatius in Aq. Auſt. mſ.

vitam extremo diſcrimini objicere. Cives interim ex diſceſſu auxiliorum nihilò timidiores, omnia ad civitatis defenſionem comparant: erátque populus tam crudeliter infeſtus Catholico nomini; ut dejeraret, millies ſe periturum potiùs, quàm ſuperſtitem cum Hiſpano milite intrà urbem eſſe. Tumor ille animi, furórque plurimùm ſubſidit ad fragorem tormentorum; quibus cùm mœnia, rudíque opere conſtructa valla conquaſſari, & dejici viderent; ſpésque omnis ſuppetiarum, & commeatûs invehendi præciſa eſſet; decimo Aprilis altero poſt cœptam oppugnationem die hoſti, propiùs ferociúsque imminenti, urbs dedita.

Comiti Henrico, ut pro his proſperis armorum progreſſionibus ſe devinctum Superis, gratúmque teſtaretur; duo in primis curæ, & cordi fuêre. Primum: ut ne Catholicus miles diſſolutis moribus vitam duceret à Religione ſua alienam; nec quidquam ſupra militarem modum civibus moleſtiæ faceſſeret. Hinc ipſum Lipſtadii gubernatorem, quòd preſſiſſe cives novo argueretur exactionis genere; amotum juſſit Bruxellas ad dicendam cauſam abire. Suffecto alio in locum ejus, cum trecentorum militum ſupplemento. Alterum, quod ſedulò curabat Comes, Religionis ſpectat incrementa. Suſati ex primaria urbis Eccleſia ſancto Patroclo dedicata, à ſenatu, ſpretâ prohibitione Cæſaris, dejecti * è cathedris erant concionatores Catholici: nunc in ſacram functionem reſtituti omnes. Inſuper ex eodem templo multis jam intermiſſam annis ſupplicationem per urbis compita inſtituêre: ſub cujus finem res divina in ipſa nave templi, ſolennibus cerimoniis peracta eſt. Videbatúrque jam divo Patroclo priſtina veneratio rediiſſe; non diſſimilis illi, quo olim venerandum ejus martyris corpus ex Tricaſſina urbe Coloniam transmiſſum; à Brunone Colonienſium Archiepiſcopo, Ottonis I. Imperatoris fratre Suſatum, clero & populo in occurſum piáque gaudia effuſo * deportatum eſt. Tantúsque ſacro pignori apud Suſatenſes honor partus; ut ejus imago non modò in variis per urbem locis; ſed in ipſa etiam curia ex ligno ſculpta, aut artifici adumbrata penecillo ſteterit: nec ſenatus ad tractanda urbis negotia congregatus, in curiam concederet unquam, quin ſinguli antè Tutelari ſuo ſupplices conſilium, & opem efflagitâſſent. Priſca hæc Majorum pietas viſa hoc anno in nepotibus reviviſcere: ſed emortua brevi; quódque tum veræ Religionis *ſemen in terram bonam cecidit, exortæ* poſteris annis *ſpinæ ſuffocaverunt.*

anno 1568 9. Decembris. Reſtituta Catholica ſacra Suſati.

Quanta olim veneratio S. Patrocli fuerit in urbe Suſatenſi. *Bolland. tom. 2. Ss. Januarii in addendis de S. Patroclo col. 1. pag. 1144*

*anno 964.

Paderbornenſium inter hæc ſacer Antiſtes ac Princeps Theodorus, ut Pontificiæ, Cæſareæque in erectam à ſe academiam benevolentiæ fama manaret latiùs, adeptas immunitates, & privilegia in ore, atque oculis omnium publicâ voce divulgari voluit.

Quo-

Quocirca indictus omnium totius Diœceſis Ordinum conventus; viciníque etiam Principes, Comites, & Dynaſtæ invitati. His magno numero ad rem novam excitis, die decimo tertio Septembris eo, quam rerum majeſtas exigebat, apparatu datus in ſcenam eſt *ſapiens Salomon*, ille templi Dei olim magnificentiſſimus conditor. Poſt exhibitum drama, Pontificis Cæſarisque conceſſiones, & gratiæ, tubis perſonantibus, intercinentibus muſicis, palàm recitatæ incredibiles in præſentium Procerum, populíque animis motus concivêre. Princeps ipſe vim gaudii comprimere & ſolatii vix potuit: apertè teſtatus, hunc ſibi in longæva vita jucundiſſimum illuxiſſe diem; quo abundè inſtructum, firmatúmque divinæ, ac humanæ ſapientiæ armamentarium; quo uni Deo majorem gloriam, Catholicæ rei præſidium; quo partam toti patriæ ſalutem conſpiceret. Nunc ſibi ſe, ac aliis vixiſſe ſatìs: exclamare pio animi ſenſu cum ſene illo Evangelico Simeone: *Nunc dimittis ſervum tuum Domine.* Ubi quæſo terrarum ullus unquam, ex patrimonio quantumvis amplo & lauto, filiis nepotibúsque ditandis relicto, tantum gaudii hauſit; quantum huic Principi ab opibus in patriæ, Eccleſiæque utilitatem bene poſitis allatum lætitiæ & conſolationis? Hanc alia præceſſerat matutino ejuſdem diei tempore, nec minor ſolennitas, quando ſummum altare in templo Patrum Societatis JESU Theodori Epiſcopi inexhauſtâ liberalitate albo nigróque marmore expolitum, perfectúmque; XIII Septembris à Nicolao Arensdorffio Epiſcopo Anconenſi, Monaſterienſis Epiſcopi Vicario in Pontificalibus conſecratum fuit; præſente ipſo Theodoro Epiſcopo noſtro, ejúsque ſorore Othilia, Domicellarum Heriſienſis collegii Antiſtite. Utriusque tenera in Deum, & rara pietas mirificè aliorum præſentium animos affecit; cùm nobile hoc à ſplendore virtutis & generis illuſtre par tardo, & difficili ex gravi ſenectute inceſſu; vultu divini honoris augendi deſiderio ardente, ſub ſolenni ſacro circuire aram Deo conſecratam intuerentur; in eáque largam admodum eleëmoſynam deponere. Vetus hoc templum olim PP. Minoritarum Ordinis S. Franciſci fuerat. Sed cùm ruinoſum, nec ulli porrò uſui eſſet; ampliùs decennio abhinc dirutum jacet. In ejus demolitione hæ literæ, rei narratæ teſtes, in ruderibus ſummi altaris inventæ:

Promulgatio privilegiorum, gratiarum &c. quas Theod. Ep. à Pontifice & Imperatore pro academia ſua impetravit. *Hiſt. collegii S. J. Paderb. Literæ Univerſitatis.*

Anno Domini 1616 die 13 Septembris ego Nicolaus Arensdorffius, Epiſcopus Acconenſis, ſuffraganeus Monaſterienſis conſecravi altare hoc in honorem SS. Joannis Apoſtoli, et Evangeliſtæ, et SS Apoſtolorum --- et reliquias beatorum martyrum Coſmæ et Damiani in eo incluſi.*

Singulis Chriſti fidelibus - - - - -

*lege Anconenſis.

Cetera, quæ hìc deſiderantur, vetuſtate & ſitu conſumpta erant.

Hæc

Hæc publica urbis gaudia triſti conturbata incendio fuêre; quod pridie Kalendas Octobres horâ poſt meridiem alterâ exortum Paderbornæ, Patrum Capucinorum domum, viciniámque totam abſumpſit. Flamma deinde versùs*Paſtoritiam, ab eáque mox flexo ad Auſtrum vento, ad*Vultream uſque portam fuſa, correptis per viam tectis omnibus, deflagrationem toti urbi comminabatur. Populus vehementium (quos ubique inflammatus ſpargebat aër) calorum intolerans; igne etiam in plateæ partem alteram, ſpatium licèt ſatis latum interjaceret; ſubito quaſi volatu tranſiliente, fugam ex deſperata urbe adornabat. Cùm religioſi quidam (citiùs vix potuerunt flammâ fulminis inſtar ſæviente) ſcalis, urceísque inſtructi prodeuntes, animos deſperantibus, & opem ferunt. Trecenta tamen quinque & ſeptuaginta cum horreis ædificia in cineres procubuêre. Præſentis, ac propitii Numinis beneficium fuit, non periiſſe omnia.

*Heerdsthor. *Geyrs Thor. Ingens incendium Paderbornæ. *in contin. Coſmodr. Gobelini.*

Minore damno ignis hoc anno nocuit Monaſterienſi urbi in Weſtphalia, ſed cælo, ut apparet, vindice injectus. Civis habitans in platea Ludgeriana piſtor opificio, coctórque cereviſiæ; lucri, quàm pietatis amantior, ipſo aſſumptæ in cælos Virgini ſacro die ſub meridiem famulo imperat: *ligna, aquam comportet: inſtruat focum: defeciſſe cereviſiam; coctam oportere aliam. Initium labori ſub veſperum dandum. Vetitum*, inquit famulus, *laborem tam ſacro die: neque licitum eſſe craſtino in honorem ſanctæ Annæ ad meridiem feriato, ex more apud Monaſterienſes jam olim recepto.* Cui ille ſtomachoſior: *volo*, inquit, *exequare imperata: ſi** Filia *labori noſtro obicem poſuit hodie*; *Mater *cras minimè ponet.* Obtemperatum igitur minaciter imperanti: diésque ſervili opere profanatus. At quanto rerum, famæque diſpendio? cereviſiâ enim, quantum ſatis erat, bene excoctâ, circiter horam pomeridianam ſextam domus tota flammis ex inopinato ardet: eâque cum duabus vicinis exuſtâ, ſparſo latiùs incendio, ædes in urbe ampliùs triginta hauſtæ. Senatus, intellectâ hominis temeritate, non imprudenter arguens, voluiſſe Superos eâ pœnâ maledicum os ulciſci; petiit à magiſtratu Eccleſiaſtico, ut diem menſis Auguſti decimum ſextum mandato novo ſanctæ Matris ANNÆ honoribus conſecraret, ſervilium intermiſſione operum, ac ritu aliis diebus feſtis ſolito colendum. Jam enim per impietatem & turbas Anabaptiſtarum multùm exoleverat Erici Epiſcopi Monaſterienſis mandatum, quo ille anno * ſuperioris ſeculi decimo perpetuis temporibus per Diœceſin totam, diem poſterum ab aſſumpta in cælum Virgine, cultui ANNÆ Matris dedicatum voluit. Interim miſer ille, cujus improbitati, nimióque lucrandi ſtudio mali origo adſcribebatur, ob jacturam domûs, pœnámque pecuniariam, tum ſenatui, tum aliis

Incendium urbis Monaſterienſis. *Jacobi Polii Exegeticon hiſtoricum S. Annæ. Literæ Monaſterienſes. *putà Maria Virgo. *putà Anna*

**vide dicta ad illum ann. 1510. chron. Monaſt. mſ.*

aliis damnum passis persolutam egentior; in odio omnium & mœrore animi contabuit: hoc uno felix, quòd infortunio *monitus didicerit, non temnere Divos.*

Huic immissæ è cælo pœnæ aliam subnectere libet, *concitatæ Aquisgrani rebellionis incentoribus hoc anno irrogatam. Ambrosius Spinola, postquam anno MDCXIV edomitâ urbe plerosque turbarum signiferos & authores conjici in vincula, & carceres jussisset; Marcodurum movens Aquisgrani reliquerat, qui factâ nomine Imperatoris diligenti inquisitione, reos pro gravitate scelerum justis suppliciis addicerent. Missi hi judices erant ab Alberto Archiduce, & Ferdinando Electore Colonienſi, Paderbornensium Episcopo designato: quibus suas hoc in negotio vices commiserat Imperator Matthias. Ab his tertio Nonas Decembris damnati primùm, reíque capitis *pronunciati plures, quos jam vel mors è vivis, vel fuga ex urbe aliò subtraxerat; facultatibus, ubi ubi locorum extarent, omnibus fisco addictis. Ex his fugitivis uni, rebellantium duci primario (Helvicus Joannem **Kalcberner** vocat) inusta gravis ignominia; palámque in oculis omnium defixa hoc modo fuit. Hominis effigies stanti in foro columnæ insculpta visebatur; defecto capite, pedibus sursum versis; quibus lictor astabat machærâ armatus, imminens trunco cadaveri, dissecando in partes quatuor; quæ ad totidem urbis portas in terrorem viventium suspenderentur; capite priùs supremo curiæ apici clavis affixo. Infrà inciſi hi characteres: *sic pereant, qui hanc rempublicam et sedem Regalem spretis sacræ Cæsareæ Majestatis edictis evertere moluntur.* Præter hos, producti in ferale pegma pro foribus curiæ ampliùs octoginta; vilia de plebe capita: cerdones, opifices de sartorum, sutorúmque tribu; obscura nomina. Ex iis duo plexi capite; bona omnia publico ærario adjudicata. Cum ceteris actum mitiùs: plerisque vel gratia vitæ facta, vel imposita levior mulcta. Alii in ergastula retrusi, proscripti alii, ínque exilium ejecti.

*incepit rebellio anno 1611.

*horum nomina adducit Helvicus lib. 6. pag. 150. Executio facta in seditiosos Aquisgranenses à Ferdinando Coloniensium Archi-Episcopo, & Alberto Archiduce. Helvic. l. 5 ad hunc annum pag. 149. Matth. Merian. topograph. Westph.

Annus Christi 1617.

PAULI V. Pontificis	12. & 13.
MATTHIÆ Imperator.	5. & 6.
THEODORI Episc. Paderb.	34. & 35.

Primum Lutheranorum jubileum. Chron de ortu & occasu Lutheranismi.

VOlvitur annus decimus septimus supra millesimum sexcentesimum. Eum Lutherani novæ Religionis suæ secularem numerârunt. Unde varia in templis, exedris, theatris, exeunte Octobri, audita gratulatio de conservata proximis centum annis Lutheri doctrina; festivis ludis,

carminibus, hymnis ubique personantibus: tantúmque jam *cœca noctis habebant mortalia pectora*, postquam à seculo *dilexerant magis* **tenebras, quàm lucem*; ut superfusis recèns Germaniæ tenebris *à Patre luminum* impetrandam crederent, *alterum in lustrum, meliúsque semper in ævum*, perennitatem. His præposterè orantium votis contrarium antè indixerat jubileum Paulus V. Pontifex Maximus pridie Idus Junii promulgatum; quo totum voluit Christianum orbem pro Imperio, & communi salute; pro extinguendis Christianorum Principum simultatibus ad preces ardentissimas, certáque pietatis opera confugere. Placuit paterna solicitudo Matthiæ Cæsari, non semel adversis in rebus experto, cælestis auxilii necessitatem: cúmque annis jam, ac morbis fatiscceret; imbecillior, quàm ut porrò ferret tot regnorum molem; reclinandam in alium partem oneris censuit; suâpte sponte omni in Hungariam, Bohemiam, Austriam, jure abdicato. Nulla Matthiæ ex matrimonio* susceptа proles erat, soli restabant ex Maximiliani II stirpe mascula, Matthiæ fratres duo, Maximilianus Ordinis Teutonici supremus Magister; & Albertus Belgii Princeps. Sed quos longa jam dies exhausserat, pariter spe prolis orbatos: eóque faciliores ad conterenda certis pactionibus jura omnia, ac ditiones Austriacas in Archiducem Ferdinandum, Patruelem suum, *Caroli Carinthiæ, Stiriæ, ac Carinthiæ Ducis filium: cui & hoc anno, postquam à patruo Matthia Cæsare adoptatus in filium esset, corona Regni imposita est Pragæ tertio Kalendas Julii: quo die post defensam fuso sanguine Catholicam Religionem, Apostolorum Principes repositam in cælis justitiæ coronam adeptos, veneramur.

*Joannis 3. 6. 19.

Jubileum à Paulo V. P. indictum. *Spond. ad hunc annũ & alii passim.*

Cæsar Matthias abdicat se Regno Bohemiæ. Succedit Ferdinandus patruelis. *Spond. ad hunc annũ. Helvic in theat. hist. lib. 6.*

**Conjux Matthiæ fuit Anna Ferdinandi Archiducis filia.* **Carolus fuit filius Ferdinandi I, & frater Maximiliani II. qui pater fuit Matthiæ.*

Hæc surgentis fortunæ initia eò gravius ferebant Calviniani, quò iniquiorem fore sibi ominabantur Ferdinandum, propagandæ, tuendæque rei Catholicæ cupientissimum. Indè rursus coitiones novæ; nova consilia Heilbronnæ de instruendis bellorum, augendísque apparatibus agitata. Obicem exequendis consiliis tantisper posuêre exorta inter illos ipsos intestina dissidia; quibus abrepti per Hollandiam, Frisiam, vicinámque Westphaliam in viscera sua debachati sunt. Belli origo nata anno MDCVI ex discrepantia opinionum; quâ quisque viâ ad salutem perveniret; aut in exitium rueret sempiternum. *Molles Calvinistæ* dicti *Remonstrantes*; eóque nomine secuti Jacobum Arminium sentiebant, neminem ad gaudia, aut supplicia æterna destinari à Deo; nisi quos ille prævidisset, post lapsum crediturus in Christum; aut secùs infideles perstituros: ideóque gaudiis fore, vel suppliciis dignos sempiternis. In alia omnia ibant *Rigidi* Calvinistæ, *Contraremonstrantes* vocati; hócque titulo Franciſci Gommari asseclæ. Acriter illi contendebant

Schismata inter Hollandos ratione prædestinationis & reprobationis. *Franciscus Van Ranst pag 457. Spond. ad ann. 1609. 1610. 1617.*

bant; nullo fidei, aut operum habitâ ratione, mortalium alios liberâ Dei voluntate, ùt *vasa iræ apta**, in interitum rejici: retineri alios ùt *vasa** *misericordiæ*: quibus solis Deus ad declarandam potestatem suam *divitias *gloriæ suæ ostenderet*. A verbis deinde ad arma, & verbera hoc anno deventum: suósque opinio utraque cruentos defensores habuit. Inter ceteros Principes Mauritius Nassovius, ut Regis Angliæ Jacobi, Arminianis plurimùm infensi, aucuparetur gratiam; se Gommari sectatorem profitetur: collectóque exercitu anno proximo mense Augusto Ultrajectum ad Rhenum, sedem præcipuam Arminianorum intercipit, subigítque. Hæc nimirum hæreseos volatica indoles est: secum ipsa, & ab aliis dissidens; sibi dissimilis semper; nunquam constans, nisi in levitate sua: nec minores vulgò sunt errorum inter se; quàm cum veritate conflictus.

*** in Epist. ad Rom. c. 9. vers. 22 & 33.

Opposita his turbis Theodorus Episcopus noster pacis colebat, & Religionis per literatos viros juvandæ, studia: utpote cui jucundius nihil hic annus attulit; quàm quòd ex primis incunabulis per prioris anni adolescentiam succrescens academia in statum perfectiorem evasisset. Neque desiderari se passus est; quo die primi, decurso Philosophiæ stadio, liberalium artium Magisterii laureâ donati sunt. Hos ille ad honorum subsellia evectos spectare coràm; suâque præsentiâ augere illorum gloriam non dedignatus: ídque in frequentissimo Nobilium, Procerúmque totius patriæ consessu; applaudentibus omnibus, ipso etiam fundatore sibi illius diei felicitatem gratulante; quo primum tot curarum, consiliorúmque, ac tanti in academiam impendii fructum videret: messem, venientibus annis, uberiorem posteris non semel precatus. Et quidni uberrimam sperarent posteri? cùm nihil Paderdornæ eorum desit, quæ ad academiæ splendorem, & commoditatem requiruntur. Primi enim illi sapientes viri, qui è Britannia, Carolo magno Cæsare, venerant in Galliam, jacturi prima Parisiensis academiæ fundamenta; cùm sapientiam afferri à se venalem dicerent, interrogati ab aliis, quonam opus pretio esset ad rem tantam sibi comparandam. *His rebus quatuor*, inquiunt, **opportunis locis*, *animis ingeniosis*, *victu*, *et amictu*. Horum autem nihil deesse Paderbornæ, Joannes Horrion eruditè probat in panegyrico Lib. 2. Cap. 7. Ego, ne encomiasten videar agere, malim, lector ipsum ut scriptorem consulat; ponderétque, quàm solidis argumentis stabiliat, illa quatuor ex virorum sapientum assertione necessaria academicis commoda, ad Paderæ fontes quodammodo confluere. Mihi satis erit, id solum ex panegyrico adduxisse: *si, ùt est apud Strabonem*, inquit, *gymnasio liberalium artium, quod erat Tharsi in Cilicia, Cydnus amnis, cujus saluberri-*

Annales Universitatis.

**Sangal. l. 1. cap. 1. de gestis Caroli Magni*

Panegyric° natali die academiæ

Paderbornensis oblatus Theodoro Episcopo fundatori lib. 2. c. 7. pag. 53.

ma aqua ferebatur, plurimum celebritatis attulit; nihilne habebit ad illustrandam Paderbornæ academiam salubrium fontium copia, quibus ambigere possis, plúsne palati et valetudinis, an aspectûs vel voluptatis gratiâ delecteris? neque enim sentio, quæ possit species esse jucundior, quàm trium fontium in media urbe ex eodem colle modico intervallo exorientium - - - - quanta amœnitas singulorum, cùm seorsim fluunt? quanta omnium, cùm uno amne labuntur? Nec pauca addit de præstantia fontis Paderæ; quàm salubres aquas vehat, quas habeat dotes paucissimis in orbe fluviis communes. Sed de hoc satìs. Ad persequenda reliqua horum temporum eventa redeamus.

*Hirschfeld vide geographiam Baudrand.

Fatalis hoc anno casus afflixit finitimam nobis Domum Hassocassellanam. Herofelda *sive Hersfeldia oppidum erat in provincia Hassica haud procul à Fulda fluvio Imperiale ac liberum; postea exemptum ab Imperio, súbque proprii Abbatis dominio constitutum; cujus lata jurisdictio se per ipsum oppidum Herofeldense, tractúmque adjacentem exporrigebat. Multæ opes cœnobio: laus magna diu monachis à religiosa vita. Verùm quæ prô dolor! id temporis erat communis morum corruptela, non difficile fuit Mauritio Hassiæ Landgravio eos aliò pertraxisse, post antiquatas ibidem antiquissimi Ordinis divi Benedicti regulas cœnobitis novas Calvini leges obtrudendo. Eorum plurimi tamen horrore novitatis perciti glorioſam fugam ceperunt: paucis, quos doctrinæ mollioris illecebræ detinebant, remanentibus, à Mauritio moderator, & tanquam novus Archimandrita impositus Otto filiorum ejus natu major. Is in flore ætatis primo, quidquid oblectamenti adolescentiæ dari potest sive venatu, sive aliis ludis; sibi admodum juveni liberiùs indulgendum censuit. Fistulam æneam pulvere pyrio & glande oneratam incautâ manu cùm versaret, ejus ore ad se converso; rotula fistulæ fortuitò soluta ignem elicit; ac glandem plumbeam per corpus Ottonis adigit: momentóque septimâ Augusti exanimem proturbat, tres & viginti annos natum. Felicem Archimandritam, si ex aliena Religiosorum domo per vim occupata à patre terrestri, è vestigio transiêrit in domum cælestis patris, quæ etiam *vim *patitur, et quam violenti rapiunt*: sed sibi non aliis violenti.

Otto Mauritii Hassiæ Landgravii filius per infortuniũ perit. *in contin. Cosmod. Gobelini. ms.*

*Matthæi 21.

Eodem hoc anno sextum decimum Februarii diem, supremum habuit Casparus Ulembergius; vir præstantissimarum virtutum, multæque eruditionis. Natalis ipsi annus superioris seculi quadringentesimus nonus; patria Lipstadium, urbs paucis hinc horis dissita: ubi primùm literis, deinde Susati, & Brunsvici, tum Wittenbergæ sedulam, neque infelicem operam dederat; *animam sortitus bonam*, dotésque egregias, quibus hæresim frui, par non erat. In ea

Moritur Casparus Ulembergius, ejus conversio, & vita. *Meshovi*. *Kloppenb. in fastis sacris Westp.*

ea enutritus, ad eam variis formatus in scholis; simul atque verum secernere à falso potuit; egressus de *terra et cognatione sua* ad Ubios concessit. Ibi anno 1572 ejuratos errores literario bello persequi cœpit; vix congressus cum sectarum doctoribus, quin nonnullis arma de manibus eriperet. At nulla victoria gratior; quàm ubi matrem, sororémque, falsarum commenta opinionum dedoctas, cogeret Romanæ Ecclesiæ manus dare. Variis *apud Agrippinates honorificis perfunctus muniis, vitam ad octavum ætatis ac sexagesimum annum produxit, in relictis lucubrationibus *immortalem. Nihil ipso in omni vitæ genere emendatius; nemo integrior illibatâ castimoniâ: hinc sæpe fassus, nihil sibi ad deserendum Lutherum incitamento majori fuisse; quàm lectas à se cum horrore ejus spurcitias, fescenninâque verba; quibus sermones ad mensam habitos fœdaverit: *cogitâsse se non rarò, olentia ejusmodi, et aperta sinè ulla fronte acumina esse quovis satyro, Priapóque digna: non cadere in virum, quem divinitus missum perhibeant ad instaurandam Religionem, et, quæ eam comitantur, reducenda virtutum studia.* Scientem sanè & prudentem virum, qui *colligere de spinis *uvas, et de tribulis ficus potuit.* Corpus ejus triennio à morte integrum, nullo arrosum verme; eodem quo tumulo illatum modo fuerat, suavitérque fragrans repertum; ne linteis quidem tinearum morsu, aut putredine vitiatis. Plura hujus viri elogia peculiari libro complectitur Arnoldus Meshovius; à Christiano Jôchero professore historiarum Lipsiæ *immeritò reprehensus, quòd librum illum de Ulembergio multis fabulis, & mendaciunculis inspersrit: neque nuda isthæc objectatio, nullis ad probandum argumentis vestita, aliquid de authoritate scriptoris detrahet.

*gymnasii Laurentiani regens Pastor ad D. Columbam.

*catalogum librorum quos scripsit vide apud Meshovium.

*Matth. 7. c. 16.

*vide Lexicon ipsi editum Lipsiæ anno 1733.

Annus Christi 1618.

PAULI V. Pontificis.	13. & 14.
MATTHIÆ Imperator.	6. & 7.
THEODORI Episc. Paderb.	ultimus.

INdictis hoc anno Hungariæ comitiis, in quibus Posonii de successore eligendo cum Regni Ordinibus ageretur; Matthias Cæsar Pragâ Viennam regressus, adversâ ibi valetudine detinetur, quò minùs reverti Posonium ad comitiales dies ipse posset. Unde ejus absentia causam Ferdinandi minùs venerabilem, multísque obnoxiam altercationibus reddidit. Cunctantibus enim, ac tergiversantibus Hungaris, comitia ad Kalendas Junias extracta fuêre.

Ferdinand⁹ coronatur Rex Hungariæ. *Helvic. in theat. hist. l. 6. pag. 164 & pag. 165 Londorp. & alii.*

Iis demum post longam disceptationem finitis, eodem die Ferdinando aurea S. Stephani corona imponitur. Eadem, quæ Bohemis antè, nunc Hungaris etiam fides data: nolle Ferdinandum, dum Matthias viveret, regni administrationem capessere; regio titulo sinè ulla dominatûs parte contentum fore. Tranquilla jam, & ex votis habebat omnia Ferdinandus, duplici redimitus coronâ: cùm alteram nihil minùs exspectanti, rapere Bohemi perfidè aggrediuntur; protracti in arma vel ex innata genti ferocia, & mobilitate; vel quod plurimi volunt, ex præcepta suspicione de Ferdinando malè in Religionum novitatem animato: Styriam nuper ad vetera ab eo sacra celeriter reductam; in reducendis Bohemis Ferdinandum, augescente potentiâ, celeriorem fore. Indè incensis vehementer ad audaciam animis, ferali tragœdiæ initium datum hoc immani facinore.

Turbæ Bohemicæ origo vel initium tricennalis belli per Westphaliam, totámque Germaniâ. *Helvic. l. 6. pag. 171. & seq. Palatius in Aq. Aust. Londorp. l. 1. actor. publ. Stangefol. Caraffa pag. 78.*

Die decimo Kalendas Junii frequentes *Utraquistarum* dynastæ, circumfusi famulis, iisque armatis bene multis; unà cum furiosæ plebis promiscua multitudine, Henrici Matthæi Turriani Comitis ductu, ferociter Pragensem in arcem irrumpunt. *Violata*, clamitant, *quæ Rudolphus Cæsar benignè Lutheranis indulserit, Religionis privilegia. Templum in oppido Brunoviæ, multo extructum sumptu, nullo jure occlusum stare. Cives ibidem per summam injuriam, quòd ædem sacram moliti essent, in vincula detrusos attineri. Multò adhuc iniquiùs egisse Archiepiscopum Pragensem, diruendo cœptam Clostergrabii fabricam, nemini perniciosam; sibi verò ad operandum suo ritu adeò necessariam.* Has querelas cùm afferrent seditiosi; congregati fortè erant in arce præcipui de Regio ministerio viri; nimirum Adamus à Sternberg supremus Regni Burggravius, Guilielmus Schlabata Cameræ Bohemicæ Præses, & Jaroslaus Borzita Comes à Martinitz, Baro Popelius cum Philippo Fabritio Secretario. Sternebergius & Popelius leni responsione datâ, tumultuantium furorem nonnihil placabant. A reliquis, quòd paulò altiori voce verba pro Cæsare facerent, magis accensa populi rabies, oleúmque affusum flammis. Mox arce, armamentario, regiâque curiâ in potestatem redactis, omnis in Schlabatam, Martinitzium, ac Fabricium expromptus furor. Per longum conclave raptati, tanquam publicæ libertatis hostes, ex arcis fenestra in subjectum vallum, altitudinis cubitorum amplius quadraginta, aguntur præcipites, non sinè Numine omnes à lapsu integri; nec bombardæ, cùm incolumes cernerent, in dejectos displosæ, quidquam noxæ aut vulneris dederunt. Turrianus, quasi re bene gestâ ovans, interim obequitare urbem, inclamare: *nemo cieret tumultum: abstinerent à vi mutua. Supplicium de publicæ rei et Evangelii hostibus infra meritum in arce, et majorum exem-*

plo

plo sumptum: redditurum se ejus, quod gestum esset, rationem; purgaturum apud Cæsarem omnia. Facinus audacissimum audaciora mox sequuntur. Direptionibus, exiliis, carceribus in regios ministros in Catholicos omnes sævitur: jubentur Patres Societatis ocyùs regni finibus excedere, constitutâ in regredientes pœnâ capitis. Regium tribunal dirissimè invaditur, aboletur; creatis ex Procerum numero triginta viris, qui *Directorum* nomine rem publicam administrent. Exinde ad arma properatum. Pellecti in sociale bellum Silesii, Moravi, Lusatii; quin & ipsi Austriæ superioris incolæ, ex communione hæresis opitulandi studio incitati. Mox Crumlavia à Turriano; à Mansfeldio Pilsa, fidæ hactenus Cæsari urbes, expugnatæ ad perfidiam sollicitantur. Imperator Matthias re compertâ, postquam literis non unis, atque amicorum hortatu rebelles avocare ab armis frustra studuisset; Carolum Longevallium Comitem Bucquoii, & Henricum Comitem Tampierium cum duodeviginti millibus, quà equitum, quà peditum in fines Bohemiæ immittit. Succursum properè urbi Budevitio, quæ munitione, & præsidio firmior, hosti fortiter obluctabatur. Vis intentata perfidis. Capta utrimque oppida, prædæ actæ. Quarto demum Idus Novembres perruptæ sunt hostium phalanges; Bucquoio, & Tampierio rem non infeliciter pro Cæsare gerentibus. Hæc funestissimi erant illius belli primordia; cujus diutinas, & graves triginta annorum miserias cometa prænuntiavit, totidem diebus in signo scorpionis sub anni finem mundo aspectabilis. Eo viso cohorruit tota Germania; hoc majore impendentis mali perculsa metu; quo critinæ stellæ forma visu erat terribilior. Ab oriente minaci flammâ sereno cælo consurgens, longissimam jubam protendit in occasum. A septentrione paulatim digrediens ad meridiem vicesimâ secundâ sequentis Januarii videri desiit; cùm obductæ nubes mortalium oculis illum eriperent.

Cometa terribilis nuncius belli futuri. *Meibom. chronicon Marienth. Trac. 3. pag. 280. Abelini Theat. Europ. Trac. 1. pag 166. & seq.*

Turbis Bohemicis, quas summatim narravimus; quamvis Brandenburgici miscerentur, implicari Wolffgangus Neoburgicus noluit, duntaxat sollicitus, quæ domi habebat, & in primis Catholicæ Religionis vulnera in suis ditionibus curare. Hispani urbem Lipstadium Wolffgango Principi Neoburgico, jussu Imperatoris Matthiæ, duobus abhinc annis armatâ manu subjecerant. Restabat subigendus in urbe hostis alius, scilicet pertinacia civium in retinendis Lutheri dogmatis. Huic vincendæ Paderbornâ Wolffgangus postulat Patres Societatis JESU, qui meliora doceant; suavitérque inducant populum, ad insistendum vestigiis novi Principis sui nuper ad veram Ecclesiam reversi. Curaverat ille in Patrum habitationem aptandum vetus cœnobium; quod olim à Friderico ab

Wolfgangus Princeps Neoburgicus evocat Jesuitas Lipstadium. *Hist. collegii S. J. Paderbornæ.*

ab Hôrde antiquiſſimæ primæque inter Weſtphalos nobilitatis viro, Auguſtinianis monachis (quos à ſolitaria vita Eremitas dicimus) *conditum; amplísque agrorum poſſeſſionibus donatum *à Bertholdo dynaſta Burano fuerat. At deſertum id temporis jacebat, monachísque aliò per flagitioſæ vitæ intemperantiam profugis, incultum. Non ignorabat Wolffgangus, Lutherum ejuſdem religioſi Ordinis deſertorem, hujúsque monaſterii hoſpitem olim per emiſſarios monachos primùm errores ſuos in has Weſtphaliæ partes diſſeminâſſe: eò magìs fixum ipſi, conſtitutúmque, jam tradere infelicem domum divinæ veritatis ſatoribus inhabitandam. At temporaria ſedes fuit. Brevi, converſis rebus, extruſi novi incolæ: non redituri priùs, quàm placitum ejus voluntati fuerit, in cujus *manu* cor Regis eſt.

*anno 1280 Gelenius l. 3. ſacrorum ſyntag. Stangefol. *Schaten. ad annum 1338.

*proverb. 21.

Iiſdem Patribus Jeſuitis per id tempus etiam apud ſeptentrionales Saxonas multum odii conflatum ex Bohemico tumultu; quaſi in caſtris Catholicorum irarum contra ſectarios per Bohemiam incentores eſſent. Nulli eorum intrà, extráque muros Hildesheimenſes eſſe ſecuro licuit: quotidiana in prætereuntes convitia, maledicta, cruentæ lapidationes: renovatum *infamis magiæ probrum. Tres civium filii è muſeo in tenebris tanquam ſcelerum rei, & magicam à præceptoribus edocti artem, jubente ſenatu, ad cuſtodiam à lictoribus rapiuntur. Fit ſedula inquiſitio in mores & vitam adoleſcentum: in nomina, numerum, & doctrinam Jeſuitarum. At deprehenſum nihil, quod vel dari adoleſcentibus vitio, vel trahi in Patrum pœnam aut criminationem poſſet. Dimiſſi adoleſcentes quidem dato qualicuncque innocentiæ teſtimonio: at nova rurſus ſperſa Patribus infamia. Fœdiſſimum quoddam monſtrum urbem Hildeſienſem nocturnis infeſtabat temporibus: plateas obambulans, ſi quos in via obvios haberet; eorum in humeros velociſſimo ſaltu involans, pondere premebat anxios & gravi, & terrifico. Indè monſtro nomen *Huckup*. Malignum hunc, quæ plurimorum erat opinio, protruſum ex inferis ſpiritum, Lutherani Jeſuitam eſſe ex omni nequitia concretum caput, aſſeverabant: cúmque foras prodirent Patres; multas inter ludificationes probroſo eos nomine *Huckuppiorum* inſectabantur. At manſueto illi animo tulêre omnia, non immemores illius: *gloria* magna eſt ſequi Dominum*, paternè monentem: *ſi* patrem familias Beelzebub vocaverunt; quantò magìs domeſticos ejus?*

*vide de magia annum 1605. Jeſuitæ per calumniam Hildeſii vocantur Huckuppii. ex literis Hildeſienſibus.

*Eccle. c. 23. v. 38. *Matth. c. 10. v. 38.

Longè meliorem de integritate eorundem Patrum conceptam opinionem toti mundo teſtificatus hoc anno fuit, non ignobili genere adoleſcens Everhardus Meiradt, de familia Meiradiana in Ducatu Juliacenſi. Venerant parentes ejus adultâ æſtate Marcoduro in

hanc

hanc urbem; simulatione amoris erga filium, & desiderii eum religiosâ veste ornatum videndi: re autem ipsâ; ut nullis adhuc in primo tirocinio voti adstrictum vinculis, clàm abducerent: irritati vehementer, quòd nescientibus, atque adeò invitis parentibus, quasi pietatis illis debitæ parùm memor, nomen dare Ordini decrevisset. Invitatur filius cum tironum Præside ad ædes, in quas diverterant parentes. Itur illuc, suavissimis amplexibus excipitur filius. Consideretur paulisper: amici & hilares de valetudine filii, an firma semper fuerit, de religiosorum felicitate, sermones miscentur; neminimo quidem prodito irati animi indicio. Postridie summo mane sub horam quintam, rhedâ jam instructâ, omnibúsq; ad iter comparatis, misso famulo rogatur filius, ad valedicendum parentibus, ut accederet. Accedit; comitatur idem qui pridie. primò patrem adit jam tum equo insidentem; extremam salutem nunciat, felicissima quæque precatus. Idem præstiturus matri ad rhedam properat: illa verò porrectam filii dexteram cùm arctissimè teneret, stringerétque, famulus eundem, quantumvis renitentem, in currum injicit: quo facto pergunt citatis equis cum præda elabi. A patre interim colloquio de industria detinetur alius, qui socius tironi erat. At ille, viso dolo, colloquentem deserens, plenis passibus rhedam, & clamore insequitur. Fortè civis in platea pro ædium suarum foribus adstabat. Hic imploratus, prioribus equis freno apprehensis, sistere tantisper properantes cogit; alio ad portam præcurrente, ut extrema venienti rhedæ repagula objicerentur. Ibi mater omnibus *carnis et sanguinis* filium blandimentis aggressa est: at is *ceram* ad hos cantus *auribus* obdens surdus, immotúsque perstitit. Ex rheda dimissus, plenæque redditus libertati; à suo, qui aderat, Rectore sic compellatur: *Ecce nunc optio tua est; cum his parentibus tuis in patriam malis, an mecum in religiosam domum regredi.* Nihil ille cunctatus, patre rursum, & matre humaniter valere jussis, *respicere retro* noluit. Parentibus tum quidem indignatio aliquas, uberiores verò lacrymas postea gaudium movit; cùm reversi Marcodurum, probâ indole filii, & constantiâ aliquamdiu expensâ laudatâque, unicum illum hæredem Societati ultro cederent; bonis insuper omnibus sat amplis, pro collegio istius Ordinis Marcoduri fundando, transcriptis.

Lucta religiosi novitii cum parentibus, qui filium volunt ab Ordine abstrahere.

Parentes permoti constantiâ filii, pòst omnia bona sua eidem Ordini transcribunt. *ex literis & donationis tabulis illius loci.*

Hæc religiosi tironis victoria fundatori novitiatûs, Theodoro Episcopo, ingenti solatio fuit. Cumulavit ejusdem gaudium florentissimus rursùm hoc anno status cœnobii Bodecensis, & Dalheimensis. Utrumque Canonicorum Regularium monasterium superiore seculo non parùm à primæva felicitate desciverat. Et Bodecense quidem, quantâ olim, sanctitate & doctrinâ præstan-

tium virorum copiâ floruerat; tantâ nunc laborabat eorum inopiâ: ut vix esset, qui Theologicas quæstiones sciret enodare junioribus; aut eosdem ad divini verbi prædicationem rite formaret. Res quoque angusta domi in horreis, cellis, & culina erat; tum quòd bona temporalia indiligenter, & perperam administrarentur; tum etiam, quòd, moribus in deteriora lapsis, obstructus videretur fons divinæ benedictionis. His malis ut tempestiva adhiberentur remedia; venerat illuc anno MDXCV ineunte Majo ejusdem Ordinis per utramque Germaniam Generalis *Prior*, Marcellus Lentius; correctísque erratis omnibus, quæ in vitam religiosorum irrepserant, multa insuper præclarè sanxit, quibus, in administrandis temporalibus bonis, procuratorum negligentia emendaretur. Supersunt adhuc Paderbornæ ejus visitationis decreta, articulis comprehensa viginti quatuor. Satis fuerit, initium eorum, ac finem hîc ad memoriam posterorum adjecisse.

NOs Marcellus Lentius, Prior Canonicorum Regularium Capituli Windesemensis, Ordinis S. Augustini, per utramque Germaniam Generalis. Domum nostram Budicensem, divo Meinolpho Confessori consecratam, Diœcesis Paderbornensis, ex ordinaria nostra, quâ fungimur, authoritate visitantes, invenimus utrumque ejus Domûs, et Religionis, et rei familiaris statum, ùt olim florentissimum, et in benedictionibus Dei non ultimo loco positum; ità nunc ex tantis hostium impressionibus, ac depopulationibus semel atque iterum perpessis, calamitosissimum, ac miseris modis labefactatum. Quem ut iterum asserere, et in formam aliquam reducere possemus; hæc quæ sequuntur, ad ejus restitutionem, et reformationem ordinanda putavimus, ac per præsentes ordinamus. In primis Venerabili Priori nihil antiquius esse volumus; quàm ut se ferventi zelo ad reparationem tam insignis Domûs succingat; sollicitè cum primis suæ curæ commisso gregi invigilando; memor verborum Christi ad Petrum dicentis: pasce oves meas. *Quod duplici modo fieri oportere, à Patribus traditum est; nempe verbo et exemplo. Hæ enim boni Pastoris partes sunt: hæc duo absolutum constituunt Præpositum: quorum neutrum sinè altero vix esse potest. Unde et de Domino Jesu scriptum legimus:* cœpit Jesus facere, & docere. *Nihil profectò ità movet subjectos, atque actio: quæ est tacita admonitio. Ad hæc in corrigendis subditorum erratis severitatem cum mansuetudine temperatam habeat; ne oleum desit vino, nec sal sacrificiis. Plùs enim efficit civilis modestia, quàm impetus etc. Quæ omnia ut robur habeant, et memoriam relinquant; nominis nostri subscriptione, et sigilli officii nostri subimpressione munivimus sexto die Maji anno 1595.*

Reliqua brevitatis studio omissa, ad corrigendos quidem religiosorum mores perquam idonea erant; at nondum apparebat satis, quâ

quâ viâ emergerent ex multiplici alieno ære tot annis contracto. Quare Theodorus Episcopus, ut labentem œconomiam certiùs adjuvaret; ex Episcopali *potestate eodem illo anno misit & peritum, & diligentem œconomum, qui sedulam, ac fidelem operam cum P. Priore, & Procuratore in curanda re domestica poneret; singulísque annis primùm sibi (Episcopo) deinde toti etiam conventui rationes accepti, & expensi daret. Hic verò cùm religiosus non esset, sed secularis, torvis ingratus hospes oculis aspiciebatur; omnémque Bodecenses movebant lapidem, quo odiosum hominem, speculatorem rerum omnium, amolirentur. Monitus de ejus in cœnobium adventu, qui jam abiêrat, Martinus Lentius, appellat Coloniæ Nuncium Apostolicum: conqueritur de violatis eo facto Ordinis sui privilegiis. Nec inanes fuisse querelas, hæ literæ à Nuncio ad Episcopum datæ, declarant.

*ità in veteri ms. Monasterio Bodecensi & Dalheimensi à Theodoro Ep. datur scriba secularis, indè hoc anno optimus utriusque monasterii status. *Vetus manuscriptũ.*

R *Everendissime Domine. Reversus isthinc ex visitatione sua R. D. Marcellus Lentius, Generalis Regularium Canonicorum S. Augustini, nobis actionis suæ rationem reddidit, eámque authoritate Apostolicâ confirmari petiit. Quod et fecimus: rati, fructuosum fuisse visitationis munus: et amputatos præcipuos monachorum excessus, qui sensim irrepserunt. Nunc verò dolenter nobis exponit idem Generalis; enervari sua studia, ac per Dominationem vestram Reverendissimam debilitari innovatione instituti ipsius Ordinis: penès quem solet esse dispositio, administratio, et dispensatio temporalium bonorum: et conari Dominationem vestram Reverendissimam ad Ordinis injuriam intrudere œconomum laicum. Agnoscimus, durum esse religiosis hominibus, libertate Apostolicâ, et civili donatis, secularis alicujus jugo subesse; ad cujus quasi nutum regantur, et concutiantur. Neque in hoc possumus cum Dominatione vestra Reverendissima consentire: cui judicavimus tribuendam tantùm morum correctionem (casu quo ab Ordinis superioribus negligeretur) non verò aliquam usurpationem bonorum. Itaque solliciti putavimus, suggerendum Dominationi vestræ Reverendissimæ (pro eo amore, et observantia, quâ eam colimus) ne patiatur per suos Officiales hanc violentiam cœnobitis inferri. Quin potiùs extirpatis excessibus, si qui adhuc resideant, permittat Ordini suam temporalium administrationem; ne cum dolore nostro Generalis recurrat ad Protectorem in Urbe. Atque hisce bene valeat Dominatio vestra Reverendissima. Coloniæ quintâ die Junii Anno Domini 1595.*

Literæ Nuncii Apostolici ad Theodorũ Episcopum Paderbornensem, ne Bodecensibus & Dalheimensibus obtrudat scribam secularem, *acta visitationis Martini Lentii.*

Reverendissimæ Dominationis Vestræ

uti frater

Coriolanus Nuncius Apostolicus.

Nihil his motus literis Theodorus Episcopus, Pontificiâ, opinor, fultus authoritate, cœptis nihilo minùs institit; neque missum à servorum domesticarum administrum revocavit priùs, quàm hoc anno 1618 mutuum æs repensum creditoribus; omniáque pristinum, atque adeò meliorem in statum reposita cerneret. Simili fato premebatur paulò pòst monasterium Dalheimense. Huc tradu*cta olim fuerat anno 1429 religiosorum Colonia ex Bodecensi cœnobio ad capienda Dalheimii exordia novi monasterii. Indè monasterium Dalheimense filiam Bodecensis nominant, Verùm hæc filia, ùt primùm anno 1452 tutelâ, & vinculo* matris soluta fuit; sibi relicta soli, cum potestate Dalheimii novum, nullóque nexu à Bodecensi dependens cœnobium construendi; magnopere studuit *meliora* matris suæ *charismata* æmulari; assidua, & indefessa in loci illius, & agrorum cultura: tantúmque lucri ex laboribus, & auxilii è cælo habuit, *ut octennio pòst, nimirum anno 1460, non cœnobii modò, sed etiam templi novam, dejectâ veteri, fabricam moliri occeperit, spatio annorum decem* ad fastigium perductam. Extant hodiedum obsoleti quidam versus, inciśi variis Dalheimensis templi columnis, hujus rei testes.

L. X. milleno, petram in operis imo*
C quater Ordo construxit Canonicorum.
O singularis regulam regulans regularis.
Et sic politi lapides, ac trulla, cementum
Articulis fratrum struunt Domino bene gratum,*
Templum sublime, templum subtile, jucundum.
Regnet Iheſu tecum, qui dat donaria mecum.

Videas hîc industriam Dalheimensium in procurando *decore Domûs Dei*; nec dubites, quin cœnobium Dalheimense, tanquam filia Bodecensis cœnobii, matrem suam temporalium, virtutúmque studio id temporis exæquaverit. Sed quid humanis in rebus adeò magnum, tam firmum, cui non à diuturnitate periculum nascatur? non opera arte laborata solùm, aut quæ in hominum commercio versantur, ipsámque naturam sensim exedendo perimit tempus, & vetustas; sed virtutem etiam, animorúmque robur ipsa dies paulatim carpit, deterítque. Neque contra hanc temporis violentiam satìs sibi prospexerant Dalheimenses: variis jactati casibus in eandem postea cum Bodecensibus tenuitatem reciderunt; nec alio, quàm illi, per Theodorum Episcopum remedio adjuti: quemadmodum ex hoc vetere manuscripto discimus: *Reverendiſſimus noſter Epiſcopus Paderbornenſis non ſolùm anno 1595 huic malè conſtituto monaſterio Bodecenſi; verùm etiam poſt aliquot annorum curriculum vicino cœnobio Dalheimenſi ſuâ Epiſcopali authoritate conſtituit fidelem, et induſtrium*

*Vide Schaten ad hunc annũ.

*hiſtoria manuſcripta translationis monaſterii Dalheimenſis.

*in eadem hiſt. translationis.

*nimirum anno 1470.

*id eſt primum lapidem poſuit in fundamentis ædificii.

*articulis digitorum ſive digitis

ſtrium ſcribam, corporali juramento obſtrictum. Qui unà cum P. Priore et Procuratore ſingula accepta, et expoſita fideliſſimè jam annotat: déque iis annuatim puras, dilucidas, ac bene diſtinctas rationes adfert ad manus ipſius Reverendiſſimi Epiſcopi, accuratè et attentè perlegendas, et examinandas; et poſtea in monaſterio exhibendas coram Domino Patre et conventu, præſente ipſómet Reverendiſſimo Domino Epiſcopo, aut aliis à Celſitudine ſua deputatis Commiſſariis, ſingulari prudentiâ, ac rerum uſu præditis. Non caruit ſperato fructu iſthæc paterna ſollicitudo Epiſcopi: cúmque is meliore jam loco ſitas res cœnobii intelligeret; hoc anno 1618 *multorum* precibus exoratus* plenam rurſus, amoto ſcribâ peregrino, bonorum adminiſtrationem monaſterio concredidit; hoc ſolum nec aſpere, nec arroganter agens, ut ne unquam ob rei familiaris anguſtias ulla fieret diminutio cultûs divini; ſempérque iis, qui in religioſis clauſtris Deo famularentur, neceſſaria corporibus, animísque ſubſidia ſuppeterent. Quam in rem quoque, ùt teſtatur * Joannes Horrion in Panegyrico; nullum prætermiſit in tota Diœceſi cœnobium, quod non perpetuis vectigalibus auxerit.

*ità in veteri manuſcripto.

*Lib. 3. c. 5 pag. 110.

Ex his duabus religioſis domibus ad florem priſtinum reductis, maximum Theodorus Epiſcopus hauſit, ſed ultimum tot curarum in terris gaudium. Pridie enim Idus Decembres fatis ſuccubuit, nullâ magìs, quàm meritorum ſuorum mole laborans: nunquam creditus poſſe cariſſimam ſibi patriam in luctum conjicere, niſi cùm morte extinctus, triſtibus oculis lacrymas eliceret. Excelſam ille indolem, & optimam à parentibus hauſerat. Pater ipſi Fridericus à Fürſtenberg, quatuor Electorum Colonienſium Conſiliarius; mater verò Anna à Weſtphalen, Rabani Weſtphalii, ſatrapæ Lichtenavienſis, & Wunneburgenſis, & Helenæ ab Hôrde, Dominæ in Bôcke, filia. Quorum omnium antiquiſſima, & innumeris proavorum ceris illuſtrior nobilitas eſt, quàm ut ſplendore à me adſcito augeri queat. Cùm primam lucem* aſpiceret Theodorus, tenebricoſa tempora erant; patria fidésque germana paſſim involuta caligine perverſorum dogmatum. Ab hac communi errorum nocte, ut carum pignus Deo, & Religioni natum, vindicaretur; cavit ſollicitè parentum educatio; filiúmque apud Ubios imperio eorum, & inſtitutioni credidêre; quos eruditionis, & fidei non dubiæ fama ibidem celebres ferebat. Ità factum, ut virtutem ſimul cum literis conjungens, pares in utraque palæſtra, eásque maximas progreſſiones fecerit, condiſcipulis omnibus celebrior à felici memoria, quâ Bucolica Virgilii & Georgica complexus, totámque Æneidem fuerat; verſibus in viridi adhuc lætáque ætate ſolitus ludere atque oblectari: hoc in primis hemidiſticho:

*natus anno 1546.

Judi-

Judicium melius posteritatis erat.
Jetz viele Ding beschnarchet der Neydt
So preisen wird die künfftige Zeit.

Moritur Theodorus Episcopus. Breve ejus elogium. *Horrion in panegyrico Paderb. Archivum Cath. Eccl. Hist. collegii S. J. Paderb. *habentur ea de re literæ in archivo Cathedrali.*

Virtutibus excultus, & literis, animum ad Cleri statum adjecit: in eóque brevi sublimia illa, quæ memoravimus, honorum conscendit, & dignitatum culmina; non alio usus, quàm virtutum, atque scientiarum adminiculo. Ad ejus, quemadmodum historiæ series tulit, jam dilaudatum sæpius divini cultûs promovendi studium adde quadraginta sex Imperialium millia, cujus capitis annuos proventus dividi inter Cathedralis Ecclesiæ Canonicos voluit, quotquot supplicationes duas, alteram in solennitate *Corporis Christi*, alteram sacro *purificatæ* Virgini die, suâ præsentiâ augustiores facerent. Quæ tamen pecuniæ summa post mortem* in anniversario die obitûs, inter præsentes in summa æde ad memoriam ejus faciendam, distribui cœpta. Paderbornensis Episcopus renunciatus *provinciam*, inquit Joannes Horrion, *acceperat propè depositam, ac deploratam. Eam ità persanandam putavit, ut aliquando, non qualem accepisset laceram, et afflictam; sed florentem, ornatámque successori relinqueret.* Neque tam excelsis cogitationibus defuit animus bene cogitata exequendi. Plurimo oppressa ære alieno erat Principis, ùt vocant, *Camera*. Respirare illa tandem cœpit, extinctis octoginta quinque imperialium millibus, solutione non ex publico patriæ, sed privato mensæ ærario desumpta. Supereſt hodiedum in archivo Cathedralis Ecclesiæ vetus scriptum manu ipsius Theodori, in quo singillatim omnia, & minutatim quæcunque, quibus annis, quibúsve in locis nomina expunxerit, diligenter notata legimus. Subductis calculis memorata summa conficitur. Narrationi tot expunctorum nominum ibidem in fine hunc versum subjicit:

Feci, quæ potui; quæ tu mihi Christe dedisti.
Improba, fac melius, si potes invidia.
Ich dein Talent hab angewendt
Deine Ehr / O GOtt / zu mehren.
Was so verwendt / wer nennt verschwendt
Ein'n bessren Brauch mag lehren.

Prolixa certè, si Episcopatum ejus non adeò magnum consideres, donatio. Neque ideo tamen, quod talem deceret Episcopum, Principémque; sibi passus illiberaliter est quidquam deesse: tam ambitiosus in accurandis omnibus, quæ honestatis, aut decori ratio exigeret; quàm aversus ab umbratili gloria, quæ captari non rarò ex rebus citra modum profundendis solet. Domus expers strepitûs atque turbarum: latus suorum caritate magìs, quàm septum armis habuit; *inexpugnabile*, cum Seneca existimans, *munimentum*

mentum esse amorem civium. Satis epheborum ipsi & satellitum, haud multi tamen; servitiúmque omne non incomptum nec sinè nitore; at citra ostentationem, pompámque immodicam. Omnia denique ad nitidam, frugalémque modestiam, ad aureæ mediocritatis leges composita. Profusum tamen fuisse, ac piè prodigum dixerim in quotidiana stipe egentibus erogata. Horum ingente turba quot diebus obsessa Theodori aula erat; vetitúmque ab eo, ut ne ullus unquam pauperum, quoquo numero adreperent, eleëmosynâ non donatus abiret; consueverátque ipse Princeps in dies usque impransus manere, dum pauperes decem, quotidiani in aulæ atrio pransores, saturati essent. Assignati præterea in egenorum solatium sex mille imperiales: ex qua fenebri pecunia in singulos anni dies imperialis unus inter egentiores distribueretur; id unum se habere arbitratus, quod in miseros, inopésque homines effudisset.

Demirata sæpius fuit posteritas nostrorum temporum; ínque varias abiit opiniones, ex quonam felici fonte tam ingens Theodoro Episcopo thesaurus fluxerit: præsertim cùm nullo unquam tributo tribus & triginta ipsis, quibus præfuit, annis populum pressérit: unam, si exceperis, eámque oppido modicam exactionem, ad obæratum Episcopalis mensæ patrimonium, debitis liberandum. Posthabitis aliorum opinionibus cum nonnullis verisimilius habeas; invenisse Episcopum Theodorum thesaurum illum absconditum; illam auri fodinam, cujus venas cum primis misericordia in pauperes aperit, quemadmodum ex sacris literis discimus: *fœneratur *Domino, qui miseretur pauperis, et vicissitudinem suam reddet ei.* Hac ditescendi arte usus, quò largiùs dedit egentibus; eò plura recepit in sinum *mensurá bonâ, confertâ, coagitatâ, et supereffluente.* Quanquam fluxas ejusmodi opes, nisi si ùt cæli munera & adjumenta divinæ gloriæ provehendæ intueretur; flocci fecerit: noctes diésque in mente *annos æternos* habens; illúdque, etiam cùm peregre in itineribus esset; Ecclesiæ canticum identidem sibi ingeminans: *dies iræ, dies illa solvet seclum in favilla*, quò semper recens caducarum rerum memoria, amorem cælestium & desideria augeret, ibi enim *cor* ipsius, *ibi thesaurus* erat. Vis morbi, cùm propinquam mortem denunciaret, totum se tradidit curis, quas tempus poscebat. Pridie Kalendas Decembres recitatâ Catholicæ Fidei professione, sacro ad extremam luctam oleo inungi se, jussit. Quatriduo pòst, quarto Decembris, die S. Barbaræ morientium patronæ, sacramentis aliis rite perceptis, impletísque omnibus pietatis officiis, hæc, creberrimè usurpata ipsi à puero verba, suavissimè recinens: *fili David miserere meî* spiritum suo creatori placidè redonavit, anno pòst secundo & septuagesimo, quàm illum acceperat; cùm Diœcesin hanc

*proverb. XIX. 17.

diffi-

difficillimis rexisset perditisque temporibus, triginta tribus annis. Paucis ante obitum diebus sanctè cavit, ne usitatâ Principibus cerimoniâ cadaver aromatibus condiretur: *nolle se manibus alienis contrectari mortuum; sinerent, eâdem cum aliis ratione à vermibus consumi; qui communem cum omnibus nascendi conditionem habuisset.* Sepultus Paderbornæ est in odeo Cathedralis Ecclesiæ: ubi sumptuosum mausoleum non tam suî ad memoriam; quàm in ornamentum Basilicæ ex nigro, candidóque marmore vivus struendum sibi curaverat; his exornatum, ingenio non minùs, quàm pietate plenis, ab ipsómet Principe elaboratis versibus.

Ad tumuli dexteram.

Mortuus ut vivas, vivus moriaris oportet;
Ergo disce priùs, quàm moriâre, mori.

Ad sinistram.

Mors certa est, incerta dies, neque certa tuorum
Cura. Tibi tumulum, si sapis, ipse loca.

Stanneo funebri capulo inciſi hi versus.

Balsama, myrrha, aloe, pigmentáque cuncta faceſſant.
Sumptus ego è terræ pulvere, pulvis ero.
Spiritus in cælo diâ dum luce fruatur;
Nostra vel in cœno, nîl moror, ossa cubent.

In ipso tumulo.

Principis hic tumulus Theodori est. Carmina quæris
Grandibus in tumuli marmore scripta notis?
Aspice templa, aras, arces, collegia, libros;
Aspice vel tumuli, quem modò cernis, opus.
Nîl refert istis aliud superaddere carmen.
Cùm lapides clament, carmina jure tacent.

Additur deinde stylo soluto.

THEODORUS è FAMILIA FÜRSTENBERGICA DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIÂ ECCLESIÆ PADERBORNENSIS EPISCOPUS, S. R. I. PRINCEPS IN HOC SEPULCHRO, QUOD VIVUS AC VALENS FACIENDUM SIBI LOCAVIT, NOVISSIMAM TUBAM EXSPECTAT. DECESSIT ANNO CHRISTI MDCXVIII DIE IV MENSIS DECEMBRIS ÆTATIS SUÆ LXXII CÙM PER ANNOS XXXIII DIOECESIN DIFFICILLIMIS TEMPORIBUS GUBERNÂSSET.

Elogium sepulchro à nemine inscriptum fuit, quod præclarissimas tanti Principis virtutes brevi quodam compendio posterorum subjiceret oculis. Habet tamen suos, nec inelegantes versus statua Theo-

Theodori Episcopi, in scholarum vestibulo proposita; quibus poëta vitam ejus paucis complexus, piis manibus parentat. Juvat nonnihil ex iis decerpere; quò suæ scriptor cupiditati, honoratos cineres venerandi, paululùm indulgeat. Ità vates canit. *Monum. Paderb. pag. 33. in appendice ad paneg.*

Fürstenbergiacâ Theodorus origine Princeps
(Námque illum memini cernere) talis erat.
Talis erat; neque multùm à vivo abludit imago;
Eheu! quòd fas sit dicere, talis erat.
Mente sagax; vultu facilis; cultúque modestus;
Manabat comi multus ab ore lepos.
Tum quoque, cùm seris natura fatisceret annis,
Temporis antiqui gesta referre, memor.
Pacis amans; rectíque tenax; nec prodigus æris:
Et tamen in patriæ commoda largus erat.
Oderat immodicos fastus; sed et oderat æstus;
Non affectatæ simplicitatis amans.
Moribus antiquis, cultor pietatis avitæ;
Certus in antiqua Relligione mori.
Non fuit impositis populo gravis ille tributis:
Aula sed infletas sobria parsit opes.
Non sibi, sed patriæ genitum se credidit esse;
Communémque suis civibus esse patrem.
Nunc cælum colis, ô cælo dignissime Princeps!
Aspectu frueris nunc propiore Dei.

Episcopum nostrum Theodorum prægressa quinque mensibus ex arce Ritbergensi in domum æternitatis hoc anno fuit Sabina Catharina, Comes Ritbergensis, Ennonis III Ostfrisiæ Comitis, & Walburgis Ritbergicæ filia natu maxima. Hæc unica Comitatûs Ritbergensis hæres, postquam legibus, quæ hujusmodi matrimonia vetant, authoritate Sedis Apostolicæ soluta esset; Joanni patruo suo nupserat. Hujus ad Catholicam Ecclesiam reversi exemplo, Fidem orthodoxam anno 1601 amplexa, vitam deinde omnem omni virtutum genere excoluit. Liberalis, ac propè honorifica in egenos, quibus eleëmosynas, in arcis atrium se demittens, suâmet, aut prolium duntaxat manu erogabat. Rei divinæ, postquam flexis sinè fulcro genibus quotidie interfuisset; consueverat quinquies per diem, in obscurum sinè fenestra, sinè lumine cubiculum, abdere se; ut procul arbitris sola cum Deo quietiùs salutis negotia pertractaret. In honorem Christi è cruce pendentis, sexto quovis per septimanam die, omnis cibi abstinens, tam acerbam jejunio corporis junxerat afflictationem, ut modum ab conscientiæ arbitris rogata ponere, induci ægre potuerit, ad exuen-

dam è setis, pilísque confectam vestem, toto jam anno furtim torquendo corpori admotam. Utì amabat filium, colebátque; sic neque matris obliviscebatur; tanto jam ferventior, quanto antè ejus in cultu remissior. Cogitaverat sæpe in Italiam Lauretum versùs pietatis explendæ causâ: at loci distantia, ac itineris difficultas cùm obessent desideriis; per alios, quod ipsa non posset, exequi statuit, donatis mille imperialibus, ex quorum stabili fructu annuo, illuc iter facientibus Germanis, aliquid subsidii ad sumptus piæ peregrinationis daretur. Interim domi Sabina Comes, singulis in honorem Virginis per annum feriatis diebus, priùs de peccatis confessa, cælesti epulo fruebatur: neque ullus unquam dies abiit, quin tota sub vesperam aula æris campani accita signo, sanctissimæ huic Virgini, cælitibúsque omnibus supplex in genua provolveretur, ipsâ Comite in exemplum & verba præeunte, recitando publicè preces illas, quibus Sanctorum opem implorare nominatim, Ecclesia consuevit: additis, si quando foris in profectione conjux Comes, aut militiæ esset, aliis precibus, quæ pro felici itinere dici solent. Secundùm hæc sollicita semper, ac propè nimia erat in delendis omnibus prioris vitæ erratis. Qui confitenti aures dabat, non semel ab ea obnixè rogabatur, acriter moneret errantem, si quid emendato opus esset. Scrutaretur rigidis interrogationibus singillatim unumquemque animi angulum; utne in eo minimum quid occultæ noxæ non expiatum resideret. Eum in finem religioso quodam pacto se divinæ alligaverat voluntati: quod manu suâ exaratum, filiæ Catharinæ Mariæ imitandum, moriens tradidit, his conceptum verbis: *Ego Sabina Catharina hodie et omni tempore profiteor, dum anima in me erit; quòd nihil velim, nisì quod vult Deus: quidquid contra Deum est, etiam contra me erit; quod odit, et ego odio habeo; quod amat, et ego amo. Sic vivam, sic moriar; sic præstolabor ipsius misericordiam in vita, et in morte; hîc in tempore, et postea in æternitate. Quòd peccaverim, pœnitet, ideo confitebor, et agam pœnitentiam; nec amplius peccabo. Contra omnes tentationes pugnabo, causas peccandi evitabo. Ità volo; ità manu meâ subscribo, coram Deo, B. Virgine, omnibus Sanctis, et Angelis.* Demum tot ardentibus, arduísque spiritûs exercitationibus exhausta; tertio ætatis, & trigesimo anno, ad mortem sacramentis omnibus piè composita, pridie Kalendas Junii affligere se, & vivere desiit. Non aliunde Ritbergensibus felicitas major, quàm ex Sabinæ Comitis singulari sanctimonia. Eam enim cùm ex vita Comitis ad Religionis antiquæ leges traducta profluxisse, cernerent Comitatûs incolæ, & ipsi ad eam, rejectâ veteri, amplectendam, se faciliores præbuerunt. Quanquam timeri non temere poterat, obduruisse ad meliora animos diuturnitate temporis

Moritur Sabina Catharina Comes Ritbergensis. Ejus vita, & virtutes.

ex concione funebri authore P. Friderico Rörich S. J. dicta Ritbergæ in parochiali Ecclesia 10. Julii anno 1618.

poris; cùm tota illa regio annos ampliùs sexaginta, jam inde à primis Lutheranæ defectionis temporibus, Romanæ Ecclesiæ doctrinam abjecisset. Verùm prævaluit illustre, & potens pientissimæ Comitis exemplum; popularis ejus cum omnibus agendi, hortandíque modus; ut qui se antea secuti errantem essent; redeuntem in viam sequerentur. Prolixiùs narrat Sabinæ Comitis virtutes, dicta in solennibus exequiis concio funebris, cujus in ingressu author, ne quid auribus dedisse videatur, hæc S. Hieronymi verba usurpat: *Testor Jesum* et Ss. ejus, ipsúmque proprium Angelum, qui custos fuit admirabilis feminæ; me nihil in gratiam, nihil more blandientium loqui; sed quidquid dicturus sum, pro testimonio dicere, et minus esse meritis ejus.*

*S. Hieron. in epitaph. Paulæ.

Eadem contestatione uti poterat scriptor admirandæ prorsus vitæ Theodorici *à *Monasterio*. Mortem hujus præclari viri ex Ordine S. Francisci de strictiore Observantia retulimus ad annum MDXV: ubi in metropoli Westphaliæ natum esse diximus, ac Lovanii obiisse sanctitatis opinione celeberrimum. Sed quam sibi vivens sanctimoniæ famam collegerat; ab obitu majorem in modum aucta, sic piorum animos affecit, ut cineres, & ossa hoc anno millesimo sexcentesimo decimo octavo digna censuerint, quæ veteri tumulo relevata, in sacello Valetudinarii Lovaniensis apud Patres Franciscanos honoratiori loco conderentur, ligneæ & eleganti inclusa arcæ. Plurima singularium ejus virtutum opera percensuimus ad annum obitûs. Admonet me recens cineribus hoc anno honor habitus; ut, quod ibi egregium facinus prætermissum video, hîc memorem; posterísque, sed Apostolicis præsertim viris imitandum proponam. Gravis & diuturna pestis anno 1489 Belgium pervagata, urbem Bruxellas corripuit immanitate tantâ, ut annorum duorum spatio tria hominum, & triginta millia consumpserit. Tristissima urbis facies, solitudo, vastitas, fuga! rupta omnia cognationis & amicitiæ fœdera; singulis, ne quotidiani usûs contagione inficerentur, à se invicem divulsis, alióque diffugientibus. Atque adeò illi ipsi, quibus, eo sæviente malo, tum corpora tum animos curandi necessitas, officii lege imponitur; perculsi horrore insanabilis morbi, caput medium in discrimen offerre, detrectabant. Ibi enim verò Theodoricus non temperavit sibi, quin utrorumque, quantum in ipso esset, suppleturus vices, periculosam provinciam ultro deposceret; certus alienum periculum redimere suo, séque ipsum, servando alios, feliciter, ac sanctè perdere. Adeò vehemens est, cùm semel inflammavit animum, vis divinæ caritatis! & quàm ingeniosa simul in Theodorico? quò facilior ipsi ad alios, aliísque ad ipsum pateret aditus; superiorum permissu extra monasterii sepia in foro publico tentorium sub dio figit; in eóque mensam, quæstui animarum faciendo necessariam, altaris

*vide annum 1515 ubi dicitur unde illud nomen habeat, & plura de illo narrantur.

Theodorici à Monasterio, Franciscani ossa hoc anno reponuntur honoratiori loco. *Arnoldus Raissius in vita ejus.*

Idem Theodoricus grassante peste cœnobium egreditur, fixóq;

in

tentorio Bruxellis in foro ſtudet omnes peſte infectos juvare. *Fortunatus Hueber in chron. Tripar. Ordinis. Arnoldus Raiſius in vita ejus.*

in modum collocat. Ibi ille velut ad aram communis refugii aſſiduus conſidere; valentes, ægros, peſtéque jam contactos, trepido adrepentes greſſu, præſtolari: inter putridos anhelitus dare aures confitentibus; conſolari, paſcere, corroborare cæleſti cibo: nihil omittere, quo plures, in illo aliàs profano nundinarum loco, animas cælo mercaretur. Si quid otii ab ægris illuc ventitantibus ſupereſſet; dabat crebris in urbem ad infectas ædes, ubi mors regnabat, excurſionibus; plateas obiens, inclamans, requirens infirmos: noctes, diésque experrectus; quocunque, ægrotantium ſalutem per ſacramenta adjuvandi, ſpes evocaret, celeriter advolans; celerrimè ad illos, quos divino monitu didicerat, celeriori ante alios morte extinguendos.

Operam ſub initium contagionis commodaverat Theodorico templi cujuſdam ædituus; in itu ad ægros, & reditu in tentorium ſacri laboris ſocius; portans lucernam cum tintinnabulo, quoties ad diſceſſuros in æternitatem viaticum deferretur. At brevi, peſtilentiâ afflatus homo, ſenſímque contabeſcens, animam efflavit. Felix, qui mortem naturæ debitam ſibi per obſequia caritatis quæſtuoſam fecerat. Neminem unum tamen, eo mortuo, reperire erat, qui ejuſdem lucri & mercedis cupiditate teneretur. Quid ageret vir optimus, jam ſolus ſedens in tentorio ac gemens? tandem ex arena caritatis conſilium capit. Ne miſeri ſacramentorum expertes decederent; utramque decernit & ſacerdotis, & famuli perſonam ipſe unus ſuſtinere. Igitur ad morientes accitus, ſic alacer in publicum prodiît: ex funiculo, quo religioſi iſtius Ordinis præcinguntur; pendula hærebat lucerna; dextrâ ſacram portabat pyxidem, lævâ nolam; motúque tinnitum ciebat. Atque ità media inter venena impunè volitans, ſolus ipſe triginta duo millia, neceſſariis ad mortem piè oppetendam ſacramentis, præmunivit. Nihil acerbius in tam dulci opere videri poterat, quàm quòd ingruente hyeme manus & pedes malè tecti, acrimoniâ frigoris adurerentur; ſæpiúsque in tentorio ventis pervio, ante ſanctiſſimum pendens lumen extinctum, igne attritu ſilicis elicito accendere, neceſſum eſſet. Superavit moleſtias, ac hyemale frigus, quæ intus in animo ardebat caritas, omnibus brumæ incommodis major. Demum Patris optimi miſeratus vicem, coctor aliquis cereviſiæ, qui cominus habitans, pruinâ ſæpe ac nivibus obſitum conſpexerat; adit ad ipſum, ædésque ſuas offert: ubi & frigus arcere, operari ſacris rebus, ſuóque pro arbitrio excurrere ad ægros, morientésque poſſet. Non recuſabat Theodoricus oblatam ſibi gratiam. Eâ majorem hoſpiti cælum reddidit. Cùm enim peſtifera lues cereviſiarias urbis officinas pervaſiſſet omnes; hanc unam, ubi domicilium habebat Theodoricus, divinâ obſi-

Agit perſonam ſacerdotis & ſacriſtani ſimul. *Auctores iidem. Annales Ordinis mſ.*

obsistente manu penetrare haud potuit: nec ejus incolis tantùm constitit vita, & sanitas; sed & cocta inibi cerevisia, foris contagione laborantibus, medicina fuit; reliquis, eam bibentibus, peste nondum infectis, ne inficerentur, præsens remedium. Hoc certâ haberi experientia compertum, scribit Raisius. Illud mirandum magis; Theodoricum, tanquam in arcana Dei judicia admissus esset; sciviſse fructum laboris sui tot morientibus impensi. Duos, inquit, (remittente pestilentiâ ad tristes, pallidásque populi reliquias verba è cathedra faciens) duos duntaxat ex duobus, & triginta hominum millibus ad mortem à se comparatis, æternùm periisse: alterum, quòd de salute sua moriens desperaverit: alterum, quòd pudore retentus, & superbiâ, confiteri de peccatis sacerdoti noluerit. Extra hos duos, omnes alios, utì divinitus intellexisset, beatorum choro associatos. Hoc lucrum ceperat Theodoricus. Tot animas in foro publico mercatus cælo fuit labore gravi & indefesso. Neque enim levi eas pretio venales esse, decet, quæ multò adhuc pluris humani generis servatori constiterunt.

Anno huic finem, & libro dabit, cælesti hic Paderbornæ beneficio, reddita adolescenti sanitas: & illi quidem adolescenti, cujus deinde eruditio, & ingenium toti mundo portenti ac prodigii simile visum. Nomen ipsi Athanasius Kircher, natus * Geysæ, oppido trium horarum itinere Fuldâ dissito. Post longam de capessendo vitæ statu, maturámque deliberationem, divino rapi se impulsu sentit ad *societatem JESU*. Ejus ingrediendæ facultatem jam obtinuerat; sed pòst, periculo incautè adito, tantùm non perditam. Cum aliis sodalibus ad ludos, qui brumali tempore fieri in fluminibus gelu constrictis, assolent, frequentandos egressus, mirâ agilitate glaciem terit, pernicíque cursu palmam præripere omnibus, puerili gloriâ connititur. At impetu, quàm ut sistere posset, vehementiore incitatus; sejunctis, divaricatísque pedibus in glaciem prolabitur, gravi herniâ ex lapsu contractâ. Auxit malum fœda scabies, lepræ speciem referens, quæ ex frigore, nocturnísque natastudiis, crura invaserat. Utrique malo, ne vulgaretur, in patria nihil adhibitum remedii. At tanto, quot diebus auctius, molestiúsque. Præstitutus tirocinii initio dies cùm moneret, solâ fretus cælestis ope medici, se ad iter accingit: eóque gravissimos inter dolores confecto, in domum religiosam 2dâ Octobris ingreditur: verùm ipso in limine tardior adolescentis, & vacillans incessus, omnium advertit oculos; ac mali latentis * suspicionem non dubiam movit. Interrogatus, tristi voce, ac verecundâ rei veritatem aperit; tacitâ tamen herniâ, ne duo simul mala proderet, quorum sufficere vel unum arbitrabatur, ut ne in Ordinem tot

*natus anno 1602.

Kircherus novitius Societ. Jesu Paderbornæ per miraculum sanatur. Morbus ejus, & causa morbi.

Ex vita Kircheri Romæ in collegio Romano post obitum ejus inventa. ab ipsómet Kirchero conscripta.

*cap. 3 vitæ ab ipsómet conscriptæ.

votis expetitum cooptaretur. Accitus illico chirurgus naturam morbi, & gravitatem inſpicit; eúmque ex gangrænæ, vicinas partes jam depaſcentis, acceſſione inſanabilem declarat. Magnis interim impendiis nihil non tentatum, ſi quâ viâ occurri malo poſſet. At omnibus parùm proficientibus, ſententia dimiſſionis fertur in adoleſcentem, tanquam functionibus Ordinis minimè idoneum; nisì ſi intra menſis unius ſpatium malo liberatus, convaleſceret. Quantus hîc ægrotantis in animo dolor & conſternatio! deſertum ſe ab hominibus videns, ad Matrem miſericordiæ recurrit. Ejus ante ſtatuam, in odeo venerationi propoſitam, nocte intempeſtâ in faciem procumbens, cum lacrymis & **gemitibus inenarrabilibus* magnam Matrem filius afflictiſſimus violentis ſollicitat precibus. Et ecce! divino mox inſtinctu exauditum ſe perſentiſcens, ab oratione ſurgit: ſuúmque ad cubile ſuſpenſo ſe gradu referens, alto, ſuavíque ſomno obruitur. Manè experrectus ſentit evanuiſſe herniam: atque crus utrumque, deterſâ lue, integrum, ſanúmque videt. Paucis pòſt horis chirurgus adeſt. Dum crura nudat, dum medicamenta parat adhibere; nihil nisì extimæ hærentes cuti ſquammas invenit, ſanatæ ſcabiei reliquias. Ille ſtupenti ſimilis, **digitus Dei eſt hîc*, exclamat; non opis eſt humanæ tam ſubita, tam inſolens curatio. Itur ad Rectorem domûs: advocantur alii: visâ re, intellectâque causâ in divæ Virginis laudes effuſi: *fecit* huic, attoniti inquiunt, per matrem *magna qui potens eſt et ſanctum nomen ejus*. Qualis poſtea, quantúsque vir evaſerit hic adoleſcens, erudito orbi notiſſimum. Hoc fortaſſe ignotum nonnullis, eum, quidquid reconditæ & ſublimioris ſcientiæ habuit; ſoli Deiparæ acceptum referre; illiúsque patrocinio impetratum, palàm toti mundo feciſſe, eo in libro, quem Romæ de portentoſa hac ſanatione, déque tota vita conſcripſit, híſce exorſus verbis: *miſericordias Domini in æternum *cantabo*. Tu quoque, quisquis es, cui erudito Kircheriana ex uſu eſt; unde hauſtam intelligis, fontem corona, tam potens apud filium matris patrocinium agnoſcendo, honorandóque.

*ad Rom. 8. v. 26.

*Exod. c. 8. v. 19.

*pſal. 88. v. 1.

INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM
HAC PRIMA
ANNALIUM
Paderbornensium
CONTINUATIONIS PARTE
CONTENTARUM.

A

Achmetes Turcarum Imperator pacem init cum Imperatore. pag. 735.

Adolphus Comes de Schawenburg fit Archiep. Colonienſis. p. 283.

Adolphus Archiep. Colon. celebrat ſynodum provincialem, in qua præſcribit media ad Cleri & populi reformationem. p. 298.

Adolphi Colonienſis Archiep. mors & laudes. p. 335. & p. 336.

Adolphus Nuenariæ & Morſæ Comes in diœceſi Monaſterienſi deprædatur nundinas Grevonienſes. p. 541. Paulò pòſt moritur. p. 542.

Ahlenſe oppidum Monaſterienſe Lutheranos recipit, Catholicos Paſtores ejicit. p. 184. Oppidani abactis pecoribus ſuis ad necem poſtulant Prædicantes, qui ægerrimè elabuntur, oppidúmque redit ad Fidem Catholicam. p. 185.

De Alba Dux (Ferdinandus) ferocitate ſuâ rebellionem reſuſcitat in Belgio. p. 383. Devincit feliciter rebellium Geuſiorum duces. p. 390. Plecti jubet Comitem Egmondanum, Hornanum, & alios. p. 391. Belgas premit nimiis exactionibus. p. 403. Adornat bellum contra maritimas Belgarum oras. p. 422. Harlemum obſidet. ibid. Revocatur ex Belgio. p. 423.

Albertus Brandeburg. Magdeburgi, & Halberſtadii Epiſcopus. p. 63. Item Archiep. Moguntinus. p. 64.

Albertus Elector Moguntinus Luthe-

Lutheranam doctrinam permittere cogitur in Episcopatu Magdeburgensi, & Episcopatu Halberstadiensi. p. 242.

Albertus Cardinal. & Archiepscopus Moguntinus moritur. p. 245. Ejus elogium. Ibid.

Albertus Brandeburg. Magnus Magister Ordinis Teutonici in Borussia deficit à Fide, & uxorem ducit. p. 116.

Albertus Archidux in Belgio magnis pollicitationibus militem de stipendiis non acceptis tumultuantem pacat p. 612. Partem Hollandicarum copiarum profligat. pag. 623. Inchoat obsidionem urbis Ostendæ. p. 616. Eam continuat. p. 624.

Albertus Archidux bellum è Belgio in hostile solum traducit, p. 663. Paciscitur cum Hollandis. p. 683. Seditiosos milites suos in exilium pellit. Ibid. Duodecim annorum inducias init cum Ordinibus fœderatis. p. 697.

Alberti Archiducis Exercitus in favorem Neoburgici occupat Tremoniam, Susatum & alias urbes. p. 745.

Albertus Marchio Brandeburgo-Anspacensis Germaniam pessimè affligit. p. 313. Item Episcopatum Wormatiensem, Spirensem, Moguntinensem, ac Trevirensem. p. 314. Item ditionem Herbipolensem, Bambergensem & Norimbergensem. p. 319. Recusat pacem oblatam. p. 320. Irruit in terras Henrici Brunsvicensis. p. 320. Cæditur ab eodem & Mauritio Saxone. p. 320. Non longè post iterum cæditur. p. 320. Fugit in Franconiam. p. 321. Proscribitur ùt Imperii hostis ab Imperiali Camera. p. 321. Ab Henrico Brunsvicensi iterum cæditur in Franconia p. 324. Fugit in Galliam. Ibid. Exul ibi moritur. Ibid.

Alensonius cum ingenti apparatu in Belgium venit. p. 470. Abit inglorius in Angliam, inanes Elisabethæ nuptias prensaturus. p. 470. Idem in Belgium redux, Antwerpiæ proclamatur Dux Brabantiæ, sed in tumultu civico penè opprimitur cum suis. p. 479. Belgium rursus deserere cogitur. p. 480. Temere nititur Belgium acatholicum suæ potestati subdere. p. 480. Urbes aliquas per tumultum occupat. Ibid. Antwerpiam ex insidiis oppressurus, fœdâ suorum clade rejicitur. Ibid. Inglorius in Galliam revertitur. p. 481. Moritur. p. 509.

Alexander Pontifex camini ruinâ propè oppressus fuisset. p. 3. Moritur. p. 21.

Alferadis Abbatissa Confugio pulsa cum aliis monialibus recipit se ad monasterium Gerdense, & moritur. p. 228. In ejus locum eligitur Gerdæ Helena Tresken. p. 229.

Amurates Turcar. Imperator moritur. p. 573.

Anabaptistarum hæresis oritur. p. 131. Anabaptistæ undequaque monasterium confluunt. p. 183. Anabaptistarum clamoribus territi cives Monasterii ad eorum sectam accedunt. p. 188. Anabaptistæ plura suorum sectariorum auxilia in urbem advocant. p. 189. Crescente suorum numero novum è suis magistratum eligunt. Ibid. Omnes suæ doctrinæ non adhærentes ex urbe pellunt. Ibid. Anabaptistæ proscribuntur Monasterio, quos tamen orto tumultu publico senatus ferre cogitur. p. 183. Missis literis sparsi hinc indè jubentur convenire Monasterium. p. 191. Multa eorum millia detinentur, & capiuntur à Transisalanis. p. 191. Anabaptistarum perversæ machinationes reprimuntur in urbe Leyda. p. 203. & in Frisia occidentali. p. 204. Maximè verò Amstelodami. p. 204. Anabaptistæ nituntur occupare urbem Amstelodamensem, sed ab aliis civibus vincuntur, & diverso pœnarum genere puniuntur. p. 205. Anabaptistarum supplicium. p. 219.

Anglicani Schismatis origo. p. 211.

Anna Bolena ob gravissima scelera securi percutitur. p. 215.

S. Annæ Caput Moguntiâ furtivè transfertur Marcodurum. p. 9. Adjudicatur denique Marcoduranis à Julio II. Papa. Ibid.

Anna Regis Hungariæ filia despondetur Ferdinando Austriaco. p. 67.

Antonia Princeps Wilhelmi Cliviæ Ducis Conjux Religionem Catholicam reducit in Ducatum Clivensem, Juliacensem,

sem, Montensem & Comitatum Marchiæ. p. 666. Eadem Patribus S. J. provideri facit de meliore domicilio Embricæ. p. 666.

Antonius Comes de Schawenb. Archiepiscopus Colonienſis. p. 336. Ejus zelus & virtutes. ibid. Moritur. 351.

Antonius Comes de Schawenb. ab Ernesto Archiepiscopo Colonienſi nominatur Episcopus Mindenſis. p. 533. Catholicè moritur. p. 611.

Aquisgranenſium Sectariorum turbæ. p. 472.

Aquisgranenſes Joanni Wilhelmo Duci Juliæ, Cliviæ &c. se opponunt, ab hæreticis instigati. p. 678. & 679. Lis componitur. p. 695. Tumultuantur contra Magistratum. p. 713. Jesuitas crudeliter exagitant. ibid. & p. 714. Aquisgranum subigitur ab Ambrosio Spinola. p. 732. Aquisgranum ad Fidem Catholicam revertitur, & ideo à Principibus Belgicis antiqua privilegia recipit. p. 615.

Aquisgrani plectuntur seditiosi. p. 749.

Arensberga in Fide Catholica perseverat. p. 487. Ibidem à Truchsesio indicuntur Comitia provincialia. p. 488. In his quid actum. Ibid. & p. 489.

Argentoratum tentatur ab Henrico II. Galliæ Rege. p. 311.

Arnhemium cum aliis urbibus Philippo Belgarum Duci se submittit. p. 28.

Arnoldus Comes Bentheimii Gymnasium Steinfordiense condit. p. 680. Ejus in sacras imagines injurioſi pœna. ibid.

Attelenæ in pago Diœcesis Paderbornensis diro supplicio plectitur senex veneficus, criminum horrendorum reus. p. 589.

Augustanæ Confessionis refutatio approbatur à plerisque. p. 147.

Augusta Vindelicorum capitur à Mauritio Saxone. p. 310.

Augustanis in Comitiis constituitur pax Religionis, passavienſis dicta. p. 331. Articulorum istius pacis explicatio. p. 331. & p. 332.

Augustanis in Comitiis petuntur auxilia contra Turcas. p. 377. Augustana Comitia ad comprimendas Aquisgranenſium Turbas indicuntur. p. 474.

B

Bathorius (Sigismundus) Transilvaniæ Princeps, Cæsareanis partibus se adjungit, multas urbes occupat. p. 575. Duplici prælio Turcas profligat. ibid.

Bedberga ab Ernesti Bavariæ Ducis copiis capitur. p. 506.

Belgæ Cæsarem rogant, ut nepotum nomine gubernationem Belgii suscipiat. p. 34. Propter ferociam Albani Ducis nutant in fide & obsequio Regis Hispaniæ. p. 415. Multas urbes adigunt in obsequium Principis Orangii. p. 416. Belgarum Proceres, fœdere cum Geusiis inito nituntur Hispanos expellere toto Belgio. p. 434. In Belgio fœderatorum exercitus per intestinas discordias dilabitur. p. 453. Belgæ fœderati Regi suo Provinciarum Belgicarum imperium publico edicto abrogant. pag. 469.

Bertholdus Archiep. Mogunt. moritur. p. 26.

Bertholdus Ep. Hildesienſ. &c moritur. p. 22.

Bethlem Tabor invadit Transilvaniam. p. 726.

à Bicken (Joannes Adamus) Archiep Moguntinus eligitur. p. 622. Ejusdem mors. p. 661.

Bielefeldienſium fallaciæ & iræ contra Catholicos. p. 702.

Bilsteiniana Arx à Satrapiæ istius rusticis recuperatur. p. 508.

Blombergæ in oppido à fide deficiunt Canonici Regulares S. Augustini. p. 339.

Bockelsonius (Joannes,) aliàs Johan van Leyden Monasterium redit cum Joanne Matthisonio Anabaptistarum duce. p. 187. & 188. Simulant se esse duos Prophetas à Deo missos. Ibid. Adigunt magistratum urbicum ad concedendam libertatem credendi vel docendi. Ibid. Novo mendacio extollit se in locum occisi Matthisonii. p. 192. & 193. Abrogat senatum, & loco ejus constituit duodecim Judices novi Israëlis. p. 193. In adulterio deprehensus introducit polygamiam, multis civium hanc doctrinam detestantibus,

bus, cúmque propterea urbem Episcopo volunt tradere, crudelissimè necantur. p. 195. Abrogat iterum potestatem duodecim judicum. p. 196. à Dusentschürio novo Propheta creatur, & inungitur Rex. Ibid. Ejus Aula, Proceres, & Gynæceum. Ibid. Novos Apostolos emissurus jubet institui magnam Cænam insulso modo. p. 198.

Bohemicæ turbæ origo. p. 754.

Bonna à Ferdinando Bavariæ Duce vehementer premitur. p. 505. à Truchsesianis rursum occupatur. p. 534. Ab Hispanis recuperatur. p. 534.

Bonnenses præsidiarii deditionem paciscuntur, & Carolum Truchsesium Gubernatorem urbis captivum tradunt. p. 506.

Bonnus Lutheri doctrinam introducit in tres Ecclesias Parochiales Osnabrugi consentiente Francisco Ep. p. 264. Progreditur ad reformandas Ecclesias rurales, & præscribit novam ordinationem Ecclesiasticam. p. 265. Ecclesiæ ministros ordinat, quod aliàs à se fieri negârat, & redit Lubecam. Ibid.

Brakelenses in Diœcesi Paderbornensi Lutheranum Prædicantem in urbem suam revocant. p. 627.

Brandenburgicus & Neoburgicus reconciliati per Mauritium Hassiæ Landgravium paciscuntur de Provinciis inter se dividendis. p. 701. Dissident inter se. p. 727. Dissensio inter utrumque augetur. p. 731. Brandenburgicus ad Hollandos desciscit, illisque tradit urbem Juliacensem. p. 731.

Bredelariense Cœnobium ab Hollandis spoliatur. p. 674. Abbas ibidem captivus abducitur. Ibidem.

Brema à Luthero ad Calvinum transit. p. 365.

Brenckhusanum Monasterium Virginum Cistercienssium transfertur ad Ordinem S. Benedicti, & Congregationem Bursfeldensem. p. 618.

De Brendel (Daniel) ab Homburg fit Archiep. Moguntinus. p. 330. Idem moritur. p. 472.

Breviarium Paderbornense aliàs excudi cœptum, jam perficitur, cui additur instructio pro devota recitatione. p. 61. & 62.

Brillmacher (P. Petrus Michaël) primus Collegii Monasterienssis Rector. p. 566.

Brilonia ad Augustanam Confessionem traducitur. p. 487. Pastor Catholicus deponitur, & pro Fide exulare cogitur. p. 487.

Brunsvicenses gravissimè cæduntur à confœderatis Hildesienssibus. p. 87.

Brunsvicensis urbs obsidetur. p. 673.

De Bucholtz (Reinerus) Abbas & Princeps Corbejensis. p. 335.

De Büren (Mauritius) studet Paderbornæ. p. 729. Huic struuntur insidiæ. Ibid.

C

Calviniana unio ortum ducit à Comitiis Ratisbonensibus. p. 686. Augetur illa accessione Ducum & Comitum, & multarum urbium. Ibid.

Calvinistarum motuum initia in Gallia. p. 357. Capiunt arma contra Catholicos. p. 365. Eorum Sacrilegia, prælium & anceps victoria. p. 366.

Calvinistæ Belgii perturbatores. p. 380. dicuntur in Belgio Geusii, & unde. Ibid. Calvinistarum Belgicorum impietas in templa, altaria &c. p. 381. Eorum turbæ in Belgio comprimuntur. p. 383.

Calvinus Genevâ pulsus venit Argentoratum, ejus natales, studia, Clericatus, exilium, & fuga in Italiam. Item Calvini mors. p. 373.

Cameracense fœdus inter Pontificem, Cæsarem, Gallum & Hispanum contra Venetos. p. 41.

Cameraci constituitur pax inter Cæsarem & Gallum, item Cæsarem inter & Venetos. p. 140.

Canonici Cathedrales Julium Philippum deligunt in Coadjutorem Episcopi Paderbornensis. p. 318.

Canonici Havelbergenſes, Brandeburg. & Raceburgenſes à ſtatu religioſo ad ſeculare tranſeunt. p. 39.

Capucinorum Ordo confirmatur à Pontifice. p. 139.

PP. Capucini Colonienſem in urbem admittuntur. p. 714. à majore Decano ab Horſt vocantur Paderbornam. p. 724.

Carlſtadius infeliciter diſputat cum Eckio. p. 85.

Carolus Borbonius moritur. p. 546.

Carolus Fridericus, Wilhelmi Ducis Juliæ filius &c. Romæ moritur cum ingenti luctu Pontificis. p. 698.

Carolus IX. Galliæ Rex. p. 354. Jubet Collignium & omnes Hugonottos Pariſiis interfici, exceptis Navarræo, & Condæo. p. 419. Eandem cædem tentat in aliis urbibus. p. 420. Idem Rupellam & Sancerram ad deditionem cogit. p. 421. Malè permittit in toto regno libertatem conſcientiæ. Ibid. Detectâ novâ adverſum ſe conſpiratione è vivis evocatur. p. 425.

Carolus Gelder pacem doloſè impetrat à Philippo Belgarum Duce. p. 29. Quo in Hiſpaniam cogitante fidem fallit. Ibid. Philippo mortuo irruit in Brabantiam. p. 33. Iterum infeſtat Brabantiam adjutus à Gallis. p. 36. Dirè graſſatur in Hollandia. p. 74. Cogitur pacem à Carolo Auſtriaco petere. Ibid. à Cæſareis profligatur ex tota Friſia. p. 103. Pacem init cum Cæſare, & Geldriam clientelari jure obtinet. p. 135. Occultè iterum fœderatur Gallo, Dani ejus conſilio Dammum occupant, & agrum Grôningenſem infeſtant. p. 216. Carolus Gelder ad pacem cogitur eâ lege, ut, ſi moriatur ſinè prole maſcula, tota Geldria recidat ad Carolum V. p. 219. Idem moritur & hæredem ſcribit Wilhelmum Clivenſem, unde iterum nova bella. p. 235.

Carolus V. naſcitur. p. 2. Declaratur hæres Coronæ Hiſpaniæ. p. 70. Fœdus init cum Rege Galliæ. p. 71. In Hiſpaniam ſolvit, & initio ſequentis anni coronatur Rex Hiſpaniæ. p. 74. Ambit vacantem Imperii thronum. p. 84. Unanimiter eligitur Imperator. p. 85. Coronatur Aquisgrani. p. 89. Solennis ingreſſus ejus in urbem. Ibid. Aquisgrano abſcedit Coloniam, ubi Comitia Wormatienſia indicit, & Tremonienſi urbi confirmat Comitatum Tremonienſem. p. 90. Comitia celebrat Wormatiæ. p. 91. Idem imperat Joanni Epiſcopo Hildeſienſi, ut bello Hildeſienſi captos relaxet, ſibique tradat uſque ad exitum cauſæ. p. 95. Proſcribit & maximâ terrarum parte multat Epiſcopum renuentem. Ibidem. Ejus milites Genuam occupant. p. 97. improſpere impugnant Marſiliam. p. 109. Obſidionem Marſiliæ ſolvunt. p. 110. Romam occupant & diripiunt Vaticanum. p. 121. Carolus V. reprobat decretum Norimbergenſe. p. 107. uxorem ducit Iſabellam Luſitanam. p. 120. Franciſcum Galliæ Regem libertati reſtituit ſub variis conditionibus. Ibid. Ejus querelæ contra Pontificem. p. 121. Idem coronatur à Pontifice Bononiæ. p. 114. Confirmat ibidem privilegia Eccleſiæ Mindenſis. p. 145. Maltam Inſulam confert equitibus Rhodiis. Ibid. Pridie Corporis Chriſti venit ad Comitia Auguſtana. Ibid. Et recuſantibus Principibus Lutheranis poſtridie intereſt ſolenni ſupplicationi. p. 146. Expoſito Comitiorum fine accipit Auguſtanam Confeſſionem. Ibid. Comitia celebrat Norimbergæ. p. 158. Item Ratisbonæ, ubi metu Solimanni cogitur permittere Proteſtantibus liberum exercitium Religionis uſque ad Concilium. p. 158. Impetrat coràm à Pontifice indici Concilium generale. p. 176. Franciſco Sfortiæ Duci Mediolanenſi uxorem dat, ſuam è ſorore neptem Chriſtiernam. Ibid. Alexandro Medicæo conjugem tradit Margaretham, filiam ſuam notham. p. 202. Carolus V. Imperator Romæ agit de Concilio indicendo Mantuæ. p. 217. Queritur de Rege Galliæ, qui magnam Sabaudiæ partem occupârat. Ibid. Peſſimo conſilio transfert exercitum in Galliam. Ibid. Spondet ſe proximè reſponſurum ad Principum Lutheranorum poſtulata. p. 225. Carolus V. Imperator & Rex Galliæ Franciſcus amiciſſimè ſe complectuntur apud Aquas mortuas. p. 235. Redit ex Hiſpania in Belgium. p. 244. Mittit Legatum ad Principes Proteſtantes. Ibid.

Ibid. Graviſſimè cõqueritur de connubio Wilhelmi Cliviæ Ducis cum nepte Regis Galliæ. p. 252. Ejus reſponſum ad Imperii Principes pro Clivenſi deprecantes. Ibid. In Italiam profecturus agit cum Pontifice de inchoando Concilio. Ibid. & p. 253. In Africam trajiciens adverſis ventis ab inceptis impeditur. Ibid. Ex Hiſpania per terras Italicas venit Spiram. p. 259. Luſtrato prope Bonnam exercitu, Marcodurum expugnat intrà biduum. Ibid. Illi ſe dedunt reliquæ urbes Juliæ,& Geldriæ Marcodurenſium exitio territæ. p. 260. Cogit Gallum ad pacem ineundam ſub certis conditionibus, p. 268. Indignatur in Comitiis Wormatienſibus vix unum, alterúmve è Principibus adeſſe. p. 270. & 271. Meditatur bellum contra Proteſtantes, priùs tamen indicit nova Comitia, celebranda Ratisbonæ. Ibid. Carolus Imp. Philippo Haſſiæ Landgravio roganti, ne is ſe opponat novationibus Hermanni Archiepiſc. Colonienſis, renuit gratificari. 277. Abit Ratisbonam ad Comitia: in quibus videns Lutheranos comparere non velle, decernit bellum in refractarios. Ibid. Exercitum ſuum colligit Landishuti. p. 278. Redit Ratisbonam, occupat Ingolſtadium, ibíque novum belli robur accipit è Belgio. p. 279. Pleræque urbes antea ab hoſtibus occupatæ ſe dedunt Cæſari. Ibid. In Belgium reverſus, mulctat diverſos ob communionem fœderis Smalkaldici. p. 298. Carolus Imp. non impetrato, concilium Tridenti rurſus inchoari, publicat Libellum, appellatum: INTERIM p. 293. Et ſtatuit, ut omnes Epiſcopi ſe proximè conſecrari faciant, et ante S. Martini celebrent Synodum Diœceſanam pro reformatione cleri. Ibid. & p. 294. Idem cum exercitiu venit Auguſtam. p. 314. Marchionem Brandeburgicum ad obſequium revocat. Ibid. Metas fruſtra obſidet. p. 315. Belgii totius regimen transfert in Philippum Filium. p. 333. Regna ſua transfert in Philippum Filium. p. 337. Curam Imperii commendat Ferdinando Fratri, & juſtitiam judicibus Cameræ. Ibid. Abit in Zelandiam & Hiſpaniam Ibid. Monaſterio S. Juſti ſe includit. Ibid. Coronam Imperii abdicat per Legatos, p. 348. Moritur Ibid.

Carolus Mansfeldius Alexandri Farneſii nomine Rhenobergkam expugnat. p. 542. Exercitum Hiſpanicum in Gallias ducit, & Noviodunum expugnat. p. 563. Jubetur cum exercitu manere in Gallia. p. 565. Redit in Belgium. p. 567. è Belgio accitus, Chriſtiano exercitui præficitur, Strigonium obſidet, Turcas profligat. p. 574. Febri & dyſenteriâ correptus extinguitur. p. 574.

Caſtellius vulnerat Henricum IV. Galliæ Regem, punitur. p. 567.

Catechiſmus Romanus juxta normam Tridentini editur Coloniæ. p. 414.

Catharina Angliæ Regina moritur magno Regis mœrore, & gaudio Annæ Bolenæ. p. 215.

Catharina Galliæ Regina Turpiſſimam pacem init cum Hugonottis. p. 368. & p. 369. Detrectat in Regno ſuo promulgare Concilium Tridentinum. p. 370.

Catholici contra fœderatos Smalkaldienſes pereutiunt aliud fœdus, quod fœdus ſanctum appellant. p. 236. Catholici Doctores & Lutherani Ratisbonæ diſputant de rebus Fidei. p. 276.

Controverſia pacatur inter Landgravium Haſſiæ & capitulum Paderbornenſe per coactam deſertionem litis de monaſterio Confugienſi. p. 232.

Chriſtiani in Hungaria ſuperiore Turcis eripiunt Fillecum, & multas arces. p. 570. Occupant Novigrodum. Ibid. Strigonium propè ſubactum deſerunt, adveniente Turcarum Vizirio. Ibid. Occupant Strigonium, Vicegradum, & Vaciam. p. 574. Occupant in Hungaria Hathuanum. p. 577. Turcas profligant ſed paulò pòſt victoriam perdunt. p. 578. & p. 579.

Chriſtianus Dux Luneburgenſis Princeps Lutheranus fit Epiſcopus Mindenſis. p. 612.

Chriſtianus Anhaltius Cæſareanos cœdit. p. 707. Juliacum expugnat. p. 708.

Chriſtianus II. Elector Saxoniæ Juliam, Cliviam &c. à Cæſare obtinet. & inveſti-

investiturâ donatur. p. 706. Gravi Brandenburgici & Neoburgici offensione. p. 707.

Christianus Halverius S. J. mittitur Heiligenstadio Paderbornam. p. 463.

Christophorus Brunsvicens. succedit Bertholdo Administratori Verdæ. p. 22.

Claudius Jajus, & Petrus Faber â S. Ignatio in Germaniam missi, plurimum ibi boni operantur pro fide Catholica. p. 265.

Clemens VII. Pontifex quadrimestres inducias cum Cæsareis paciscitur, postea redit ad fœdus Gallicanum. p. 121. Quibus cum fœderatis invadit regnum Neapolitanum. p. 128. Capitur, nec nisi post mensem septimum libertati restituitur. p. 129. Cæso Gallorum exercitu init pacem cum Cæsare. p. 139. Moritur. p. 201.

Clemens VIII. Papa eligitur. p. 556. Moritur. p. 662.

Collignius Domum redux è vicinæ domûs fenestrâ duabus glandibus vulneratur. p. 419. Regem Carolum instigat contra Hispanos in Belgio ibid. Interficitur cum omnibus Hugonottis. p. 419. In ejus cadaver populi furor. p. 420.

Coloniæ moriuntur ex peste 25. millia hominum. p. 323. Pro tentanda Belgarum concordia instituitur conventus publicus, solenni supplicatione inchoatus. p. 454. Ibidem Tumultus excitatur â Calvinistis. p. 693. Frustra â Magistratu remedia adhibentur. p. 694. Frustra rebelles â Magistratu ad concordiam invitantur. p. 695. Ibidem Aliqui Catholici advertunt periculum Catholicæ Religionis, & â rebellibus discedunt. p. 695. Turbæ ibidem sopiuntur. p. 703.

Colonienſe Capitulum in causa Truchsesiana convocat comitia provincialia. p. 483. Capitularium diversa studia. p. 483. & 484. In comitiis illis declaratur: Standum esse antiquâ unione statuum. p. 485. Ibidem In conventu defenduntur ab Admiralio Mendoza Hispani Hybernantes in Westphalia. p. 604.

Colonienſes rebellant contra suum Magistratum. p. 60. Trucidantur consules, & senatores. p. 61. Civitates variæ rebellant. p. 61.

Colonienſis Magistratus omnes acatholicos ex urbe ejicit. p. 475.

Cometa per dies 15. apparet mense Augusto. p. 157.

Cometa terribilis nuncius futuri belli. p. 755.

Comitatus Pyrmontanus à Joanne II. Ep. Pad. pro sola ejus progenie masculâ conceditur Hermanno Simoni Comiti Lippiensi. p. 403.

Comitia Norimbergensia p. 712.

Comitia Procerum Juliæ Cliviæ &c. de inveniendis mediis, quibus consulatur patriæ, si Dux sinè prole moreretur, cur irrita fuerint. p. 679. Comitia Ratisbonensia contra Turcas. p. 726.

In Comitiis Augustanis omnes Imperii ordines addicunt Cæsari in rebus fidei se staturos esse definitionibus Concilii Tridentini. p. 291. Ibidem Agitur de doctrina interimistica à Lutheranis uniformiter admittenda. p. 302. item decernitur obsidio urbis Magdeburgensis, cujus perurgendæ cura committitur Mauritio Saxoni. p. 303.

Comitia Spirensia de componendis religionum dissidiis, & auxilio contra Turcas. p. 140. Ibidem Decernunt auxilium contra Turcas, Frustra obnitente legato Galliæ. p. 253.

In Comitiis Spirensibus ingentia auxilia decernuntur Cæsari contra Regem Galliæ. p. 267.

Comitia Cæsaris Ratisbonæ habita pro tentanda concordia religionis. p. 250. concordia illic non obtentâ, controversiæ Religionis remittuntur ad concilium, permisso, ut omnes interim maneant in sua Religione. p. 251.

Comitia Trevitis transferuntur Coloniam. p. 57.

Commendonus Papalis legatus admittitur cum Delfino ad conventum Naumburgense. p. 360. Ejusdem oratio ad Principes ibid. Invitat Principes Catholicos inferioris Germaniæ ad concilium. p. 361. Idem in Comitiis Augustanis

his suadet receptionem Concilii Tridentini & animorum conjunctionem contra Protestantes. p. 378.

Concilium generale Germanis Principibus indicitur eâ lege, ut ejusdem decretis pareant, nec interea aliquid innovent in rebus fidei. p. 176.

Concilium Tridentinum resumitur. p. 305. Interfunt 3. Archiepiscopi Electores. p. 306.

Concilio Tridentino Elector Brandenburgicus per suos oratores offert obedientiam. p. 306.

Concilium Tridentinum sub Pio IV. resumitur. p. 363. emanent Catholici Principes Germaniæ & quare. p. 364. Concilium finitur. p. 368. De eo concluso acatholicorum calumniæ. ibid.

Concilium Tridentinum confirmatur â Pio IV. Papa. p. 370. recipitur in Gallia privatim ab omnibus. ibid. Illud in regno suo promulgare detrectant Rex & Regina Galliæ. ibid. Ab aliis Regibus Catholicis recipitur. ibid.

Condæus capitur. p. 367.

Confugiensis Monasterii in Hassia, & malorum Episcopatui Paderbornensi imminentium Historia. p. 227. & p. 228.

Conradi Comitis de Tecklenburg mors. p. 345. Comitatus Tecklenburgicus transit ad Benthemenses. p. 346.

Conradus Episcop. Monast. moritur. p. 42.

Conventus â Principibus Westphaliæ decernitur Confluentiæ. p. 605. Decernitur in eo bellum contra Hispanos. p. 606.

Corbejense Monasterium reformatur. p. 14. Illius Abbati Hermanno de Bömelburg mortuo succedit Herman. de Ketteler ex Liesbornensi Monasterio postulatus. p. 15.

Cosmus Medicæus Hetruriæ Dux inauguratur. p. 225.

Croningius (Jodocus) belli ductor Cæsareus varia Westphaliæ loca ad Cæsaris obsequium cogit. p. 289.

Cruces prodigiosæ in vestimentis hominum expressæ. p. 3. Continuantur in variis Germaniæ locis. p. 10. Videntur præsignâsse ignominiam S. cruci postea â Luthero irrogatam. p. 11.

Cyprus in manibus Turcarum relinquitur. p. 411.

D

Delbrugenses implorant patrocinium Capituli Cathedralis. p. 30. Obtinent è Statibus Patriæ XII. Arbitros. p. 31. Qui auditis Delbrugensium excessibus pro mitiganda pœna intercedunt. Ibid. Conficitur Delbrugensium judiciorum forma, & sequente anno publicatur. p. 31. & 32.

Delbrugenses fœdissimè cæduntur à Meuteniriis. p. 643. Quæ causa stragis. Ibidem.

Delbrugensium privilegia confirmantur ab Erico Episcopo. p. 106.

Divara Regina Monasterienses capite plectitur. p. 209.

Ducatus Mediolanensis donatur Francisco Sfortiæ. p. 140.

Düsentschurius Propheta mendax nominat Apostolos 27, intérque eos seipsum. p. 199. Eorum octo Coësfeldiam abeuntes, octo Susatum, plectuntur capite, quinque recipiuntur à Warendorpiensibus & denique decollantur, excepto Kloprisio, qui Colonienſi Archiepiscopo missus, Brülæ combustus est. p. 199. Sex alii capiuntur Osnabrugi, & morte meritâ afficiuntur, excepto uno. p. 200.

Dusseldorpienses à Brandeburgico & Neoburgico coguntur ad jurandam fidem. p. 702.

Dux Borbonius à Gallo ad Cæsarem transit. p. 102.

E

Eimbeca urbs Ducatûs Brunsvicensis tristissimum incendium patitur. p. 248.

Electores Imperii statuunt non nisi unanimiter electum Imperatorem admittere. p. 84. Elector Moguntinus perorat pro Carolo V. p. 84. Elector Trevirensis pro Francisco I. Rege Galliæ.

Electores invitantur Coloniam ad electionem novi Regis Romanorum. p. 147.

Elisabetha Angliæ Regina eligitur. p. 349. à Paulo IV. pontifice rejecta fidem catholicam deserit. ibid. Eadem moritur. p. 639.

Elisabetha de Lohe convertitur ad veram fidem. p. 728.

Elisabetha Ducis Brunsvicensis Vidua totam Provinciam traducit ad Lutherum. p. 246.

Embslandia in Diœcesi Monasterienſi fit catholica. p. 734.

Erbmannorum Monasterienſium causa cum nobilibus de idoneitate adeundi Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis. p. 344. Iidem mittuntur in possessionem à Carolo VI. Imperat. p. 345.

Ericus Dux Brunsvic. residentiam peragit Paderbornæ. p. 23. Eligitur Ep. Osnab. p. 42. Confirmationem à Pontifice obtinet, & licentiam retinendi Canonicatum Paderborn. ibid. Eligitur Episcopus Paderbornensis. p. 44. Qui anno sequenti ex conventione prævià debuit consecrari Episcopus. p. 45. Primus est, qui ex concessione Pontificià Episcopum se nominat duarum Ecclesiarum. p. 49. Præstat juramentum Capitulo Paderbornensi. Ibid. Osnabrugi solennissimè inauguratur. p. 48. Osnabrugo venit Neuhusium. p. 51. Paderbornæ solenniter introducitur, & inauguratur. Ibid. Hostiliter invadit agros Corbejenses. p. 55. Renuit contribuere ad bellum Venetum, ideóq; mulctatur pœnâ Banni. Ibid. Absolvitur hac à pœna ità urgente Pontifice. p. 57. Curat novum Breviarium Paderbornense imprimi. p. 58. In horis orandis est admodum assiduus. p. 62. Mutuæ assistentiæ fœdus init cum Ducibus Brunsvicensibus. p. 72. Idem monasterio Virginum in Wurmelen concedit facultatem resuscitandi Molendinum. p. 73. Componit lites inter Monasterium Bôdecense, & præfectos arcis Wewelsburgensis. p. 78. Item litem cum Nobilibus de Hörde. p. 83. Confirmat electionem Abbatis in Marienmünster. Ibid. Mutuæ defensionis fœdus init cum pluribus Comitibus. p. 88. Wormatiæ per Legatos accipit confirmationem suorum Regalium. p. 96. Componit litem inter Capitulum, & Nobiles Calenbergios. Ibid. à Comite Lippiensi recuperat Comitatum Pyrmontanum. p. 100. Hoc anno cæpit ædificare orientalem alam arcis Neuhusanæ. p. 104. Confirmat pacem Castellanam inter Nobiles de Spiegel. p. 109. Gravissimè minatus seditioso Osnabrugo, placatur quorundam intercessione. p. 114. Exequitur rigorosè edictum Wormatiense Caroli V. p. 117. Herivordienses sacerdotes, vitæ communis in Domo Fratrum, citat Paderbornam propter doctrinam Lutheranam, & immodestiùs respondentes in carcerem detrudit, literis publicis de totâ re conscriptis. p. 117. Componit litem Capituli Majoris, & Ettelensium de Marca vel saltu Ettelensi. p. 133. Paderbornam rebellem bello aggressurus mitigatur à statibus Patriæ, transigit proinde cum urbe. p. 138. Postulatur ad Episcopatum Monast. moritur Fustenaviæ. p. 163.

Ericus Dux Brunsvicens. capitur. p. 87. Libertatem redimit & Hoyano Comiti restituit arces varias. p. 88.

Ericus Saxo-Lawenburgicus Episc. Hildes. succedit Bertholdo. p. 22. Eligitur Ep. Monast. p. 42. Instituit festum Annæ perpetuò celebrandum postridie assumptæ Virginis. p. 51. Nicolaum Comitem propter deprædationes publicas è dynastia Lingensi rejicit. p. 82. Moritur. p. 100.

Ericus Senior Dux Brunsvic. probè Catholicus moritur. p. 245.

Ericus Junior rem Catholicam restituit, Corvino Superintendente in carcerem conjecto. p. 246.

Ericus Junior, & Henricus Junior Duces Brunsvicenses egregiè desudant in reducendo suos ad fidem Catholicam. p. 300.

Ernestus Archiepisc. Magdeb. & Administrator Halberstadiens. moritur. p. 65.

Ernestus Dux Bavariæ Episcopus Hildesiensis. p. 425. Idem postulatur Episcopus Leodiensis. p. 468. Postulatur Archiepiscop. Colonienſis in locum Truchsesii. p. 486. Introducit apud suos Calendarium Gregorianum. p. 500. Venit in Westphaliam, & revocatis omnibus propter fidem exulibus ubique Catholicam Religionem restituit. p. 509. Ad Monasterienſem Insulam postulatur. p. 518.

Ernestus Archidux venit in Belgium, futurus ibidem Gubernator. p. 568. Æquam pacem Hollandis per literas offert. ibid. Proscribit libros hæreticos. p. 615.

Ernestus Archiep. Colon. studet reducere suas Diœceses ad meliorem vitam. p. 664. Idem prohibet magnos sumptus fieri in monasteriis, dum vestiuntur, aut profitentur. Ibid. Aliæ ejusdem salubres sanctiones. Ibid.

Ernestus Episc. Hild. duos mittit, qui Clerum Hildesii visitent. p. 705. Piè moritur. p. 717.

Everwinus Comes Benthemienſis ac Tecklenburgenſis uxorem Annam tradit custodiæ. p. 363. Fraude educitur, ibid.

F

Falckenhagenſis Monasterii Patrum Crucigerorum in Comitatu Swalenbergenſi interitus, & Monachorum à Fide & Ordine defectio. p. 582. Monasterii derelicti bona dividuntur inter Episcopum Paderbornenſem, & Comitem Lippienſem. p. 583. Religiosi ibidem Apostatæ variam fortunam subeunt. Ibid.

Falckenhagenſis deserti monasterii bona & prædia omnia à Pontifice dantur Patribus Societatis Jesu. p. 689.

Falsatores Monetarii Osnabrugi in ardenti aheno coquuntur. p. 157.

Famagusta, Cypri urbs, à Turcis invaditur & superatur. p. 409. Ejusdem Gubernator Bragadenus contra data Fidem necatur. p. 410. Alii duces, militesque Itali vel necantur, vel triremibus addicuntur. Ibid.

Farnesius (Alexander) Belgii Gubernator. p. 452. Trajectum ad Mosam expugnat. p. 454. Ob defectum copiarum nihil efficit contra Geusios. p. 466. Bredam ac Tornacum expugnat. p. 470. Idem, profugo in Galliam Alenſonio, captas ab eo urbes recipit. p. 481. Ipras, Brugas, Teneramundam, Gandavum, & alias urbes ad Regis Hispani obsequium reducit. p. 510. In Belgio occupat Bruxellas, Mechliniam, Antwerpiam, Neomagum, & Dôesburgum. p. 519. Idem occupatâ in Belgio Graviâ & Venlonâ obsidet Novesium. p. 524. Expugnat illud tandem per vim. p. 525. Idem Mörsam, & alia Comitis Nüenarii castella occupat. Ibid. Obsidionem Rhenoberckenſem solvere cogitur ob adventum Dudlæi Comitis Licestrienſis. Ibid. Obtinet Daventriam, Geldriam, Slusam in Flandria. p. 531. Parisios liberat à diuturna obsidione. p. 547. In Gallias proficiscitur ad solvendam obsidionem Rothomagenſem. p. 556. Navarrum profligat. Ibid. Obsidionem Rothomagenſem solvit. p. 557. In Belgium redit. p. 558. Novam expeditionem in Gallias parans moritur. Ibid.

Ferdinandus Austriacus Bohemiæ Rex eligitur in Regem Hungariæ. p. 129. Cogitur decretum Wormatienſe immutare, & sic impetrat auxilia contra Turcas. p. 141.

Ferdinandus Bavariæ Dux Bonnam obsidens Nuënarium, & Itelium Henricum Brunsvicenſis nothum cum copiis suis cædit. p. 505. Movet cum suis in Westphaliam. p. 507. Cædit partem exercitûs Truchsesiani, capto Itelio Henrico Brunsvicenſis notho. p. 507. Recklinghusium obsidet. p. 508.

Ferdinandus Bavarus fit Archi-Episcopus Colonienſis. p. 718. Venit Paderbornam, jam ante electus Coadjutor Theodori Episcopi. Ibid. Leodii philosophica studia instituit. p. 734. Dinanti primum lapidem ponit pro exstruendo templo PP. Jesuitarum. Ibid. Aquisgrani plectit seditiosos. p. 749.

Ferdinandus Caroli Imperatoris

ris frater Coloniæ eligitur Rex Romanorum, & coronatur Aquisgrani, frustra contradicente Saxone. p. 151. Cum Mauritio Saxone occupat terras Electoris Saxoniæ. p. 279.

Ferdinandi Regis Romanorum excusatio apud Pontificem de inito tractatu Augustano. p. 333. Ejusdem fervor in Fide. Ibid.

Ferdinandus frater Caroli V. denunciatur Imperator. p. 348. à Paulo IV. Pontifice non agnoscitur ùt legitimus Imperator. p. 349.

Ferdinandus frater Ernesti Bavari à fratre constituitur supremus belli præfectus. p. 500. Occupat Poppelsdorffium & Godesbergam. Ibid. Bonnam obsidet. p. 501.

Fischerus (Joannes) Juramentum Regis Angliæ impium recusans in carcerem conjicitur. p. 213. Trucidatur unà cum aliis. Ibid.

Flechtorpiensis monasterii Ordinis S. Benedicti miser status. p. 326. Postulatur ibidem novus Abbas Joannes Rode, professus in Liesborn. Ibid. Ejusdem confirmatio & benedictio petitur à Remberto Episcopo Paderbornensi. p. 327. Occupatur illud monasterium à Comite Waldecensi. p. 253.

Florentia Cæsareis deditur. Medicæi restituuntur. Alexander Medicæus fit postea Magnus Hetruriæ Dux. p. 150.

Fœdus Schmalkaldicum confirmatur. p. 151.

Franciscus Brunsvicensis, Episcopus Mindensis. p. 41.

Franciscus de Waldeck Episcopus Mindensis. p. 143.

Franciscus de Waldeck postulatur Episcopus Monasterii & Osnabrugi in locum defuncti Antistitis. p. 171. Qui Cives & Senatum monet, ut, Rotmanno, & aliis præconibus ejectis, sacra avita restituant. p. 172. Annonam urbi Monasterienſi intercludit, & rebellium bona in fiscum redigit. p. 174. Petunt ab eo legati urbici per judices compromissarios agi de pace. ibid. Inauguratur Osnabrugi. p. 175. Capit incendiarium, & lento igne mulctat. ibid. Monasterii solenniter inauguratur. p. 180. Obsidet Monasterium, Joanne de Buren, & Hermanno de Mengersen Dynastis Paderbornensibus strenuè colluctantibus. p. 190. è Diœcesi expellit Comites Oldenburgicos, & eorum Comitatum vastat. p. 238. Majores Ordines, & Consecrationem Episcopalem suscipit. p. 249. Doctrinam Lutheranam introducere studet in Diœcesin Monasterienſem. p. 263. Cui se acerrimè opponunt status Diœcesani. ibid. Quibus ille respondet, se vi acturum nisi sponte consenserint, minantibus contra statibus depositionem ab Episcopatu, siquid attentet contra fidem Catholicam. p. 263, & p. 264. Episcopus, & Ordines utrimque discedunt cum indignatione. p. 264. Permittit Lutheranismum introduci in urbem, & Diœcesin Osnabrugensem. ibid. Perseverat in hæresi Lutherana. p. 269. Exuitur possessione arcis, ac præfecturæ Delmenhorstensis. p. 290. Citatur Romam à Pontifice ad purgandum se de susceptra hæresi Lutherana. Ibid. Pro eo intercedunt Ordines patriæ Monasterienſis, & sententiam privationis intercipiunt. Ibid. Ad Catholicam fidem redit. p. 296. Quam jubet in urbe, & Diœcesi Osnabrugensi recipi. Ibid. Synodum Diœcesanam Osnabrugi celebrat. p. 297. Rejicitur ab Ordinibus Diœcesanis. p. 321. Ejusdem mors, laudes, & vitia. p. 321.

Franciscus I. Galliæ Rex renovato cum Venetis fœdere proficiscitur in Italiam. p. 66. Helvetos feliciter cædit, & Mediolanensem Ducatum recuperat. p. 66. Ambit vacantem Imperii thronum. p. 84. Invadit & occupat Regnum Navarræ. p. 94. Cujus possessione exuitur. Ibid. Ejicitur etiam è Ducatu Mediolanensi. Ibid. Ante Papiam ingenti clade prostratus capitur à Cæsareis. p. 110. Abducitur in Hispaniam. p. 111. Libertati restitutus non modò non reddit Burgundiam, sed fœdus percutit etiam cum Pontifice, & Venetis. p. 120. Recipit filios à Carolo, & ejus Sororem Eleonoram ducit uxorem. p. 150. Turcarum Imperatorem incitat ad invadendas

das oras Italiæ. p. 225. Cum Wilhelmo Clivensi invadit Cæsarem quinis exercitibus, sed fructu exiguo. p. 254.

Franciscus Sfortia moritur, & Ducatûs sui hæredem scribit Carolum V. Imperatorem, unde nova hunc inter, & Regem Galliæ bella. p. 202.

Franciscus Episcop. Mindensis moritur. p. 143.

Francofurti conveniunt Legati Septemvirorum in causa Truchsesii. p. 497. In hoc conventu quid actum. p. 498. & p. 499. Legati Septemvirorum sententiam ferunt pro Ernesto Bavaro, belli tamen evitandi causâ offerunt pensionem annuam, quæ à Truchsesio recusatur. p. 499.

Francofurti pro tutanda concordia conveniunt Catholici & Acatholici Principes. p. 239. Ubi denique feriuntur induciæ quindecim mensium, intra quos controversiæ fidei utrimque â Theologis discutiantur, si id Cæsar approbet. p. 240. Induciæ tamen illæ, & congressus Theologorum dissuasu Pontificis reprobantur. Ibid.

Franciscanus metu suspendii fidem abnegat, factúsque miles eodem anno furtorum causâ suspenditur. p. 418.

Fridericus Elector Palatinus, â fide catholica deficit. p. 276.

Fridericus Elector Palatinus, Dux Wittenbergicus, & urbes variæ Carolo Imperatori se submittunt, dissoluto jam Saxonis, & Landgravii Hassiæ exercitu. p. 279.

Fridericus Elector Palatinus Calvinismum in suas terras introducit. p. 375. In Comitiis Augustanis recipitur inter assecias Confessionis Augustanæ. p. 379.

Fridericus Episcopus Monast. urbem Wildeshusanam destruit levi de causa, indignantibus aliis. p. 144. Transigit cum Erico Episc. Paderb. & Osnab. de Episcopatu suo dimittendo. p. 156.

Friderici Episcopi Hildesiensis & Slesvicensis mors. p. 336. Ecclesiæ Hildesiensi cum damno præfuit. ibid.

Fridericus, Frater Henrici Bremensis Archiepiscopi, cum Antonio Comite de Schawenburg strenuè militat contra Truchsesium. p. 485.

Fridericus Holsatiæ Dux Episcopus Hildesiensis. p. 309.

Fridericus Saxo censet standum pro Carolo V. p. 85. Moritur Catholicè. p. 115.

Frisia depulso Geldro magna ex parte se submittit Carolo V. Belgarum Principi. p. 71.

DE Fürstenberg (Theodorus) fit Paderbornæ Cathedralis Ecclesiæ Præpositus, & confirmatur ab Episcopo. p. 440.

DE Fürstenberg (Theodorus) eligitur Episcopus Paderbornensis. p. 516. Confirmatur â Sixto V. Papa. Ibid. Paderbornæ Gymnasium 5. Scholarum, olim â Salentino Episcopo institutum tradit Patribus Societatis Jesu. p. 517. Ritu solenni urbem ingreditur. p. 519. Cathedrali Capitulo suo concedit locum supplicii criminalis prope Lipspringam. p. 520. Magnopere studet restituendæ Religioni Catholicæ, & redimendis præfecturis, ære alieno pressis. p. 533. â Monasterii Bodekensis Priore accipit Cosmodromium Gobelini Personæ, quod postea Collegio Societatis Jesu donavit. p. 539. Suscipit Sacerdotium, & ordinem Episcopalem. p. 542. Ædificat arcem Neuhusanam. p. 548. Emit Paderbornæ vetus ac desertum cœnobium Conventualium S. Francisci. p. 559. Donat illud Patribus Societatis Jesu in usum Collegii futuri. p. 560. item 565. Donatio illa confirmatur â Clemente VIII. Papâ. p. 562. Calvinianum verbi Ministrum expellit ex oppido Büren. p. 580. Pastores communionem sub utraque specie ministrantes, pane, & aquâ castigat. p. 580. Pro ædificando Collegio Patrum Societatis Jesu primum lapidem solenniter ponit. ibid. Celsissimo Principi comœdia exhibita. p. 581. Transigit improspere cum Hassiæ Landgravio de monasterio oppidóque Helmershusano, aliisque bonis inferioris Hassiæ. p. 586. Nobilibus & aliquot urbibus negat

gat libertatem Religionis. p. 587. Collegii ædificandi labores resumi jubet. p. 588. Forense templum Paderbornæ Lutheranis occludi jubet, & Hermannum Tunnekenium Apostatam arceri ab ejusdem aditu. p. 603. Idem Theodorus Episcopus inquirit in cives illos, qui Forense templum Paderbornæ reseraverant: pænam verò in aliud tempus reservat. p. 611. Impetrat Romæ, ut medietas bonorum Falckenhagensium attribuatur Collegio Societatis Jesu. p. 616. Perficit exteriorem ejus fabricam. p. 624. Evulgat novum librum ritualem. p. 625. Rejicitur hic à duobus pagis. Ibid. Respondet ad querelas à Dominis de Spiegel & Mengersen delatas. Ibid. Censurâ Ecclesiasticâ ferit Decanum ab Horst, & quare. p. 626. Vetat, ne in proxima senatûs electione deligatur quisquam è duabus partibus dissidentibus. p. 633. Wichardium in carcere civili custodiri jubet. p. 636. Theodorus Episcopus Paderbornensis, lenitate frustra tentatâ, bellum indicit rebellanti Paderbornæ. p. 651. Ejusdem stratagema in terrendo urbem. p. 653. Novum fidelitatis juramentum accipit à civibus Paderbornensibus. p. 757. Idem Sacellum Romanum ruinosum instaurat. pag. 665. Diœcesanos suos variis modis ad opem è cælo contra hostes petendam instigat. p. 674. Idem leniùs procedit cum suspectis de hæresi. p. 682. Arcem Wewelsburgensem à fundamentis inchoatam absolvit. p. 684. Heristallum redimit. p. 691. Theodorum inter & Decanum Majorem controversia componitur. p. 691. Comparat locum commodiorem pro instruenda juventute. p. 705. Mira circa illud Dei Providentia. Ibid. Ejusdem gaudium ex resipiscentium civium Paderbornensium pietate. p. 710. Theodorus Episcopus Paderbornensis interdicit privatas ædes, in quibus clàm Paderbornæ pueri hæresin docebantur. p. 715. Non audit hæreticos, pro aperiendis scholis privatis supplicantes. Ibid. & p. 716. Ejusdem pietas erga Beatam Virginem. p. 716. Clerum corrigit. p. 719. Pellicem deprehensam puniri jubet. Ibid. Exilium Paderbornæ indicit Hæreticis. p. 720. condit Gymnasium Paderbornense. p. 722. Fundat domum probationis pro PP. Societatis Jesu. Ibid. Theodorus Episcopus suî loco mittit Ratisbonam ad Comitia Jodocum à Landsberg p. 726. Ejusdem sollicitudo de Theologia & Philosophia humanioribus studiis adjungenda. p. 727. Punit severissimè libidinosum juvenem. p. 728. Fundat Academiam Paderbornensem. p. 732. Statua ejusdem elegans in medio alæ Gymnasii orientem versùs. p. 737. Idem dat scribam secularem monasterio Bödecensi & Dalheimensi. p. 759. Moritur. p. 762. Breve ejusdem elogium. ibidem.

G

Galliæ Rex remittit suos in Italiam. p. 59.

Galli Italiam & Ducatum Mediolanensem coguntur deserere. p. 57. Cæduntur ab Helvetis in Italia. p. 60. Obsidentes rursus Mediolanum cæduntur à Cæsareis. p. 97. Eorum exercitus Papiam & Alexandriam recuperat. p. 129. Qui ante Neapolim peste consumitur. p. 134.

Galli & Clivii Cæsarem adoriuntur in Belgio. p. 258.

Galli à Cæsareis magnâ clâde cæduntur in Hetruria. p. 325.

Galli mutant æram suam. p. 373.

Gallorum discordia in designando novo Rege. p. 545. Galli Feram, oppidum Picardiæ, occupant. p. 579.

Gaukirchense monasterium reformatur. p. 4. Adstringitur ad ordinem S. Benedicti. Ibid. Monasterii reformatio confirmatur à Leone X. Pontifice. p. 5.

Gebhardus Truchsesius fit Archiepiscopus Colonienſis. p. 444. Publicam Religionis Catholicæ professionem facit. p. 445. Confirmatur à Pontifice. p. 445. Ejusdem impurus amor in Agnetem Mansfeldicam. p. 755. Inter hos amores simulat ardorem Fidei Catholicæ. p. 468. Promittit matrimonium Amasiæ suæ. p. 474. Frustra conatur evince-

re, ut magistratus Colonienſis permittat o-nibus libertatem Religionis. p. 475. Idem in Comitiis Auguſtanis fruſtra conatur e-vincere, ut ſibi permittatur matrimoni-um, Archiepiſcopatui ſuo conjunctum. p. 475. In Ducatu Weſtphaliæ degens ex-ternè ſimulat, ſe Catholicum eſſe. p. 476. Occultè ibidem ſtudet apoſtaticas machi-nationes ſuas ſtabilire. p. 477. Bonnam redit cum ingenti comitatu militum. Ibid. Conſilia confert cum Henrico Adminiſtra-tore Paderbornenſi. Ibid. Multa loca circa Bonnam firmat præſidiis. Ibid. Pub-licè profitetur Apoſtaſiam. p. 478. à Pa-pa, Imperatore & ſubditis fruſtra moni-tus matrimonium init cum Agnete ſua. p. 482. In tota diœceſi libertatem Religio-nis permittit. p. 482. à Gregorio Papa ſuo Archiepiſcopatu dejicitur. p. 486. Ejus fautores dignitatibus Eccleſiaſticis exuuntur. p. 486. Ipſe Bonnâ abit in Naſſoviam. ibid. Indè in Weſtphaliam. p. 487. Gebhardus Truchſeſius auditâ Erneſti Bavari electione velut inſanus ur-bem percurrit, & omnes Proceres Catholi-cos expellit. p. 493. Satrapiam Bilſtei-nianam invadit. p. 495. Attendornam urbem â Religione Catholica abſtrahit, & Paſtorem cum tribus Vicariis ad Ma-trimonium ineundum adigit. p. 495. E-jusdem ſacrilegia variis in oppidis. p. 496. Idem adveniente Ferdinando Duce Bava-ro recedit verſùs Weſaliam & Zutpha-niam. p. 507. Fugit cum ſuis in Hol-landiam ad Wilhelmum Principem Arau-ſiacum. p. 508. Ejusdem miſeria creſcit ex morte Ducis Alenſonii, & cæde Prin-cipis Orangii. p. 509.

Gebhardus de Truchſes, quondam Ar-chiepiſcopus Colonienſis & Calvinianus Apoſtata infeliciter moritur. p. 622.

Georgius Saxoniæ Dux, Catholi-cæ Fidei retinentiſſimus, moritur. p. 241. Henricum fratrem, & ejus filios à ſucceſ-ſione in ditiones ſuas prohibet, niſi ad Fi-dem Catholicam redeant. Ibid.

Georgius Zrinius Petriniam & Ba-botziam Turcis eripit. p. 575.

Gerardus de Reck Ahlenſium pe-cora ſub concione Lutherana ſilenter abi-git. p. 184

Gerardus Epiſcopus Leodienſis moritur. p. 468.

Gerardus Rôtekenius, Paderbor-næ Concionator, edit librum de cerimo-niis veteribus. p. 361. Fruſtra hic impug-natur ab Hamelmanno. Ibid.

Gerdenſe oppidum excepto mo-naſterio per incendium deſtruitur. p. 73. Idem oppidum rurſus conflagrat, ſalvo cœnobio Virginum. p. 223.

Geſeka in Ducatu Weſtphaliæ ab Hollandis diripitur. p. 551. Eandem in urbem introducitur exercitium Religionis acatholicæ. p. 492. Pulſo in exilium Wer-nero Schlaun. Ibid.

Geuſii vincunt Hiſpanos in Belgio prælio navali. p. 425. Paulo pòſt vincun-tur prælio campeſtri, cæſis eorum duci-bus. Ibid. & p. 426. Geuſii in congreſ-ſu rejiciunt pacis conditiones in Belgio. p. 431.

Godefridus de Raësfeld Mona-ſterienſis Eccleſiæ Decanus mo-ritur. p. 526.

Gorcomienſes Martyres. p. 417.

Gothæ, urbis, obſidio & deditio. p. 384.

Gropperus (Joannes) S. R. E. Cardinalis deſignatus, Romam evocatur. p. 350. Stat pro Imperatore Ferdinando. Ibid. Vocatur in ſuſpicionem hæreſis. p. 351. Defendit ſe. Moritur. Ibid. Ab ip-ſo Pontifice oratione funebri laudatur. Ibid.

Graſius Anabaptiſta promittit ſe ſuorum conſilia prodituram, acceptâ vi-tæ gratiâ. p. 200. Monaſterium redux aſtutiſſimè fallit Anabaptiſtas. Ibid. De-claratur Propheta, & à Rege diſcit arca-na omnia. Ibid. Fingit ſibi à Deo man-datum eſſe, ut alibi omnes Anabaptiſtas ad urbem liberandam colligat. p. 201. Accipit à Rege literas fidei ſuæ teſtes, & abit. Ibid. Graſius Anabaptiſta Mona-ſterio egreſſus Iburgum venit, & Franciſ-co Epiſcopo detegit omnia Anabaptiſta-rum conſilia. p. 202. Mittitur Weſaliam, ubi ipſius proditione plures Anabaptiſtæ capiuntur, & puniuntur. p. 203.

Gregorius XIII. Papa creatur. p. 415. Romæ fundat Collegium Ger-manicum.

manicum. p. 423. Calendarium Julianum corrigit. p. 471. Non sine magna Acatholicorum invidia, & contradictione. p. 472. Idem Capitulum Paderbornense & Canonicos datis literis adhortatur, ut pergant resistere Episcopo Lutherano & Patres Societatis Jesu apud se retinere. p. 504. Audit Legatos Principum Catholicorum è Japonia. p. 510. Obit magna cum laude. p. 511.

Gregorius XIV, Papa eligitur. 545. Moritur. p. 556.

Grevenburgum domus nobilis Dominorum de Oynhausen hoc anno conditur. p. 223.

Grôningenses rejecto Geldro se submittunt Imperatori. 218.

Grumbachii scelera. p. 383. Ejusdem pœna. p. 384.

Günterus, Wichardii socius, cum aliis factiosorum ablegatis coram Ecclesiæ Cathedralis Capitulo studet excusare conventicula, à se suisque instituta. p. 631. Refutatur ab Arnoldo ab Horst, Decano. p. 632. Negotiorum causâ Neuhusium veniens jussu Principis comprehenditur, & custoditur. p. 635. Dimittitur erga datam cautionem bis mille imperialium. p. 639.

H

Hariadenus Barbarossa Turcarum Archithalassus Regnum Tunetanum occupat, depulso Rege Muleasse. p. 187. Gravia mala minatur Hispaniæ, & Italiæ, sed anno sequente ejicitur regno Tunetano à Carolo, Muleasse restituto. p. 187.

Hadrianus Pontifex Maximus eligitur. p. 97. Hadriano petenti, ut Principes Imperii pareant decreto Wormatiensi contra Lutherum, frigidissimè respondetur. p. 101. Moritur. p. 104.

Hagenoæ & Wormatiæ varii congressus Principum pro tentanda eorum concordia sinè fructu habiti. p. 245.

Haghmeisterus (Balthasar) Flechtorpiensis Monasterii ultimus Abbas. p. 352. Accepto regimine malè vivit. Ibid. Revocatus ad Monasterium Liesbornense aufugit. p. 352. Infeliciter moritur. p. 353.

Hallenberga deficit à fide Catholica. p. 487.

P. Halverius (Christianus) S. J. Heiligenstadio mittitur Paderbornam. p. 463. Item Pater Stephanus Lohn S. J. p. 464. Item P. Leonardus Rubenus S. J. Ibid. Patrum illorum unus evocatur ad Monasterium Gerdense & in Marienmünster. p. 465.

Hardenradii Consulis Colonienſis singularis magnanimitas. p. 703. & p. 704.

Harlemenses à Duce de Alba obsidentur. p. 422. Eorum impietas. p. 422. Coguntur se dedere. Ibid. Dant pœnas scelerum. Ibid.

Hassicus Miles colligitur in terra Fuldensi, indè traducitur in Diœcesin Paderbornensem. p. 606. Cum Brunsvicensibus, & aliis in unum Exercitum confluit. p. 601. Cæditur ab Hispanis. p. 609.

Helena Fresken Abbatissa Confugiensis ex Judicio Cameræ Imperialis contra Landgravium Hassiæ impetrat mandatum pœnale de restituendo monasterio. p. 230.

Helmershusenses Monachi dissolutè vivunt. p. 14. Cum Abbate Apostatant. p. 123. Abbatum Helmershusensium Catalogus. p. 125.

Heltius ostendit Principibus Lutheranis iniquissimum fore, si actiones judicii Cameralis in ipsorum causis aboleantur. p. 226. Exponit etiam voluntatem Cæsaris de concilio celebrando Mantuæ. p. 227. Sed illius propositiones displicent Principibus Lutheranis. Ibid.

Henricus Abbas in Marienmünster moritur. p. 297. Ejus elogium. Ibid.

Henricus Administrator Paderbornæ cum ingenti Religionis damno permittit libertatem doctrinæ Lutheranæ. p. 449. Paderbornensem Diœcesin ingreditur.

ditur. p. 450. Saltzkottenæ componit lites aliquas, novásque molas ædificari jubet. Ibid. Hiatus in Alma Fluvio â Bodecensibus obturatos pro Saltzkottensium commodo recludi jubet. p. 451. Ejusdem Impurus amor in Annam Bestorpiam. p. 456. Monasterium venit ad consequendam insulam illius loci. p. 465. Repellitur ab Adveniente Wilhelmo Clivorum Duce, ejusque Filio Joanne Wilhelmo. Ibid. Colonia discedit. p. 485. Oscitanter Pyrmontum obsidet, & brevi ab eo recedit, & quare. p. 502. Idem frustra conatur Juniores Canonicos adigere ad amplexum Confessionis Augustanæ. p. 502. Item Patres S. J. â scholis & urbe amovere. p. 503. Cum Patres S. J. vult ejicere, inopinâ morte prævenitur. p. 511.

Henricus VIII. Angliæ Rex recedit â fœdere Cæsareo, & Hispanico. p. 64. Consilio Thomæ Volsæi petit Matrimonium suum cum Catharina declarari irritum, p. 211. Excommunicatur â Pontifice. p. 212. Exigit â suis impiissimum duplex juramentum. p. 213. Moritur. p. 291.

Henricus, Dux Brunsvicensis â Principibus Protestantibus exuitur omnibus ferè provinciis. p. 255. In cujus terras Lutherana doctrina introducitur â Saxone & Hasso. p. 256. Qui sententiam Cameræ Imperialis contra se latam contemnunt. Ibid. Catholicus tentat recuperare suum Ducatum. p. 273. Sed ab Hasso & aliis fœderatis unà cum Filio suo capitur. p. 273.

Henricus Junior, Dux Brunsvicensis, Catholicæ Religionis vindex acerrimus moritur. p. 392.

Henricus Dux Luneburgensis frustra monet Franciscum Episcopum Mindensem, ut se retrahat â factione Salderorum. p. 87.

Henricus Episcopus Mindensis moritur. p. 41.

Henricus Episcopus Ultrajectinus Ultrajectensem Provinciam Cæsari transcribit sub certis conditionibus. p. 134.

Henricus II. Galliæ Rex impedit, ne consilium resumatur in urbe Tridentina. p. 292. Contrarium postulantibus Cæsare, & Principibus Ecclesiasticis. Ibid. & p. 293. â Concilio Tridentino prohibet omnes Episcopos Galliæ. p. 306. Rhætos, & Helvetos ab accessu Concilii dehortatur. p. 307. Cum Saxone & quibusdam aliis Protestantibus fœdus init pro defendenda contra Cæsarem libertate Germanica. Ibid. Fœdus illud percutitur Fridewaldiæ in Hassia cum Saxone, Hasso, & Alberto Marchione Brandeburgico. p. 307. Occupat Tullum, Virdunum, & Metas. p. 311. Treviris rejicitur. ibid. Tentat Argentoratum. ibid. Irruit in Regnum Neapolis cum Paulo VI. Pontifice. p. 341. Invadit Belgium. Ibid. Suorum clades in Picardia. ibid. Revocat Milites ex Italia. p. 342. Moritur. p. 354.

Henricus III. jam coronatus Poloniæ Rex, fit Galliæ Rex. p. 425. Cogitur ad pacem cum Hugonottis ineundam. p. 434. Jubet obtruncari Henricum Guisium Ducem, & ejus fratrem, Cardinalem, & Archiepiscopum Remensem. p. 536. Fœdus contrahit cum Henrico Rege Navarræ. p. 450. Per insidias trucidatur, & moritur in fide Catholica. p. 540.

Henricus Lawenburgensis Dux, Chor-Episcopus Colonienſis moritur. p. 526.

Henricus Navarræ Rex capitur â Cæsareis. p. 110. è custodia clàm elabitur. p. 111. Nuptias agit Parisiis cum Margareta Regis Galliæ Sorore. p. 419.

Henricus Navarrus contra Mayennium feliciter pugnat. p. 545. Parisios obsidet. p. 546. Professionem fidei publicè edit. p. 564. Inducias armorum paciscitur cum Duce Mayennio. Ibid. Vulneratur â Joanne Castellio. p. 567. Bellum indicit Regi Hispaniæ. p. 575. Revocat in Galliam Jesuitas, ante novennium ejectos. p. 640.

Henricus IV. Galliæ Rex necatur. p. 706.

Henricus Saxoniæ Dux in ditiones

nes Georgii fratris sui succedit, & fidem Catholicam è terris ejicit, contrà, ac moriens frater testamento caverat. p. 241.

Henricus Saxo-Lawenburgicus Bremensis Archiepiscopus postulatur Osnabrugi magno istius Ecclesiæ malo Episcopus Osnabrugensis. p. 428. Item Episcopus Paderbornensis. p. 443. Episcopatum Monasterienſem adipisci frustra nititur. p. 447.

Henricus Zutphanius Apostata vivus exuritur. p. 108.

Heristallum à Theodoro Episcopo redemptum. p. 691.

Hermannus à Geismar ad Fidem Catholicam à Jesuitis convertitur. p. 554. & p. 555. Idem totam penè urbem Warburgensem ad veram Fidem reducit. p. 555.

Hermannus Archiepisc. Colonienſis, Ecclesiæ Paderbornensis Administrator, cum Joanne Duce Clivienſi pacem restituit inter Oldenburgicos & Monasterienses. p. 238. Inter Colonienses & Paderbornenses componit litem de jurisdictione in Erwitte & Westerenkotten. p. 239. Fidem Catholicam deserit seductus à Bucero. p. 257. & p. 261. Caroli Imperatoris monitu Præcones Lutheranos à se dimittit, sed paulò pòst revocat. p. 262. Reformationem â se inceptam protervè continuat, Clero Colonienſi & Statibus diœcesanis propterea ad Cæsarem appellantibus. p. 269. Luthero perditè addictus conatur etiam doctrinam hæreticam infundere Paderbornæ, reluctantibus Statibus P..riæ. p. 272. Hæreticus à Pontifice exauguratur. p. 280. & à Carolo Imperatore utrumque Episcopatum abdicare cogitur. p. 281.

Hermannus Hassiæ Landgravius Ecclesiæ Paderbornensis Administrator celebrat Paderbornæ diem feudalem. p. 7 Ab eo fúa feuda recipiunt Comes de Schaumburg, & Comes de Lippia. p. 8. Init fœdus cum Conrado Episcopo Monasterienſi contra Prædones de Guardia nominatos. Ibid. Erigit novum beneficium Ecclesiasticum Huxariæ. p. 19. Partem castri Kruckenbergensis, & oppidi Helmershusani redimit à Wintzingerodiis. p. 29. Confirmat fundationem & privilegia monasterii Virginum in Brede. Ibid. Gravissimè commovetur contra Delbrugenses. p. 30. Consecrat Ecclesiam Parochialem in Beveren. p. 35. à Corbejensibus emit alteram partem oppidi Stadtbergensis. p. 36. moritur. p. 44. Fundatur Paderbornæ annua ejus memoria. p. 47.

Hermannus Simon de Lippia accipit Comitatum Spiegelbergenſem. p. 346. Eidem negatur Comitatus Pyrmontanus. Ibid.

Ab Heusenstam (Sebastianus) eligitur Archiepiscopus Moguntinus. p. 275.

Hildesienſis belli origo. p. 86. Eadem diœcesis infestatur à Dominis de Salderen, & Francisco Episcopo Mindenſi. p. 86.

Hildesii Scholæ PP. Soc. JEsu inficiuntur arte magicâ. p. 667. Hildesii tumultus. Ibid. Grassatur pestis. p. 705. Abrogatur consuetudo frequentandi chorum horâ 12 noctis. p. 705. Ibidem Jesuitæ per calumniam vocantur Huckuppii, p. 756.

Hildesium urbs à Fide Catholica deficit. p. 260.

Hispanica classis, Angliam invasura, tristi infortunio dissipatur. p. 536.

Hispani in seditionem versi, Brabantiam, Flandriam conantur expilare. p. 434.

Hispanorum & Belgarum victoriæ contra Gallos. p. 576. Iidem Gallis eripiunt varias urbes Picardiæ. p. 579.

Hispani, duce Francisco de Mendoza ad Rhenum varia oppida occupant. p. 595. Contra datam fidem Wiricum Oberstcinium interficiunt. Ibid. Multas urbes & oppida in Westphalia vi & metu subigunt. p. 596. Ab aliis Westphaliæ proceribus contributiones postulant. Ibid. Lutheranis aliisque Acatholicis in urbe ac diœcesi Paderbornensi minantur. Ibidem. In Westphalia hibernantes mitiùs agunt cum Catholicis, quàm cum Protestantibus. p. 603. Westphaliam deserunt. p. 606.

Hispani Bredevordam capiunt, sed brevi rursum amittunt. p. 671. Iidem sub

duce Spinola occupant Lochemium, Grollam, Rhenoberckam. p. 671.

Hiſpanorum ſeditio ob ſtipendia non ſoluta. p. 672.

Hohenholtanum Cœnobium convertitur in Collegium Domicellarum ſecularium. p. 344.

DE Hoya (Joannes) confirmatur à Pontifice Epiſcopus Monaſterienſis, & Adminiſtrator Oſnabrugenſis. p. 385. Conſecratur Epiſcopus. p. 386. Poſtulatur Epiſcopus Paderbornenſis. p. 396. Epiſcopus Oſnabrugenſis electus confirmatur à Pontifice. p. 325. Poſtulatur in Epiſcopum Monaſterienſem. p. 381. Vacantis Eccleſiæ Paderbornenſis curam temporariam accipit. p. 397. Martinum Hoitbandum rurſus ab urbe pellit. Ib. Confirmatur Epiſcopus Paderbornenſis uſque ad ſuum & ſedis Apoſtolicæ beneplacitum. p. 398. Accipit à Maximiliano II. Imperatore regalia pro Epiſcopatu Paderbornenſi. p. 399. Neuhuſii cum urbe Paderbornenſi benignè tranſigit de rebus in ſeditione præterita geſtis. p. 400. Solenni ritu Paderbornam ingreditur. p. 401. Monaſterii inſtituit judicium aulicum. p. 402. Paderbornæ curat à ſuis vaſallis accipi novas infeudationes. p. 402. Idem graviſſimè præcipit, ut Oſnabrugi bis in anno celebretur ſynodus diœceſana. p. 405. Idem Paderbornenſi Capitulo mandat, ut omnes Archidiaconi ſuas Eccleſias viſitent, earúmque ſtatum ſibi exponant. p. 406. Jubet Paſtores Acatholicos ex diœceſi Paderbornenſi ejici. p. 408. In diœceſi Oſnabrugenſi, Paderbornenſi & Monaſterienſi jubet promulgari Concilium Tridentinum, & recipi Catechiſmum ex ejuſdem Concilii decreto editum. p. 412. & 413. Accipit à Pio V. facultatem recudendi, & evulgandi Catechiſmum Romanum. p. 413. Idem propter ſuam infirmitatem urget electionem Coadjutoris. p. 414. moritur. p. 426. Ejus ſepultura & laudes. p. 426.

Hoitband (Martinus) Paderbornæ ad S. Pancratium Paſtor à Fide Catholica deficit. p. 386. Diu reluctatus, cogitur urbem deſerere. p. 387. Fugit Caſſellas ad Wilhelmum Landgravium. p. 388. Fit Paſtor Huxariæ. p. 389.

Hollandici Prædones in diœceſi Paderbornenſi contributionem poſtulant. p. 613. In diœceſi Monaſterienſi in ſupplicationem Strombergenſem irruunt. Ib. Crucis Thaumaturgæ imaginem ſacrilegè confringunt. p. 614. Non ſine gravi Numinis vindictâ. p. 614. Occupant Rhenoberckam, Mörſam & loca alia. p. 617.

Hollandi occupant Bredam, urbem Brabantiæ. p. 547. Diripiunt diœceſin Monaſterienſem. p. 550. Paderbornenſem. Ibid. Geſekam & Ducatum Weſtphaliæ. p. 551. Spoliant diœceſin Oſnabrugenſem, & iterum Monaſterienſem, Daventriam, Hulſtam & Neomagum expugnant. p. 553. Invaleſcunt in Friſia, & occupant Gertrudenbergam. 565. Rejiciunt pacem ab Archiduce Erneſto ſibi oblatam. p. 569. Urbem Gröningam capiunt. Ibid. Hollandi Huyum dolo occupant, & rurſus amittunt. p. 576. Grollam fruſtra obſident. Ibid. Magnâ clade afficiuntur. Ibid. Lirâ. Brabantiæ oppido antè occupato rurſus ejiciuntur. p. 577. Ex diœceſi Colonienſi, Oſnabrugenſi, & aliis Weſtphaliæ locis magnam pecuniæ vim prædando extorquent. Ibid. Expugnant Rhenoberckam, Grollam, Oldenſaliam, Lingam & alias urbes, in, & prope Weſtphaliam ſitas. p. 586. Iidem prædantur in Weſtphalia. Ibid. Scluſam, Flandriæ urbem occupant. p. 644. Hollandorum clades illata à Spinola. p. 663. Recipiunt Lochemium. p. 672. à Grolla urbe rejiciuntur per Spinolam. ibid. Weſtphaliam, & Diœceſin Paderbornenſem crudeliter devaſtant. p. 684. Iterum diripiuut diœceſin Monaſterienſem & Oſnabrugenſem. p. 735. Bilefeldiam occupant. Ibid. Affligunt diœceſin Hildeſienſem. Ibid. Scinduntur ob prædeſtinationem & reprobationem. p. 750.

Holthuſanum monaſterium deficit à regulari diſciplina. p. 590. Reformatur. Ibid.

Holthuſius (Georgius) Apoſtata, Concionator Summæ Ædis, & Paſtor ad S. Pancratium Paderbornæ moritur. p. 462.

Hor-

Hornenburgense castrum se subjicit Ernesto Bavaro. p. 508.

AB Hôrsel (Casparus) postulatur Abbas Corbejensis, mortuo Francisco de Ketteler Abbate. p. 291. moritur. p. 335.

AB Horst (Arnoldus) eligitur Paderbornæ in Decanum Cathedralis Ecclesiæ. p. 544. Paderbornæ restaurat in ædificio Gymnasii turrim, â se nuper exstructam. p. 734.

S. Hostia furto sublata è templo venditur Judæo. p. 52. â quo variis punctionibus impetita in tres partes dissilit. duæ partes aliis Judæis mittuntur, tertia pars ab eodem Judæo rursus perforata emittit sanguinem. p. 52. Mittitur in furnum, puer JEsus apparet. p. 53.

Hudensis monasterii Abbas, & monachi ad Lutheranismum transeunt. p. 233.

Hugonotti in Gallia barbarè desæviunt in sacerdotes. p. 399. Cæduntur duobus præliis. p. 403.

Hugonotti adiguntur ad novam pacificationem Catholicæ Religioni magis faventem. p. 447.

Hungariæ miser status, & Christianorum clades propè Segedinum. p. 315.

Huttenus (Udalricus) orator Saxonicus incitatus à Luthero dissuadet bellum in Turcas. p. 80.

Huxaria à Philippo Brunsvicensi mulctatur. p. 319.

Hyems mitissima sine frigore & nivibus. p. 309.

Hyems lenis, & inde secuta pestis. p. 988.

I

Jacobi Campensis Amstelodamensium Episcopi Anabaptistæ horrenda mors, ac supplicium. p. 205.

Jacobus Scotorum Rex, Angliæ Rex proclamatur. p. 639.

Iburgum diripitur à Philippo magno, Henrici Brunsvicensis filio. p. 316.

Jesuitæ vocantur Fuldâ & Heiligenstadio Paderbornam. p. 463. Illis assignatur Sacellum S. Bartholomæi, cum aliqua domo vicina. p. 464. Iidem Patres Paderbornæ salutem animarum promovent cum ingenti fructu. p. 478. à Patre Provinciali avocandi, Capituli interventu in cœpta statione manent. Ibid.

Jesuitarum PP. Paderbornæ labor in hominibus convertendis. p. 538. Iidem veniunt monasterium Westphaliæ, & Gymnasii institutionem obtinent. p. 539. Jesuitæ innocenter jubentur exulare totâ Galliâ. p. 568. Cognitâ ipsorum innocentiâ magnis honoribus revocantur. p. 568. Paderbornæ gravem persecutionem à civibus patiuntur. p. 603. Revocantur in Galliam, eorum primum in urbe Flexia collegium. p. 641. Meliore domicilio donantur. p. 666. Eorum variæ persecutiones. Ibid. Habentur Hildesii authores artis Magicæ, ibidem introductæ. p. 667.

S. Ignatii de Lojola mors. p. 340.

Imperium dividitur in circulos. p. 57.

Incendium Paderbornæ. p. 748. Item Monasterii. Ibid.

Innocentius IX. Papa eligitur. p. 556. Eodem anno moritur. Ibid.

Inundationes aquarum magnæ, & annonæ caritas in Diœcesi Paderbornensi, & alibi. p. 243. Sed messis præmatura subsecuta. p. 244.

Joachimus II. Elector Brandeburgicus Lutheranam doctrinam recipit, ità tamen ut plerique missarum ritus retenti fuerint. p. 242. Per suos oratores Consilio Tridentino offert obedientiam. p. 306. Idem cupientissimus restituendæ concordiæ religionis p. 306.

Joannes Adolphus Holsatiæ Dux, Puer decennis eligitur Archiepiscopus Bremensis. p. 513.

Joannes Austriacus Cum classe Christianorum seriùs advenit. p. 410. Turcas profligat. ibid. Præda Christianorum, & clades hostium. p. 411. Idem Belgii gubernator constituitur. p 446. declaratur

tur à Belgis Patriæ hostis. p. 446. Fœderatos fundit. p. 452. Occupat multas urbes. ibid. moritur. ibid.

Joannes Casimirus Comes Palatinus Catholicam fidem frustra extirpare Conatus moritur. p. 558.

Joannes III. Clivensium Dux inopinò moritur. p. 243.

Joannes Comes Ritbergensis Paderbornam expugnat. p. 635. Ejusdem Magnanimitas. ibid. Plectendo scelera studet promovere Religionem Catholicam. p. 709.

Joannes Comes Sigenensis ad Catholicam fidem convertitur. p. 736.

Joannes Dux Clivensis capit aliquos Mercatores Monasterienses. p. 82. Frustra petit restitui Comiti Nicolao Lingensem Dynastiam. ibid.

Joannes Elector Saxoniæ favet Luthero. p. 115. Moritur, jusso prius Joanne Friderico Filio Catholicam religionem restituere ejecto Luthero, & aliis Apostatis. p. 159. Joannes Filius promittit hoc Patri morituro, & certiores de hoc facit Wilhelmum & Ludovicum Bavariæ Duces. Ibid. Illius hac de re literæ. p. 160. Mutatâ mente ad Lutheranismum resilit. p. 162.

Joannes Episcopus Hildesiensis invadit, & occupat Diœcesin Mindensem. p. 87. Indè convertit sua arma contra Duces Brunsvicenses. Ibid. Abdicat Episcopatum, & vitam privatam agit. p. 131.

Joannes Fridericus Elector Saxoniæ à Carolo Imperatore vincitur, & capitur. p. 286. Exuitur dignitate septemvirali, terrisque Electoralibus. p. 288. Idem à Cæsare è custodia dimittitur. p. 312.

Joannes Fridericus Saxoniæ Dux obsidetur in urba Gotha, & quare. p. 383. Perpetuæ captivitati addicitur. p. 384. & p. 385.

Joannes Gebhardus Comes de Mansfeld eligitur Archiepiscopus Colonienſis. p. 352. Moritur. p. 367.

Joannes Saxo, & Philippus Hassiæ Landgravius conscribunt ingentem exercitum contra Catholicos. p. 135.

Joannes Wilhelmus Juliæ, Cliviæ & Montium Dux Coadjutor Monasterienſis postulatus. p. 424. Fit Episcopus Monasterienſis. p. 428. Ejusdem resignatio à Gregorio Pontifice pronunciatur irrita. p. 448. Idem deponit Administrationem Episcopatûs Monasterienſis. p. 518. Matrimonium init cum Jacoba Marchionis Badensis Filia. Ibid. è suis ditionibus heterodoxam Religionem ejicit. p. 615. moritur. p. 698.

Jubileum celebratur Romæ insolito accursu hominum. p. 431.

Jubileum primum Lutheranorum. p. 749. Jubileum à Paulo V. indictum. p. 750.

Judæi omnes proscribuntur ex Marchia Brandenburgensi. p. 53.

Julius Dux Brunsvicensis Mindensem Insulam abdicat. p. 323. Catholicam Religionem è ducatu rejicitur. p. 393.

Julius II. Romanorum Pontifex succedit Pio III. p. 22. Dat PP. Franciscanis licentiam transferendi monasterium in urbem Bilefeldiam. p. 38. Confirmat Erici Brunsvicensis postulationem ad Episcopatum Paderbornensem. p. 47. Frustra nititur Cæsarem retrahere à fœdere Cameracensi. p. 53. & p. 54. Moritur. p. 60.

Julius III. electus Pontifex confirmat Societatem Jesu, & mandat resumi Concilium Tridentinum. p. 301. moritur. p. 60.

Julius Philippus fit Coadjutor Episcopus Paderbornensis. p. 318.

K

De Kerssenbroich (Rembertus) Paderbornæ Episcopus eligitur, & confirmatur. p. 284. Literæ Pontificis ea de re ad divertos. p. 285.

De Ketteler (Gothardus) Supremus Magister Ordinis Teutonici in Livonia à Fide, Ordine, & Imperio deficit. p. 364. A Sigismundo Au-

Augusto Poloniæ Rege creatur Curlandiæ Dux. p. 364.

De Ketteler (Wilhelmus) fit Episcopus Monasterienſis. p. 322. à ſede Pontificia confirmatur. p. 326. Urbem ſolenni pompâ ingreditur. p. 334. Episcopatui renunciat. p. 343.

Kircherus (Athanasius) Novitius Societatis Jesu per miraculum ſanatur. p. 769. Ejus morbus & cauſa morbi. ibid.

Knipperdollingius Monasterii Weſtphaliæ turbas agit, & illudit Episcopo. Captivus liberatur è carcere majoris capituli. p. 132. Animat Cives Monasterienſes contra obſidentem Episcopum. p. 190.

Knipperdollingius capitur. p. 209.

Krechtingius capitur. p. 209.

Knipperdollingius, & Krechtingius cum Rege ſuo ludibrii causâ per varias urbis plateas deducti, in diverſos carceres compinguntur. p. 211.

L

Ladislaus Hungariæ Rex miſere occumbit. p. 122.

S. Landelini Reliquiæ ex deſolato Monaſterio Flechtorpienſi auferuntur, ac transferuntur in Odacker. p. 584.

Landgravius Haſſiæ graviſſimas minas intentat Episcopatui Paderbornenſi. p. 230. Capituli Cathedralis reſponſa ad minas. p. 231.

Langenſtratius (Joannes) Miles transfuga docet modum capiendæ Urbis Monaſterienſis. p. 207.

Lemgovia Urbs in Comitatu Lippienſi per ſeditionem publicam recipit Lutheri dogmata. p. 149. Sed reducitur paulò pòſt ad fidem Catholicam. p. 150.

Lemgovienſe Monaſterium PP. Franciſcanorum Strictioris Obſervantiæ occluditur à Lutheranis. p. 362. Extinguitur. ibid.

Lemgovienſes detrectant Calviniſmum admittere. p. 692. Doctorem Dreckmeyerum ab urbe pellunt. p. 692.

Leo X. ſuccedit Julio Pontifici. p. 60. moritur. p. 97.

Leo XI. Papa eligitur. p. 662. Eodem anno moritur. p. 662.

Leydenſis (Joannes) Iburgum deductus protervè reſpondet Episcopo. p. 210. Tumultum veritus, creat 12 Duces, & promittit Urbem liberandam ab obſidione circa Paſcha. p. 206. Capitur. p. 209.

Liber famoſus de Jeſuitis, quod per ipſos Henricus IV. Rex Galliæ occiſus eſſet, aliiſque plenus calumniis venalis exponitur à Bibliopola Paderbornenſi. p. 711. Pœna hominis. ibid.

Lichtenoa oppidum funeſto incendio conflagrat. p. 274.

De Liebenſtein (Jacobus) Archiepiſcopus Moguntinus. p. 27. Moritur. p. 43.

De Lippia Comes (Bernardus) moritur. p. 54.

De Lippia Comes (Bernardus) in diœceſi Paderbornenſi invadit Pagum Entorp, & turiculas inde abducit. p. 270.

De Lippia Comes (Bernardus) Promotor Lutheraniſmi. p. 338. moritur. p. 369.

De Lippia Comes (Simon) impetrat ut ipſe carens prole maſculâ, & poſteri per duas vices nominare poſſint ſucceſſorem. p. 79.

De Lippia (Simon) Comes vir pientiſſimus moritur. p. 222.

De Lippia (Simon) Comes cum Haſſis & Brunſvicenſibus fruſtra tentat Rhenobergkam. p. 607. Embricam, & Gennepiam, ab Hiſpanis evacuatam præſidio firmat, & indè prædabundus excurrit in Brabantiam. p. 608. Admiralio ea de re conqueſto ſuperbè reſpondet ibid. Ejusdem exercitus ante Rëeſam fame horrendâ premitur. p. 609.

Lippienſis Comes (Simon) Calviniſmum amplectitur. p. 689. Conatur urbes ſuas ad Calviniſmum cogere, ſed deſertus ab Hollandis & Haſſis cœpto abſiſtit. p. 693.

Lippienſis Comitatus ad Lutheri doctrinam relabitur. p. 315.

Lipſius (Juſtus) moritur. p. 681. Ejuſdem vita defenditur contra calumniatorem. ibid.

Lipſtadium pervertitur â duobus Monachis Auguſtinianis. p. 130.

Lipſtadium à Duce Clivenſi, & Comite Lippienſi circumvallatur, & capitur, expelluntur ſeductores, Cives promittunt ſe manſuros in fide Catholica. p. 149.

Literæ fundationis Collegii Societatis Jeſu Paderbornæ. p. 658.

Literæ Pontificis de Univerſitate Theodoriana ad Paderam. p. 737. Item Imperatoris de eadem. p. 740.

Livonia à Ruſſis invaditur. p. 355.

Ludovicus Darmenſtadii Princeps Author Academiæ Gieſſæ. p. 685.

Ludovicus Elector Palatinus moritur. p. 497

Ludovicus Regis Hungariæ Filius deſpondetur Mariæ Auſtriacæ p. 67

Ludovicus XII. Rex Galliæ moritur. p. 66.

Lutherus (Martinus) incipit Germaniam turbare. p. 75. Evocatur ad comitia Auguſtana, ubi confitetur, ſe velle ſequi Doctrinam Eccleſiæ Romanæ. p. 81. Rediens Wittenbergam ad errores priſtinos relabitur. ibid. Ab Eckio erroris convincitur. p. 86. Condemnatus à Leone impudentiſſimè contra Pontificem furit. p. 90. Evocatus ad comitia wormatienſia protervè renuit revocare ſuos errores. p. 92. Proſcribitur cum ſuis fautoribus edicto publico Cæſaris. p. 93. Abducitur clàm à Saxone in arcem Wartenburgam. ibid. Eidem â ſuis blaſphemè applauditur. Ibid. Tres libellos edit putidiſſimos contra Papam, ſtatum Eccleſiaſticum, & de vita conjugali. p. 97. Novem Moniales è monaſterio Nimicenſi, inter quas Catharina de Bore, abductas, ſcurriliter laudat. p. 102. Cuculum Monachalem exuit. 108. Ducit uxorem Monialem profugam Catharinam de Bore. p. 115. Saudet Alberto Archiepiſcopo Moguntino Apoſtaſiam, & Matrimonium, ſed fruſtra. p. 116. Georgium Saxoniæ Ducem fruſtra ad ſuam ſectam allicit. p. 122. Lutheri de fœdere Catholicorum mendacia. p. 136. Lutherus moritur. p. 275.

Lutherani detrectant auxilia contra Turcas, niſi eximantur à Concilio, & Cameræ judicio. p. 271. Lutherana doctrina per ſeditionem introducitur Mindæ. p. 147. Item Herivordiæ in Weſtphalia, & Lipſtadii. p. 148. Lutheraniſmus invaleſcit Suſati, Lipſtadii & in aliis locis Weſtphaliæ. 338. Lutheranis Principibus præfinitur tempus deliberandi. p. 147. Lutherani Principes iterum conveniunt Iſenaci. p. 236. Lutherani Principes novam conventionem celebrant Arnſtadii. p. 241. Lutheranorum Principum Legati è comitiis Ratisbonenſibus diſcedunt. Catholici Principes apud Cæſarem urgent progreſſum concilii Tridentini. p. 278. Lutherani ingenti cum exercitu bellum adoriuntur cum Cæſare. ibid. Lutherani Principes in Comitiis Ratisbonenſibus fruſtra petunt, libertatem Religionis permitti etiam in terris Catholicis. p. 435. Lutherani tres Prædicantes captivi Arenſbergam abducuntur, ſed à Suſatenſibus in via intercipiuntur. p. 171. Lutheranis Monaſterii turpiſſimâ pace relinquuntur ſex templa Parochialia. p. 178. Lutheraniſmus Huxariæ introducitur per Joannem Winnenſtedium Auguſtinianum Apoſtatam invito ſenatu. p. 185.

Lyceſtrius ob diſidia inter ſe & Hollandos orta in Angliam revocatur. p. 532. moritur. ibid.

M

Magdeburgum poſt obſidionem annalem Cæſari deditur, agente Saxone, ſed conditionibus ſimulatis. p. 308.

Magica ars ex Alphabetaria ſummæ ædis promanat in totum Gymnaſium Hildeſii. p. 667. Pro ea avertenda inſtituuntur ſolennes preces ibid.

Mahometes ſuccedit Amurati Turcarum Imperatori. p. 573.

Marcellus II. ſuccedit Julio Papæ. p. 330. Moritur. ibid.

Mar-

Marcodurum â Brandenburgico, & Neoburgico occupatur. p. 702.

Maria Angliæ Regina restituit rem Catholicam, & despondetur Caroli V. Imperatoris Filio. p. 325. Moritur. p. 349.

Malta frustra obsidetur â Turcis. p. 376. Defenditur fortissimè. p. 377. In Auxilium venit Siciliæ Pro-Rex. p. 377.

Matthias Archidux Belgii Gubernator. p. 446. Non regit ipse, sed regitur ab Orangio cum ingenti damno rei Catholicæ. p. 451. Gubernationem Belgii, sibi nuper â fœderatis oblatam deserit. & quare. p. 467.

Matthias Rex Bohemiæ coronatur. p. 712. Renunciatur Imperator. p. 717. Regnum Bohemiæ transfert in Ferdinandum patruelem. p. 750.

Matthisonius Propheta Anabaptistarum Jubet omnia Civium bona convehi, & distribui per septem Diaconos. p 192. Rupertum Ruscherum sibi contradicentem contrucidat. ibid. Occiditur, dum prodigiosè vult hostes depellere ab urbis obsidione. ibid.

Mauritius Elector invitatu Ferdinandi Regis venit Linciùm. p. 311. Consentit in Conventum Passaviensem. ibid. Irruit in Tirolim, & occupat Oenipontum. p. 311. In Conventu Passaviensi de modo Pacis cum Cæsare agit. p. 312.

Mauritius Hassiæ Landgravius ejectâ Religione Lutheranâ introducit Calvinismum. p. 559.

Mauritius Hassiæ Landgravius, fortiùs introducit Calvinismum. p. 669. Suos armis cogit ad Calvini partes. ibid. Ipse populos de Calvini doctrina concionatur. p. 670.

Mauritius Saxo Imperatorem decipit, Legiones Magdeburgensium sibi clanculum auctorari curat. p. 308. Pergit Cæsarem deludere. p. 309. Cum Wilhelmo Hasso contra Cæsarem ad arma prorupit. p. 310. Augustam Vindelicorum capit ibid. Sævit in res sacras. ibid.

Maximilianus I. Imperator proscribit Rupertum Palatinum & Imperii Principes contra eum concitat. p. 24. Bohemos â Ruperto conductos profligat. p. 25. Ditiones Palatinas cum suo & tribus aliis exercitibus invadit. ibid. Coloniæ celebrat Comitia publica. p. 27. Contra Carolum Geldrum in Bellum proficiscitur. p. 28. Comitia celebrat Constantiæ. p. 35. Improspere transit in Italiam. p. 40. Nocet ei tardior militum suorum adventus in Italiam contra Venetos. p. 47. Augustæ Vindelicorum in comitiis Imperii sollicitat auxilia contra Venetos, & impetrat. p. 50. Celebrat comitia Treviris. 55. Epternacum veniens offert ingentem Cereum. p. 57. Convenit Sigismundum Poloniæ, Uladislaum Hungariæ, Reges propè Viennam, & cum utroque Viennam magno splendore ingreditur. p. 67. Accedit fœderi Carolum V. nepotem inter, & Franciscum Galliæ Regem inito. p. 71. In Belgium proficiscitur ad Carolum nepotem suum. p. 73. Celebrat Comitia in urbe Augustana, ubi consultatio de bello contra Turcas differtur ad alia comitia. p. 80. Moritur p. 83. Ejus virtutes. ibid.

Maximilianus Ferdinandi Imperatoris Filius Rex Romanorum eligitur, & coronatur Francofurti. p. 367. Imperator eligitur. p. 372.

Maximilianus Imperator Nobilitati Austriacæ permittit exercitium privatum Religionis Lutheranæ. p. 391. Simul severè prohibet, ne quis plebejorum Catholicam fidem deserat. p. 392. Idem filias suas Annam & Elisabetham Hispaniæ & Galliæ Regibus in matrimonium tradit. p. 405. Moritur Ratisbonæ. p. 436.

Medebacum deficit à fide. p. 487.

Medicæus (Alexander) primus Hetruriæ Dux occiditur à Laurentio Medicæo cognato suo. p. 224. Qui haud multò pòst interficitur. p 225.

Melanchton (Philippus) moritur. p. 358.

Merckelius (Balthasar) Episcopus Hildesiensis eligitur. p. 132. Moritur. p. 157.

Mendoza (Admiralis) ab Hollandis

landis in prælio capitur, & postmodum magno ære redimitur. p. 613.

à Meschede (Henricus) Cathedralis Ecclesiæ Decanus Paderbornæ moritur. p. 544.

Meutenirii, perduelles Hispani Ostendæ expugnationem retardant. p. 641. Conjungunt se Hollandis. p. 642. Excurrunt in Diœcesin Leodiensem, Juliacensem, Colonienſem & Westphaliam. Ibid. Populantur Brabantiam. p. 643. Reconciliantur cum Archiduce. p. 644.

Minoritæ PP. ab Huxariensibus expelluntur. p. 335.

Missæ & rituum Catholicorum Irrisores divinitus puniuntur. p. 282.

S. Modoaldi patrocinio miraculosè curatur Pastor in Herstelle. p. 13.

Monasterium PP. Franciscanorum inchoatur in monte S. Jodoci prope Bilefeldiam. p. 12. Transfertur intra urbem Bilefeldiam. p. 37.

Monasterii in urbe propylæum Cathedralis Ecclesiæ cum Bibliotheca conflagrat. p. 132. & p. 133. Monasterienses Rottmannum Apostatam retinent, alióque intrudunt Concionatores Lutheranos pessimæ vitæ invito Principe. p. 173. Inde exeunt multi consulares turbarum causâ ibid. Monasterienses, ineundæ pacificationis causâ invitatos Legatos capiunt & abducunt, comprobantibus omnibus etiam acatholicis hoc facinus. p. 174. & p. 175. Iterum petunt compromissum. p. 178. Monasterienſis senatus interdicit cathedrâ præconibus Anabaptisticis. p. 181. Petit auxilium Episcopi contra Anabaptistas. p. 182. Detrectat senatus in æde Cathedrali ferre Concionatorem Catholicum. p. 182. Monasterienſis Diœcesis oppida varia Lutheranismum amplexa, coërcentur ab Episcopo. p. 184. Monasterii Westphaliæ expugnatio tentatur, sed infeliciter. p. 194. Urbis assultus iterum tentatur ab obsidentibus, sed frustra. p. 197. Urbis obsidio mutatur in circumvallationem. p. 198. Monasterienſis urbs tenetur arctissimè clausa. p. 205. Horrenda illic fames, ob quam multi ex urbe dimissi, partim occisi à militibus, partim ad urbis expugnationem variis in locis custoditi. p. 206. & p. 207. Monasterii Catholica fides restituitur. p. 220. Cives etiam, qui Lutheро adhæserant, ab eo discedunt. ibid. Monasterii extruitur novum castellum, vulgo Engelburg. p. 221. Quæ ad Cleri Monasterienſis reformationem pertinent, ordinantur in provinciali Synodo Colonienſi. ibid. Monasterienſis urbs egregiè restauratur. p. 235. Calices, & alia ornamenta inferuntur ex Monasterio Hudenſi. Ibidem 120. ædes incendio absumuntur. p. 309. Eadem urbs invaditur à Philippo Magno, Henrici Brunsvicensis Filio. p. 316. ibidem pestis grassatur. p. 433. Monasterienſis Diœcesis ab Hispanis & Batavis plurimùm affligitur. p. 532. Monasterium veniunt Patres Jesuitæ, & Gymnasii institutionem obtinent. p. 539. Eadem Diœcesis ab Hollandis prædonibus diripitur. p. 550. Perficiuntur Scholæ Patrum Societatis, & fabrica templi promovetur. p. 566. Ejus urbis incendium. p. 748.

Montes Hannoniæ capiuntur à Ludovico Nassavio, sed paulò pòst obsidentur à Friderico, Ducis Albani Filio. p. 418.

Mulheimium ad Rhenum ædificatur hæreticorum bono, & damno Colonienſium. p. 721. diruitur. p. 736.

Mulier Frisica, necem parans Francisco Episcopo, proditur, & capite mulctatur. p. 194.

N

Naumburgenſis Conventus Principum Acatholicorum. p. 359. Frustra ibidem studeant è diversis Augustanæ Confessionis formulis unam seligere ibid. Ex eodem Joannes Fridericus Saxoniæ Dux recedit. p. 360. Ad eundem Conventum admittuntur Delfinus & Commendonus Papales Nuntii.

Neapolis ad Cæsarem redit consumpto Gallorum exercitu. p. 134.

Neuhusana arx à Theodoro Episcopo ædificatur. p. 548. Ejusdem Splendor

dor & elegantia. p. 549. Neuhusii antiquitas p. 548.

Nicolaus Dynasta Lingensis suâ Dynastiâ ejectus confugit ad Ducem Clivensem. p. 82. Recipit Dynastiam urgente capitulo, & statibus Patriæ. p. 82.

Nopelii (Joannis) Lipstadiensis obitus. p. 668.

Novesium ab Adolpho Comite Nüenario ac Truchsesianis intercipitur. p. 518. Expugnatur iterum ab Alexandro Farnesio, occisis ferè omnibus præsidiariis & Gubernatore suspenso. p. 524. & p. 525. Urbs tota non præviso incendio consumitur. p. 525.

Nuptiæ Alberti Archiducis cum Isabella Clara Regis Hispaniæ Filia. p. 593.

Nuptiæ funestæ Remberti de Krevet, & Margarethæ de Haxthausen. p. 367.

Nuptiæ Margaretæ Archiducis cum Philippo Tertio Regis Hispaniæ Filio. p. 593.

Nuptiæ Philippi Hispani cum Elisabetha Galliæ Regis Filia, & Philiberti Sabaudi cum Margaretha Regis Galliæ Sorore. p. 253.

O

Ab Oberg (Burchardus) Episcopus Hildesiensis. p. 337. Ejusdem mors, & egregia laus. p. 424.

Oldenburgici Comites Antonius & Christophorus invadunt, ac populantur diœcesin Monasterienſem. p. 238.

Orangius Montensem obsidionem soluturus auditâ Hugonattorum in Gallia cæde fugit. p. 420. Idem proscriptione à Rege Hispaniæ factâ magis efferatus Principatum Belgii defert Francisco Alensonio, Regis Galliarum fratri. p. 467. Sclopo manuali trajicitur. p. 509.

Ordines Diœcesani à Philippo Brunsvicensi pacem redimunt 25 millibus imperialium. p. 318.

Ordines Imperii in Comitiis Augustanis denuo pollicentur se staturas determinatione Concilii Tridentini, Contradicente quidem, postea tamen consentiente Saxone. p. 302.

Ordo Teutonicus in Livonia extinguitur. p. 364.

Osnabrugense Capitulum impetrat à Leone Papa, ne quis deinceps ad Canonicatum Ecclesiæ Cathedralis admittatur, nisi plenæ nobilitatis. p. 76. Civitas ob seditionem mulctatur. p. 114.

Osnabrug. Episcopus deligitur Comes de Hoya. p. 325.

Osnabrugi Lutheranis permittuntur 2 Parochiæ à Francisco Episcopo. p. 315. Ibidem gravissimum incendium. p. 729.

Osnabrugum invaditur à Philippo M. Henrici Brunsvicensis filio. p. 316.

Ostenda post triennalem obsidionem deditur Archiduci. p. 644.

Ostphaliæ Comites multantur à Philippo Brunsvicensi. p. 319.

Otto Comes Tecklenburgicus à filio suo Conrado conjicitur in vincula. p. 65. Liberatur à vicinis Episcopis. p. 65.

Otto Mauritii Hassiæ Landgravii Filius per infortunium perit. p. 752.

P

Pack (Otto) Saxonis Consiliarius confingit fœdus Catholicorum contra Joannem Saxonem, & Philippum Landgravium. p. 135. Convincitur falsitatis, ejicitur, & diu vagus denique meritâ morte mulctatur Antwerpiæ. p. 136.

Paderborna magnam partem conflagrat. p. 34. Struitur officina hydraulica. p. 105. Paderbonensium civium seditio contra Clerum. p. 137. Iterata seditio ante adventum Hermanni II. Administratoris. p. 166. Paderbornensi in Diœcesi grassari cæpit pestis. p. 248. Paderana diœcesis affligitur finitimo Protestantium bello adversus Brunsvicensem. p. 256. Paderbornæ turris major Cathedralis Ecclesiæ ob imminentem ruinam superiore

suî parte tollitur. p. 352. Paderbornensis Ecclesiæ antiquum jus in dynastiam Plessensem. p. 414. Paderborna ferè tota sub Henrico Administratore Fidem antiquam deserit. p. 456. Paderbornensi in Diœcesi detegitur perditissima latronum societas. p. 456. Paderbornæ, & in aliis locis Ducatui Westphaliæ proximis incipiunt acatholici Ecclesias diripere, sed ad breve tempus. p. 505. Paderbornæ & Moguntiæ infame commentum de quatuor Jesuitis in Polonia combustis spargitur. p. 521. Diluitur testimonio Stephani Poloniæ Regis & aliorum. p. 522. Paderbornæ Urbis Consules prohibent Civibus, ne in æde summa ad Conciones Jesuitarum adeant. p. 544. Paderbornensis Diœcesis ab Hollandis spoliatur. p. 550. Novam eorum incursionem redimit undecim millibus imperialium. p. 552. Paderbornæ Cives Lutherani Capitulo & immunitati Ecclesiasticæ insultant. p. 572. Civium ibidem turbæ. p. 573. Ibidem Canonici Cathedrales prohibent Lutherano Prædicanti, ne ægris administrent Sacramenta in immunitate Ecclesiastica. pag 573.

Paderbornæ in urbe, ac Diœcesi tota grassatur pestis. p. 588. In pagis vicinis comburuntur plures veneficæ. p. 589.

Paderbornenses, contemptis Mendozæ ac Theodori Episcopi monitis, protervè retinent Ecclesiæ Forensis Concionatorem Lutheranum. p. 597. Implorant auxilium Hassorum Principum. ibid. Fingunt, novum Collegium Societatis Jesu Paderbornæ ab Hispanis disturbatum iri. p. 601. Refutatur hæc fabula egregiè ab Admiralio de Mendoza. p. 602. Ibidem Lutherani cives invito Principe, rursus aperiunt, & sibi vendicant Ecclesiam Forensem. p. 607. Paderborna affligitur dysenteriâ gravi. p. 610. Eâ cessante cives à Landgravio Hasiæ repetunt frustra sumptus in Militum Hasicorum alimenta factos. p. 611.

Paderbornensis Nobilitas à Cæsare cogitur, tutelam ab Hasso impetratam rescindere, & Episcopo se submittere. p. 627. Paderbornensis seditionis origo & occasio. p. 627. & p. 628. Tumultuantur cives adversus Magistratum. p. 637. Wichardium rebellem custodiunt, ne capiatur. p. 638. Cogunt Magistratum consignare constitutionem, de nullo cive ad mandatum Principis attinendo. p. 638. Tumultus ibidem novus. p. 645. Paderborna oppugnatur à Comite Ritbergensi. p. 653. Cives mittunt ex urbe, qui cum Theodoro de urbis deditione tractent. ibidem. Paderbornensis Diœcesis dirè affligitur ab Hollandis. p. 673. Paderbornæ tumultuantes Cives Liborium Wiegers Consulem eligunt. p. 675. Paderbornenses terrentur mirâ nube per aërem apparente. p. 682. Paderbornæ Adolescens per 4 ferme annos ab omni cibo & potu abstinet. p. 696. Paderbornensium Civium resipiscentium pietas. p. 701. prodigiosa, & pernicioſa ibidem grando. p. 710. Paderbornenses Hæretici abstrahunt è Scholis Catholicorum Filios, & aliò mittunt. p. 715. Ibidem Leprosi à Jesuitis ad Fidem Catholicam convertuntur. p 715. Paderbornæ Mulier in Jesuitas maledica à Deo punita monstroso partu. p. 720. & p 721. Ibidem Philosophicæ lectiones inchoantur. p. 733. Paderbornæ ingens incendium. p. 748.

Palatinum bellum. p. 24.

Parisii ab Henrico Navarro obsidentur. p. 546. Incolæ tolerant fortissimè horrendam famem. ibid. Liberantur per Alexandrum Farnesium, cum copiis è Belgio venientem. p. 547.

Paulus III. Pontifex eligitur. p. 201.

Paulus III. Pontifex, Carolus V. Imperator & Franciscus Rex Galliæ conveniunt apud Nicæam, ubi Cæsarem inter, & Regem Galliæ decennales induciæ feriuntur. p. 235.

Paulus III. Pontifex moritur. p. 301.

Paulus IV. Pontifex. p. 330. Queritur acerbè apud Ferdinandum Regem de inito Tractatu Augustano. p. 332. Pacificatur cum Philippo Rege Hispaniæ. p. 342.

Paulus V. Papa eligitur. p. 662. Improbat. & severè prohibet novum fidelitatis juramentum à Jacobo Angliæ Rege Catholicis obtrusum. p. 688. Indicit Jubileum. p. 750.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pax inter Hiſpanum & Gallum inita. p. 253.

Pax inter Hiſpaniæ, Galliæque Reges concluditur. p. 593.

Perſarum Rex Pontificem rogat, ut Imperii Principes contra Turcas arma ſumant. p. 704.

Peſtis graſſatur Hildeſii. p. 705. In Weſtphalia peſte extinctus putatur adoleſcens, & ſepelitur vivus ibid.

Peſtis graſſatur Paderbornæ. p. 22. Statutum Reverendiſſimi Capituli hoc tempore ibid. Iterum furit Paderbornæ & alibi. p. 91.

Petrus Caniſius Societatis Jeſu. à Pio IV. ad varios Germaniæ principes mittitur ad promovendam fidem Catholicam & promulgationem concilii Tridentini. p. 374. Ejus geſta Paderbornæ, Oſnabrugi & Coloniæ ibid. Ejusdem geſta apud Wilhelmum Juliæ, Cliviæ, & montium ducem. p. 375.

Petrus Erneſtus Comes De Mansfeld conſtituitur Gubernator Vicarius Belgii. p. 563.

Philippus à Daun eligitur Archiepiſcopus Colonienſis. p. 44. moritur. p. 68.

Philippus Haſſiæ Landgravius è bonis monaſticis condit Academiam Marburgenſem. p. 129.

Philippus Haſſiæ Landgravius juniores comites abducit Caſſellas, ibique eos educari facit in Lutheraniſmo. p. 222. Lippiacas ditiones ad Lutherum pertrahit. ibid.

Philippus Haſſiæ Landgravius geminas ducit uxores conſentiente Luthero. p. 247. Idem invadit bona monaſterii Helmershuſani à deſertore Abbate ſibi iniquiſſimè venditi. ibidem

Philippus Haſſiæ Landgravius occupat Bückeburgum. p. 274. Venit Paderbornam, & indè Caſſellas redit. ibid. Tradit ſe poteſtati Cæſaris, & certis conditionibus impetrat immunitatem à cuſtodia perpetua. p. 288. Moritur, propendet in fine in Zwinglianiſmum. p. 385. Ejus familia dividitur in lineam Caſſellenſem & Darmſtadienſem. p. 385.

Philippus Maximiliani Filius Belgarum Dux in Hiſpaniam navigans tempeſtate in Angliam rejicitur. p. 32. In Hiſpaniam venit, ibique coronatus caſtiliæ Rex, moritur. p. 33.

Philippus Palatinus Cæſari reconciliatur, componitur pax illum inter, & Albertum Bavarum. p. 27. & p. 28.

Philippus Rex Hiſpaniæ Monaſterium ædificat in Eſcuriaco. p. 342. Maritimam claſſem mittit ad occupandum in Africa Regnum Tunetanum. p. 422. Malè ex Belgio revocat Ferdinandum Albæ ducem, ſubſtituto in ejus locum Ludovico Requeſenio. p. 423. Faventiſſimos concordiæ articulos Ordinibus offert. p. 455. ſed rejiciuntur ab Orangio ibid. Luſitaniam occupat, Henrico illius Rege defuncto. p. 466. Idem edicto publico proſcribit Orangium ſeductorem Belgii ibid. Piè moritur. p. 594.

Philippus Magnus, Henrici Brunſvicenſis Filius invadit Patriam Oſnabrugenſem & Monaſterienſem. p. 316. Iburgum diripit. p. 317. à Diœceſi Oſnabrugenſi extorquet millia florenorum aureorum. p. 317. Warendorpium occupat, & inde Diœceſanos cogit ad pendenda 100. millia aureorum. ibid. Epiſcopum Monaſterienſem cogit ad relinquendum Julio fratri Epiſcopatum Mindenſem. ibid. Minatur etiam Diœceſi Paderbonenſi & quare. p. 318.

Philippus Sigismundus Dux Brunſvicenſis, Lutheranus poſtulatur Epiſcopus Oſnabrugenſis 554. Fruſtra ad Fidem Catholicam ſollicitatur à legatis Nuntii Apoſtolici. p. 562.

Pius III. Pontifex Romanus ſuccedit Alexandro VI. p. 22. Moritur intra menſem ab electione. Ibid.

Pius IV. Pontifex eligitur. p. 355. Ferdinandi Cæſaris aſſumptionem ratam habet. p. 356. Promittit reſumptionem Concilii Tridentini. p. 357. Illud indicit. p. 358. Confirmat Synodum Tridentinam & omnia ejus decreta. p. 370. Quibuſdam Germaniæ Epiſcopis dat poteſtatem per-

permittendi usum Calicis. p. 371. Potestas illa revocatur à Pio V. & aliis ibid. moritur. p. 375.

Pius V. Papa eligitur. p. 375. Causam inter Henricum de Meschede & Wilhelmum Schilder de dignitate decanali agitatam decidit pro primo. p. 402. Ejus gaudium de victoria de Turcis relata. p. 411. Sanctè moritur. p. 415.

DE Plettenberg (Waltherus) supremus Ordinis Teutonici Magister in Livoniâ, Moscos vincit. p. 12. Illo autem ægrotante horum Dux Joannes Livoniam vastat. p. 16. Cujus centum ac triginta millium exercitus à Plettenbergio deinde profligatur. ibid. Qui petenti Moscoviæ Duci transmittit unum è suis Equitibus cataphractis, exercitia militaria coram Duce magnâ artis dexteritate, & Ducis non minore gaudio obeuntem. p. 17. & p. 18. Impetrat à Carolo V. ut Livoniæ Magistri creentur Principes imperii. ibid. Ejus laudes, & mors. ibidem.

Pombsen, pagus exuritur. p. 157.

Pragensia Comitia sinè fructu solvuntur. p. 706. Parva Praga intercipitur à Leopoldicis. p. 712. Pragensium tumultus. p. 712.

Principes Acatholici frustra in Comitiis Augustanis petunt relaxationem in pace Augustana. p. 378.

Principum Acatholicorum insolentia in comitiis spirensibus. p. 122.

Principes Catholici decernunt obtemperare edicto Wormatiensi, & Catholicam Religionem tueri. p. 107.

Protestantes de rebus à se agendis consultant Francofurti. p. 276.

Protestantes Principes frigidè excipiunt contra concilium generale, ideóque ostendunt, se nunquam illud voluisse. p. 360.

Pyrmontana arx mortuo Philippo Comite Pyrmontano causam dat controversiæ inter Ecclesiam Paderbornensem & comites de Gleicken. p. 501. Arx illa traditur Comiti Gleichensi à Ministris defuncti Comitis. pag. 501.

Pyrmontani fontis virtus medicinalis in clarescere cœpit. p. 339. Dœmonis ibidem artes. p. 340. Fons ille hodiedum adhuc salutaris. ibid.

R

Rade (Joannes) professus in Liesborn postulatur Abbas in Monasterio Flectorpiensi. p. 326.

à Raësfeld Episcopus Monasterienſis. p. 344. Renuntiat Episcopatui. p. 381.

Raymundus Cardinalis difficulter à Germanis recipiendum intelligit, quod afferebat Jubileum. p. 10. Visitat provincias Aquilonares. p. 19. Indè venit in Westphaliam. ibid. Confirmat bona Monasterii Dalheimensis. p. 20. Dalheimio ad Rhenum profectus Principibus Francofurti congregatis valedicit. p. 21.

Ratisbonensibus in Comitiis decernuntur auxilia contra Turcas, & componuntur controversiæ cum Principibus Acatholicis. p. 571.

Recklinghusense oppidum se submittit Ernesto Bavaro. p. 509.

à Reck (Jodocus) olim Episcopus Derpatensis in Livonia frustra prensat Episcopatum Monasterienſem. p. 322. Uxorem ducit. ibid.

Religiones duæ in Imperio Romano permittuntur. p. 685.

Religiosi Novitii lucta cum parentibus, qui filium volunt ab Ordine abstrahere. p. 757.

Rembertus Episcopus Paderbornensis in Dalheimensi monasterio consecratur. p. 294. Paderbornæ celebrat synodum diœcesanam. ibid. Curat visitari, & ad interimisticam doctrinam adstringi terras jurisdictioni suæ spirituali subditas. p. 295. Componit litem Marienmünsterense cœnobium inter & viduam perillustris Domini Arnoldi ab Oynhausen in Grevenburg. p. 302. Item causam inter cœnobium Gaukirchense Virginum, & Nobiles de Westphalen in Fürstenberg. p. 304. Episcopi hac de re literæ. p. 304. Componit controversiam, habitam cum Phi-

Philippo Comite Spiegelbergenſi de limitibus Pyrmontanis, & Schwalenbergenſibus. p. 328. Item aliam, cum Nobilibus Amelunxiis habitam de limitibus inter Beverungenſes & Corbejenſes pagos Amelunxen & Drencke. p. 329. Inter oppidum & monaſterium Wilbadeſſenſe componit litem de ſilvis & Glandemia. p. 356. Item aliam de limitibus dominii noſtri Bokenſis, & arcis ac Præfecturæ Lippiacæ in Lipperode. ibid. Ejusdem alacritas ad Concilium Tridentinum adeundum. p. 361. Moritur. p. 393. Ejus laudes. ibidem.

Requeſenius (Ludovicus) pro Ferdinando Albæ Duce mittitur in Belgium. p. 423. Idem inter felices armorum progreſſus moritur. p. 433.

Ritbergenſis Comes (Joannes) bello premitur à comite Lippienſi, & Epiſcopo Paderbornenſi. p. 346. Obſidetur & capitur in arce Ritbergenſi. ibid. moritur. ibid. Ritbergenſis Comitatus devolvitur ad Comites Oiſtfriſiæ. 348. Ritbergenſium duorum Comitum laus. p. 672. Ritbergenſis Comitatus ad fidem Catholicam reducitur. p. 708.

Romam expugnant Cæſarei. p. 128. Eorum claſſis cæditur à Philippo D' Oria. p. 133. Qui deinde abit ad Cæſareos, impetrátque, ut genua ſit libera Respublica. p. 134.

Romanum Sacellum ruinoſum inſtauratur à Theodoro Epiſcopo. p. 665. Conſecratur. p. 676. Ejusdem Sacelli origo, & unde ſtatua miraculoſa ibidem. p. 676. Et ſequentibus.

Rottmannus (Bernardus) Apoſtata pervertit cives Monaſterienſes. Ejus Patria, Natales, & ſtudia. p. 155. Proſcribitur à Carolo Imperatore. ibid. à Sacellanatu Mauritiano amotus clàm ſe recipit in urbem ad ſuos amicos. p. 156. Monaſterii per publicam ſeditionem introducit Lutheraniſmum. p. 163. Fit primus Superintendens Lutheranus, & uxorem ducit. p. 179. Ejus impulſu Catholici omnes ejiciuntur è Magiſtratu. ibid. miniſtrat Euchariſtiam in cætibus veſpertinis, quare dictus eſt Stutenbernd ibid. Panem ſacrum interit in patinas, vinóque ſuperfuſo dat illum cochlearibus exedendum. p. 180. Deflectit in errorem Zwinglii, & negat præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. ibid. Labitur in errores Anabaptiſtarum, & populo ut imponat, novam exteriorem ſanctitatem inducit. p. 181. Factionem Anabaptiſticam auget, & novos fidei articulos in lucem edit. p. 182. Indicitur illi à ſenatu Monaſterienſi exilium, ſed fretus aliorum auxilio ridet ejuſmodi minas. p. 183. Suorum ejectionem ex urbe Monaſterienſi refert inter miracula. p. 190. In acie expugnatæ urbis Monaſterienſis cadit. p. 209.

Rüdæ introducitur exercitium Religionis Acatholicæ. p. 492. Ibidem Pastor Catholicus ab officio movetur, Judex urbis in carcerem conjicitur, duo Conſules pelluntur in exilium. p. 492.

Rudolphus Maximiliani II. Filius Ratisbonæ eligitur, & coronatur Romanorum Rex. p. 432. Fit Imperator. 436.

Rudolphus Imperator & Ferdinandus Archidux Catholicam Religionem in ſuis Provinciis reſtituere incipiunt. p. 615. Idem Rudolphus ſeveriſſimè præcipit Nobilitati & Capitulo Paderbornenſi, ut Theodori Epiſcopi mandato pareant. p. 627. Paciſcitur cum Boſtkajo, deinde cum Turcis. p. 670. In Comitiis Ratisbonenſibus nihil ſubſidii contra Turcas obtinet. p. 685. Diſſidet cum fratre Archiduce. p. 688. Reconciliantur fratres ibid. De diſcordia hac gaudent Hæretici. p. 688. Contra attentata à Neoburgico & Brandenburgico mittit gravia mandata. p. 702. Leopoldum Archiducem mittit, qui Juliam, Cliviam &c. ſequeſtri nomine occupet. p. 702. moritur. p. 717.

Rupertus Palatinus cum uxore ſuâ moritur. p. 25.

Ruſticorum bellum in Germania authore Müntzero. 111. Hujus belli infauſtus finis. p. 112.

S

Sabinæ Catharinæ Comitis Ritbergenſis vita, virtutes, & mors. 766.

Sacrilegium proditur profanatæ à Judæis Hostiæ. Gravissimè punitur. p. 53.

Salentinus Comes de Isenburg eligitur Archiepiscopus Colonienſis. p. 386. Postulatur Episcopus Paderbornenſis. p. 429. Confirmatur à Pontifice ibid. Solenni pompâ Paderbornam ingreditur. p. 430. Ejus juramentum de tuendis Ecclesiæ Paderbornenſis juribus. p. 430. Redimit à Comitibus Schawenburgicis Vestam Reklinghusanam. p. 437. Idem ùt Episcopus Paderbornenſis multa redimit ibid. Argentariam supellectilem Ecclesiæ Paderbornenſi donat. p. 437. Gymnasium Salentinianum Paderbornæ instituit. p. 437. Conatur inter Colonienſes & Paderbornenſes componere litem de pagis Erwitte, & Westerenkotten. p. 439. Visitat Paderbornenſem Diœcesin, & vetera illius monumenta. p. 440. Abdicat Episcopatum Paderbornenſem. p. 441. Uti etiam Archiepiscopatum Colonienſem, & quare. p. 442.

Saltkottenſes Cives, Jubente Episcopo, monachum Apostatam unà cum Ludi-Magistro Lutherano expellunt. p. 598. Recipiunt sacerdotem Societatis Jesu. ibidem.

De Schade (Henrici) incendentis Ecclesiam in Wardenburg pœna. p. 238.

De Schawenburg Comes (Otto) eligitur Episcopus Hildesienſis. p. 157.

De Schawenburg Comes (Otto) Episcopus Hildesienſis exauctoratur à Paulo III. Pontifice. p. 234. In cujus locum eligitur Valentinus à Teutleben vir magnæ eruditionis. ibid.

Schenckius devicto Geldro varias urbes eripit. p. 218.

Schenckius (Martinus) Miles Truchsesianus per stratagema capit urbem Werlam. p. 522. Frustra arcem ei contiguam obsidet. p. 523. Idem magnâ clade afficit colonos, ad urbem includendam coëuntes. p. 523. Idem locis aliquot frustra tentatis pagos omnes in agro Colonienſi incendit. p. 524. Idem Bonnam capit. p. 534. Ab urbe Neomagenſi repulsus, in aquis suffocatur. p. 541.

Schildecenſis Ecclesiæ præpositura extinguitur, & reditus transcribuntur Wilhelmo Clivenſi. p. 257.

Scholæ Patrum Societatis Jesu Paderbornæ florent. p. 521.

Schôpper (Jacobus) Concionator & Pastor celebris moritur Tremoniæ in Westphalia. p. 329. Cum illo extinguitur ibidem fides Catholica. ibid.

Schwartzius, promotor partium Truchsesianarum moritur. p. 500.

Scribonius, cognomento sic dictus, latro in Diœcesi Paderbornenſi famosissimus. p. 456. Educatus in Monasterio Bodekenſi ibid. In Haren mercatorem peregrè venientem obtruncat ibid. Socios complures adsciscit. p. 457. Fratrem Laicum monasterii Bodekenſis crudeliter occidit. ibid. Toto ferè biennio cædes innumeras perpetrat. p. 458. Comprehensus, ope Dœmonis è carcere elabitur. ibid. Proditus ab amasia sua capitur. p. 459. Morte severissimâ cum sociis plectitur. p. 461.

Sebastianus Archiepiscop. Moguntinus congregat synodum provincialem, cui Rembertus Episcopus Paderbornenſis per Legatos interest. p. 299. Remberti ad Archiepiscopum Moguntinum hac super re literæ. ibid. Ejusdem mors. p. 330.

Seditio excitatur Francofurti, & Moguntiæ. p. 112. Item Monasterii, sedatur depositis ab officio prædicatoribus. 113. Item Osnabrugi, iniquissimâ de causâ contra clerum & Capitulum. p. 114.

Selimus Turcarum Imperator eligitur. p. 380. Cyprum invadit. p. 404. Nicosiam expugnat. p. 404. Famagustæ urbis obsidionem deserit. p. 404.

Septemviri tres, Palatinus, Trevirenſis & Colonienſis moriuntur. p. 335.

Sigethum in Hungaria occupatur à Solimanno. p. 379.

Sixtus V. Papa eligitur. p. 511. moritur. p. 545.

Smalkaldienſes fœderati conveniunt

niunt Brunſvici, ibique ſuum fœdus augent. p. 235.

De Smiſing (Theodorus), Theodori Epiſcopi Paderbornenſis ex ſorore nepos, Lovanii ingreditur Ordinem S. Franciſci de ſtrictiore Obſervantia. p. 598. Ejusdem conſtantia. p. 600.

Sparemberga arx propè Bielefeldiam occupatur à Brandenburgicis, & Neoburgicis, magno Bielefeldienſium gaudio, quod in luctum pòſt vertitur. p. 703.

DE Spiegelberg Comes (Fridericus) comitatum Pyrmontanum à Diœceſi Paderana abſtrahit. Iniquiſſimè pro hoc decisa per arbitros controverſia. p. 118. & p. 119. Cujus ſententiæ iniquitas oſtenditur. Ibidem & ſeq.

De Spiegelberg Comitis (Philippi) & Pyrmontani in bello mors. p. 346.

Spiegeliorum motus adverſus Theodorum Epiſcopum. p. 625. & p. 626. & p. 627.

Spinola (Ambroſius) ſubigit Aquisgranum & Weſaliam. p. 732.

Societas Jeſu inchoatur. p. 201. Confirmatur à Paulo Pontifice. p. 249. Ejusdem obſequia Coloniæ in juvandis peſtiferis. p. 323.

Societas Latronum detecta, & variis ſuppliciis è medio ſublata. p. 65.

Solymannus occupat Rhodum. p. 99. Occupatâ Budâ & aliis Hungariæ urbibus Viennam obſidet. p. 141. Cognito autem noſtrorum adventu Viennam deſerit. p. 143. Oppugnat diu, ſed fruſtra Güntium. p. 159. Cognito Cæſaris adventu ſe ſubducit. p. 159. Hungariam invadit, & cædit excercitum Hungarorum. p. 122. Moritur triduo ante expugnationem ſigethi. p. 380.

Statberga deficit à fide Catholica. p. 487.

Stedingius Epiſcopo Monaſterium venienti offert captivi Regis coronam, Sceptrum, aliosque Regis Leydenſis inſignia.

Steinfordienſis Academia conditur ab Arnoldo Comite Bentheimenſi. p. 680.

Stromberga ab Hollandis expilatur. p. 614. Supplicatio ibidem intermittitur ob incurſiones Hollandorum. p. 617. Audiuntur ibidem in aëre ſolennes concentus vocésque ſupplicantium. p. 618. Ibidem prodigiosè à variis morbis curatur virgo. p. 618.

Stuarta (Maria) Scotiæ Regina, ad Eliſabetham Angliæ Reginam fugiens, carceri mancipatur. p. 390. Innocens condemnatur capite. p. 527. & p. 528. Devotè ſe ad mortem præparat. ibid. Jubet moneri Filium ſuum Jacobum Regem, ut Catholicam Religionem teneat p. 529. Feralem ſententiam patienter audit, & negat, ſe criminum objectorum ream eſſe. p. 529. Calvinianum Prædicantem rejicit. p. 530. Profitetur ſe mori Catholicam, & inter ſancta ſuſpiria ſecuri percutitur. p. 531.

Sudor Anglicus, certum morbi genus, multos in Germania occidit. p. 143.

Surius (Laurentius) Carthuſianus Coloniæ cœpit edere vitas ſanctorum. p. 408. Laudatur idcirco à Pio V. Pontifice ibid.

De Suſato (Joannes) Abbas Abdinghoffenſis cum forma ſanctitatis moritur. p. 223.

Suſatum per tumultum publicum doctrinam Lutheranam recipit. p. 153. Suſatenſium Præconum vita peſſima. p. 154. Suſatum ab Alberti Archiducis exercitu occupatur in favorem Neoburgici. p. 745. Ad fidem Catholicam revertitur. p. 746. Quanta ibidem veneratio S. Patrocli olim fuerit ibid.

Swicardus (Joannes) à Cronenberg Archiepiſcopus Moguntinus. p. 662.

T

Tecklenburgicus Comitatus tranſit ad Benthemenſes. p. 346.

Te-

Temeſwarium Turcis deditur. p. 315.

Tempeſtas inaudita totam ferè Europam affligit. p. 682. Eadem per Weſtphaliam. p. 725. De eadem lepidus Prædicantis diſcurſus. p. 725.

Terræ motus in Weſtphaliâ. p. 26.

Theodoricus Abbas Corbejenſis monaſterium Brenckhuſanum Virginum Ciſtercienſium transfert ad ordinem S. Benedicti & Congregationem ejus Burſfeldenſem. p. 619.

Theodoricus à Monaſterio, alio nomine, Theodoricus de Oſnabrugo ex Ordine S. Franciſci de ſtrictiore Obſervantia, moritur cum fama Sanctitatis. p. 68. Prædictâ jam ante ſuâ morte. p. 70. Ejus oſſa elevata in valetudinario cœnobii Lavonienſis aſſervantur. p. 767. Ejus mira charitas erga peſte infectos. p. 767. & p. 768.

Theodoricus de Roremunde eligitur Abbas in Abdinghoff. Benedictus die primâ Auguſti. p. 223.

Thomas Cramerus ſententiam fert pro Rege Angliæ, permittitque eum conjungi cum Anna Bolena. p. 212.

Thomas Morus improbat cogitatum à Rege divortium, & Cancellarii officium Sponte abdicat. p. 212. Juramentum Regis Angliæ recuſans in carcerem detruditur. p. 213. Ad mortem condemnatur, & moritur. p. 214.

Thomas Volſæus offenſam Regis Angliæ incurrit, eique in dignitate Cancellarii ſufficitur Thomas Morus. p. 211. & p. 212.

Toga Chriſti Domini invenitur Treviris cum aliis multis Reliquiis. p. 56. Quem ut videant multi homines illuc confluunt, qui inficiunt urbem lue. ibid.

Tranſilvania capitur à Boſtkajo. p. 662. Tranſilvani ſe libenter ſubmittunt Cæſari. p. 135.

Tremonienſis Comitatus mortuo Joanne de Stek urbi Tremonienſi à Cæſare in feudum datur. p. 26.

Tremonienſes Cives fruſtra à Magiſtratu petunt concionatorem Lutheranum. p. 130. Tremonia à Fide Catholica deficit. p. 371.

Tridentum pro futuro concilio proponitur à Legato Pontificio, & concilium illuc indicitur. p. 254. Quod triennio ſuſpenditur ob nova bella. ibid. Tridentinum Concilium inchoatur. p. 274.

Tünneken (Hermannus) Sacerdos ad Eccleſiam Pancratianam promovetur, pòſt Apoſtata. p. 463.

Turcæ irrumpunt in Hungariam, & oras Maritimas Italiæ. p. 257. & p. 258. Maltam obſident. p. 376. Magna ſuorum clade fugiunt. p. 377. Ruptis induciis occupant Wihitzam, Croatiæ urbem. p. 569. Ingenti clade prope Siſſekum proſternuntur. ibid. Novo & majore exercitu Conſtantinopoli accepto, Siſſecum, Veſprinium, & Palottam occupant. p. 570. Iterum ingenti clade cæduntur apud Albam Regalem. p. 570. Occupant Jaurinum. p. 571. Idem per ſtratagema Turcis eripitur. p. 592. Iidem capiunt ſtrigonium. p. 662.

Turcica claſſis recedit ab Italico littore, cum Galli conſtituto tempore non adeſſent. p. 225.

Turris Eccleſiæ Brakelenſis igne conſumitur. p. 79.

De Twickel (Joannes) nova in urbem Monaſterienſem auxilia convocat. p. 208.

V

Valentinus Epiſcopus Hildeſienſis ſententiam reſtitutionis obtinet contra Henricum Brunſvicenſem; cujus tamen executio impeditur à Cæſare. p. 246. & p. 247.

Valentinus à Teutleben Epiſcopus Hildeſienſis moritur. p. 309.

Veneti invaduntur bello à Rege Galliæ. p. 36. Ejus belli continuatio & ſucceſſus. p. 46. Cæduntur à Cæſareis &

& Hiſpanis, p. 60. Venetiis graviſſimum incendium exiſtit. p. 63. Veneti à Cæſareis cæduntur prope Muranum. p. 64. Veneti contra Turcas percutiunt fœdus cum Pio V. Pontifice &, Philippo Rege Hiſpaniæ. p. 409. Reconciliantur Pontifici. p. 688.

Vegetius Legatus Pontificis à Paulo III. ad Principes Germaniæ mittitur, ut cum iis agat de concilio celebrando Mantuæ. p. 216. Inania Principum Acatholicorum reſponſa ad hanc propoſitionem. ibid.

Viennæ in Auſtria fundatur Collegium Societatis Jeſu à Ferdinando Romanorum Rege. p. 135.

Ulenbergii (Caſpari) converſio, vita, & mors. p. 752.

Ultrajectum capitur à Cæſareis. p. 135.

Volckmaria deficit à fide Catholica. p. 487.

Vôrde oppidum exuritur caſtro illæſo. p. 248.

Urbanus VII. Papa electus, ſtatim moritur. p. 545.

W

Wachtendonka, Geldriæ oppidum ab Hiſpanis expugnatur. p. 535.

De Waldeck Comes [Bernardus] fit Epiſcopus Oſnabrugenſis. p. 514. Moritur Catholicus. p. 553.

Warburgum ab Hermanno à Geiſmar ad fidem Catholicam reducitur. p. 555.

Warendorpii caſus funeſtiſſimus contingit. p. 445.

Wedinghuſanum Monaſterium occupatur à Truchſeſio pag. 494. Catholicis ibidem obtruditur Concionator Calvinianus. pag. 495.

Wêrla à Schenckio milite Truchſeſiano per ſtratagema capitur, arce tamen ſervata. p. 522.

Werlæ exercitium Religionis Acatholicæ introducitur à Truchſeſio. p. 491. Primus ibidem Prædicans Caſpar Motte Apoſtata Hennenbergenſis. p. 491. Ibidem Joannes Godde Conſul Catholicus à Truchſeſio in Carcerem conjicitur, & Bernardus Tûtel Eccleſiæ Paſtor bonis omnibus denudatus ejicitur. p. 493. Ibidem Joannes Platenius Scholarum Rector, fidei Catholicæ cauſâ graviſſimè à Truchſeſio affligitur. p. 494. Werla cum toto Weſtphaliæ Ducatu Erneſto Archiepiſcopo ſe ſubmittit. p. 508.

Weſterholtenſis arx ſe ſubjicit Erneſto Bavaro. p. 509.

Weſterholtius ob hæreſeos ſuſpicionem citatur ad curiam Romanam. p. 449. Inde causâ perditâ rediens, Canonicatum abdicat. p. 449.

Weſtphalia magnâ ficcitate premitur. p. 286.

Weſtphaliæ Comites plures mulctantur à Philippo Brunſvicenſi. p. 319.

Weſtphaliæ Principes varios conventus agunt de bello Hiſpanis inferendo. p. 604.

Wewelsburgenſis arcis deſcriptio. p. 684.

De Wieda Comes [Fridericus] Epiſcopus Monaſterienſis eligitur. p. 101. Epiſcopatum abdicat. p. 163.

De Wieda [Fridericus] Archiepiſcopi Colonienſis Frater exuitur præpoſiturâ Bonnenſi, quæ dein collata eſt Joanni Groppero. p. 281.

De Wieda Comes [Fridericus] Archiepiſcopus Colonienſis. p. 367. Abdicat Archiepiſcopatum. p. 386.

De Wieda [Hermannus] Archiepiſcopus Colonienſis. p. 68. Poſtulatur Epiſcopus Paderbornenſis. p. 165. Solenni ritu Paderbornam ingreditur. p. 166. Præcipuos rebellionis præteritæ duces comprehendi jubet, & condemnari ad mortem. p. 167. Ad Capituli autem, aliorumque preces concedit reis veniam. p. 168. Receſſus tranſactionis ea de re Epiſcopum inter & civitatem. ibid.

Wichards vel Wiegers [Liborius] ſeditionis Paderbornenſis incentor.

tor. p. 629. Adjungit sibi Wolffgangum Günter juris peritum. p. 630. Senatum toto triduo captivum in curia detinet. ibid. Seditiosa conventicula agit, etiam in æde summa. p. 631. Invehitur in Ecclesiæ Cathedralis canonicos ibid. Opponit se mandato Episcopi. p. 633. Gûnterum urbis Secretarium nominari curat. ibid. Iterum se opponit Episcopo. p. 634. Urget, ut nova constitutione prohibeatur, ne quis civium ex mandato Principis attineri vel extradi debeat. p. 635. Seditiosa oratione plebem concitat. p. 637. Idem consul eligitur. p. 646. Ejus fucata pietas, ibid. Monetur ab Amicis de temperando furore. p. 647. Insultat Theodoro Episcopo & Cathedrali capitulo. p. 647. Omnes clericos & Religiosos in urbe, etiam Canonicos Cathedrales ad arma sumenda cogit. p. 649. Sævit in cives. p. 650. Innocentem civem suspendi jubet. ibid. Implorat Hassiæ Landgravium contra Episcopum Paderbornensem. p. 651. Capitur, & Episcopo deditur. p. 654. Supplicio afficitur, & moritur Catholicè. p. 655. De ejus morte mendacia Nigrini Prædicantis. p. 656.

Wilbadessensis Abbatissa & præpositus omni modo student novas doctrinas ab oppido suo prohibere. p. 503.

Wilckinus Stedingius præeunte Langenstatio cum quadringentis militibus vallum transcendit, & urbem intrat, sed per incuriam negligit aperire portam urbis. p. 208. Certatur acriter in campo Dominico, ac tandem Anabaptistæ se ex eo retrahunt in forum. ibid. redintegrato prælio urbem capit Anabaptistis partim occisis, partim fugatis. 209.

Wilhelmus, Dux Clivensis convertit se ad Schmalkaldiense fœdus, & amicitiam Regis Galliæ. p. 249. Conjungit se Regi Galliæ, & filiam sororis ejus in sponsam accipit. p. 251. è suarum provinciarum Ecclesiis omne argentum diripit pecuniæ conflandæ causâ. p. 258. & p. 259. Idem supplex à Carolo Imperatore pacem petit, & impetrat. p. 260. Leges pacis hunc inter & illum ibid.

Wilhelmus Comes Bergensis magnam Geldriæ, Frisiæque partem Hispanis eripit. p. 418.

Wilhelmus Comes Ravensbergensis &c. moritur. p. 54. Wilhelmus Dux Brunsvicensis capitur. p. 87.

Wilhelmus de Fürstenberg supremus Teutonici Ordinis Magister in Livonia munus abdicat propter senium. p. 355. Capitur à Russis, & in Moscoviam abducitur ibid.

Wilhelmus de Schencking Episcopus Osnabrugensis. p. 514. Moritur ibid.

Wilhelmus de Westphalen denuntiat, Joannem Dinastam Buranum à fide Catholica defeciisse, & cum eo Baronatum. p. 407. Idem nuntiat, cives Paderbornenses aliorsum excurrere ad Prædicantes Acatholicos. p. 407.

Wilhelmus Dux Juliacensis frustra Paderbornæ sollicitat, ut infeudatio Comitatûs Pyrmontani conferatur Simoni, Juniori Comiti Lippiensi. p. 389.

Wilhelmus Juliæ & Cliviæ Dux Catholicus moritur. p. 558.

Wilhelmus Hassiæ Landgravius monasterium Flechtorpiense in suam tutelam recipit. p. 37. Cujus Filius Philippus Lutherum secutus hanc abdicat. ibid.

Wilhelmus Hassiæ Landgravii Filius Cassellis in adventu captivorum Ducum Brunsvicensium amare flet, & Patri similem fortunam præsagit. p. 273. & 274.

Wilhelmus Hassiæ Landgravius scribit ad Rembertum Episcopum Paderbornensem pro restituendo Hoitbando, ab urbe pulso. p. 388. Idem Dynastiam Plessensem occupat. p. 414. Idem moritur. p. 559.

Winterberga deficit à fide Catholica. p. 487.

Wolffgangus Archiepiscopus Moguntinus moritur. p. 622.

Wolffgangus Camerarius de Dalberg fit Archiepiscopus Moguntinus. p. 672.

Wolff-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Wolffgangus Günterus mendaciter narrat causas captivitatis suæ. p. 646.

Wolffgangus Neoburgicus fit Catholicus. p. 730. Evocat Jesuitas Lipstadium. p. 755.

Wormatiæ nova Imperii Comitia habita, in causa Anabaptistarum Monasterienſium. p. 207.

Wormatienſe Colloquium inter Theologos Catholicos, & Lutheranos. p. 342. In hoc plaga Augustanæ confessionis ob eorum dissensiones. p. 343. Sinè fructu dissolvitur. p. 343.

Wormatienſis decreti executio urgetur à Pontifice, & Cæsare in Comitiis Norimbergensibus, sed fructu exiguo. p. 106. Illi jubentur omnes parere usque ad adventum Cæsaris, protestantibus contra hoc Acatholicis Principibus. p. 140. & 141.

Z

Ziriczæa, Zelandiæ urbs ab Hispanis ad deditionem cogitur, trepidante cum suis orangio. p. 434.

Zwingliani in Helvetia maximopere affligunt pagos, vel cantones catholicos, quibus bellum à Catholicis indicitur, & variæ infliguntur clades, capto etiam, & dein combusto Zwinglio. p. 152. & p. 153.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



ANNALES
PADERBORNENSES
III